Digitized by Google

L
D
26

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
L
D
26
NAPOLI

Digitized by Google

FLORILEGIVM INSVLÆ SANCTORVM SEV VITÆ ET ACTA SANCTORVM HIBERNIÆ.

Quibus acceſſerunt non vulgaria monumenta

HOC EST

SANCTI PATRICII Purgatorium,

S. Malachiæ Prophetia de ſummis Pontificibus,

Aliaque nonnulla quorum ELENCHVS *poſt Præfationem habetur.*

Omnia nunc primum partim ex MS. codicibus, partim typis editis collegit, & publicabat

THOMAS MESSINGHAMVS Sacerdos Hibernus, S. R. E. Protonotarius, nec non Seminarij Hibernorum Pariſijs Moderator.



PARISIIS,

Ex officina SEBASTIANI CRAMOISY, via Iacobæa, ſub Ciconijs.

M. DC. XXIV.

CVM PRIVILEGIO, ET APPROBATIONE.

NAPOLI

NOBILISSIMIS

& omni virtutum genere conſpicuis Dominis,

DD. BALTAZARI, ET REMVNDO

LESCALOPIER, AMPLISSIMI DOM. D. IOANNIS *Leſcalopier, quondam in ſacro Senatu Regi Chriſtianiſſimo à conſilijs, & in Suprema Parlamenti Curia Præſidis, Galliarum Reginæ Cancellarij, necnon Equitis, & Baronis de S. Iuſt, filijs*

Omnem precatur felicitatem.

PRVDENTER ſanè ſapientiſſimus Sirachi filius aiebat (nobiliſſimi Heroës), Sapientiam abſconditam, & theſaurum inuiſum nullius eſſe vtilitatis; quod nec illa poſteros prudētiam edoceat, nec vllius iſte releuet egeſtatem. Hinc philoſophi nonnulli naturali duntaxat ingenuitate præditi, omni ſemper conatu ac diligentia veterum ſcriptorum ac ſapientum præclariora monumenta, inueſtigare, inueſtigata illuſtrare, illuſtrata conſeruatricis memoriæ luci donare ſtuduerunt. Hic ſi tantus in hominibus naturalis luminis ductum ſequentibus adumbratæ virtutis amor, perituræque ſapientiæ ſtudium; quanta debeat eſſe cura viri Chriſtianæ virtutis melioribus radiis illuſtrati, verarumque virtutum amatoris & ſectatoris in Sanctorum Patrum, veterumque Orthodoxorum ſcriptis monumentiſque inueſtigandis, nemo non facile dijudicat: in his namque non illa quæ inflat, ſed quæ ædificat ſcientia acquiritur; non Solis iſtius volubilitate ſua perpetuò mobilis, cæleſtiumque motuum, ſed Solis æterni in ſe ſemper immobilis, omniū tamen motoris, cæleſtiumque mentium habetur contemplatio.

Huiuſce ergo rei crebra conſideratione ego nonnihil inuitatus, aliquot pręcipuorum ſanctorū noſtrarū̂m vitas ab antiquis exaratas authoribus, & in tenebris dudum latentes tranſcripſi, priſtino nitori quâ potui diligentia reddidi, & luce publica dona-

ui. Eo tamen leuior mihi viſus eſt labor, & iucundior induſtria, quo feliciorem euentum & benignius ſortitus eſt patrocinium. Hocce ſiquidem opus(ſicut & alia olim) veſtro ſub nomine & protectione, quam alterius cuiuſquam in lucem prodire, ſi preterita & præſentia veſtrorum in nos parentum cumulata beneficia non exigerent, id ſanè peculiaris ſcripti ratio, & hæreditarius veſter in nos amor ac beneuolentia efflagitaret. Cuius enim nómini aptius dicari poſſent vitæ ſanctorũ,quã adoleſcẽtibus piiſſimis piiſſimorũ parẽtũ veris imaginibus, quorũ actus in adoleſcentia tanquam in herbis præmonſtrant, quæ virtutis maturitas in virilibus futura ſit annis?quid pietate & religione præſtantius? quid clementia ſuauius? quid doctrina excellentius? grauitate in iuuentutis vere rarius? morum comitate tanquam magnete omnium animos attrahente dulcius? Hęc in aliis rara & ſtupenda, nec tamen in vobis (pium par fratrum) adeo miranda, qui ex officina virtutum eſtis egreſſi,in ſeminario pietatis educati, in ſchola religionis edocti. Quod ſi gloria filiorum(vt ait ſapiens)patres eorum, veſtram ſane oportet maximam eſſe gloriam & virtutem: nam vt religioſiſſimæ matris ſuperſtitis pietatem , liberalitatem, cæteraſque virtutes taceam. Ampliſſimi certè felicis memoriæ Pręſidis parentis veſtri geſta nemo non extollit,nemo non ſuſpicit ac veneratur virtutes. Cætera eius & plurima & maxima encomia vt miſſa faciam,aliqua & paucis referam. quæ certa ipſe experientia didici. Iudex conſtitutus,cunctis affabilis & benignus, nulli blandus, nemini inuiſus, omnibus ita æquus, vt nec principum minis, nec auri ſacra fame, nec honorum aura, amicorum blanditijs, adulantiumue ſuſurris illectus ſemel ab æquitatis tramite deuiârit; idem ſemper humilium & ſublimium acceptator: vt cũ iuſtiſſimo Iob dicere poſſet: Iuſtitia indutus ſum, & veſtiui me ſicut veſtimento & diademate iudicio meo: auris audiens beatificabat me, & oculus videns teſtimonium reddebat mihi; eo quod liberaſſem pauperem & pupillum,cui non eſſet adiutor. Sed quia virtutes ſi ſeparatæ ſint facile dilabuntur, ibat indies de virtute in virtutem,& vt cæteras taceam, ita piam iuſtitiæ liberalitatem,dicam an liberaliſſimam pietatem adiũxit,vt magis theoricam quam forinſecam vitam agere videretur; re diues, pauper ſpiritu;ſęcularis habitu,religioſus conuerſatione;magnus authoritate, humilitate profundus; miſericors in pauperes, beneficus in peregrinos;pupillorum pauperumque pater, nutritius ſtudio-

ſorum;omnibus deniq; omnia factus, vt Chriſtum lucrifaceret. Horum non vulgare teſtimonium perhibet aſſidua eius pietas ac magna liberalitas in hocce noſtrum Seminarium, cuius nūquam obliuiſci poſſumus, vti nec debemus. Memores quippe ſumus, nos fidei religioniſque cauſa exulantes, & mediorum inopia obſcuro ſatis in loco manentes, alumnorumque paucitate incognitos, ad magnificam domum ab ipſo tranſlatos, auctiſque mediis, & alumnorum numero, ad cōmunem notitiam deductos. Nobiſcum pro fide exulibus viuere, religioſiſſimo præſidi magnæ erant deliciæ; conuerſari, ingens ipſi videbatur voluptas; ac eo vſque ſe humiliauit & veluti exinaniuit, vt qui inter primos Supremæ Galliarum Curię magnates ſedere ſolebat, poſtremus in exulum Hibernorum menſa accumbere non raro ſit dignatus. Multos continuos dies abſque vel amico vel ſeruo voluntarius exul factus, vt Deo liberius vacaret, nobiſcum manebat, & ſi vxor ipſum è vita præceſſiſſet, perpetuò ſe manſurum ſæpius aiebat. Colloquia eius & ſermones ab omni vanitatis guſtu alieni, pietatem ſemper ſpirabant: vix enim aliud (excepto neceſſitatis aut vtilitatis caſu) niſi de Deo, de ſanctis, de conuertēdis hęreticis, fide propaganda, animarum ſalute, deque Seminario nobis fundando, annuiſque redditibus aſſignandis (quod & re ipſa dudum præſtitiſſet, niſi morte præoccupatus fuiſſet) alijſque id genus efferebat. Cum noſtri Seminarij ſacerdotes peractis ſtudijs in patriam eſſent reddituri, vt panem Dominicum eſurientibus populis porrigerent, & aquam ſalutaris doctrinæ areſcentibus animis è ſcripturarum fonte haurirēt, pius & prouidus Pręſes metuens ex paſtorum ignorantia, gregem erraturum, eos ad religioſiſſimum Patrem Binetum Societatis Ieſu examinādos mittebat: quos ad paſtorale munus repertos idoneos, liberaliſſimus Mœcenas veſtibus competentibus, ſufficientique viatico adornabat; eoſque ſic paratos ad Illuſtriſſimum Cardinalem de Retz Pariſienſem Epiſcopum ipſe conducebat, vt ab eo tanquam perſona publica miſſionis ſuæ authoritatem haberent. Hæc certè licet mira & rara, vera tamen ſunt, & à me pluries viſa. Et quod ad præſens ſpectat inſtitutum; quam deuotus cultor, & ſpecialis Sanctorum venerator extiterit, teſtabantur eius colloquia, teſtabātur opera, teſtabatur deniq; ingens ac ſuper aurū & gēmas pretioſus in cōſpectu ipſius, reliquiarū theſaurus, quem vndiq; collectum moriturus reliquit. Vtinam, vtinam, talibus columnis Reſpublicæ

Chriſtianæ calamitoſiſſimis hiſce temporibus vbique fulcirentur. Gratamur itaque Galliæ, noſtræ ciuitati refugij, quæ talem ſortita eſt iudicem; gratulamur & Hiberniæ, quæ tantum nacta eſt Mæcenatem. Hęc ego (optimæ ſpei adoleſcentes) paucula de plurimis Ampliſſimi parentis veſtri laudibus commemorare volui, non vt auribus dem, ſed tum vt virtutum eius tam magna lucerna non lateat abſcondita, verùm luceat omnibus qui rectè piéque viuere volunt, & glorificent Deum qui gratiarum ſuarum dona in eum tam affluenter dignatus eſt effundere; tum vt cumulus hic virtutum & bonorum operum parentis, ob filiorum oculos poſitus, ęmulationis & imitationis ſtimulũ vobis adijciat. Nos porro imo totam noſtram gentem, beneficiorum à veſtris parentibus collatorum æternùm recordari neceſſe eſt. Et quia in beneficio recolendo præponderanda magis voluntas quam facultas reponendi, me vobis ingratum videri non opinabor, ſi optimum quod poſſum in grati animi ſymbolum, vobis humillimè & libentiſsimè offeram. Illud autem non aliud quam hocce Sanctorum noſtratum *Florilegium eſt*, floſculus hic myrrhæ pœnitentialis, quæ in ſanctis Hiberniæ maximè vigebat; & thuris boni odoris, bonus namque odor Chriſti ſunt Apoſtoli, alijque ſancti Euangelizantes Euangelium pacis. Accipite igitur (pijſſimi parentis pia proles) exulum Seminariſtarum veſtrorum munuſculum & humile obſequium, debitæque gratitudinis indicium; cui cum vel in minimo reſpondere non valeant, hoc ſaltem quod poſſunt pro viribus pręſtabunt, & Deum Opt. Max. ſuoſque conterraneos ſanctos obnixè orabunt, vt vos ad Gallicanę Reipub. ornamentum, familiæ veſtrę ſplendorem, religioſiſſimæ matris ſolatium, noſtrique Seminarij conſeruationem & protectionem diutiſsimè incolumes ſeruet.

VV. DD. obſequentiſsimus
in Chriſto ſeruus

THOMAS MESSINGHAM

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

DISCIPLINARVM *quæ ad humanos vſus quidquam adferunt emolumenti, prudentiorum iudicio non poſtrema eſt hiſtoria. Illa quippe, vt ait Cicero:* [a] Teſtis eſt temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuncia vetuſtatis: [b] exempla *ſiquidem* omnia, *vt idem alibi*, iacerent in tenebris, niſi literarum lumen accederet. *Quæ cùm generatim dicta profanæ etiam hiſtoriæ competant, longè magis Eccleſiaſticæ conuenire cenſendum eſt; cùm hæc tanto præſtantior ſit illâ, quantum res diuinæ humanas antecellunt.*

a lib. 2. de Oratore.
b Orat. pro Archia.
Hiſtoriæ laus.

Verùm Eccleſiaſticæ hiſtoriæ nulla pars eſt aut fidelibus vtilior, aut animabus ſalubrior, quam illa quæ Sanctorum virorum vitas & acta comprehendit. Hinc in vtroque teſtamento, vetere ſcilicet & nouo, Sanctorum qui in hac vita Deo placuerunt exempla commemorantur. Ieſus filius Syrach quid aliud in ſuo Eccleſiaſtico à capite quadrageſimo quarto ad quinquageſimum primum, quàm præcedentium Sanctorum Patrum præconia refert, & geſta poſteris imitanda proponit? An non longa Patriarcharum & Prophetarum ſerie recenſita Paulus ad fidem in Chriſtum Hebræos hortatur? Hinc etiam initio naſcentis eccleſiæ Clemens Papa primus ſeptem vrbis regiones ſeptem Notarijs diuiſit, vt paſſiones Martyrum, & res ab eis geſtas ad poſteritatis notitiam tranſmitterent: quibus Fabianus Papa ſeptem Diaconos, totidemque Subdiaconos adiunxit, vt maiori cum fidelitate & diligentia Sanctorum acta conquirerentur, ac deſcriberentur. Hos ſecuti ſunt plurimi ſanctiſſimi Doctores, doctiſſimique tùm Græci, tùm Latini ſcriptores, quorum conatus & induſtria in pietate vel formanda vel augenda continuò deſudârat.

Eccli, 44.
In ſacris ſcripturis Sanctorum geſta commemorantur.
Heb 11.
In primitiua Eccleſiâ cura ſcribendi geſta Sanctorum.

Intelligebant enim illi hoc genus ſcribendi multiplicem fidelibus conferre vtilitatem. Sanctorum quippe vita, vt rectè Hieronymus, Sanctarum eſt interpretatio ſcripturarum: cui ſuffragatur S. Auguſtinus aſſerens, Sacram ſcripturam non tantùm de præceptis diuinis, ſed etiam de Sanctorum geſtis tractare, vt ſi quando de genuino præcepti ſenſu dubium occurrat, per ea que Sancti geſſerunt illuminemur, & inſtruamur. Nam timere profectò non poſſumus, ne dùm ad Sanctorum imitationem vitam moreſque componimus, in errorem inducamur; quando videmus cunctorum moderatorem clariſſimis illos ornaſſe miraculis, ſicque euidenter declaraſſe illorum vitam gratam ſibi eſſe.

Variæ vtilitates ex vitis Sanctorum (?) percipi poſſunt.
Scripturæ explicatio.

In vitis Sanctorum inueniunt ſuperbi vnde humilientur, duri corde vnde emolliantur, frigidi vnde tepeſcant, tepidi vnde incaleſcant, pij & ſpiritu feruentes vnde magis inflammentur; inueniunt denique omnes cuiuſcumque ſint ætatis, ſexus, condi-

tionis, aut profeſſionis, omnigenarum virtutum floſculos ſalutaris pœnitentiæ documenta, & veræ pietatis exempla, quæ ad animos commouendum multò ſunt verbis efficaciora. Hoc de ſe [a] *Diuus fatetur Auguſtinus*: Hoc [b] *teſtati ſunt olim Equites Romani, nobiliſſimæque Matronæ; qui omnes vel in fide vacillantes, vel in charitate repentes, audita Beatiſſimi Antonij Eremitæ vita, tanto ſpiritus feruore, & deuotionis igne accenſi ſunt, vt anteactam vitam horrentes, & occaſionem de cætero peccandi fugere volentes, mundo cum ſuis pompis & voluptatibus valere iuſſo, ſeſe ab hominum conſortio ſeparauerint, diuino obſequio ſe totos mancipauerint: & Chriſtum Sanctorum ducem ſequentes, carnem ſuam cum vitijs & concupiſcentijs crucifixerint. Nec ijs ſolùm, ſed & innumeris alijs idem eueniſſe certum eſt.*

a In lib. Confeſſ.
b Hieron. ad Marcellam.
Hominum vel ad fidē conuerſio, vel vitæ emendatio.

Argumento ex actis Sanctorum petito validiſſime communimur aduerſus mortiferos Sirenarum cantus, aduerſus exitioſas hæreticorum voces, quibus quotidie clamant: Solam fidem ad ſalutem ſufficere; *pœnitentiam verò, ieiunium, peregrinationem, cæteraſque id genus eccleſiaſticas diſciplinas, tanquam ſuperuacaneas, imò & ſuperſtitioſas ac impias reijciunt. Sed longe aliter Chriſtus, Apoſtoli, Sanctique omnes verbo & factis docuerunt. Quid autem fecerint aut ſenſerint, non aliunde melius quam ex ipſorum vita & actis conſtare poteſt. Quod ſi rem hanc pro dignitate proſequi, & ſingulas vtilitates quas hiſtoriarum huiuſcemodi lectio parit minutim enucleare vellem, nimis prolixus eſſem.*

Hæreticorum refutatio.

Hæc ego conſiderans, ac animo ſæpe reuoluens, dolebam ſummoperè hiſce calamitoſiſſimis temporibus, quibus ab hæreticis affliguntur, ſpoliantur, & opprimuntur Hiberni, ingenti fructu quem ex vitis Sanctorum ſuorum diligenter lectis percipere poſſent, eos priuari: idque propterea quod Sanctorum noſtrorum geſta in tenebris adhuc deliteſcant, vel ſi quæ ſint, quæ lucem publicam conſpexêre, eiuſmodi voluminibus inter alia cōprehenduntur, quæ nō niſi magno redimi, & valde difficulter præſertim à tenuis fortunæ hominibus comparari poſſunt. Dolebam æque Sanctos ipſos, quod incogniti eſſent, debito honore ab hominibus non affici: dolebam & noſtratibus à quibuſdam exprobrari, quod pauciſſimos Sanctos Hibernos in ijs authoribus qui Sanctorum vitas conſcripſerunt, & omnium manibus communiter teruntur, vnquam legerint. Sanctorum igitur & patriæ zelo commotus, horulis ſubceſiuis varios hinc inde codices tùm manuſcriptos, tùm typis excuſos collegi, ex quibus aliquot præcipuorum Sanctorum Hiberniæ vitas & acta deſcripſi, notis marginalibus pleraque illuſtraui, in ordinem redegi, omniaque mediocri contenta volumine, quod paruo ſumptu ab omnibus haberi poteſt, luce publica donaui. Et ſanè cum imperitiæ meæ bene mihi conſcius eſſem, hoc onus in eorum humeros reieciſſem quos ei ſupportando pares eſſe opinabar ex ipſis Hibernis non paucos, niſi plerique ita ſeſe ſubduxiſſent; (alij zelo quidem pleni, ſed ſerijs negocijs diſtenti: alij locorum & temporum incommoditate impediti: alij alio atque alio modo occupati & diſtracti: quos omnes ad commune bonum inuito) vt nihil viderem aliud, quam aut mihi ſaltem aliquid conandum & incipiendum, aut vix quemquam fore, qui eiuſmodi opus opportunè ſuſcepturus videretur. In medijs autem laboribus non modicè me recreant varia commoda quæ ex hiſce lucubrationibus prouentura confido.

Authorem ad hoc opus ſuſcipiendum quæ mouerunt.

Primò namque mirabilis licet ſit Deus in Sanctis omnibus, & longe mirabilior quam in cæteris operibus; in Sanctis tamen Hiberniæ ſingularius quodammodo (ſi dicere fas eſt) quam in aliarum nationum pleriſque Sanctis, mirabilis & laudabilis appáret

Ex Sanctorum Actis in Deum redundat laus.

apparet. Mirabiles ſiquidem illi & veluti ſingulares in ieiuniis, vigilijs, mortificationibus, peregrinationibus; mirabiles in miraculorum virtute, curationi[illegible] ægrorum; reſuſcitationibus mortuorum: mirabiles demùm in prophetijs, reuelationibus & apparitionibus. At hæc & ſimilia quæ Deus per eos dignatus eſt operari, non ſuis viribus tribuunt, nec laudis inde aliquid ſibi ipſis aſſumunt, Sed ſoli Deo laudem & gloriam reſeruant, in cuius virtute ſe omnia feciſſe [illegible] cemodi oratione [illegible] tur: Viri Iſraelitæ quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quaſi noſtra virtute Act. 3. v. 12 aut poteſtate fecerimus hũc ambulare? *Num igitur aliquid de Dei maieſtate diminuitur, ſi Sanctorum geſta narrentur, ipſique honore debito afficiantur & extollantur? minimè verò: An vitem lædit qui palmitem laudat? pictorem ne vituperat qui picturam miratur? Nihil minus: contráque diuinam gloriam magis efferimus, cum Dei amicos, familiares, & domeſticos extollimus, propheta ad id inuitante:* Laudate Dominum in ſanctis eius; *Etenim cum ipſa veritas aſſerat:* Beatius eſſe magis dare quam accipere; *ex eo clare perſpicitur quanta in donatâ gratia ſit maieſtas, cum in acceptâ tanta conſiſtat dignitas; mirabilis namque & laudabilis Deus qui talem poteſtatem dedit hominibus. Vnde non humani ingenij tarditate, aut naturalium cauſarum virtute, ſed diuinitatis poteſtate Sanctorum opera metienda ſunt; ideoque quamuis nonnulla reperiantur in Sanctorum noſtrorum vitis prodigioſa valde, & ab ordinario rerum curſu longè diuerſa, non ſtatim cachinnos moueat prudens lector, aut fabularum more deſpicatui ea ducat. Non enim à fabuloſis poetis, aut mendacis adulatoribus, ſed à viris ſanctis, religioſis & pijs conſcripta ſunt illa, qui ſanè quiduis perperi maluiſſent, quam vel leuibus confingendis mendacijs, ne dum grauibus & ſacrilegis, poſteritati illudere. Qui de his dubitat, ſacras legat ſcripturas, in quibus iuxta* * *D. Hieronymi ſententiam, multa incredibilia reperiuntur, nec veriſimilia, quæ nihilo tamen minus vera ſunt: legat D. Auguſtinũ de Ciuit. Dei. lib. 16. 18. & 21. plena prodigijs volumina: legat Hexameron Ambroſij, Dialogos Gregorij, opera Hieronymi: legat vitas* Patrum, *Etymologiarum Iſidori lib. 11. 12. & 16. legat Valerium Maximum, Plinium & Solinum: Hos, inquam, legat, nec propter quædam prodigioſa & minus communia inſerta Sanctorum virorum ac nobilium authorum opera condemnet; ſed verè & ſincerè fateatur plus Deum poſſe quam hominem noſſe, longéque trans omnem humanam intelligentiam, diuinam ineffabiliter extendi potentiam: & cum Caſſiodoro dicat: Summum genus ſcientiæ eſt, ſcire Deum tanta præſtare, quæ humani ſenſus non valeant attingere.*

> Non diminuitur, ſed augetur gloria Dei cum Sancti laudantur.
>
> Pſalm. 150
>
> Act. 20. v. 35.
>
> Matth. 9. v. 8.
>
> Sanctorum miracula licet prodigioſa non ſtatim reijcenda.
>
> * Ex Cambrenſi in præfatione [illegible] expugnationis Hiberniæ.

Hæc noſtra Sanctorum *cohors Dæmoni terribilis, mundo odibilis, carniq; inimica, Deo autem chara & amica, eccleſiæ Catholicæ matris ſuæ gloriã mirificè adauget: dum talium filiorum qui de principe huius mundi, eiuſque tyrannicis ſatellitibus, glorioſam victoriam reportarunt, fœcunda mater agnoſcitur. Nec incommode ipſa Hibernia in extremis Oceani ſita, ex qua velut equo Troiano egregij bellatores & victores iſti prodierũt, Eccleſiæ Catholicæ* aureã *interpretari quis poſſet* fimbriam, *cuius varietatibus Apoſtolorũ cum* Patricio, *Prophetarum cum* Columba *Virginũ cum* Brigida, *Martyrũ cum* Fingare, *Confeſſorũ cum* Malachia, *Doctorũ cum* Olcano, *Abbatũ cum* Congello, *necnon Eremitarum cum* Fiacrio, *circumamicta aſtitit Regina Eccleſia in veſtitu deaurato a dextris cæleſtis ſponſi. Hæc terra primùm licet ſterilis & infœcunda; tot ſanctos filios Chriſto poſtmodum peperit, vt olim* Hibernia Inſula Sanctorum *vbique terrarum iure nominaretur; ex illa enim veluti inundatione factâ, examina Sanctorum in vniuerſam Europam prodierunt, qui Eccleſiam Dei tanquam*

> Eccleſiæ [illegible] decus & fama
>
> Hibernia in ſenſu [illegible] moraliter dici poteſt aurea fimbria Eccleſiæ [illegible] ex Pſal. 44.
>
> Iocel nus c. 174.

aſtra fulgentia in generationibus ſuis ornauerunt. Huius rei teſtes appello prob atæ fidei authores quos initio tractatus ſequentis citabo.

Elogia de fid. Hibernorum.

Haud aliter Romanæ ſedi fidelis Hibernia, quam Æneæ lateri fidus Achates quondum adhæſit. Aliis circumquaque membris propter errores diuerſos putreſcentibus, & ab Eccleſiæ vnione recedentibus: fimbria hæc ſalua & integra permanſit, & fidem quam ſemel dedit nunquam retractauit: quamque ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit: vnde [a] *Baronius*, Hibernia eſt Chriſtianę fidei tenaciſſima. *S. Ionas;* omniũ vicinarum gentium fidem præpollet: [c] *Sanderus*: Illius gentis homines præ multis ſunt Catholici: [d] *Author hiſtoriæ Societatis Ieſu*: Intactam catholicam fidem, & ſinceriſſimam erga Romanum Pontificem obedientiam animo ac voluntate Hiberni ſeruant. *Et Bozius*? Nulla gens è Borealibus tamdiu manſit in vnanimi religionis vnius conſenſu, vt Hibernica.

a Ad annum. 1053.
b In vita S. Columbani c. 1.
c De Schiſmate fol. 362.
d Lib 3. n. 45.
e De ſignis Eccl. lib. 8. c. 1.

Denique cùm ſtudia veterum ad imitationem ſui animos prouocent iuniorum, qui exemplis interdum plus proficiunt quam verbis; non dubito quin ex hoc opere fideles omnes maximeque Hiberni *ingentem percepturi ſint fructum & ſpiritualem profectum. Naturalis quippe affectus quem erga Sanctos ſuos contribules gerunt, ad præcedentium Patrum ſequenda veſtigia promouebit, & inuitabit, nec non ad ſancti Spiritus illuſtrationes & pias motiones libenter acceptandas veluti diſponet. Et ne vllam Sanctos imitãdi impoſſibilitatis aut nimiæ difficultatis caluam prætexere poſſint excuſationem; animaduertant Sanctos hoſce ipſos non naturâ ſuperiores, ſub eodem climate natos, eadem regione educatos, ſexu pares, conditione haud diſſimiles. Sed proh dolor! pauciſſimos hoc tempore Sanctorum vita, dum carni & ſanguini moleſta præcipit, habet ſectatores; Epicuri verò innumeri non deſunt imitatores. Heu cæcitas humanæ mentis! Sanctos viritim, Diabolos cateruatim homines ſequuntur; fallacia & momentanea mundi huius oblectamenta amplectuntur, vera ac permanentia Paradiſi gaudia aſpernantur; ad infernum pernicibus alis, ad cœlum teſtudineis gradibus incedunt. Sed meminerint egregij iſti epulones tubæ illius Angelicæ:* Quantum glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum. *Meminerint & vocis iſtius veridicæ,* Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat, *Ad hæc paueant & contremiſcant delicatuli homunciones.*

Vtilitas Hibernorum ex hoc opere ſperata.
Cæcitas & ſtultitia hominum.
Apoc. 18.
Comminatio aduerſus delicatulos.

*Hæretici verò ſi qui ſint Hiberni, qui naturali ad fidem Catholicam veluti inſtinctu (bruta enim ipſa in Hibernia nata Papiſtas, hoc eſt, Catholica Apoſtolica & Romanâ fide imbuta eſſe opportère, facetè olim aiebat Sereniſſimus Iacobus Magnæ Britanniæ Monarcha) oblito, & conſcientia ſemper reclamante (prout multorum illuſtrium virorum exitus comprobauit) ad honores adipiſcendos, diuitias cumulandas, fauoremque ſibi ab hæreticis Anglis & Scotis conciliandum; ab Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanæ, extra quam ſalus non eſt, vnitate ore tenus (*Hibernus *verè hæreticus nigro rarior eſt cygno) ſeſe nefariè ſeparârunt: hi, inquam, niſi ſimul cum fide omnem penitus exuerint pudorem, non poſſunt non erubeſcere, & confundi; cum hinc clarè perſpiciant totam Eccleſiæ* Hibernicæ *antiquitatem, ipſumque* Patriarcham Patricium *qui intra illa tempora claruit, quibus ex ipſorum hæreticorum confeſſo Romana Eccleſia non dum a vera fide diſceſſit (Eccleſiam, quæ eſt* [a] *Columna & firmamentum veritatis, &* [b] *aduerſus quam portas inferi non præualituras veritas promiſit, a vera fide receſſiſſe, aut errare poſſe, blaſphemia eſt) grauiſſime ipſis aduerſari, idem quod Catholici moderni & credidiſſe & docuiſſe. Catholicos autem* Hibernos *obſecro; vt quamuis ad æqualem cum Sanctis illis antiquis mortificationis & perfectio-*

* Vide Analecta prima parte, pag. 68.
Motiua ob quæ pauci Hiberni fidem negant.
a 1. Timot. 3.
b Math. 16.

nis

nis gradum aſcendere non poßint aut verius efficaciter non velint: ne ſaltē auitâ fide deſerta, & illuſtri ac vetuſta Sanctorum eccleſia relicta, ad nuperas & obſcuras Nouatorū Synagogas ſeſe conferant. Sed hæreticis vos inuitantibus, vel cogentibus fortiter reſiſtant, & audacter cum S. Auguſtino reſpondeant: [a] Multa ſunt quæ in eccleſiæ Catholicæ(*Apoſtolicæ & Romanæ*) gremio me iuſtiſſimè teneant. Tenet conſenſio populorum atque gentium, tenet autoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata; tenet ab ipſa ſede Petri Apoſtoli cui paſcendas oues ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendauit, vſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum: tenet poſtremò ipſum Catholicæ nomen, quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes ſic iſta eccleſia ſola obtinuit, vt cum omnes hæretici ſe Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui vbi ad Catholicam conueniatur, nullus hæreticorum vel baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtendere. Iſta ergo tot & tanta Chriſtiani nominis chariſſima vincula recte hominem tenent credentem in Catholica eccleſia etiamſi propter noſtræ intelligentiæ tarditatem vel vitæ meritum, veritas non dum ſe apertiſſime oſtendat. Apud vos autē vbi nihil horum eſt quod me inuitet ac teneat, ſola perſonat veritatis pollicitatio.[b] Vos (*Lutherani, Caluiniſtæ & Proteſtantes,*) ô noui Iudæi, & Caiphæ filij, quos tandē nominū veſtrorū poteſtis oſtēdere progenitores?[c] Veſtræ cathedræ originē oſtendite, qui vobis vultis Sanctam eccleſiam vendicare.[d] Qui eſtis vos, vnde & quando veniſtis? vbi tamdiu latuiſtis?[e] Quiſquis aſſertor es nouorum dogmatum quæſo te, vt parcas Romanis auribus, parcas fidei quæ Apoſtolico ore laudata eſt. Cur poſt quadringentos (*imò mille quingentos*) annos docere nos niteris, quod ante neſciuimus? vſque in hanc diem ſine veſtra iſta doctrina Chriſtianus mūdus fuit. *Si iam dudum vera eccleſia perijt,*[f] Vnde ergo Donatus (*Caluinus, Lutherus & ſimiles*) apparuit? de qua terra germinauit? ex quo mari emerſit? de quo cœlo cecidit? *Quis eum miſit? Vnde miſsionis ſuæ teſtimonium habet? Vbi authenticam ſcripturam reperit?*

Veſtrorum magiſtrorum dogmata non tantū noua ſunt; ideoque ſuſpecta & nequaquā Catholica, ſed & Chriſtianæ ſanctitati penitus cōtraria. Hoc non aliunde quam ex iiſdē ipſis oſtendā.[g] Mūdus (*inquit Lutherus*) ex hac doctrina(*noui Euangelij*) quotidie redditur deterior. Iam homines ſinguli ſeptenis diabolis obſidentur cū antea tātum vnico obſeſſi fuiſſent. Diabolus iam cateruatim in homines ingreditur, vt nunc in tam ſplendida Euangelij luce ſint auariores, callidiores, iniuſtiores, crudeliores, proteruiores quam prius in Papatu fuerāt. *Alibi verò aſſerit ſuæ ſectæ homines decuplo Sodomitis euaſiſſe deteriores.*[h] In exiguo illorum numero (*Verba ſunt Caluini*) qui ſe ab idololatrijs Papatus ſubduxerūt, maior pars plena eſt perfidia & dolis. Præclarū quidē Zelum ſimulant; ſi tamen intus excutias, reperies plenos eſſe fraudibus. *Et alio in loco:*[i] vix eorum dicimus quiſque eſt, qui alio fine Euangelio nomen dederit, quam vt ſolutius in omnem laſciuiam difflueret. *Haud mirum profectò; qualis Doctor, tales & diſcipuli.* [k] Quod ſi fateri veritatem volumus, (*inquit Andreas Muſculus*) tum hoc de nobis Euangelicis teſtari cogimur, magis quam nos ſcortationibus, vſuris, circumuētionibus, fraudibuſque deditos in toto iam mundo nuſquam inueniri. *En noui Euangelij fructus! non enim poteſt* arbor mala fructus bonos facere. *Sed longe aliter de Catholicis teſtatur ipſe Lutherus; ſic enim ait:* [l] Nos fatemur ſub

Tela Catholicorū aduerſus hæreticos ex pharetris S. Patrum extracta

a Libro cōtra Epiſt: Manichæi c. 4.

b Athā. l. 1. de decretis Nicenæ Synodi cōtra Euſebium

c Optatus l. 2. cōtra Parmenianum

d Tertull. lib. de Præſcript.

e Hieron. Epiſt. ad Pāmachiū & Oceanū.

f Auguſtinus contra Donatiſtas.

Hæreticorū doctrinam ſanctitati contrariam eſſe ex ipſis hæreticis probatur.

Teſtimonium Lutheri de hæreticis

g In poſtilla domeſtica Lenæ impreſſa. concione 2. Dom. 1. Aduētus.

h In c. 11. Dan. v. 34.

i Commēt. 2. Petri 2.

k lib. de nouiſſimo die.

l Lib contra Anabaptiſtas.

Teſtimonium Lutheri de Catholicis.

Papatu plurimum eſſe boni Chriſtiani, immo omne bonum Chriſtianum, atq; etiam illinc ad nos deueniſſe. Quippe fatemur in Papatu verã eſſe ſcripturã ſacrã, verũ baptiſmũ, verũ ſacramentũ altaris, veras claues ad remiſſionem peccatorum, verum prædicandi officium, verum catechiſmum, vt ſunt, oratio Dominica, decẽ præcepta, articuli fidei. Dico inſuper, ſub Papatu veram Chriſtianitatem, immò verum nucleum Chriſtianitatis eſſe. *Tanta enim eſt vis veritatis, vt etiam aduerſarios cogat interdum ſibi teſtimonium dare, è contra verò tanta falſitatis eſt nequitia, vt ipſius defenſores eam vel inuiti fateantur.*

Comparatio Eccleſiæ Catholicæ & Synagogæ hæreticorum

Porro quis tam demens eſset, vt relicta vna, ſancta, Catholica, *Apoſtolica Eccleſia à Chriſto ſupra petram fundata, ab Apoſtolis rigata, ac miraculis illuſtrata, ad nupera ſe conferat hæreticorum conuenticula, mirabiliter inter ſe diuiſa & diſtracta, à paucis duntaxat annis inchoata, à votorum violatoribus fundata, & omni vitiorum genere referta, vt ex ipſorum confeſſo liquet? Eiuſmodi certe non erunt Catholici* Hiberni. *Quod crediderunt* Patres, & Patroni *noſtri,* Patricius, Columba, Brigida, *cæterique noſtrates ſancti, credimus: quod docuerunt, docemus; quod prædicauerunt prædicamus. Sanctos, ſicut & illi, honoramus, & deprecamur; ſed non propterea idololatriã exercemus. Nam in ſanctos non transferimus honorem Deo debitum, ſed alium longe inferiorem eis tanquam Dei amicis electis, & domeſticis dilectis exhibemus, illoſque vt precibus ſuis, & interceſsione cauſam noſtram apud Deum velut aduocati & patroni agant, cunctaque nobis neceſsaria ab illo impetrẽt, oramus & obſecramus. Si eiuſmodi deprecatio dicenda ſit idololatria, tota primitiua eccleſia in re maximi momenti grauiſsimè aberrauit: Antiquiſsimi Patres, & ſanctiſsimi eccleſiæ Doctores errarunt, & fideles omnes turpiſsimè deceperunt.*

Cultum Sanctorum non eſſe idololatriã vanè probatur.

m Serm. de annuntiatione.

S. Athanaſius ſic virginẽ Deiparã orat. [m] Inclina aurem tuam in preces noſtras, & ne obliuiſcaris populi tui: *Et infra.* Ad te clamamus, recordare noſtri ſanctiſſima virgo: *& poſt:* Intercede hera, & Domina, & Regina, & Mater Dei pro nobis. S. *Baſilius ad orandum ſanctos, ſic homines inuitat:* [n] Qui aliqua premitur anguſtia, ad hos (*Martyres*) confugiat: qui rurſum lætatur, hos oret: ille vt à malis liberetur, hic vt duret in rebus lætis. S. *Chriſoſtomus, de ſanctorum cultu ſic ad populum concionatur.* [o] Nam & ipſe qui purpuram indutus eſt, accedit illa complexurus ſepulchra, & faſtu depoſito ſtat ſanctis ſupplicaturus, vt pro ſe apud Deum intercedant; & ſcenatum fabrum, & piſcatorem vt protectores orat qui diademate redimitus incedit. S. *Ambroſius orandos Martyres ſic docet:* [p] Obſecrandi ſunt Angeli, qui nobis ad præſidium dati ſunt; Martyres obſecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vendicare: poſſunt pro peccatis rogare noſtris, qui proprio ſanguine etiã ſi qua habuerunt peccata lauerunt. Iſti enim ſunt Dei Martyres, noſtri præſules, ſpeculatores vitæ, actuumque noſtrorum. non erubeſcamus eos interceſſores noſtræ infirmitatis adhibere, quia ipſi infirmitatem corporis etiam cùm vincerent, cognouerunt. S. *Hieronymus ſic Paulam orat:* [q] Vale, ô Paula, & cultoris tui vltimam ſenectutem orationibus iuua. Fides, & opera tua Chriſto te ſociãt, præſens facilius, quod poſtulas, impetrabis. *Sanctus deniq; Auguſtinus de orandis Martyribus ſic monet.* [r] Habet eccleſiaſtica diſciplina, quod fideles nouerũt cùm Martyres eo loco recitant ad altare Dei, vbi non pro ipſis oretur, pro cæteris autẽ defunctis oretur. Iniuria eſt enim pro Martyre orare, cuius nos debemus orationibus cõmendari.

n Orat. in 40. Martyres.

o Hõ. ec. ad Populũ

p Lib. de viduis.

q In Epitaphio Paulæ

r Serm. 17. de verbis Apoſtoli.

Et ſanè, ſi viuentes à viuentibus licitè poſſunt inuocari, nulla adferri poteſt ratio, cur non eoſdem alioſque in cælis cum Christo regnantes poſſint homines ſimiliter inuocare. Nam ſi non poſſent, id contingeret, vel quia nolunt ſancti pro viatoribus orare, & hoc non, cùm ſint maiori charitate præditi in patria, quàm cùm in via fuiſſent: vel quia non poſſunt, & hoc non, quia ſi poterant cùm hìc eſſent peregrini, quanto magis nunc poterunt in patria: vel quod non ſciant quid oremus, & hoc non, quia vnde ſciunt Angeli conuerſionem peccatorum, pro qua tantopere gaudent in cælis, vt dicitur Luc. 15. inde ſciunt ſancti noſtras preces: vel demùm, quia fit iniuria Deo, aut Chriſto, ſi alius, quàm ipſe, inuocetur, & hoc non, quia tunc non liceret Luc. 15.
viuentes inuocare; At Paulus Apoſtolus viuentes Chriſtianos obnixè rogat vt pro Rom. 15.
ipſo orent: Obſecro vos fratres per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & v. 30.
per charitatem ſancti Spiritus, vt adiuuetis me in orationibus veſtris pro me ad Deum, vt liberer ab infidelibus qui ſunt in Iudæa, & obſequij mei oblatio accepto fiat in Ieruſalem ſanctis, vt veniam ad vos in gaudio per volun-
tatem Dei, & refrigerer vobiſcum. *Item alibi*; orationi inſtate; orantes ſi- Coloſſ. 4. v. 2. 3. 4.
mul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis oſtium ſermonis ad loquendum myſterium Chriſti, vt manifeſtem illud ita vt oportet me loqui. *Idem facit 1. Theſ. 5. & 2. Theſ. 3. Et Deus ipſe præcipit Eliphaz Themanitæ & ſocijs adire Iob* Iob vlt.
adhuc viuentem, vt pro eis ad ipſum oret, ſic enim ait. Iratus eſt furor meus in te (*Eliphaz*), et in duos amicos tuos, quoniam non eſtis locuti coram me rectum, ſicut ſeruus meus Iob. Sumite ergo vobis ſeptem tauros, & ſeptem arietes, & ite ad ſeruum meum Iob, & offerte holocauſtum pro vobis: Iob autem ſeruus meus orabit pro vobis: faciem eius ſuſcipiam, vt non vobis imputetur ſtultitia. H*æc Catholicorum doctrina eſt in præcepto Dei fundata, ab Apoſtolis vſurpata, à patribus per manus ad nos vſque tradita.* H*æc & ſimilia præacuta iacula, quæ in ſectarios viriliter torqueant, in promptu habeant Catholici, quibus illi icti, & grauiter ſauciati, confuſi diſcedent, nec amplius ad nuperas ſynagogas inuitare Catholicos audebunt. Quod ſi rationibus acquieſcere noluerint hæretici, ſed pœnis inflictis, aut tormentis adhibitis, Catholicos ad fidem deſerendam cogere tentauerint: ſumen-* Rom. 8.
da ſunt illa Apoſtoli verba; Si compatimur (*Chriſto,*) *& conglorificabimur*. Exiſtimo enim quod non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Si Deus pro nobis, quis contra nos? Certus ſum quod neque mors, neque vita, neque inſtantia, neque futura, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu, *& ab vna ſancta, Catholica, Apoſtolica, & Romana eccleſia.*

Cæterùm, antequam vlterius progrediatur lector beneuolus, vt inoffenſo pede totum Præmonitiones ad Lectorem.
percurrat opus de quibuſdam præmonendus eſt. Authorum huius operis nomina, & tempus ex indice ſupra pag. 2. poſito conſtare poterunt. Sanctorum Patricij, Columbæ, *&* Brigidæ, *vitas cæteris idcirco præmiſi, quod cum omnium ſanctorum noſtrorum vitæ ad manum non eſſent, vt ſic menſium ordinem ſeruarem; illi priori loco collocandi videbantur, qui vel antiquiores eſſent; vel cæteris iuxta noſtram æſtimationem precellerent. Tres autem prænominati, vel ſunt antiquiſſimi, vel certè ſi non antiquiſſimi, celeberrimi tamen, & tanquam præcipui peculiari cultu ab omnibus Hibernis honorantur. Nec miretur quiſpiam quod* S. Patricium *origine Britannum inter Hiberniæ ſanctos numerauerim: nam non originis titulo, ſed Apoſtoli & Patroni, noſtratibus eum vendico. Nec ipſum modò, ſed &* S. Cœleſtinum *Papam primum*

noſtratibus aſſumere poſſem; vt pote qui tantam curam & ſollicitudinem erga noſtræ gentis ſalutem habuit, vt & S. Patricium, & ante illum, Palladium ad Hibernorum conuerſionem deſtinauerit & reapſe miſerit. Sicut enim S. Gregorius Magnus Angliæ Apoſtolus à venerabili Beda nominatur, quod fidei precones in Angliam miſerit, ſingularemque curam erga eam geſſerit, ita pari iure S. Celeſtinus primus Hibernorum Apoſtolus dici poteſt. Vitam S. Patricij ex manuſcripto codice Monaſterij Dungallenſis Fratrum Minorum in Hibernia deſumpſi. Hiſtoriam vitæ S. Columbæ, quæ tribus duntaxat libris, capitibus verò nullis anteà diſtinguebatur; maioris claritatis gratia in capita diſtribui, capitibuſque argumenta præmiſi. In vita S. Brigidæ à Cogitoſo conſcripta idem præſtiti: aliamque eiuſdem Sanctæ vitam ex Capgrauio adiunxi; vt ſi quid in vno deeſſet ex alio ſuppleretur, vel vnum idemque plurium calculis comprobatum fortius confirmaretur. Hiſce duabus poſtremis & pleriſque ſequentibus, additamenta ſeu fragmenta ex diuerſis Authoribus ſubiunxi, vt ſi quid ibi notatu dignum eſſet, ab ijs quibus ipſi Authores non ſuppetunt, minime ignoraretur; tùm vt variorum teſtimonijs de patria Sanctorum, ac iuſtitia cauſæ noſtræ aduerſus recentiores quoſdam Scoto-Britannos ſcriptores circa appellationem Scotiæ & Scotorum (cuius controuerſiæ occaſione tractatulum ſequentem de Nominibus Hiberniæ, vitis Sanctorum noſtrorum præfixi) omnibus innoteſceret. Ab omni mutatione, quæ vel ſcriptoribus præiudicium inferret, vel collectoris fidelitatem diminueret, in toto hoc opere abſtinui, vt ea legenti & cum originalibus conferenti patebit. Vltima in Iocelinum elucidatio quæ inferius octaua habetur, non Reuerendiſſimi Oſſorienſis Epiſcopi, ſed mea eſt; idque præmoneo, ne quidquam ibi videri poſſet, talis tantique viri ingenio minus dignum, cuius vtpote de tota noſtra gente optimè meriti, mihique amiciſſimi, famam ne in minimo quidem lædere vllatenus vellem. Reliqua, quæ poſt vitas Sanctorum, & inter eas ſparſim habentur vetera monumenta, hic addere & inſerere volui; quòd vel Sanctorum de quibus in hoc volumine tractatur, ſint opera; aut certe de alijs Hiberniæ Sanctis in eis agatur; quæ, ſi diſperſa forent, temporum iniuriâ breui peritura verebar. Cætera quæ præcognoſcenda forent, infra ſuis locis admonentur. Noſtrum hoc opus non modò ad ſacram, ſed ad profanam quoque hiſtoriam noſtratem facem, præferet, & ad multa pleriſque hactenus aut omnino incognita, aut ſaltem magis obſcura viam aperiet. Hibernia præter ſuum Apoſtolum Patricium, filioſque & tutelares Columbam & Brigidam aliorum filiorum ſuorum egregiam turbam hîc reperiet. Britannia Fingarem cum ſocijs: Italia Columbanum; Germania Gallum, Magnum, Kilianum & Virgilium; Belgia Dymphnam; Francia Fiacrium; Picardia Furſeum;; Normannia Laurentium; Burgundia Malachiam; Scotia moderna Blaithmac ſuos alumnos & Patronos hîc inuenient.

Legant igitur Catholici tam externi quam Hiberni, legant & hæretici Florilegium hocce Sanctorum, quod tanto labore collegi, & in publicum emiſi; vt Lectores exemplis Sanctorum permoti & edocti; ad veræ fidei rectas ſemitas redeant illi qui per ſchiſma aut hæreſim ſeſe à Sanctorum Eccleſia imprudenter & impie ſepararunt; ad Chriſtianæ pietatis officia excitentur ij qui hactenus fide quidem coniuncti, moribus autem diſiuncti, à Sanctis fuêre; & ad profectum in virtutibus ac perſeuerantiam in bonis operibus extimulentur hi qui fide & actione cum Sanctis concordarunt: Denique ne denſiſſima caligine, & inglorijs tenebris Hiberniæ fama, & maiorum noſtrorum, cæleſtiumque ciuium laus & memoria vlterius deliteſcat: Sed dùm amplior & Eccleſiaſtica & profana Hiberniæ hiſtoria colligitur & diſponitur, noſtrum hoc qualecumq;

opus veluti præambulum in medium prodeat. Quod ſi omnibus à me non ſit ſatisfactum: ſciant illi, vnum omnia ſcire non poſſe, remque arduam ac pœne impoſſibilem eſſe, veritate ſeruata, omnium palato ſatisfacere: mihi verò ſat erit, quod talentum mihi à ſummo diſtributore traditum non in terra foderim, ſed cum eo negociatus fuerim, vt lucrum Domino redeunti, & ſuum quærenti offerre poſſem: & quanquam finem intentum non fuerim fortaſſe conſecutus, ſpero nihilominus non me velut ſeruum torpentem à Domino reijciendum. Magis autem pijs prodeſſe, & communi bono conſulere, quam curioſis placere deſiderabam. Si quis autem moroſulus alio atque alio modo res deſiderauerit; tùm demùm non temerario, ſed maturo & prudenti iudicio id facere credetur, vbi ipſe præclarum aliquod ingenij ſui monumentum publicæ vtilitati exhibuerit. Interim ſpero ego me ſaltem doctioribus, patriæque zelatoribus, quibus & otium maius, & locupletior librorum copia ſuppetit, fuſius & fœlicius ſcribendi anſam præbuiſſe. Vale pie Lector, & Sanctos pro collectore precator.

Indiculus Dierum, & Menſium, quibus celebrantur Feſta Sanctorum, quorum vitæ hoc volumine continentur.

SAnctus Patricius confeſſor & Pontifex,	xvij Martij.	S. Kilianus cum ſocijs Martyribus.	viij Iulij.
S. Columba Abbas.	ix Iunij.	S. Virgilius confeſſ. & Pontifex.	j Dec.
S. Brigida Virgo.	j Februarij.	S. Dymphna Virgo & Martyr.	xv Maij.
Tranſlatio SS. Patr. Col. & Brig.	ix Iunij.	S. Malachias confeſſ & Pont.	ij Nouēb.
S. Fingar cum ſocijs Martyribus.	.....	S. Laurentius confeſſ. & Pont.	xiiij Nou.
S. Columbanus Abbas.	xxiij Nouemb.	S. Fiacrius conf. non Pont.	xvj Auguſti.
S. Gallus Abbas.	xvj. Octobris.	S. Furſeus Abbas.	xvj Ianuarij.
S. Magnus Abbas.	vj Septembris.	S. Blaithmac Martyr.	....

INDEX VITARVM, ET PRÆCIPVARVM RERVM,

quæ hoc Tomo comprehenduntur.

TRactatulus præambularis de nominibus Hiberniæ.

Obijt S. Patricius An. 493 — *Vita S. Patricij Hibernorū Apoſtoli, ex Iocelino Monacho de Furneſio, qui floruit circa Annum Domini M. C. XL.* pag. 1.

Tractatus de Purgatorio S. Patricij ex diuerſis compilatus Authoribus, quorum nomina & tempus præfatio ibidem poſita monſtrabit. pag. 86

*Elucidationes R*mi*. Oſſorienſis Epiſcopi ad aliquos Iocelini capita.* pag. 110

S. Columba Anno 599. — *Vita S. Columbæ Abbatis, & Pictorum Apoſtoli, ex S. Adamnano Abbate, qui claruit Anno DCXC.* pag. 141

S. Brigida, Anno 541. — *Vita S. Brigidæ virginis ex Cogitoſo, qui vixit Anno circiter DL. nempe circa eiuſdem Sanctæ tempora.* pag. 189

Eiuſdem ſanctæ Virginis vita ex Ioanne Capgrauio Auguſtinianæ familiæ in Anglia quondam Prouinciali, qui claruit Anno M. C. LXXXIIII. pag. 200

Tranſlatio circa Annum 1175. — *Tranſlatio Sanctorum Patricij, Columbæ, & Brigidæ, ex officio Eccleſiaſtico quorundam Sanctorum Hiberniæ Pariſijs impreſſo. 1620. & ex Cambrenſi.* p. 206

S Fingaris circa Annum 430 — *Paſsio S. Fingaris Regis Hiberniæ filij, ſororis eiuſdem, ſeptem Epiſcoporum, aliorū DCC. LXX. ſociorum Martyrum ex D. Anſelmo Cantuarienſi Archiepiſcopo, qui floruit Anno M. XCIII.* pag. 210.

S. Colūbanus, Anno 615. — *Vita S. Columbani, Luxouienſis in Gallia, & Bobienſis in Italia Abbatis, ex S. Iona Abb. qui claruit Anno DC. L.* p. 219

Nonnulla eiuſdem Sancti miracula à Iona prætermiſſa, & à quodam Anonymo conſcripta. pag. 239

S Gallus, Anno circiter 640 — *Vita S. Galli Abbatis ex VValafrido Strabo Augienſi Abbate, qui floruit Anno DCCC XLIX* pag. 255

S. Magnus circa Annum 660. — *Vita S. Magni Abbatis ex Theodoro Campidonenſi Abbate, qui claruit Anno circiter DC LX.* pag. 296

S. Kilianus Anno 689. — *Vita S. Kiliani, Franciæ Orientalis Apoſtoli, & VVirtzburgenſis Epiſcopi, nec non Kolomani Presbyteri, & Totnani Diaconi ſociorum Martyrum, ex Egiluuardo (coniectura eſt Caniſij) Monacho cœnobij S. Burchardi prope Herbipolim, qui & S. Burchardi vitam conſcripſit.* pag. 319

Vita S. Virgilij Karinthiæ Apoſtoli, & Saliſburgenſis Epiſcopi, ex S. Eberhardi Saliſburgenſis item Epiſcopi diſcipulo, qui floruit circa Annum M. C. LXIII. p. 331 — S. Virgilius Anno 784.

Vita S. Dymphnæ filiæ Regis Hiberniæ, Virginis & Martyris à Petro (vt opinor) Cameracenſi conſcripta. pag. 343 — S. Dymphna circa Annū 600.

Vita S. Malachiæ Primatis Hiberniæ, & Sedis Apoſtolicæ Legati, ex D. Bernardo Claræu. Abb. qui floruit An. 1148. p. 350 — S. Malachias, Anno 1148.

Prophetia eiuſdem S. Malachiæ de Summis Pontificibus à Cæleſtino ſecundo vſque ad Petrum Romanum vltimum Pōtificem ex Arnoldo Vvion. p. 376

Vita S. Laurentij Dubliniēſis Archiepiſcopi, & ſedis Apoſtolicæ Legati ab Anonymo è Collegio Augienſi ſcripta. p. 379 — S. Laurētius, Anno 1181.

Bulla Canonizationis eiuſdem Sancti ex Bullario Cherubini deſumpta. p. 388

Vita S. Fiacrij Eremitæ ex ſupradicto Capgrauio; adiunctis ex Surio nonnullis eiuſdem Sancti miraculis. pag. 390. & 391 — S. Fiacrius Anno circiter 630.

Vita S. Furſei Abbatis & in Gallia Coepiſcopi ex eodem Capgrauio, adiectis ijs, quæ V. Beda de eodē habet. pag. 393. 396 — S. Furſeus circa Annum 640.

Vita S. Blaithmaic Martyris ex VValafrido Strabone ſuprà memorato. p. 399 — S. Blaithmac.

Regula S. Columbani Abbatis prænominati. pag. 403

Homilia eiuſdē de fallacia vitæ humanæ. (p. 407

Carmen Monoſtichon eiuſdem. p. 408

Metrica eiuſdem Epiſtola contra Auaritiam. pag. 411

Sermo S. Galli Abbatis ſupradicti. p. 415

Tractatus de quibuſdam Hiberniæ miraculis ex Gyraldo Cambrenſi, qui claruit Anno M. C. LXXII. p. 423

Sermo S. Patricij Hiberniæ Apoſtoli, ex Richardo Stanihurſto, qui obijt Anno M. DC. XVIII. p. 437

His acceſſerūt varia additamēta ſeu fragmenta de prædictis Sanctis ex diuerſis Authoribus collecta; itemq; Hymni & Verſus nonnulli.

IN FLORILEGIVM INSVLÆ SANCTORVM, EIVSQVE Authorem.

PONE ſupercilium, reſideſque Hibernia curas;
Ecce tuos cineres viua fauilla fouet.
Ecce diu latitans facies optata tuorum
Pignorum, ab offuſâ libera nube micat.
Quæ tua progenies patulum memoranda per orbem
Patrârit, cælo grata, ſtupenda ſolo.
Sparſa diu collecta vides, vmbrata relucent;
Mira vetuſta vides, mira venuſta vides.
Huic operi gratare nouo, gratare parenti;
Florilega Thomas *legerat iſta manu.*
Pro ſpicis Sanctos, pro granis aurea geſta,
Hæc Meſſinghami *gemmea meſſis habet.*
Quæ varij vario diſperſa volumine tradunt,
Vnicus hic vno conſerit iſta tomo.
Hinc merito nec honore minor, par pluribus vnus,
Qui ſolus, multi quæ retulêre, refert.
His mellis genitrix croceâ nil dulcius Hyblâ.
Nil in Hymettæis collibus haurit apis.
Viuifica his cedit, quæ omnem dabat vna ſaporem,
Fuſa ſolo Cades, *nata * pruina polo.* * Manna.
En Solis menſam, *vario variata palato;*
Hæc ſapere ad placitum cuilibet eſca poteſt.
Siue placet lapſum deflere, cauere relapſum;
Seu fixos fines figere mente placet:
Seu placet attenuare fame, ſudore domare,
Seu corpus loris tundere: cuncta vides.
Subditur elatus, reticet verboſus; amores
Naſo, bella Hector, Craſſus abhorret opes.
Paſtor oues refouet, præco tonat, admonet Abbas,
Soliloquus monachus nominis vſque memor.
En vitæ ſpeculum, virtutis calcar, agendi
Exemplar, viuæ laudis & alma ſeges.

Vtimini(hæc merces) crebro non deficit vſu,
Sed capit augmentum: nauſea ſola nocet.

Eugenius Suinæus Sacerdos Hibernus.

In Diuum Patricium Hiberniæ Apoſtolum.

DE glacie flammas, ſene pubem, Principe vulpem,
Saxo lac, ſolo aquas, mella figurat aquis.
Cùm mandat, rixas ponit mare, flamma calorem,
Nox tenebras, rabiem flabra, venena draco.
Lenta quater denos ſeruat ieiunia ſoles:
Tres & ter denos mortis ab orbe refert.

In Purgatorium ſancti Patricij.

SPirituum hîc thermæ, hîc lethæa piacula: qui ſe
Balneat hîc, Stygij non timet amnis aquas.

Petrus Cadellus Sacerdos Hibernus.

De duodecim diebus, abſque vlla noctis interpolatione in exequijs S. Patricij, continuatis.

PAtricij exequias celebrans plebs, dum æmula certat,
Quæ tanti tumulo nobilitetur humus:
En ſtupet ipſe æther ? bis ſena nocte repulſa,
Continuus minima fit ſine nube dies.
Eſſe quid hoc referam? Solem rapit Echſtaſis alta,
Immemor & raptu redditur ille viæ.
Vel modò Sole caret mundi pars altera, vel Sol
Multiplicatus erit, vel replicatus erit.
Phœbe, quid vnius memor, obliuiſceris orbis?
Ecce moras tantas quanta querela gemit.
En madidas lacerata genas, ſoror æmula luget,
Iure quòd alterno ſit viduata poli.
Miratur ſtabiles nebulas nunc nubilus Indus:
Aut Indis bilocus tu replicatus ades.

Alter ait, ſtabilem vult Sol modo figere ſedem:
Alter, in Occaſum vertitur Ortus, ait.
Si ſomnum ſimulas, oculis quis dormit apertis?
Si vigilas, Lethes ora rigauit aqua.
Digna beatificâ an cenſens hæc corpora luce,
Incipis æternos præmia digna dies?
Quid? te Mnemoſyne fallit? mortale cadauer
Abſque maritata mente, beare nefas.
Sol nouus an ne micat? geminoque triumphat Hibernus,
Vno contentus totus & orbis erit.
Fallor; an ipſa ſuos alternos Cynthia gyros
Ducit: at induuijs Solis amicta micat?
Scilicet, vſurâ ſine lucis, Luna veretur,
Exequias tanti condecorare viri.

Hugo Rellius Sacerdos Hibernus.

In S. Columbam Hyenſem Abbatem, Pictorum Apoſtolum, & ſpecialem Tir-Conalliæ Patronum.

* Maior & Minor. i. Hibernia, & moderna Scotia.

**VTraque turtureos fœtus, nidumque Columbæ,*
Cunas & tumulum Scotia maior habet.
Mundi oculus, Iouis interpres, Chriſtique Sybilla,
Quid latet abſtruſum mente, vel ente videt.
Flectitur imperio quæuis natura Columbæ:
Saxa natant; vndas petra dat, vnda merum.

De mutatione primi nominis S. Columbæ quod erat vulpes, in Columbam.

Vide Lectionem 1. infra pag. 183.

EſT quid hoc dicam? excelſæ mutatio dextræ:
Vulpes vafra, inſons facta Columba: ſtupor!
Fallimur; aſt falſi deponit nominis vmbram,
Vulpina haud vltra pelle columba latet.

Aliud.

SÆpe columbinas vulpecula ſumere plumas
Fertur; & agnina pelle latere lupus:
Mentitur ſimplex ſed rara Columba figuram:
Quid? rarum hoc virtus non niſi rara facit.

In Caſtitatem S. Columbæ.

TVrtureus thalamos reliquus fugit vſq; ſecundos
Cætus; & hanc generat vena pudica fugam:
Lacteus at totus thalamo meus horret ab omni
Turtur: ineſt caſti tantus honoris amor.

Eugenius Suinæus qui ſuprà.

In nidum S. Columbæ Hyenſis Abbatis, ideſt, inſulam Hy.

TVrtur vt edoceat patrium per inane volare,
Pullos, & pennâ vomere arare nothos;
Fabricat exeſæ nidum ſub viſcere rupis:
Eminet inde ſolo, diſtat & inde ſalo.
Nare freti, greſſum prohibet diſtantia terræ,
Libertas alâ in remige cuncta manet.
Hinc indegeneri virtute per aëra fœtus
Turtureus, patrum roſcida rura volat.
Sic pius, Hyenſis nidum ſibi turtur eremi,
Fabricat Hy, & fœtus ſcandere ad aſtra docet.
Hinc docet amotæ ſpeculari tædia terræ;
Hinc Acherontæi dira pericla Stygis.
Copia ſola manet cœli; prior ipſe Columba
Aſtra Columbinâ prole ſequente, petit.
Hic licet aſtripetas ſine fine videre phalanges;
Qualiter, & turmâ turma ſequente volet.
O fauſtas cunas! vbi reptilis incola terræ,
Ales inaſſueto ſcandit ad aſtra gradu.

Io. Colganus Minorita Hibernus.

In SS. Columbam Hyenſem, & Columbanum, aliâs Columbam, Luxouienſem & Bobienſem, Abbates.

INſula Sanctorum eſt geminos enixa Columbas,
Queis totus ſimiles non tulit orbis aues
Par Diuûm abſq; pari eſt, Monachûmq; par omnibus impar,
Nam nequeunt huic par iure referre pari.

Cœnobiis implent Eoa atque vltima Thulæ;
Cellicolis cœlum, cœlicoliſque ſolum.
Nam cellas, tanti Soles & ſidera, cœlos
Fecerunt; cœlum queis ſua cella fuit.
Tamque fuêre pares cellæ, cœlique Columbis;
Pro cellis cœlos vt Deus ipſe daret.
Ergo Columbinis, quæ ſcandere ſidera pennis
Fauſtæ, alienigenas inſtituiſtis aues;
Nos etiam patrios, auibus volitando ſecundis,
Pullos, Dædaleâ ducite ad aſtra manu.

Hugo Vardeus Minorita Hibernus.

In S. Brigidam Kildarienſem Virginem

DVm Brigidæ fit Hymen, frondet pes aridus aræ:
Quid? nota frons floris, floris at hoſtis Hymen.
Sidere ſe priuat, velut hoſte pudoris ocello;
An quia dat cæcis lumina, cæca manet?
Dat Bellona viros, Brigida vmbras enſibus eſcam:
Brigida bruta facit ſcire, Minerua viros.
Res cunctas parêre parum eſt; en recula inanis
Vmbra capit vulnus, pondus & vmbra ſubit.

In ignem S. Brigidæ, qui per multas annorum centurias cineribus nullatenus auctis, inextinctus manſit.

ARdet inextinctus Brigidæ focus igne perenni,
Non capit augmentum coctus at inde cinis.
Quid notat ille rogus? tacitæ-ne incendia mentis?
Viuaci viuax igne notatur amor?
Sed ſi hæc flamma ſuos dum Brigida fouerit ignes;
Neſcia mortis erit; neſcia mortis erit

Edmundus Duuyer Sacerdos, Hibernus.

In Diuos Patricium, Columbam & Brigidam, principales Hiberniæ Patronos.

HOs tres voce vna colit, vno Hibernia cultu:
Vrna eſt vna tribus, ſpiritus vnus erat.

Tho. Meſſingham operis Author.

In S. Columbanum, aliâs Columbam, Luxouienſem & Bobienſem Abbatem.

VIta Columbanum ſimilat nomenque Columbæ:
Virtus par, eadem his patria, numen idem.
Orbi promittunt matris te ſomnia Solem
Occiduo exortus Sol, Oriente cadis,
Vrnam nam Latium, cunas Hibernia, geſta
Gallia, ſplendorem totus & orbis habet.
Aligero pecori Iouis hactenus imperat ales;
Nunc aquilam & volucres quaſque Columba regit.

Guillielmus Coghlan Sacerdos Hibernus.

In S. Fingarem, ſocióſque DCC. LXXviij. Martyres

SCeptra paterna fugit, Fingar; cadit enſe Tyranni
Exul, cum ſacro concomitante choro,
Abſciſſum, manibus portat caput, abluit vndis;
Relliquias primus ſic colit ipſe ſuas.
Impia quæ viuum & pluſquam fera dextra trucidat,
Quem cerui extinctum, quem coluêre canes.

Patricius Cahil Sacerdos Hibernus.

In SS. martyres Kilianum Epiſcopum, Colomannum Presbyterum, & Totnanum Diaconum.

CVm ſocijs cadit Kilianum humana libido,
Sordibus at tumulum ſpargere bruta cauent.
Impia Pontificem Kilianum dextra trucidat;
Tortore at tortor non meliore cadit,
Sæuit iniqua manus in propria viſcera; & idem
Criminis eiuſdem tortor & vltor erat.
Heu furibunde tuus non ſemper præmiat ictus.
Non ſemper martyr qui cadit enſe tuo eſt;
Non proſunt Dño, quæ proſunt omnibus artes:
Dat cælis alios, te tua dextra ſtygi.

Rogerius Moloy Sacerdos Hibernus

In S. Dymphnam filiam Regis Hiberniæ, Virginem & Martyrem.

Dymphna Thyeſtæos thalamos exoſa parentis
Exulat; inſequitur cæcus amore pater.
Hinc furor, inde pudor, certant; victore pudore
Pro thalamo tumulum Nympha pudica capit.
Nais nympha thori fugitiua, ſecundáque Daphne
Dymphna, parentali cuſpide cæſa cadit.
Virgineus ſponſum & patrem pudor horret eundem:
Tortorem at patrem cæca libido facit.

Laurentius Sedgrauus Coll. Hib. per Belgium Vice-præſes.

In S. Laurentium Dublinienſem Archiepiſcopum.

Nunc impexa caput radiorum laurea cingit,
Quondam Laurentij laurea, ſpina fuit.
Carnibus haud vnquam carnem; crucis ille diebus
Parco, cum Thety non niſi pane fouet.

Iacobus Delan Sacerdos Hib.

In S. Malachiam Hiberniæ Primatem, & ſedis Apoſtolicæ Legatum.

Petreidis vates ſedis, Romana Sybilla
Præſagit ſeriem, Pontificumque notas.
Dum monumenta colit tellus, dum præſule gaudet
Roma, Malachiæ fama perire nequit.
Cuncta referre volens miracla, recenſeat omnes
Vitæ actus, vita hæc quid niſi ſigna fuit?

Thomas Guyer Sacerdos Hibernus.

APPROBATIO.

NOS infraſcripti in ſacra ſacræ Theologiæ facultate Pariſienſi Doctores fidem facimus nos vidiſſe librum hunc, cui titulus eſt FLORILEGIVM INSVLAS SANCTORVM, collectionem & congeriem Sanctorum Iberniæ continentem, ex diuerſis iiſque & antiquis & Catholicis authoribus extractam & excerptam: labore tamen & induſtria Domini & magiſtri THOMAE MESSINGHAMI Sacerdotis Hiberni, necnon Protonotarij Apoſtolici coaceruatam, coactam & coadunatam, vnà cum notis marginalibus, aliquotque in Iocelinum elucidationibus à nobis integrè & accuratè perlectis: in quibus nihil ab auita, recta & orthodoxa Catholicæ Apoſtolicæ, & Romanæ Eccleſiæ fide & doctrina, ne ad latum quidem vnguem diſſonum aut diſſentaneum reperimus. In cuius rei fidem ac teſtimonium, chirographum noſtrum hîc duximus apponendum. Pariſijs 3. Martij 1624.

ROCHE. DV FRESNE DE MINCE'.

LICENTIA.

IOannes Franciſcus de Gondy Dei & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, gratia Pariſienſis Archiepiſcopus, Chriſtianiſſimi Domini noſtri Regis in ſuis ſtatus, & Sanctiori conſilijs Conſiliarius, ac Capellæ Regiæ magnus Magiſter, vniuerſis præſentes literas inſpecturis ſalutem in Domino. Notum facimus quod viſa per nos Atteſtatione ſacræ facultatis Theologiæ Pariſienſis Doctorum, qua fidem faciunt vidiſſe & perlegiſſe librum cui titulus eſt *Florilegium Inſulæ Sanctorum*, collectionem & congeriem Sanctorum Hiberniæ continentem, ex diuerſis iiſque & antiquis & Catholicis Authoribus extractam & excerptam; labore tamen & induſtria Magiſtri THOMAS MESSINGHAMI Sacerdotis Iberni, necnon Protonotarij Apoſtolici coaceruatam, coactam, & coadunatam, vnà cum notis marginalibus, aliquotque in Iocelinum elucidationibus ab eis integrè & accuratè perlectis; in quibus nihil ab auita, recta & orthodoxa Catholicæ & Apoſtolicæ, & Romanæ Eccleſiæ fide & doctrina ne ad latum quidem vnguem, diſſonum aut diſſentaneum reperiſſe. Eidem Meſſinghamo Authori huiuſmodi librum tanquam Eccleſiæ perutilem typis cudi faciendi, licentiam conceſſimus & facultatem impartimur. In quorum fidem has præſentes literas per Magiſtrum Ioannem Baudouyn in iure Canonico Licentiatum publicum authoritate Apoſtolica, Curiæq; noſtræ Archiepiſcopalis Pariſienſis Notarium Iuratum, & Archiepiſcopatus noſtri Pariſienſis Secretarium ordinarium fieri & ſignari, Sigillique Cameræ noſtræ fecimus & iuſſimus appenſione communiri. Datum Pariſijs Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto die duodecima menſis Martij.

De mandato præfati Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi Domini mei Domini Pariſienſis Archiepiſcopi.

BAVDOVYN.

SVMMA PRIVILEGII.

L*VDOVICI XIII. Galliarum & Nauarræ Regis Chriſtianiſſimi authoritate conceſſum eſt* Sebaſtiano Cramoiſy *Bibliopolæ Pariſienſi Iurato, typis mandare & venalem habere librum qui inſcribitur* Florilegium Inſulæ Sanctorum, Collectore Thoma Meſſingham, &c. *alijſque cuiuſcunque conditionis interdictum eſt intra ſexennium ſub pœnis originali Diplomate contra delinquentes expreſſis. Lutetiæ Pariſiorum 18. Martij M. DC. XXIIII*

De mandato Regis.

RENOVARD.

TRACTATVLVS PRÆAMBVLARIS
DE NOMINIBVS HIBERNIÆ.

QVoniam præcipuorum quorundam Hiberniæ Sanctorum vitas, & acta per varios ſparſa codices, in vnum collegi: non abs re fore iudicaui, tractatulum præmittere de variis Hiberniæ nominibus: ne videlicet, id quod Inſulæ noſtræ diuerſa nomina habenti, proprio iure competit, in aliam regionem, ex nominum ignorantia transferatur. Pre cęteris autem appellationem Scotiæ *fuſè proſequar, vt nimirum equiuocationem in ea latentem manifeſtè oſtendam. Nomen ſiquidem* Scotiæ *&* Scotorum, *quod nunc Aquilonari Britanniæ parti, eiuſque incolis, factum eſt proprium: primitùs quidem Hiberniæ, illiuſque indigenis, præſertim illo æuo, quo maximè apud Hibernos floruit religio Chriſtiana, ſanctitas, & doctrina, proprium & peculiare fuit: Atque ita plurima quæ de Scotorum ſanctitate & virtute paſſim leguntur, ea Hibernis verè conueniunt. Et quia in hoc ſtat cardo controuerſiæ nuper inter nos, & Scoto-Britannos, de viris ſeu ſanctitate, ſeu doctrina, ſeu aliunde præclaris ortæ (quæ operi præſenti propria eſt) paulò prolixius in hac nominali difficultate eliquidanda immorabor.*

Si quid autem in toto huius operis decurſu occurrat, quod vel apparenter modernos Scotos offendere videatur; prudens, id velim intelligat Lector, non de omnibus Scotis, ſed aliquibus duntaxat recentioribus dictum ſcriptoribus, qui de rebus noſtris in dicta præſertim controuerſia minus rectè ſcripſerunt; maximéq; nuperrimo quodã, cuius nomini parco, qui ſuperſeminatis diſcordiarum zizaniis, mutuæ cognationis & neceſſitudinis inter Hibernos & Scotos, parentes & filios, triticum ſuffocare molitus eſt. Sed fruſtra: vnius aut paucorum inuidia ſeu maledicentia gentium amiciſſimarum priſtinam beneuolentiam non diſſoluet.

Tractatulus igitur hic duo duntaxat membra continebit. In priori varia Hiberniæ nomina recenſebuntur, & ad ſuos fontes ac origines reducentur. In poſteriori verò, de nomenclatura Scotiæ *accuratè tractabitur, idcóque in decem paragraphos diſtribuetur.*

MEMBRVM PRIMVM.

Varia Hiberniæ nomina recenſentur, & explicantur.

a Author vitæ S. Kiliani; b Surius & Molanus 8. Maij. c Baroni⁹ ad Annũ 1053. d Gulimã: in vita S. Florentij. e S. Bernardus in vita S. Malachiæ. f Iocelinus in vita S. Patritij. g Camdenus in deſcriptione Hiberniæ. h Henricus Antiſiodorenſis in dedicatoria vitæ S. Germani ad Carolũ Caluum.

HIbernia, inſula eſt maris Oceani, Britanniæ proxima, *a* fœcunda quidem glebis, ſed ſanctiſſimis viris clarior, *b* ita vt ſtellarum prope numerum, Sanctorum patrociniis æquet: *c* vnde cùm Chriſtianæ fidei fuerit tenaciſſima, *d* ac ſanctiſſimorum, doctiſſimorumque officina, *e* examina Sanctorum, quaſi inundatione facta effudit, *f* indeque ipſa olim ſpeciali nomine, *Inſula Sanctorum*, vbique terrarum, iure nominabatur: pares generans Egyptiis Monachis, merito atque numero, *g* quibus nihil ſanctius, nihil eruditius reperiri potuit, ad quos Anglosaxones erudiendi vndique confluxerunt, ab eiſdemque rationem formandi literas acceperunt. *h* Alij autem vltrò ſibi exilium indicentes pro Chriſto peregrinari volentes, & ignaros erudire cupientes, relicta Hibernia, tanquam greges Philoſophorum ad littora Gallicana migrabant, quos ſapientiſſimus Salomon Carolus Caluus, Imperator inuictiſſimus, & Rex Francorum potentiſſimus, honorificè ſuſcipiebat, & libentiſſimè ſuſpiciebat.

Diuerſa Hiberniæ nomina.

Huic inſulæ diuerſa à diuerſis nomina tribuuntur. Cæſar *Hiberniam*: Orpheus, Ariſtoteles, Claudianus, & alij *Iernam*: Iuuenalis, & Mela *Iuuernam*: Solinus *Iuuerniam*. Ptolomæus, *Iuerniam*: Euſtathius, *Verniam*: Diodorus, *Irin*: Plutarchus, *Ogygiam*: Auienus, *Sacram inſulam*: Iocelinus, *Inſulam Sanctorum*: Beda, & alij infra citandi, *Scotiam*: Britanni, *Yuerdhon*: Angli, Germani, Galli, Itali, & Hiſpani, *Irland*, vel *Irlandiam*: Hiberni ipſi, *Ere*, vocant. Alia nomina quibus à domeſticis hiſtoricis, poëtiſque celebratur, impræſentiarum omitto. Nec mirum videri debet, eandem inſulam variis adeò nominibus deſignari: nam ſi recentia, & antiqua percurrere tempora velimus, obſeruàre poterimus, multas gentes, diuerſis ac ipſi vſi ſunt nominibus, ab aliis denominari. Sic, qui patria lingua, *Iſraëlitæ* vocabantur; Græcis, *Hebræi*, & *Iudæi*; atque Ægyptiis *Hueſi* nominabantur. Sic, qui ſeipſos ſua lingua *Teutſch*, *Numidas*, & *Hellenas* nuncuparunt; à Romanis, *Germani*, *Mauri*, *Græci* appellantur. Sic hodiè, ne plura perſequar, qui ſuo ipſorum idiomate, *Muſelmanni*,

Diuerſa aliarum gentium nomina.

Megari, *Czechi*, *Beſermanni*, ab Europæis omnibus *Turcæ*, *Hungari*, *Bohemi*, & *Tartari* nuncupantur: Et Angli, qui ſua lingua, ſeipſos *Engliſhmem* vocant, ab Hibernis, Britannis, & ſilueſtribus Scotis, *Saſſon*, ſiue *Saxony*, appellantur.

Vnde autem profluxerint tot nominum Hiberniæ traditorũ varietates, difficile eſt inueſtigare; tum propter temporis anguſtias, tum etiam propter abſentiam noſtræ gentis Antiquariorum, & Chronographorum, quos hac in re declaranda cõſulere oporteret. Verùm his nõ obſtãtibus, aliquo ſaltem modo, ſingula examinare conabor.

Ac inprimis, vnde nomen *Hibernia*, ſit ductum, difficilis apud nonnullos eſt quæſtio. Quidam namque ſuſpicantur, hoc nomen inde fuiſſe deriuatum, quod aquæ ibi Hibernis temporibus, vehementiſſima frigorum magnitudine conglacient. Atque hic falſus rumor, Claudianum in fraudem, vt veriſimile eſt, impulit: dum ait.

Scotorum cumulos fleuit glacialis Ierne.

Sed rem longè aliter ſe habere, ſatis compertum habeo: habet ſiquidem ea inſula aërem mirificè temperatum, vſque eò, vt multos annos liceat in Hibernia hibernare, & in pleriſque partibus vix aliqua glacies per totam hyemem conſpiciatur: quod V. Beda Cambrenſis & Stanihurſtus tradunt.

Hibernia vnde dicta. Communior igitur & verior opinio eſt, *Hiberniæ* nomen, vel ab *Ibero* Mileſij Regis filio, vel ab *Ibero* flumine Hiſpanienſi, iuxta quod idem *Iberus* habitabat, deriuatum eſſe: cùm enim initio ipſe *Iberus*: & inſula *Iberia*, diceretur; nomen *Iberus*, in *Ibernum*, & *Iberia* in *Iberniam*, per additionem literæ, N, in medio per Epentheſim, vel temporum proceſſus, vel hominum conſenſus mutauit. Vnde fit, vt ab, I, Latina, & non ab aſpirationis nota, & litera Pythagorica, H. Y. *Hiberniæ* nomen, exordium ſumere, veritati magis cõgruere exiſtimẽ. Conſuetudini tamen & vſui etiam eruditorum virorũ, plus quam originis rigori deferentes, in toto huius operis decurſu, *Hiberniæ* vocabulum, cum aſpirationis initiali nota ſequente, I, Latina, excudi curauimus.

Ere vnde prouenit. *Ere*, vel *Eri* (non autem Erin, quo modo nonnulli linguæ Hibernicæ ignari ſcribunt) deducitur vel ab *Ebero* (qui & Iberus dicitur) per ablationem ſyllabæ in medio, & aliqua etiam mutatione facta in fine: vel (quod mihi, ſaluo meliori iudicio, magis arridet) ab *Erimone*, ſeu Herimone dicti Iberi germano fratre; nam hic vix vlla fit mutatio, præter ablationem vnius ſyllabæ finalis à nominatiuo, *Erimon*; vel duarum à genitiuo *Erimonis*.

Ierna vnde. *Ierna*, ab *Iera* Regina (ſic placet Hibernicis Chronicis) quæ ante *Iberi* & *Erimonis* ex Hiſpania aduentum, inſulæ ſceptro fuit potita, dimanauit.

Inuerna item. *Inuernam*, vel *Inuerniam*, *Iuerniam*, & *verniam*, ab *Ierna* deriuari exiſtimo. Et quia vox, *Iera*, apud Græcos rem ſacram ſignificat, inde fortaſſis, hæc inſula, Græcis *Inſula Sacra*, nominata fuit, vt habet Auienus libro, *Ora maritimæ*.

Irlād vnde deducitur. *Irlandia*, & *Irland*, vel ab eadem *Iēra*, vt ſit, *Iēræ* terra, nam Anglorum (qui primo terram ſic nominarũt) lingua: dictio *Land*, terram ſignificat: vel ab *Ere*, (quo nomine ipſi incolæ vtuntur,) quaſi, *Ere* terra, traducitur. Cum enim priſcis temporibus *Erelandia*, vel *Ereland* diceretur, temporis progreſſu, *Irlandiæ*, ſeu *Irland*, nominationẽ, ab Anglorũ poſteritate, accepit inſula.

Iris, Tuerdhon. *Iris*, & *Tuerdhon*, ab Iera, vel Ere, originem ſumere ſentio. *Inſula Sanctorum* ab innumera Sãctorũ multitudine appellata eſt. *Inſula Sanctorũ.*

Ogygia. *Ogygia*, i. perantiqua hæc inſula nominatur, cuius appellationis rationẽ Camdenus oſtendit, dicens; Hibernicos hiſtoricos à profundiſſima antiquitatis memoria ſuas hiſtorias auſpicari; adeò vt præ illis omnis omnium gentium antiquitas, ſit nouitas, & quodammodo infantia.

Scotia. Verum de *Scotiæ* nomenclatura, maior eſt difficultas. Quidam namque verbi vim ad Græcas literas reuocantes, à vocula *σκότος*, quod obſcuritatis tenebris fuerit opacata, inſulam ſic nominari affirmant. Quaſi verò nulla alia orbis terrarum particula, ab hominum cognitione, ſimili ignoratione, fuerit remota.

Sed Hector Boëthius ſic ſentit: Gaidelus Græculus conflata militum manu, ad Pharaonem regem Ægyptium aduentauit; & quia cum ſua cohorte, eorum, qui Pharaoni bellum fecerunt, & impetum fregit, & amentiam obruit: Rex quò victori meritam gratiam, debitamque referret, filiam ſuam adoleſcentem, *Scota*, dictam, Gaidelo deſpondit. Quare, vt tanti connubij dignitas, ad poſteritatis memoriam prodita, efflorеſceret; omnes iſti Græci, ſe *Scotos*; & *Hiberniam* in qua poſt conſederunt, *Scotia* nomine nuncuparunt.

At Giraldus Cambrenſis, licet in quibuſdam conueniat, in aliis tamen à Boëthio diſcrepat. Rem enim totam ſic deducit in Topographia Hiberniæ, diſt.3.ca.7. Dicti ſunt (*Hiberni* videlicet) & *Gaideli*: dicti ſunt & *Scoti*. Sicut enim antiquæ referunt hiſtoriæ, *Gaidelus* quidam Phenij nepos, poſt linguarum confuſionem,apud Nembrothicam turrim, in variis linguis peritiſſimus fuit. Ob quam peritiam Rex Pharao, filiam ſuam *Scotiam*, ei ſociauit vxorem. Quoniam igitur Hibernienſes ab iſtis, vt aiunt, originalem lineam ducunt,à *Gaidelo*,& *Scotia*, *Gaideli*, & *Scoti* ſunt, ſicut & nati, ſic & nominati. *Gaidelus* iſte,vt aſſerunt,Hibernicam linguam compoſuit, quæ & *Gaidelach* dicitur,quaſi ex omnibus linguis collecta. *Scotia* quoque pars inſulæ Britannicæ dicitur Aquilonaris, quia gens originaliter ab iis propagata, terram illam habitare dignoſcitur. Quod tam linguæ, quàm cultus; tam armorum etiam, quàm morum vſque in hodiernum probat affinitas. *Hactenus Giraldus.*

In his nec manifeſta falſitas, nec aperta contradictio apparet; & quanquam, argumenta, facti veritatem, perſuadentia non adferantur, non idcircò ſtatim reiicienda hiſtoria, niſi efficaci ratione in contrarium prius allata. Hæc igitur nec affirmare, nec refutare in animo eſt; in his detur ſua antiquitati venia.

Cæterùm,quidquid ſit,communis tenet opinio, *Hiberniam à Scota*, ſeu *Scotia* quadam,(quæcunq; demũ illa ſit,) Hibernorũ genitrice,*Scotiam* fuiſſe appellatam:cumq; poſtmodũ *Hiberni* ſeptentrionali Britãniæ parte potirentur, ei *Scotiæ* nomen indiderunt. Sed hæc de nominum diuerſitatibus ſunto ſatis.

Membrum Secundum.

Vtrum Hibernia Scotiæ nomen aliquando habuerit?

SCoto-Britannus quidam cauillator ſeu verius calumniator,odioſas hoc ſæculo tragœdias propter hanc quæſtionem,inter amiciſſimas olim nationes, Hibernos nimirum & Scoto-Britannos,parentes & filios, excitauit;aſſerens, aut nunquam, aut non niſi breuiſſimo temporis ſpatio, *Hiberniam Scotiæ* nomenclaturã ſibi vendicaſſe. Hoc falſiſſimo fundamento, pro vero contra conſcientiam ſuppoſito, propriam magis vtilitatem, & ſuæ gentis gloriam, quàm Dei, & Sanctorum honorem, intendens; quotquot reperire poterat,Sanctitate, doctrina, aut alio quopiam nomine illuſtres, qui *Scoti* quouis modo nuncuparentur, gloriabundo Catalogo complexus eſt; quem iam tertiò aut quartò, ſub Scotiæ modernæ titulo typis mandari curauit.

Ego autem non ignoro, de ſuo cuique tribuendo, præceptum eſſe ex ipſis naturæ viſceribus petitum. Et quemadmodum cuique fas eſt ius ſuum tueri, ita alienum inuadere nefas. Quæ verò liquidi iuris ſũt, ſi in extraneos poſſeſſores incidant, à veris dominis, liquida vindiciarum actione repeti poſſunt. Cum igitur omnis ferè odioſa ſit litigatio,& non certis argumentis,ſed probabilibus coniecturis, aut ſignis veriſimilibus protrahatur: prætermiſſis ambagibus,& ambiguis petitionibus,ne in fomite diſcordiarum alendo, nutriendove, iuſto tenaciores, aut audaciores habeamur, vel amore patriæ obcæcati iudicemur; id ſolùm quærimus, vt quod veritas habet, & obtinuit vetuſtas, & ratio clara euincit in appellatione *Scotorum* & *Scotiæ*, citra cuiuſquam offenſionem, ad fontes ſuos, & proprios fines reducatur.

Hoc igitur ante omnia ſtatuimus, *Hiberniam* multis ſæculis nuncupatam fuiſſe *Scotiam*,& *Hibernos Scotos*, Id ita eſſe conſtat ex omni genere ſcriptorum, ex ſacris & prophanis: ex priſcis & recentibus: ex domeſticis & extraneis: ex Catholicis & hæreticis: ex præcipuis totius Europæ nationibus, Gallis, Hiſpanis, Italis, Germanis, Anglis, Hibernis, & Scoto-Britannis: quicumque demùm in veneranda antiquitate verſati ſunt,dummodo oculos non occludant luci veritatis, hoc intelligunt.

Sed ne in confuſionis ambiguo natemus: temporum diſtinctionem notemus, & inueſtigemus per antiquiores notarios, poſteà & per recentiores antiquarios, quot iam ſæcula effluxerint,ex quo *Hibernia* regio,*Scotia*; & *Hibernica* natio, *Scoti*, nominati fuerint. Et vt clarius fiat legentibus, ac euidentius cunctis pateat intuentibus noſtræ aſſertionis veritas; Auctorum, qui in diuerſis ſæculis floruerunt, teſtimonia, diuerſis paragraphis diſtinguemus.

Teſtimonia Quarti ſæculi. §. I.

ORdiar à S.Hieronymo Eccleſiæ Doctore, qui quarto à verbi Incarnatione ſæculo vixit. Is enim prologo lib. 3.

S. Hieronymus floruit Anno 390. Bellarm.

Comm. in Ieremiam, de ſuo quodam obtrectatore loquens, ſic ſcribit: *Brito enim erat, Scotorum pultibus prægrauatus, Scoticæque gentis è Britannorum vicinia progeniem habebat*: vbi nota, non de ipſa Britannia fuiſſe iſtam *Scoticam* gentem, cuius progeniem habebat hic Brito, ſed de Britannorum vicinia, nempe de *Hibernia*, quam venerabilis Beda hiſtor. Eccl. l. 2, c. 4. proximam Britanniæ inſulam indigitat: vnde cũ Scoti moderni, ſe de Britannia, non autem de Britannorum vicinia, eſſe, diffiteri non poſſint; nullaque ſit extra Britanniam gens, & de Britannorum vicinia, quæ *Scotica* nuncupetur præter *Hibernos*; clarum eſt D. Hieronymum hoc loco per *Scotos*, & *Scoticam* gentem, *Hibernos*, & *Hibernicam* gentem intellexiſſe.

Idem, epiſt. ad Cteſiphon. *Neque Britannia fertilis Prouincia tyrannorum, & Scoticæ gentes, omneſque vſque ad Oceanum, per circuitum barbaræ nationes Moyſen, Propheta ſque cognouerant*: Hîc rurſum *Scotos* à Britannis, & vnam ab altera regione diſterminat. Tunc enim *Scoticæ* gentes in *Hibernia*, caligine infidelitatis inuoluebantur, eò nondum aduecto S. *Patricio*, de quo Ita canitur in officio Eccleſiaſtico.

Qui iuſſione Domini	*Qui tenebras Idololatriæ,*
Miſſus ad Hiberniam,	Scoticæ *gentis abſtulit*;
Quæ plena, erat Idolis,	*Et prædicauit hominibus*
Dura ceruice incredula	*Fidem præclaro lumine.*

Eadem prorſus eſt hæc *Scotica* gens, à qua S. *Patricius* tenebras Idololatriæ diſpulit, & quam S. Hieronymus ſeiungit à Britannis, & Moyſen, Prophetaſque nequaquam cognouiſſe affirmat. At ipſi Scoto Britanni nullatenus dicent à S. *Patricio* fuiſſe ſublatam ſuorum inſularium idololatriam, quam diu ante, *Victore* Pontificante credunt abolitam fuiſſe: Hiberni verò etſi forte non primum, certè primarium ſuæ gentis Apoſtolum, fuiſſe *Patricium* non modicè gloriantur.

Ethicus. Ethicus Coſmographus in deſcriptione Europæ: *Hibernia* (inquit) à *Scotorum gentibus colitur*. Si tunc *Hiberni* ſeu *Hiberniæ* incolæ, *Scoti*; *Hibernia* proculdubio *Scotia* nuncupabatur: quoniam ſicut à *Scotis* habitatoribus, Aquilonaris Britanniæ pars; *Scotia* poſterioribus ſæculis dicta eſt; ita ab iiſdem, anterioribus temporibus, *Hibernia*, *Scotiæ* appellationem ſibi vendicabat. Subtilem ſanè aliquam hîc neceſſe eſt excogitare diſtinctionem, nam gloſſemate Aurelianenſi perſpicaci lectori non ſatisfiet.

Claudianus poëta paneg. in 4. Conſulat. Honorij; deſcribens luctum, & lamentationem *Hiberniæ*, de ſtrage copiarum auxiliarium, quas miſit in Britanniam ſic cecinit *Claudianus anno 391. iuxta Sigebertum.*

——— maduerunt Saxone fuſo
Oreades: incaluit Pictorũ ſanguine Thule;
Scotorum cumulos fleuit glacialis Ierne.

Idem panegyr. 2. in laudem Stiliconis, exponens apparatum bellicum gentis Hibernorum, qui ſubmittendus erat in Pictorum ſuppetias; vt coniunctis copiis, *Scoti*, qui *Hiberniam*, & Picti qui Britanniam incolebant, contra Britones arma mouerent, ſic Britanniam ipſam inducit exultantem de Stiliconis circa eam prouida ſollicitudine:

Me quoque vicinis pereuntem gentibus, inquit,
Muniuit Stilico; totam cum Scotus Iernam
Mouit, & infeſto ſpumauit remige Tethys.
Illius effectum curis ne bella timerem
Scotica; ne Pictam tremerem: ne littore toto
Proſpicerem dubiis venturã Saxona ventis.

Si quis candidè procedere, & veritatem magis inueſtigare, quàm inanes gloriolæ vmbras captare deſideret, ex his poëtæ carminibus, idem quod ex ſuperioris Coſmographi proſa, colligere poſſet; nam primò dicitur, *Hiberniam* cæſæ militiæ *Scoticæ* cumulos defleuiſſe: quod ſi *Scoti* non *Hiberniam*, ſed Britanniam tunc inhabitaſſent, longè potiori ratione ipſa Britannia, quàm *Hibernia*, lugens induci debuiſſet. Deinde refertur *Scotos* totam *Hiberniam* mouiſſe, conuenientibus vndique, & exeuntibus ab ea copiis, in auxilium finitimorum Pictorum. Aſt quomodo *Scoti Hiberniam* mouiſſent, niſi in ea ipſi fuiſſent. Tandem vt omnis lis è medio tollatur, & omnes clarè intelligant, non de Scoto Britannis, ſed de *Scoto Hibernis* ſe loqui, author ſubdit, illum *Scotum*, quem Britannia timebat, mari ab ea diſterminatum fuiſſe, inquiens,

——— Et infeſto ſpumauit remige Tethys.

quod nequaquam Scotis Albienſibus ſiue Britannicis competit, vtpote nullo ab ea freto diſiunctis, ſed intra eandem inſulam incluſis.

Hegeſippus Iunior de excidio Hieroſolymitano, *Hegeſipp.*

lymitano, lib. 5. c. 15. Romanorum vires & potentiam commemorans ita loquitur. *Quid attexam Britannias interfuſo mari toto orbe diuiſas, à Romanis in orbem terrarum redactas? Tremuit hos Scotia, quæ terris nihil debet.* Scotia de qua hic mentio, inſula procul dubio eſt, quæ vndique ſit mari circundata, nulli prorſus telluri obnoxia, nulli omnino debens vel continuationem, vel contiguitatem; quod de *Hibernia* verum eſt, vtpote nulla ſui parte, contigua cum altera terra; de Scotia verò moderna dici non poteſt, quando cum Anglia continua ſit, & vnam cum ea & Vvallia inſulam efficit.

Cum itaque hoc ſæculo, *Hiberniæ* habitatores, Britanniæ verò minimè, *Scoti* ab omnibus appellati ſint (quamuis etiā Hiberni dicerentur, duplici ſiquidem nomine, tam inſula, quàm indigenæ gaudebāt;) & Borealibus Britanniæ incolis non niſi longo pòſt tempore, hæc nomenclatura competebat: certum eſt omnes, qui ſuperioribus ſæculis floruerunt, & *Scoti* vocantur, *Hibernos* non Scoto-Britannos fuiſſe. Omnes ex vno diſce. S. *Manſuetus* primus Tullenſis Antiſtes, diſcipulus *Apoſtolorum Principis*, & S. *Clementis* ſocius; qui claruit anno 49. *Scotus* communiter appellatur. Sed *Hibernum* fuiſſe breuiter, & euidenter oſtendo. Adſonius Abbas, qui tempore, vt videtur, *S. Gerardi* Tullenſis Epiſcopi, floruit; vitam eiuſdem *Manſueti* ſcripturus, carmina quædam quæ in illius laudem præmiſit, ſic exorſus eſt: *S. Manſuetus.*

Inclyta Manſueti claris natalibus orti
Progenies, titulis fulget in orbe ſuis.
Inſula Chriſticolas geſtabat Hibernia *gentes;*
*Vnde genus traxit, & * ſat inde fuit.*

** melius ſatis.*

Hos verſus refert in ſua tabula 2. die 31. Auguſti, diligentiſſimus antiquitatum indagator. R. P. Maihevv, quos ab ornatiſſimo viro D. Carolo Mampurgo, Protonotario Apoſtolico, & Cathedralis Eccleſiæ Tullenſis canonico, nobiſcum in hoc conſentiente, ſe accepiſſe narrat. Sed de huius ſæculi teſtimoniis, iſta ſufficiant. Vlterius progrediamur.

Teſtimonia Quinti ſæculi. §. 2.

Oroſius anno 415. Bellarm.

PAulus oroſius S. Auguſtini diſcipulus, qui eiuſdem Sancti hortatu, vt conſtat ex initio libri primi, ſeptem hiſtoriarum libros, aduerſus Paganos conſcripſit; lib. 1. cap. 2. poſt medium, de inſulis oceani ſic ſcribit. *Et quoniam Oceanus habet inſulas, quas Britanniam & Hiberniam vocant, in auerſa Galliarum parte, ad proſpectum Hiſpaniæ ſitæ ſunt, breuiter explicabuntur. Britannia Oceani inſula, per longum in Boream extenditur.* Et paucis interiectis. *Hæc inſula habet in longo millia paſſuum octingenta; in lato millia ducenta: à tergo autem, vnde Oceano infinito patet; Orcadas habet inſulas, &c.* De Hibernia verò ſic ſubdit. *Hibernia, inſula inter Britanniam & Hiſpaniam ſita, longiore ab Africo in Boream ſpatio porrigitur.* Et paulò poſt. *Hæc propior Britanniæ, ſpatio terram anguſtior, ſed cæli ſoliſque* (alias *ſolique*) *temperie magis vtilis à Scotorum gentibus colitur.* Tota Britannia eā ſecundū longitudinē, quàm ſecundū latitudinem hic deſcribitur. Altum vbique de vlla eius parte, quæ Scotia nuncupetur, ſilentium. Nec immeritò: tota ſiquidem illa inſula quæ nunc in Angliam, Vvalliam, & Scotiam diuiditur, communi Britanniæ nomine, tunc contenta erat. De Scotis Britanniam incolentibus nullum hic verbum. Haud mirum ſane, eò quod nulli tunc ibi fuerint. Nam cùm Oroſius Scotorum non modo *Hiberniæ*, verumetiam *Menaniæ* (inſulæ Scotia moderna longè minoris & obſcurioris,) indigenarum, præ aliis cæterarū inſularū incolis, ſpecialē fecerit mentionē; veriſimile non eſt ipſum voluiſſe Scotos Britanniæ habitatores, ſi qui tunc ibi fuiſſent, obliuioni tradere. *Hiberniæ* igitur incolæ *Scoti*; & *Hibernia Scotia* hoc ſæculo vocabatur, nullique Britanniæ parti hæc denominatio conueniebat. Vnde patet quàm optimè cum ſuperioris ſæculi authoribus, Oroſius concordet. Ita prorſus veritati veritas congruit.

Proſper Aquitanus. S. Leonis Notarius, & Epiſcopus Rhegienſis, lib. aduerſus coll. c. 41. & in Chronico, loquens de S. Cæleſtino Papa ſatagente liberare Britanniam à Pelagiana lue, ſic habet: *Venerabilis memoriæ Pontifex Cæleſtinus, cui ad Eccleſiæ Catholicæ præſidium, multa Dominus gratiæ ſuæ dona largitus eſt: non ſegniore cura, à Pelagiano morbo, Britannias liberauit, quoniam quoſdam inimicos gratiæ, ſolum ſuæ originis occupantes, ab illo ſecreto excluſit Oceani: & ordinato Scotis Epiſcopo, dum Romanam inſulam ſtudet ſeruare Catholicam, fecit etiam barbaram Chriſtianam.* Per *Scotos* hic intelligi *Hibernos*, his conſtat rationum momentis. Epiſcopus ille, qui *Scotis* à Cæleſtino ordinatus eſt, Palladium fuiſſe nemo diffitetur: *Proſper anno 460 Bellarm.*

Sed ad *Hibernos*, non autem Scoto-Britannos Palladium admandatum fuiſſe pancis prænotatis euidenter oſtendo: Breuiarium canonicorum Regularium, cap. de Sion, de hac Palladij miſſione ſic habet. *Tempore Theodoſij, & * Valentini, Papa Cæleſtinus ad Scotos in Chriſtum credentes Palladium miſit Epiſcopum. Quo defuncto ab eodem miſſus eſt ad eos S. Patricius, genere Brito, filius Conches, ſororis S. Martini. Qui in baptiſmo quidem dictus eſt Suchar: à S. Germano Magonius; à Cæleſtino vero Patricius, à quo Scotorum Archiepiſcopus eſt ordinatus; per annos ſexaginta, ſanctitate inſignis, & doctrina excellens, totã inſulam Hiberniæ conuertit ad Chriſtum.* Sigebertus ad annum 432. *Cæleſtinus Papa ad Scotos in Chriſtum credentes, Palladium miſit primum Epiſcopum. Poſt quem ad eoſdem ab eodem miſſus eſt S. Patricius, &c.* Marianus ad eundem annum. *Ad Scotos in Chriſtum credentes, ordinatus à Papa Cæleſtino Palladius, primus Epiſcopus miſſus eſt. Poſt ipſum S. Patricius fuit, genere Brito, à S. Cæleſtino Papa conſecratus, & ad Archiepiſcopatum* Hiberniensem *mittitur: ibi per annos quadraginta, ſignis atque mirabilibus prædicans, totam inſulam* Hiberniam *conuertit ad fidem.* Probus lib. 1. vitæ *S.* Patricij, quæ habetur inter opera Bedæ. *Nec dum tamen vir Domini Patricius ad Pontificalem gradum fuerat promotus, quod ideo nimirum diſtulerat, quia ſciebat quòd Palladius Archidiaconus Cæleſtini Papæ, qui quadrageſimus quintus à S. Petro Apoſtolicæ ſedi præerat, ordinatus ab eodem Papa, directus fuerat ad hanc inſulam* (Hiberniam videlicet) *ſub brumali rigore poſitam, conuertendam, &c.* Iocelinus infra c. 25. *Præmiſerat* (inquit) *præfatus Papa* (Cæleſtinus primus) *prędicandi gratia in* Hiberniam, *ante illum* (ſcilicet Patricium) *alium Doctorem nomine* Palladium, *Archidiaconum ſcilicet ſuum, &c.*

*alias Valentiniani.

His poſitis, ſic intentum oſtendo. Ad illos *Scotos* miſſus eſt *Palladius*, ad quos poſteà *S. Patricius*, vt ex allatis teſtimoniis conſtat: Sed ad *Hibernos*, ſeu *antiquiores Scotos S. Patricium* deſtinatum eſſe, nemo niſi ignarus, aut mentis impos negare audebit; ad illos ſiquidem miſſus eſt, quorum Archiepiſcopus ordinatus eſt: in quorum terra purgatorium inuenit horrendũ: quos ſanctitate vitæ, miraculorum virtute, & cęleſtis doctrinæ abundantia ad fidem Chriſti conuertit: & apud quos diem clauſit extremum. Sed in *Hibernos* non autem in Scoto-Britannos, hæc omnia optimè quadrare, manifeſtum eſt: tum ex authoribus mox citatis; tum ex aliis infra pag. 92. §. 8. (vbi de inuentione purgatorij *S. Patricij*,) tum demum ex probo, & Iocelino, ac Pitſeo, qui locum eius obitus in illa parte Hiberniæ, quæ *Vlidia* nuncupatur, aſſignant. Neque enim, vt arbitror, ipſi Scoto-Britanni contendent *S. Patricium* ſuæ gentis Apoſtolum fuiſſe, propter rationem à nobis ſuprà §. 1. inſinuatam: Quod ſi *Patricium* non recipient: certè nec Palladium, prout ex dictis apertum eſt, ad ſe trahere poſſunt, igitur, à primo ad vltimum, *Scoti* illi, quibus Palladius ordinatus eſt Epiſcopus, vt habet Proſper loco ſupra citato, *Hiberni* erant, ac proinde tempore S. Proſperi, hoc eſt. 5. ſæculo *Hiberni* vocabantur *Scoti*, & *Hibernia* conſequenter *Scotia*. Abſit proteruia, & de hoc nemo dubitet, maximè cum Gildas, Beda, Sigonius, Pomponius, Lætus, Paulus Diaconus, Marianus, Cambrenſis, Ado, Baronius, Boſius, clariſſimè oſtendant, nullos fuiſſe Britanniæ inquilinos, ne dum indigenas, multis poſt mortem Palladij annis.

Denique S. Proſper, ibi diſtinguit duas inſulas, quarum vnam, videlicet Britanniam, vocat Romanam, & à Catholica fide prius ſuſcepta, per Pelagij errores deficientem: alteram vero, nempe Hiberniam, barbaram (more ſcilicet Græcorum, quibus barbarum erat, quicquid alieni iuris & cultus: alioquin, teſte Cornelio Tacito, *Hiberniæ aditus, portuſque, melius quàm Britannię, per commercia & negotiatores cogniti fuêre*, quod ſanè veram barbariem non compatitur,) & nondum Chriſtianam, cui propterea Epiſcopum ordinauit. Sed quod *Hibernia*, non autem Scotia moderna, ſit iſta inſula, quæ barbara & nondum Chriſtiana hîc cognominatur, patet, tum ex eo quod *Hibernia* per ſe ſit inſula: Scotia verò Britannica, non niſi pars inſulæ, magnæ videlicet Britanniæ: tùm quod vt Scotici ſcriptores aſſerunt, diu ante Palladium, Scotia moderna Chriſtianiſmum profeſſa ſit, Anno nimirum 203. non Cæleſtino, ſed Victore ſedente. *Scoti* igitur illi quibus à Cæleſtino Epiſcopus eſt ordinatus, & quorum inſula, iuxta Proſperum, Anno 434. nondum Chriſti fidem ſuſcepit, ſed in tenebris idololatriæ viuebat, donec Cæleſti-

nus

nus miſſo primùm Palladio, deinde Patricio, ad agnitionem veritatis eam perduxit; *Hiberni* procul dubio ſunt, vt pote qui omnium conſenſu Cæleſtino mittente, & Patricio prædicante ad fidem conuerſi ſunt.

Legatur etiam Gildas Sapiens, qui hoc ſæculo floruit, & lib. de excidio Britanniæ *Scotos* & *Hibernos*, pro eadem gente accipit; ac *Scotos*, *Hibernos* graſſatores appellat.

Teſtimonia Sexti ſæculi. §. 3.

COgitoſus coæuus & nepos S. *Brigidæ*, vt ipſe inſinuat, in prologo ad eiuſdem Sanctæ vitam his vtitur verbis. *Hæc ergò egregiis creſcens virtutibus, & per famam bonarum rerum ad eam de omnibus Prouinciis Hiberniæ, innumerabiles populi de vtroque ſexu confluentes, vota ſibi voventes voluntariè, ſuum Monaſterium, caput penè omnium Hibernienſium Eccleſiarum, & culmen præcellens omnia Monaſteria Scotorum: cuius Parochia per totam Hibernienſem terram diffuſa à mari vſque ad mare extenſa, in campeſtribus campi Liffei, ſupra fundamentum fidei firmum conſtruxit.* Addit. *Suam erexit* (S. Brigida) *principalem Eccleſiam, & amborum* (S. Brigidæ, & Epiſcopi eiuſdem Eccleſiæ) *meritis, ſua Cathedra Epiſcopalis, & puellaris, ac ſi vitis frugifera diffuſa vndique ramis creſcentibus in tota Hibernienſi inſula inoleuit. Quam ſemper Archiepiſcopus Hibernienſium Epiſcoporum, & Abbatiſſa quam omnes Abbatiſſæ Scotorum venerantur, fœlici ſucceſſione & ritu perpetuo dominantur.* Concludit verò ad finem ſuæ hiſtoriæ, de Eccleſia illius Monaſterij tractans. *Ciuitas eſt refugij tutiſſima de foris ſuburbanis in tota Scotorum terra, cum ſuis omnibus fugitiuis, in qua ſeruantur theſauri Regum, & decorati culminis excellentiſſima eſſe videntur.*

Porrò quis non videt, hunc authorem tantæ antiquitatis, & autoritatis, vtpote quem Card. Baronius cæteris huius vitæ ſcriptoribus præfert, *Hibernos & Scotos* ſynonimè accipere. Nam ille *Liffeus* iuxta quem *S. Brigida* ſuum conſtruxerat monaſterium, fluuius eſt *Hiberniæ*, per Dublinium, in mare ſe exonerans. Huius autem Monaſterij Parochia & iuriſdictio non extendebatur extra *Hiberniam*: nam dicitur: *cuius Parochia per totam Hibernienſem terram diffuſa à mari vſque ad mare extenſa eſt.* & nihilominus aſſeritur fuiſſe caput pænè omnium *Hibernienſium* Eccleſiarum, &

Dublinia Hiberniæ Metropolis.

culmen præcellens omnia Monaſteria *Scotorum*, omneſque Abbatiſſas Scotorum, illius Monaſterij Abbatiſſam veneratas fuiſſe: ac demum, eſſe ciuitatem refugij in tota *Scotorum* terra, in eaque theſauros Regum *Scotorum* ſeruari ſolere. Quod manifeſtiſſimum ſignum eſt, *Hibernienſes* ſeu *Hibernos*, & *Scotos*, pro vno eodemque hîc ſumi: alioquin illud Monaſterium in Hibernia ſitum, & cuius iuriſdictio mari vtrinque claudebatur, principatum habuiſſet ſuper omnia Monaſteria Britanniæ Aquilonaris, ſeu Scotiæ modernæ; illorumque Monaſteriorum Abbatiſſæ, Abbatiſſam Monaſterij S. *Brigidæ* iuxta Liffeum veneratæ fuiſſent: illa Eccleſia in Hibernia collocata, foret ciuitas refugij in tota terra Scoto-Britannorum.: Denique theſauri Regum Scotiæ Albienſis ſeruarentur in Eccleſia prope Liffeum in *Hibernia* ſita. Quæ ſi quis abſurda non putabit, rationibus cum eo amplius agendum eſſe non cenſeo.

Rurſum, *Scoti* de quibus hîc ſermo eſt, illi proculdubio ſunt, in quorum terra natam fuiſſe S. *Brigidam* ipſe Cogitoſus cap. 1. aſſerit, & diem clauſiſſe extremum Martyrologium Romanum, & Sigebertus affirmant: Sed in *Hibernia* primam lucem aſpexiſſe D. Bernardus, Surius, Capgrauius, & Hareus, autores ſunt: & in *Hibernia* obiiſſe, Notkerus, Rhabanus, Marianus, Cambrenſis, & Ferrarius oſtendunt. Vnde conſtat eandem inſulam nunc ab illis *Scotiam*, nunc ab iſtis *Hiberniam* vocari. Et ſanè mirari ſatis non poſſum quàm inconſtanter loquatur quidam Scoto-Britannus, qui S. *Brigidam Hiberniæ* eripere, & Scotiæ Britannicæ adſcribere contendit, non alio ductus argumento, quã quod communiter *Scota* ſiue in *Scotia* nata, dicatur, cũ tamen S. *Columbam* qui multis poſt eã annis floruit, & Scotus ſimiliter appellatur, *Hibernum* fuiſſe fateatur. Nam ſi vnquam *Hibernia*, *Scotiæ* nomen ſibi vendicabat, id vel maximè ſæculis anterioribus, nimirum, antequam pars Scotorum ex ea in Albium acceſſit, pacificamque, deletis Pictis, Aquilonaris Britanniæ poſſeſſionem obtinuit, vt ex ſequentibus magis patebit.

Teſtimonia. vij. ſæculi. §. 4.

SAnctus Iſidorus, Hiſpalenſis Epiſcopus lib. 14. orig. c. 6. paucis, ſed effica-

S. Iſidorus anno 630. Bellarm.

ciſſimè noſtrum intentum probat; *Scotia eadem & Hibernia, proxima Britanniæ inſula.* Quid clarius? Quid ſignificantius dici potuit? Quid aliud quærimus? Ad confuſionem nihilominus contumacium, alia adiiciemus.

S. Ionas anno 650. Bellarm.

S. Ionas, hiſtoriam vitæ S. Columbani ſic orditur. *Columbanus igitur, qui & Columba, ortus eſt in Hibernia inſula, quæ eſt in extremo Oceano ſita?* Et mox. *Hanc & Scotorum gens incolit; gens quanquam abſque reliquarum gentium legibus, tamen in Chriſtiani vigoris dogmate florens, omnium vicinarum gentium fidem præpollet.* Idem prorſus hîc aſſerit Ionas, quod ſupra. 4. ſæculo Ethicus: & 5. Oroſius; vnde fit, vt toto illo temporum decurſu, tam à domeſticis, quàm ab exteris ſcriptoribus, *Hibernia* nuncupata ſit *Scotia.* Vide etiam infra in eundem finem alium S. Ionæ locum, cap. 22. vitæ S. Columbani.

S. Adamnanus anno 690. Poſſeuin.

S. Adamnanus Abbas Hyenſis, author grauiſſimus, qui vitam S. *Columbæ* conſcripſit, ſæpiſſimè per totam illam hiſtoriam, *Hiberniam Scotiam*; *Hibernos Scotos*, & linguam *Hibernicam Scoticam* appellat. Sed quoniam ipſa hiſtoria infra habetur, breuitatis cauſa, omiſſo ipſo textu, contenti erimus citatione capitum, & locorum, in quibus de re præſenti tractatur. Author hic l. 1. c. 1. narrat *S. Columbam* anno ſecundo poſt bellum *Cule-dreibhne*, de *Scotia* ad Britanniam enauigaſſe. Hic parumper ſiſto, & primùm quæro à noſtris æmulis; de qua *Scotia S. Columba* in Britanniam enauigauit? Si de *vlteriore* (vt ait *D. Bernardus*) id eſt *Hibernia*; conuenimus. Sin autem de citeriore ſiue Britannica, quid obſecro nauigio opus erat, cum hæc vnam inſulam cum reliqua Britanniæ parte, hoc eſt, Anglia & Vvallia, efficiat? Deinde, admiſſo, quod nauigatione licet non neceſſaria vſus ſit S. Columba; quæro adhuc, an ad Angliam, an ad Vvalliam (nihil enim aliud dicere poſſunt) tunc peruenit? Ad neutram certè vnquam eum veniſſe legimus. Quid ergo? relicta patria ſua *Scotia* nimirum *maiore*, ſeu *Hibernia*, enauigauit in Aquilonarem Britanniæ partem, mari ab *Hibernia* ſeparatam, & quæ modo Scotia nuncupatur. Tertiò ab aduerſariis quæro: in qua Scotiæ Albienſis parte commiſſum ſit celebre illud bellum *Cule-dreibhne*, de quo ibi fit mentio? qua occaſione inceptum? inter quos pugnatum? & quare illud vt terminus, magis quam aliud, in exordio huius hiſtoriæ narratur? Has ſanè quæſtiunculas, non Albini, ſed Hiberni hiſtoriographi per ſingulas circumſtantias explicant.

Sed vt rem totam paucis perſoluam ſic concludo. De illa profectò Scotia enauigauit in Britanniam S. *Columba*, quæ ipſius erat natale ſolum; Sed Hiberniam eius patriam fuiſſe affirmant Notkerus, Hermannus, Beda, Capgrauius, Baronius, Spōdanus, & Yepez; nec diffitentur ipſi Scoto-Britanni; igitur *Scotia* de qua S. *Adamnanus* hic loquitur, *Hibernia* eſt, ac proinde ipſius tempore *Hibernia Scotiæ* appellationem obtinebat.

Idem author cap. 2. eiuſdem libri, narrat *S. Fintenum* propoſitum habuiſſe, *Hiberniam* deſerendi, & S. *Columbam* in *Iona* inſula (. i. Hy) commorantem adeundi: S. *Columbam* de eiuſdem *Finteni* ex *Scotia* aduentu Prophetaſſe, ſuoque ſucceſſori *Baitheneo* præcepiſſe, vt eum in *Scotiam* remitteret, quò Monaſterium in Laginenſium finibus conſtrueret; Demum verbis Sanctorum obtemperando, *Fintenum* ad *Scotiam* tranſnauigaſſe; & per vniuerſas *Scotorum* Eccleſias valdè noſcibilem habitum eſſe. Si quis contextum huius capitis attentè legerit, noſtræ in re præſenti ſententiæ ſubſcripturum non dubito. Primò namque dicitur *S. Fintenum* propoſuiſſe *Hiberniam* deſerere, & *S. Columbam* in inſula *Hy* manentem inuiſere: *S. Columbam* eius ex *Scotia* aduentum præſciuiſſe; Quî verò fieri poſſet, vt ille qui in *Hibernia* morabatur, de *Scotia* veniſſet in inſulam *Hy*, niſi *Hibernia* eadem eſſet quæ *Scotia*. Deinde additur. *S. Columbam* præcepiſſe, vt in *Scotiam Fintenus* remitteretur, vt in Laginenſium finibus Monaſterium conſtrueret; eumque Sancti viri præceptis obaudientem, in *Scotiam* tranſnauigaſſe. Ad illam ſanè *Scotiam* remitti iubetur, & tranſnauigauit, quam prius deſeruit, & in qua fines Laginenſes ſunt: *Hiberniam* deſeruit, in eáque, prouincia dicta Laginia, vſque in hodiernum diem, habetur. *Scotia* igitur eadem & *Hibernia* ex *Adamnano*. Vnum adhuc locum, ſed clariſſimum, ex eodem authore referam. Capite enim 18. habetur *S. Columbam* in inſula Hy commorantem, prædixiſſe, de Aquilonari, Hiberniæ

berniæ regione, gruem hoſpitam eò paucis poſt diebus ſuperuenturam, eamque reſumptis viribus ad *Scotiam* reuerſuram; de eadem regione eſſe, de qua ipſe S. *Columba* oriundus erat. & in fine ſubditur, omnia eueniſſe iuxta Sancti Prophetiam, & gruem prædictam ad *Hiberniam* repedaſſe. Quod ſi grus iſta de *Hibernia* ſuperuenit, & ad *Scotiam* reuerſa eſt, iuxta Sancti Prophetiam, certè Hibernia erat Scotia, nam non aliò quàm vnde venit, reuerti quis dicitur; idque ipſum ex fine capitis conſtat, nam dicitur, eam ad *Hiberniam*, ſicut Sanctus prædixit, remeaſſe.

Cæterum hîc obſeruandum eſt, non obſcurè hinc colligi poſſe S. *Columbam Hibernum* eſſe, cum ipſe affirmet hanc gruem Hibernicam, ex ſuæ paternitatis regione, i. natali ſolo, oriundam eſſe: Quod optime confirmatur ex iis quæ lib. 2. cap. 16. idem author habet, nam ibi S. *Columba* dicit, mulierem Hibernicam ſibi cognationalem eſſe: ſimiliter lib. 3. cap. 14. idem Sanctus in Ioua cõmanens, aſſerit ſe triginta annis in Britannia peregrinatum fuiſſe. Si peregrinus in Britannia fuerat, profectò Britannus non erat. Cuias ergo? *Hibernus* ſeu *Scotus*, vtpote cuius conterranea erat grus Hibernica, & cuius cognationalis mulier Hibernica. Quod ſi S. *Columba* in Hy reſidens inſula, affirmat ſe in Britannia peregrinari: certè Aquilonaris Britanniæ pars, ſeu Scotia moderna non alio, quã Britanniæ nomine tũc gaudebat. Vndè clariſſimè ſoluitur quod à nobis aduerſarij quærunt, quo, ſcilicet, modo Scotia moderna nuncupabatur, quando *Hibernia* vocabatur *Scotia*. quod abſque importuna, & futili interrogatione ex Venerabili Beda lib. 3. hiſtor. c. 4. vbi de aduentu S. *Columbæ* ex *Hibernia* in Britanniam loquitur, ſi ignorant, faciliſſimè addiſcere poſſent.

Legenti eandem hiſtoriam, alia plurima loca occurrent, quibus eadem inſula nunc *Hibernia*, nunc *Scotia* indifferenter nominatur, videantur præ cæteris libri primi cap. 3. 8. 10. 12. 13. 14. 16. lib. 2. c. 1. 3. 4. 13. 14. 18. & lib. 3. cap. 2. 4. 5. 7. 8. 11. 12. 16. & 18.

S. Beda anno 731. Bellarm.

Teſtimonia, VIII. ſæculi, §. 5.

VEnerabilis Beda probatiſſimæ fidei hiſtoricus, in totius cauſæ arcem inuadere videtur. Libro ſiquidem primo de Hibernia ſcribens, ſic habet. *Eſt autem Hibernia inſula omnium poſt Britanniam maxima, &c.* & propè finem: *Hæc autem propriè Scotorum patria eſt. Ab hac egreſſi, tertiam in Britannia Britonibus, & Pictis gentem addiderunt.* Luculentum ſanè & clarum teſtimonium, quod gloſſa non indiget. Qui legere illud caput volet, frequenter *Scotos* pro *Hiberniæ* incolis accipi videbit.

Idem lib. 2. c. 4. loquens de S. *Laurentio* Cantuarienſi Archiepiſcopo, *Denique* (inquit) *non ſolum nouæ, quæ de Anglis erat collecta, Eccleſiæ curam gerebat; ſed & veterum Britanniæ incolarum, nec non & Scotorum, qui Hiberniam inſulam Britanniæ proximam incolunt, populis Paſtoralem impendere ſolicitudinem curabat. Siquidem vbi Scotorum in præfata ipſorum patria, quomodo & Britonum in ipſa Britannia, vitam ac profeſſionem minus Eccleſiaſticam in multis eſſe cognouit, &c.* Poſteà verò initium epiſtolæ quam præfatus Laurentius, *Hibernis* ſiue *Scotis* Epiſcopis, & Abbatibus ſcripſit, ſic recitat: *Dominis chariſſimis fratribus Epiſcopis, vel Abbatibus per vniuerſam Scotiam, Laurentius, Mellitus, & Iuſtus Epiſcopi, ſerui ſeruorum Dei, &c.* Hinc apparet, *Hiberniæ* incolas, non minus propriè vocari *Scotos*; quam Britones Britanniæ indigenas; ac proinde non magis propriè Britanniã, Britonũ eſſe patriam, quam *Scotiam Hibernorum*: ab incolis ſiquidem *Scotis Hibernia* dicta eſt *Scotia*, ſicut à Britonibus Britannia. Diligens lector plura ad eandem rem ſpectantia, ex reliqua huius capitis parte colligere poterit.

Item lib. 3. c. 3. *Porrò gentes Scotorum, quæ in Auſtralibus Hiberniæ inſulæ partibus morabantur, iamdudũ ad admonitionẽ Apoſtolicæ ſedis, paſcha canonico ritu obſeruare didicerunt.* Ecce, illius partis *Hiberniæ*, quæ ab Aquilonari Britannia remotiſſima eſt, habitatores, *Scoti* appellantur; quod ſi illi ſic dicti ſunt, ſanè totius Hiberniæ indigenæ ſimili nomine gaudebant, vnde idem author, paulò ante verba citata, loquens de Boreali Hiberniæ parte, eam *Septentrionalem Scotorum Prouinciam* vocat.

Deinde lib. 5. c. 16. *Quo* (inquit) *tempore plurima pars Scotorum in Hibernia, & nonnulla etiam de Britonibus in Britannia, rationabile, & Eccleſiaſticum paſchalis obſeruantiæ tempus, Domino donante ſuſcepit.* Explicatio hic ſuperflua eſſet.

Præter iſta, plura ſunt alia eiuſdem authoris, in eodem opere, loca, quibus Hiber-

nos Scotos, & *Hiberniam Scotiam* appellat; De Scotis verò Albienſibus, aut Scotia recentiori, nuſquam ferè niſi cum aliquo additamento, aut ſignò diſtinctiuò, loquitur. Videatur c. 4. l. 3. vbi Beda, Patriam *S. Columbæ Hiberniam* aſſignat; At in Epitome, eiuſdem Patriam, *Scotiam* indicat. Videatur etiam eiuſdem libri cap. 19. in quo *Scotia* quæ erat Patria *S. Furſæi*, inſula dicitur; quod modernæ Scotiæ, vt ſupra diximus, nequaquam competit. Legatur adhuc ca. 25. & 26. libri mox citati; & lib. 4. c. 4. ac 26.

Tandem in Martyrologio, viij. Idus Iulij de S. Kiliano & ſociis ſic habet: *In pago Auſtriæ, & caſtro nomine Vvirciburg, iuxta Menum fluuiũ ſito, natale S. Kiliani martyris, & duorum ſociorum eius, qui ab Hibernia Scotorum inſula venientes nomen Chriſti in prædictis locis prædicauerunt: ibique ob veritatis confeſſionem, ſub quodam iudice Gozberto trucidati ſunt, & multis poſteà ſignis, veri, Chriſti, martyres eſſe claruerunt.* Hiberniam, quam initio Patriam; hîc inſulam, Scotorum, Beda nominat.

Probus. Poſſeuin⁹. Probus Hibernus, author omnium iudicio fide digniſſimus, qui circa Bedæ, vt videtur, tẽpora floruit, vitam S. Patricij Hibernorum Apoſtoli ſcripſit. Is lib. 1. circa medium; *Themoriam* ciuitatem, Regni *Scotorum* caput appellat. Hanc autem *Themoriam* in *Hibernia* eſſe, & Regum *Hiberniæ* fuiſſe antiquitus ſedẽ, legenti librum citatum, & Iocelinum infra, præſertim cap. 40. & 44. luce meridiana clarius apparebit.

Alcuinus anno 780 Bellarm. Alcuinus Bedæ diſcipulus, & Caroli Magni præceptor; *Hiberniam, Scotorum Patriam* appellat; ſic enim inchoat librum ſecundum, quem ligata oratione, de vita S. Vvillibrordi ſcripſit:

Venerat Occiduis quidam de finibus orbis,
Vir virtute potens, diuino plenus amore,
Ore ſagax, & mente vigil, & feruidus actu.
Ad te temporibus Pippini, Francia felix,
Quem tibi iã genuit fœcunda Britannia mater,
Doctaque nutriuit ſtudiis ſed Hibernia *ſacris,*
Nomine Vvillibrordus meritis viuacibus alm⁹.

Poſteà verò in elegia de S. Vvilgiſo S. Vvillibrordi parente, fini eiuſdem libri adiecta, idem repetens; Hiberniã, quã prius dixerat S. Vvillibrordũ ſtudiis nutriuiſſe ſacris, *Patriam Scotorum* vocat, eamq; illius claram fuiſſe magiſtram aſſerit: & ſic incipit:

Nobilis iſte fuit magna de gente ſacerdos:
Sed magnis multò nobilior meritis.
Vt dudum cecini, fœcunda Britannia mater,
Patria Scotorum clara magiſtrã fuit.
Francia ſed felix rapuit, veneratur, habebat;
Illius atque hodie membra ſepulca tenet.
Hũc Vvilgils genuit proprio pater inclytus æuo:
Vir ſanctus, ſapiens, ac pietate probus.

Eginhartus Caroli item Magni Cancellarius: *Noruvegi* (inquit) *Hiberniam Scotorum inſulam aggreſſi, à Scotis in fugam conuerſi ſunt.* Ecquis igitur ab horum duorum Imperatori coniunctiſſimorũ ſententia appellare audebit? ſi non appellatur, cauſa certè cadunt aduerſarij. Et ex hoc ſæculo ſufficiant hi quatuor fortiſſimi cauſæ noſtræ defenſores, æquiſſimique iudices. *Eginhartus anno 780. Bellarm.*

Teſtimonia. IX. Sæculi. §. 6.

RHabanus Maurus Epiſcopus Moguntinus, in ſuo Martyrologio. VIII. Iduum Iuliarum, agens de S. Kiliano, clariſſimum pro hac conuerſia teſtimonium adfert. *Rhabanᵘ anno 8,5. Bellarm.* *In pago* (inquit) *Auſtriæ, & caſtro nomine Virzburg iuxta Moin fluuium, Sanctorum natale Kiliani martyris, & duorum ſociorum eius, qui ab Hibernia Scotorum inſula venientes, nomen Chriſti in prædictis locis prædicauerunt. Ibique ob veritatis confeſſionem à quodam iudice iniquo, nomine Gozberto, trucidati ſunt, & poſteà multis ſignis, veri Chriſti martyres eſſe claruerunt.* En quam optimè Germanus Antiſtes, cum Galliæ Cancellario, Anglo Martyrologo, aliiſq; ſuperiorũ ſæculorum ſcriptoribus concordat.

Auctor vitæ S. Kiliani. Sed audiamus, ipſum vitæ S. Kiliani authorem, non minoris, vt videtur, antiquitatis. *Beatus* (inquit ille) *Kilianus Scotorum genere nobilibus ortus parentibus, diuinæ tamen gratiæ factus eſt nobilitate clariſſimus. Scotia, quæ & Hibernia dicitur, inſula eſt maris Oceani, fœcunda quidem glebis, ſed viris ſanctiſſimis clarior: è quibus Columbano gaudet Italia, Gallo ditatur Alemannia, Kiliano Francia Teutonica nobilitatur.* Quid amplius laboramus? *Hibernia* dicta eſt *Scotia*; hoc contendimus; Author hic, idẽ aſſerit. *Hiberni* appellati ſunt *Scoti*: id aſſerimus; Author nobiſcum ſentit.

Vvalafridus anno 849. Bellarm. Vvalafridus Strabo Abbas Augienſis, in præfatione ad vitam S. Galli inferius poſitam, eum ex *Hibernia* oriundum aſſerit his verbis. *Et quia Prouinciarum deſcriptiones attigimus, liceat paucis* Hiberniæ *inſulæ, de qua nobis tantum decus* (S. Gallus) *emicuit, iuxta eoſdẽ authores, ſitum commemorare.*

Idque ipſum cap. 1. vitæ S. Galli, inſinuat: capite tamen 40. lib. 1. Idem S. Gallus dicitur eſſe de genere *Scotorum*: & cap. 46. quidam de natione *Scotorum*, eum tanquam ſuæ gentis Sanctum, ſuumque compatriotam, inuocat. Cum igitur S. Gallus ex *Hibernia* ſit oriundus, & de *Scotorum* genere dicatur, ac *Scotorum* compatriota vocetur: clarum inde conſequens eſt *Hiberniæ* incolas tunc *Scotos*, & *Hiberniam Scotiam* nuncupari ſolere.

Sangallenſis. Monachus Sangallenſis, qui circa Caroli Magni tempora floruiſſe videtur, vt ipſe lib. 1. cap. 20. inſinuat; vel poſt, vt ex ipſo, & Stumfio ſimul iunctis colligitur: ille namque lib. 2. c. 15. Abbatis olim Hartmuti meminit, ſuo tempore incluſi; hic autem li. 5. c. 5. Hartmutum anno 872. ſiue 883. ſiue ſequenti reſignaſſe ſcribit. Is, inquã, li. 1. de geſtis Caroli Magni c. 1. (quod opus apud Henricum Caniſium to. 1. antiq. lect. habetur) ſic ſcribit. *Omnipotens rerum diſpoſitor, ordinatorque regnorũ, & temporum, cùm illius admirandæ ſtatuæ pedes ferreos, vel teſtaceos comminuiſſet in Romanis: alterius non minus admirabilis ſtatuæ caput aureum per illuſtrem Carolum erexit in Francis. Qui cùm in occiduis mundi partibus ſolus regnare cœpiſſet, & ſtudia literarum vbique propemodum eſſent in obliuione: contigit duos Scotos de Hibernia cum mercatoribus Britannis ad littus Galliæ deuenire; viros & in ſæcularibus, & in ſacris ſcripturis incomparabiliter eruditos.* Nomina illorum poſteà recenſet, Clementem videlicet & Albinum, Pariſienſis & Ticinenſis Academiarum Fundatores. Hos autem duos Scotos, non Scoto-Britannos, ſed Hibernos fuiſſe, ſatis apertum eſt ex illo additamento, *de Hibernia*. Quod ſi hoc nõ ſatisfaciat, adiungã verba Lupoldi Beberburgi lib. de zelo veterum principum Germaniæ, vbi apertè dicit vnum è duobus prædictis, *Clementem* ſcilicet, *Hibernum* eſſe, ſic enim habet. *Gallici æquari poſſunt Romanis, & Athenienſibus, per operam Clementis* Hiberni. Si *Clemens*, *Hibernus* erat, certè & *Ioannes*; nam compatriotæ fuerant: idque præter S. Antoninum, Chaſſanæum, & Zabarellam, Vincentius Bellouacenſis teſtatur in ſpeculo hiſtoriali.

Hiberni itaque ex Sangallenſi Monacho, Vvalafrido Abbate, Rhabano Epiſcopo, & Anonymo citato; Scoti nono ſæculo dicebantur.

Teſtimonia. x. ſæculi. §. 7.

S. Notkerus anno 971. Poſſeuin. S. Notkerus cognomento Balbulus, in ſuo Martyrologio. v. Idus Iunias de S. *Columba* ſic ſcribit. *In Scotia inſula Hibernia depoſitio S. Columbæ, cognomento apud ſuos Columbkilli, eò quod multarum cellarum, id eſt, Monaſteriorum, vel Eccleſiarum inſtitutor, fundator, & rector extiterit. Scotia* itaque illa *Hibernia* eſt, quæ per ſe inſula eſt, quæ vndis vndequaque alluitur, & hac aquarum alluuione ita cingitur, vt terræ nihil debeat. Scotia moderna eiuſmodi non eſt, vtpotè quæ cum Anglia vnã facit & continentem & inſulam.

Idem. VIII. Idus Iulias, de S. *Kiliano* & ſociis loquens. *In pago* (inquit) *Auſtria id eſt, nouæ Franciæ caſtro, imo ciuitate vt Teutonico nomine prodit Vvirzburg, iuxta Moin fluuium ſita, paſſio S. Kiliani, primi eiuſdem ciuitatis Epiſcopi, & duorum diſcipulorum eius, Colonati ſcilicet presbyteri, & Totnani diaconi, qui ab* Hibernia *Scotorum inſula venientes, & à Pontifice ſedis Apoſtolicæ authoritate accepta, nomen Chriſti in eodem loco, & in circuitu prædicauerunt.* Hibernia igitur Scotorum inſula eſt, Scotorum Patria; Hiberni igitur Scoti, & Hibernia Scotia.

Item XVI. Calendas Aprilis, *In Scotia natiuitas S. Patricij Epiſcopi, natione Britanni, qui in Hibernia inſula, Scotis primùm Euangelizauit nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, & eos per miraculorum oſtenſionem ad fidem conuertit.* Idem eodem die, totidem ferè verbis habet Rhabanus ſupracitatus; Vtrerque autem de natiuitate, ſiue natali, non more gentium, ſed more Eccleſiaſtico loquitur: In Martyrologiis enim, vbi ſummatim acta Sanctorum tanguntur, locus & dies natalis intelliguntur, non illi quibus in hanc vitam ingrediuntur; ſed quibus ex hac vita migrant: vnde Cyprianus ad clerum ſuum Carthaginenſem epiſt. 37. ſic admonet. *Dies eorum, quibus excedunt, annotate, vt commemorationes eorum inter memorias martyrum celebrare poſſimus.* Regio igitur illa, in qua *S. Patricius* ex hac mortali vita ad immortalem tranſiit; Scotia, temporibus Rhabani, & Notkeri, vocabatur. Sed in *Hibernia* non autem in Scotia Albienſi *S. Patricium* obiiſſe, idque prælectione diuina refert Probus libro 2. vitæ S. Patricij: & Iocelinus infra cap. 196. Martyrologium item Romanum Grego-

rij XIII. auctoritate recognitum, Natalem S. Patricij diem in Hibernia ſtatuit his verbis, *in Hibernia Natalis S. Patricij Epiſcopi, & Confeſſoris, qui primus ibidem Chriſtum Euangelizauit, & maximis miraculis, & virtutibus claruit.* *Scotia* igitur illa, in qua S. Notkerus natiuitatem *S. Patricij* collocat, Hibernia eſt: quod ex ſolis ipſius Notkeri verbis mox citatis apertè conſtat: nam *Scotos Hiberniæ* habitatores fuiſſe affirmat, dum ait; *Qui* (ſcilicet Patricius) *in Hibernia inſula Scotis primùm Euangelizauit*: Quod ſi *Scoti Hiberniam* tunc inhabitauerint, certè terra ipſa *Scotia* nuncupabatur; nam non prius regio nomenclaturam *Scotiæ*, quam indigenæ, *Scotorum* appellationem amiſerant. Denique, vt ſupra dictum eſt, ipſi Scoti Albienſes, vltrò fatentur, diu ante S. *Patricij* ætatem, veram ſe fidem recepiſſe. Illi ergo non ſunt *Scoti*, quibus *Patricius* primùm Euangelizauit nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in quorum terra eius natiuitas celebratur. Sed quinam illi ſunt *Scoti*, & quæ iſta *Scotia*? *Scoti* profectò illi, *Hiberni* ſunt, & *Scotia* iſta, *Hibernia*. Hinc facilè intelligitur quomodo explicanda ſit illa nuncupationis *Scotiæ*, & *Hiberniæ*, diuerſitas, quæ in diuerſis tum Martyrologiis, tum Hagiologiis reperitur, vt partim ſupra ſexto ſæculo, partim hic monſtrauimus.

Rhegino 912 poſſeniunt. Huc ſpectat Rheginonis, ſequenti ſæculo citandi, autoritas, quam potius ibi quàm hic ponendum cenſui.

Teſtimonia. XI. ſæculi. §. 8.

Marianus an. 183. Bellarm. Marianus Scotus in Chronicis ad Annum Chriſti 686. *Sanctus* (inquit) *Kilianus Scotus, de Hibernia inſula natus, Vvirtzburgenſis Epiſcopus, clarus habetur.* Eum qui in *Hibernia* natus eſt, *Hibernum* eſſe, nemo, vt reor, diffitebitur: cum ergo Marianus S. *Kilianum* ex *Hibernia* oriundùm *Scotum* appellet; cenſuit ipſe *Scotos* & *Hibernos*, & conſequenter *Scotiam* & *Hiberniam* ſynonima eſſe.

Vide Stratiū in notationibus ad geſta S. Kiliani, quæ partim infra poſt ipſius Sancti vitam habentur. Idem ex vetuſto Manuſcripto Ioannis Latomi, ad Annum Chriſti 674. *Hibernia, inſula Scotorum, Sanctis viris plena habetur*: Illa verba, *inſula Scotorum*, in editione Baſileenſi non habentur, quæ iuſſu quorundam *Hiberniæ* aduerſariorum, omiſſa crediderim; ſicut & nonnulla eidem auctori adiecta eſſe à Catholicæ Eccleſiæ oppugnatoribus, quidam aſſerunt.

Hermannus anno 850 Bellarm. Hermannus Contractus in Chronicis ad annum 812. *Claſſis Danorum Hiberniam inuadens, à Scotis victa eſt.* Idem habent Annales Fuldenſis Monaſterij ex editione D. Andreæ Du Cheſne pag. 14. *Eodem anno* (nimirum 812.) *Claſſis Danorum Hiberniam aggreſſa, à Scotis prælio ſuperatur.* Et Rhegino Prumienſis Abbas in Chronicis, ex eadem editione, de Normannis loquēs ſic ſcribit; *Anno Dominica Incarnationis* DCCCXII. *Claſſis Nortmannorum Hiberniam inſulam aggreſſa, commiſſoque cum Scotis prælio, multi ex eis interfecti, cæteri fuga lapſi ſunt.* *Rhegino.* De iiſdem, in Annalibus Regum Franciæ, Petrus Pithoëus idem habet. *Hiberniam Scotorum inſulam claſsis Normannorum aggreſſa, & parte Normannorum non modica interfecta, turpiter fugiendo, domum reuerſa eſt.* *Pithaei.* Hæc tria poſteriora teſtimonia, Hermanno adiungere libuit, non quod eiuſdem ætatis eorum authores exiſtimem, hóc enim in præſenti non decido; ſed quia Hermanni teſtimonium ſtrenuè confirmare videntur. *Scoti*, ex his omnibus, tam fortiter pro *Hibernia* pugnarunt, vt Danos, & Normannos vel interfecerint, vel à ſuis finibus reiecerint, Sed cur, obſecro, *Scoti* tanto ſe diſcrimini pro *Hibernia* exponerent, niſi ipſorum patria foret, cum ipſi *Hiberni Scotis Albienſibus*, armis, nequaquam inferiores fuerint. Deinde Pithoëus expreſſè *Hiberniā Scotorū inſulā* vocat. Si inſula, Patria certè; ſi Patria; *Hiberni, Scoti* sūt illi, qui pro aris & focis pugnantes Danos ac Normannos, partim fugarunt, partim trucidarunt.

Teſtimonia. XII ſæculi. §. 9.

S Bernardus anno 1130. Bellarm. S. Bernardus Clarauallenſis Abbas, in vita S. *Malachiæ*, quem Hibernum eſſe ipſe affirmat: eiuſdem Sancti ſui amici mortem deplorans, & referens quomodo à longinqua terra ſua ad Claramuallem acceſſit, ibique diem clauſit extremum, ſic ait; *Ab vlteriori Scotia vſque cucurrit ille ad mortem.* De illa profectò *Scotia*, hic ſermo eſt, à qua S. *Malachias* initium itineris ſuſcepit, & cuius gratia Summum Pontificem adibat: Sed ab *Hibernia* cùm diſceſſiſſe, & vt Eccleſiæ Hibernicæ pallium impetraret, iter inchoaſſe, ipſe Sanctus teſtatur Bernardus. *Hibernia Scotia vlterior.*

Idem in eodem opere, narrans quomodo quidam indigenæ illius in Hibernia Prouinciæ, in qua Benchor monaſterium, antiquitus celeberrimum, ſitum eſt, S. Malachiam

lachiam conati ſint impedire, ne lapideum oratorium ibi conſtrueret, ſic eos Sanctum alloquentes introducit. *ô Bone vir, quid ſibi viſum eſt, noſtris hanc inducere regionibus nouitatē? Scoti ſumus, non Galli.* Iſti, qui ſe *Scotos* vocant, non Scoto-Britanni ſiue Britanniæ Aquilonaris incolæ erant; ſed Hiberni, vtpote Vltoniæ, illius nimirum in Hibernia Prouinciæ, in qua Monaſterium Benchor olim florebat, habitatores. Tempore igitur S. Bernardi, *Hiberni* appellabantur *Scoti*, & *Hibernia*, cum ſigno ſaltem determinatiuo *Vlterior*, nuncupabatur *Scotia*.

Huntingdonenſis anno 1148 Piſeus.

Henricus, Huntingdonenſis, Archidiaconus, Hiſt. lib. 1. affirmat *Hiberniam propriè patriam eſſe Scotorum.* Et addit. *Certum eſt quod Scoti ab Hiſpania in Hiberniam venerunt, & inde pars eorum egreſſa tertiam in Britannia Britonibus & Pictis gentem addiderunt.*

Malmesberienſis. 1142. Vvigornienſis 1119 Piſeus.

Henrico conſentiunt alij, eiuſdem æui, Angli ſcriptores, Malmesberienſis, Vvigornienſis, &c. vt eorum ſcripta legenti patebit.

Cambrēſis anno 1172.

Giraldus Cambrenſis in Topographia Hiberniæ diſt. 3. c. 7. ea de re ſic ſentit. *Dicti ſunt* (Hiberni ſcilicet) *& Gaideli, dicti ſunt & Scoti*: Et horum nominum deriuatione monſtrata, ſic ſubdit: *Scotia quoque pars inſulæ Britannicæ dicitur Aquilonaris, quia gens originaliter ab his* (.i. Hibernis, ſeu Scotis de quibus paulo ante locutus eſt) *propagata, terram illam habitare dinoſcitur. Quod tam linguæ, quam cultus; tam armorum etiam quàm morum, vſque in hodiernū, probat affinitas.* Id verum eſſe, præſens teſtatur ætas; nam quamuis Auſtrales Scoti Anglice loquantur; Boreales tantùm Hibernicè, vulgò ſciunt.

Hactenus ſeriatim, à quarto incluſiuè poſt Verbum Incarnatum ſæculo, vſque ad decimum tertium excluſiuè, quo vel maximè tēpore viri & ſanctitate & doctrina, ex Hibernia prodierūt illuſtres ex probatis authorib⁹ euidēter oſtēdimus, *Scotiæ & Scotorum* appellationem, *Hiberniæ & Hibernis* conueniſſe. Nunc ad recentiores præcipui nominis in primaria quaque natione, ſcriptores, qui cum laude ſcrutati ſunt vetera nationum ſcrinia, veniamus, & noſtræ in præſenti controuerſia ſententiæ ſubſcribentes videbimus.

Quid ſcriptores poſteriorum ſæculorum de præſenti controuerſia ſenſerint. §. x.

Bozius Italus.

THomas Bozius Italus lib. 8. de ſignis Eccleſiæ cap. 1. *Scotiam* pro *Hibernia* paſſim ſumptam notat. verba ipſius ſunt hæc. *Nulla gens è Borealibus, tamdiu manſit in vnanimi religionis vnius conſenſu, vt* Scotica: *conſtat ex Annalibus Proſperi Anno* 434. *miſſum à Cæleſtino Pontifice* Palladium *Epiſcopum* ad Scotos; *ſed adiicit Proſper, iam credentes in Chriſtum. Quocirca, tradunt,* in Scotia, quæ tunc erat Hibernia, *Chriſti cultum diſſeminatum eodem tempore, quo in Britannia, ſub annum ſcilicet 203. Victore ſedente. Agitur itaque annus 1350. ex quo Scoti, Chriſti cultum ſunt amplexati, & in eo conſtantes fuêre. At hoc nulli alij genti è Borealibus euenit.* Et paulò pòſt. *Britannia Pelagij opinionem & alias hæreſes adeò eſt ſecuta, vt quo tempore Auguſtinus miſſus eſt à Gregorio Magno, nullus in ea Catholicus eſſet, vt ex eius vita apud Bedam liquet. Miſſus eſt Auguſtinus anno 596. Non ita in Hibernia, in qua tùm Scoti degebant. In ea non modo ſemper Catholica religio perſtitit (quamuis nondum è tota inſula, antiquarum ſuperſtitionum falſitas; eſſet extirpata omninò), vt ex ea viri ſanctitatis illuſtriſſimæ prodierint. In his Columbanus, Galluſque Columbani diſcipulus; à quibus in Gallia Luxòuienſe Monaſterium; in Alemannia, S. Galli: in Italia. Bobienſe extructā fuerunt, ante acceſſum Auguſtini in Britannias. Similiter quidquid eſt regionis, vltra Rhenum, & Danubium, quod antiquis temporibus Chriſto fuerit adiunctum, id Ariana labe, qua Vandali, Gothi, Longobardi, Heruli, Turcilingique infecti fuerunt, poſtea contaminatum fuit. Quocirca, quantum colligimus ex hiſtoriis, nulla è Borealibus gentibus conſtantior Scotica fuit, in eodem cultus vnius ſenſu.*

Villanus Italus.

Philippus Villanus, & ipſe Italus, in vita S. Andreæ Scoti. *Andreas* (inquit) *vir Dei, ex inſula fuit Hiberniæ, quæ alio nomine vulgatiori, Scotia appellatur, in occiduis ſita regionibus, iuxta littus Oceani.*

Molanus German⁹.

Ioānes Molanus, Ciuis & Doctor Theologus Louanienſis, diligentiſſimus ſcriptor, cum 1. die Iulij, ex Martyrologio Mechlinienſi retuliſſet *Sanctū Rumoldum Scotorum Regis filium, ex parte Scotiæ, quæ hodie Hibernia dicitur, deſertis patria, parentibus, nobilitate, & Archiepiſcopatu Dublinenſi, Romam iuiſſe, & inde habita Pontificis benedictione, iuxta Angeli apparitionem, eò per-*

ueniſſe, vbi Schaldis fluuius in mare ſe exonc- rat, &c. Hæc, inquam, cum retuliſſet, & quorundam ſuſpicionem tetigiſſet, qui eundem Sanctum, in modernam Scotiam rapere, & Regis Erfini filium facere vellent, eam opinionem hiſce refellit verbis. *Ex temporum conſenſu, magnam haberent illa probabilitatem, niſi vetuſta Mechlinienſium monumenta, cum filium aſſererent Dauidis Regis, & precibus Gualaferi Præſulis Dublinenſis, editum teſtarentur, ac ab eodem baptizatum. Ex quibus colligo, eum fuiſſe filium cuiuſdam Regis Hibernici. Neque mirum eſt, ſi hic Dauid alibi non legatur, cum B. Bernardus teſtetur, Hiberniam non vnum regnum, ſed plura fuiſſe, quorum tamen regnorum ſeriem magna ex parte intercidiſſe puto. Si vrgeas, eum ex regali Scotorum proſapia oriundum eſſe; admitto: nam id paſſim per Eccleſias Diœceſis Mechlinenſis canitur: ſed antiquitus Hibernos Scotorum nomine comprehenſos fuiſſe ex vita B. Patritij, & aliunde eſt manifeſtum. Quò pertinet, quod Beda aſſerat, Hiberniam propriè eſſe Scotorum Patriam: quodque Ionas ſcribit initio vitæ Columbani, Hiberniam inſulam, Scotorum gentem incolere.* Hæc ibi Molanus. Idem obſeruauit in notationibus ad Vſuatdum 17. Martij, vbi de S. Patricio agitur.

Miræus Germanus.

Aubertus Miræus, Bruxellenſis, Protonotarius Apoſtolicus, in ſuis operibus ſparſim notauit, *Hiberniam* olim *Scotiam* dictam, & *Hibernos Scotos* appellari ſolere: Duo duntaxat ex ipſius Faſtis loca, hic apponam. Tertio Decembris, de *S. Eloquio* presbytero Hiberno, ſcribens; variis primùm nominibus Hiberniæ recenſitis; de nomine Scotia, ſic addit. *Scotia etiam dicta fuit* (Hibernia) *Iſidoro & Bedæ à Scotis incolis: & inde Scotiæ nomen, cum Scotis, & lingua veteri Hibernica, in Britanniam ſeu Albionem inſulam commigrauit. Oroſius certè ſub Honorio & Arcadio Auguſtis, Hiberniam à Scotorum gentibus inhabitatam fuiſſe diſertè ſcribit vnde etiam Synthronus Claudianus.*

Scotorum cumulos fleuit glacialis Ierne:

Et alibi:

Totam cum Scotus Hiernem Mouit.

Hæc eſt illa, de qua Iſidorus lib. 14. orig. cap. 16. ſcribit: Scotia eadem & Hibernia, proxima Britanniæ *inſula. Beda lib. 1. hiſt. c. 1. & lib. 5. c. 24.* Hibernia (inquit) *eſt inſula omnium poſt* Britanniam *maxima, ad occidentem* Britanniæ *ſita: hæc propriè Scotorum patria eſt.* Hæc ibi Miræus.

Similiter 13. Nouembris de S. Chiliano agens ſic lectorem admonet. *Hoc loco ſemel monuiſſe ſufficerit, Hibernos apud veteres frequentiſſimè Scotos nuncupari.* Qui plura eiuſdem Authoris teſtimonia deſiderat, legat tum opus prænominatum, tum alia eius opera: inuenietque, eum ſæpiſſimè *Scotos* & *Hibernos*, pro ſynonimis accipere.

Chilianus hic, eſt alter ab illo Vvirziburgenſi Epiſcopo.

Serarius Germanus.

Nicolaus Serarius Societatis Ieſu, Germanus ſimiliter, in notationibus ſuis hiſtoricis ad geſta S. Kiliani Vvirziburgenſis Epiſcopi à ſe edita, proximè à Prologo ipſius vitæ, ponderando verba vetuſti ſui textus, in quo dicitur; *Scotia, quæ & Hibernia dicitur, inſula eſt maris Oceani, &c.* in margine ſic annotat. *Frequens eſt apud ſcriptores quoſdam, vt Scotiam prò Hibernia dicant.* Et in fuſioribus notis, not. 4. expēdens locum Mariani Scoti aſſerentis *S. Kilianum de Hibernia inſula natum*, ita adiungit. *Sciendum videlicet, etiamſi hodiè Scotia propriè vocetur ea Britanniæ pars, quæ ipſi Angliæ continens ad Septentrionem vergit: olim tamen eo nomine Hiberniam notatam fuiſſe oſtendit V. Beda; cùm è Scythia Pictorum gentem, in Hiberniam veniſſe ait, ibique Scotorum gentem inueniſſe.* Et pergit per duas integras paginas, id roborare diuerſorum ſcriptorum ſuprà à nobis citatorum auctoritatibus. Tandem ſic concludit: *Hibernia Scotiæ ſibi nomen etiam vendicabat: Quia tamen ex Hibernia iſta, Scotorum pars quædam egreſſa eſt, in eaque Britanniæ ora, quā Picti iam habebant, conſederunt: ij quidem principio à Duce ſuo Rheuda, Dalrheudini dicti fuerunt, vt ait V. Beda: poſteà tamen Pictos inde ipſos exegerunt, & Boreale totum illud latus obtinuerunt, eique vetus gentis ſuæ nomen indiderunt; ita vt Scotorum gens vna fuerit, ſed Scotia duplex facta ſit; vna vetus & propria in Hibernia, recentior altera in ſeptentrionali Britannia: vnde factum, vt ſiue ex Hibernia, ſiue ex Aquilonari Britannia, diuini verbi præcones venirent, ij, Scoti; omnes appellarentur.* Hucuſque Serarius.

Hibernia, Scotia vetus, & propria.

Caniſius Gretſerus, Germani.

Huic adiunge duos alios eiuſdem Societatis doctiſſimos patres Petrum Caniſium, & Gretſerum; quorum ille in vita S. Fridolini, hic de Bened. l. 1. c. 2. & 3. idem quod Serarius, ſentiunt.

Deſmay, Gallus.

Iacobus Deſmay Doctor Sorbonicus, Gallus, in vita S. Furſei; quam ex variis Biblio-

Bibliothecis ac membranis collectã, Gallico idiomate conſcripſit, noſtræ, de *Scotiæ* & *Hiberniæ* ſynomia, ſententiæ ſubſcribit; & per multas paginas idipſum ſtrenuè confirmat.

Sirmondus, Gallus.

Iacobus Sirmondus Societatis Ieſu; item Gallus, veterum monumentorum eximius illuſtrator, in ſuis notis ad Karoli Calui,& ſucceſſorum aliquot Franciæ Regum capitula; pag. 187. *Scotos pro Hibernis* antiquitus accipi notauit. Eundem vide in notis ád Sydonium Apollinarem præſertim pag. 214.

Capgrauius, Anglus 1484

Ex Anglis; Ioannes Capgrauius, Auguſtinianæ familiæ in Anglia Prouincialis, variis in locis hanc nominis animaduerſionem obſeruauit. Nam initio vitæ S. *Columbani*, ſic loquitur. *Beatus Columbanus in Hibernia inſula in Oceano ſita, quam Scotorum gens inhabitat, ortus eſt:* Hibernia *enim antiquitus Scotia dicta eſt; de qua gens Scotorum Albaniam, Britanniæ maiori proximam, quæ ab euentu, modò Scotia dicitur, inhabitans, originem duxit, & progreſſum habuit.* Idem in vita D. *Columbæ*, ſuam narrationem his verbis terminat; *eſt autem ſciendum, quòd Hibernia propriè Scotorum patria eſt; antiquitus igitur Scotia, pro* Hibernia *ſæpius ſcribi ſolet, ſicut hic in vita S. Columbæ diligenter intuentibus appaiet, & etiam venerabilis Beda de geſtis Anglorum, multis in locis,* Hiberniam *exprimere volens, Scotiam ſcripſit.*

Item in vita S. *Fiarry*, quem ex Hiberniæ partibus oriundum narrat; ſic eum S. *Pharoni*, de eius patria ſciſcitanti, reſpondentem introducit. *Reuerendiſsime pater, Hibernia Scotorum inſula, mihi, meiſque genitoribus originem dedit.* Hæc ex Capgrauio ſufficiant.

Cambdenus Anglus.

Guilielmus Cambdenus, hiſtoriarum & rerum Britannicarum peritiſſimus, in ſua Chorographia manifeſtè oſtẽdit, quæ nos hucuſque, de Scotorum ac Hibernorum, de Scotiæ item atque Hiberniæ nominum communione deduximus. Nam vbi de Scotis agit, ita eorum deducit originem. *Conſtat enim Scotos* (modò dictos) *ex* Hibernia *in Britanniam transmiſiſſe: nam & Iſidorus* Hiberniam, *à Scotorum gente Scotiam vocat; Scotoſque Hiberniam coluiſſe Oroſius, Beda & Eginardus ſunt teſtes omni exceptione maiores.* Deinde ibidem: *Hiberniam*

Hibernia, Scotia maior.

enim Scotiam maiorem; & Scotorum in Britannia regnum Scotiam minorem appellarunt hiſtorici. Poſteà etiam in deſcriptione Hiberniæ; variis Hiberniæ nominibus recenſitis, ſic ſubdit. *Hæc de Hiberniæ nominibus; vt tamen interea meminerimus poſteriori tempore Scotiam etiam dictam fuiſſe Iſidoro, & Bedæ à Scotis incolis, & inde Scotiæ nomen cum Scotis in Britanniam noſtram commigraſſe. Sed hoc iam anteà à nobis dictum, nec hic repetendum.* Denique ibidem §. de Vltonia; Anglicè Vlſter. *Hi ſunt antiqui Vltoniæ accolæ, quibus tandem permiſtè Scoti; hinc Scotorum nomen in Borealem Britanniæ plagam tranſuexerunt. Sex enim* (*vt author eſt Gyraldus*) *Muredi Regis Vltoniæ filij, Boreales Britanniæ partes circa annum ſalutis 400. occuparunt, vnde Scotia ſpecificato vocabulo appellata.* Hæc ille.

Harpesfeldus Polidorus. Pitſeus.

Idem quod prædicti, ſentiunt alij ſcriptores Angli, Nicolaus Harpesfeldus, Polidorus Vergilius; Ioannes Pitſeus, &c. prout ex ipſorum operibus conſtat.

Maihevv

Sed omnium exterorũ ſcriptorum, quos mihi videre contigit, fuſiſſimè, accuratiſſimè, & ſolidiſſimè præſentem controuerſiam tractat; & noſtræ ſententiæ ſubſcribens decidit nuperrimus ſcriptor R. P. Maihevv Benedictinus Anglus tabula 2. die 31. Auguſti, in Appendice de S. *Aidano*, Lindisfarnenſi Epiſcopo; vbi è viſceribus antiquitatis tanta eruit, vt cuiuis etiam pertinaci ſatisfacere videri poſſet; quę quia nimis prolixa ſunt; ne lectori faſtidium pariant, eorum duntaxat citatione contentus ero.

Ardmachanus. Oſſorienſis. Cauellus. Fitz-Simon. Viſius. Stanihurſtus Hiberni.

Prætermitto etiam Illuſtriſſ. & Reuerendiſſ. D. Petri Lombardi Archiepiſcopi Ardmachani, Reuerendiſſ. D. Dauidis Rothi Oſſorienſis Epiſcopi, R. P. Hugonis Cauelli ordinis Seraphici Diffinitoris Generalis; RR. PV. Henrici Fitz Simon, & Stephani Viti Societatis Ieſu; D. Richardi Stanihurſti, aliorumque Hibernorum de hac eadem re obſeruationes; ne teſtes affectu præoccupatos (ab omni tamen ſuſpicione falſitatis alienos) in cauſæ iuſtæ patrocinium, afferre videar.

Buchananus Scotus.

Videamus modò, an ipſi Scoto-Britanni, hoc poſſint aut velint negare. Georgius Buchananus, ſi quis alius vetuſtatis inquirendæ non incurioſus, hoc ipſum quod nos hactenus probauimus, non diſſimulanter admittit. Ita ille lib. 2. hiſt. Scot. *Scoti, omnes Hiberniæ habitatores initio vocabantur, vt indicat Oroſius. Nec ſemel Scotorum, ex*

Hiberniæ tranſitum in Albium factum, noſtri annales referunt. Et paulò poſt. *Principio cùm vtrique, id eſt, Hiberniæ incolæ, & Coloni eorum in Album miſſi, Scoti appellarentur; vt diſcrimine aliquo, alteri ab alteris diſtinguerentur: initio cœpêre alteri Scoti-Ierni; alteri Scoti-Albini vocari.* Hoc communis appellationis diſcrimen à Buchanano allatum, tametſi ſufficienter vtramq; natione ſecernere poſſit, tamen haud ita frequens eius vſus apud exteros ſcriptores reperitur, quidquid ſit de domeſticis apud quos notior & vſitatior eſſe poterat. Externi namque ſcriptores, ſi quando vllum additamentum, aut ſignum diſtinctiuum communi *Scotiæ* appellationi apponunt; *Hiberniam, Scotiam vlteriorem*, vt D. Bernardus; *maiorem*, vt Camdenus; aut *veterem*, vt Gretſerus, & Serarius: Scotiam verò Britannicam, nominibus oppoſitis, nuncupare ſolent.

Ex quo manifeſtè patet, ignorantiæ aut maleuolentiæ neceſſariò redarguendū eſſe quendam Scoto-Britannum, qui ſic in Hibernos ſcriptores inuehitur: *Portenta tanta, quę addant* (ſcilicet Hiberni, contra quos agit) *de Scotia minore, & maiore, veteri & noua, quam à Geographis & hiſtoricis ſint aliena nemo melius Illuſtriß. V. D.* (Illuſtriſ. Card. Barberinum, nunc Romanæ ſedis Pontificem alloquitur) *nouit; & ego paratus ſum cauſa cadere, ſi vnquam id vllius niſi Hirlandi* (Hibernum intelligit), *autoris loco oſtendi poßit.* Sed viderint omnes num S. Bernardus? num Camdenus? numque Gretſerus, & Serarius Hirlandi, ſint? Nemo id ſanæ mentis affirmabit: Scoto-Britannus tamē ille, hos omnes aut inſcius, aut incautus Hibernos effecit. nō vt gloriā Hibernorū vllatenus extollat, ſed vt hyperbolica illa loquendi forma, ſeu potius iactabundo mendacio, plures & ſanctitate & doctrina illuſtres Hibernis eriperet, & ad ſe traheret. Porrò cum ſupradicti quatuor Hiberni non ſint, illaque portenta de Scotia *maiore, minore, veteri* & *noua* in ſuis ſcriptis habeant, iudicent æqui arbitri, num Scoto-Britannus ille cauſa ceciderit? num omnes illos ſanctos, de quibus contra Hibernos turbulentiſſimam & odioſam mouebat litem, pacto à ſe vltrò, ſed imprudenter inito, amiſerit.

Maior ſcotus Ioannes Maior Doctor Theologus, & ipſe Scoto-Britannus, lib. II. de geſtis Scotorum, aſſerit, *Hiberniam* antiquitus nuncupatam fuiſſe *Scotiam*, illamq; regionem quam hodie Scotiam vocamus, ab Anglia diſtinctam non fuiſſe.

His ita deductis, clara erit intelligentia, & perſpicuus ſenſus veterū hiſtoricorum, Martyrologorum, hagiologorumque, qui Hiberniæ indigenas, nunc *Hibernos*, nunc *Scotos* appellant, Hiberniæq; regionē nunc *Scotiam*, nūc *Hiberniam* nuncupant. quippe *Hibernia* & *Hiberni*, abſolutam & illimitatam *Scotię*, & *Scotorum* nomenclaturam ſemper retinuerant, vſque ad extinctionem Pictici principatus, & regni eorum in Britannia excidium: Quod nono circiter ſæculo à ſalute in Chriſto reparata contigiſſe Leſlæus in Kennetho & Donaldo inſinuat: ſiue, vt Genebrardus in Edgaro indicat, ſæculo vndecimo, hoc eſt Anno Domini 1098. Pictis autē debellatis, vtraque regio, *Hibernia* nimirum, & *Scotia moderna*, promiſcuè dicta eſt *Scotia*: Deinde, quando vtrique genti & regioni cœpit ex æquo nomen *Scotorum* & *Scotię* tanquā diuerſæ nationi & regno attribui; auctores qui accuratè ſcribebant, ſolebant diſtinctionem vtriuſque inſulæ, & inſularium, vel à tempore, vt *noua*, & *vetus*: vel à quantitate, vt *maior*, & *minor*: vel à ſitu vt *citerior*, & *vlterior*; vel aliunde, haurire, vnde facile vna tam regio, quam natio ab altera dignoſci poſſet: Donec tandem vſus obtinuit, vt Scotia moderna ſeu Britannica, Scotia abſolutè dicatur, & nunc ſola eo nomine vocetur, cum Hibernia iam penitus deſierit, Scotia vocari.

Etenim quid abſurdius excogitari poteſt, quam ita fines temporum, & limites rerum tranſponere, vt quia rebus mutatis, mutatæ ſunt regionum nomina, ea quæ vni conueniunt proprio, liquidoque iure, velle transfundere in aliam, fallaci appellationis titulo. Rectè Seneca, de conſolat. ad Albinam: *Nihil eodem loco manſiſſe, quo genitum eſt. Aſſiduus humani generis diſcurſus eſt. Quotidiè aliquid in tam magno orbe mutatur. Noua vrbium fundamenta iaciuntur. Noua gentium nomina, extinctis nominibus prioribus, aut in acceßionem validioris conuerſis, oriuntur.* Annon eadem terra, quæ Romanis eſt Hiſpania, Græcis Iberia, Poëtis Heſperia, ab aliis Spania vocatur? Græcorum nomen tam celebratum Latinis, Græcis ipſis eſt obſcurius. An non tota illa inſula quæ Angliam,

gliam, Scotiam modernam, & Vvalliam comprehendit, antiquitus vnico Britanniæ nomine contenta fuit? Scoti, & Angli, quæ hodiè præcipua gentium Britannicarũ nomina ſunt, priſcis etiamnum Scotis, & Britannis (vt loquitur Buchananus hiſt. lib. 2. pag. 44.) propè ſunt ignota. Alteros enim, id eſt Scotos (vt idem ait) Albinos, alteros hoc eſt Anglos Saxones appellant. Quarè nemini mirum videri debet, ſi in tanta rerum humanarum inconſtantia, de nominibus gentium, locorumve, non ſemper conueniat inter ſcriptores diuerſis imò iiſdem temporibus natos, magnis terrarum interuallis diſſitos, lingua & moribus diſſidentes.

An quia Hibernia dicta ſit Heſperia, attribuemus ea noſtræ nationi, quæ verè non conueniunt niſi Hiſpanis, à quibus noſtri originem traxerunt: vel ſi iure ſucceſſionis, aut originis conſortio, particulam honoris vendicare poſſumus, num totum propterea cupiemus abſorbere nobis, & penitus abalienare à propriis dominis, noſtris progenitoribus? abſit iniuria.

Itaque ſi iure & ratione nobiſcum agere velint Scoto-Britanni, omninò debent antiquitati deferre, & teſtimonium admittere hiſtoricorum, qui ab omni ſuſpicione odij, amoris; ab omni corruptela, & præiudicio ſemoti, ex bona & probata fide ſcripſerunt: quorum vel iudicij maturitas, vel doctrinæ integritas, vel vitæ ſanctitas, magnam apud poſteros gloriam, & maximam apud omnes authoritatem, debet obtinere, & iam obtinuit per multa ſæcula. Noua & vetera, aliena & domeſtica, ſacra & prophana teſtimonia nobis in præſenti controuerſia ſuffragantur: Hiberniam antiquitùs appellari ſolere Scotiam & Hibernos Scotos, teſtantur Martyrologia, & Hagiologia tum manuſcripta, tum typis excuſa: teſtantur antiquarum hiſtoriarum Sancti & ſanctitatis opinione percelebres ſcriptores; teſtantur veterum monumentorum moderni lyncei perſcrutatores, teſtantur hæretici, teſtãtur & Ethnici: Teſtãtur denique illuſtres viri in ſingulis ętatibus ab Anno Saluatoris noſtri CCCXC. ad Annum circiter M. C. LXXIJ. quorum Catalogum ſupra recenſuimus.

Faceſſant igitur Scoto-Britannici ſcriptores irrumpere in noſtra ſepta & ſata, volentes metere quæ non ſeminarunt: Et quamuis nunc dierum ſoli ipſi Scoti nominentur, fas ſibi licitumue ne putent omnia quæ ſub Scotiæ & Scotorum nomine habentur in ſuam Albienſem & modernam Scotiam vendicare, quæ verè, & ſyncerè non niſi ad Hiberniam veterem ſcilicet & maiorem Scotiam ſpectant. Quod ſi vlterius progredi tentauerint, & rationibus ac monitis acquieſcere contempſerint; contra eiuſmodi pertinaciam vincet tandem veritas fuſius enucleata, & valebit vetuſtas prolixius citata.

SEQVENTIA
DE SANCTO PATRICIO
EX VETVSTO MISSALI
Manuſcripto.

LÆta lux eſt hodierna,
Qua conſcēdit ad ſuperna
Vir Dei Patricius.
Qui Prælatus in hanc lucem
Puer bonus Chriſti crucem
Veneratur ocyus.
Humo preſſit ſignum Crucis,
Fons erupit, donum lucis
Cœco nato præbuit.
In mel aquam conuertebat,
Quo nutrici quæ languebat
Sanitatem tribuit.
A piratis venditur,
Fit cuſtos porcorum;
Aurum quo redimitur
Reperit decorum.
Opprimens per triduum
Satan hunc vexauit,
Sed Helias artuum
Robur reparauit
Deprimit à vitijs,
Moribus imbutus,
Corpus abſtinentijs
Moyſen ſecutus,
In montis cacumina
Scandit & ieiunat,
Glacierum fragmina
Succendens adunat.
Sub Germani diſciplina
Documentis & doctrina
Studet Euangelicis
Hic a Papa Cæleſtino
Doctor eſt nutu diuino
Tranſmiſſus Hibernicis.
Balat hircus ventre furis,
Fur punitur plagis duris,
Et eius ſucceſſio.
Fugiens mortem ſago tectus,
Obijt ante, poſt reuectus
Orante Patricio
Viroſa reptilia
Prece congregata,
Pellit ab Hibernia
Mari liberata
Cælos aliquoties
Apertos aſpexit,
Et Ieſum ſuſpiciens
Dominum conſpexit
Tranſit pater ab hac luce,
Signis plenus Chriſto duce,
Lucis ad palatium
Vbi nobis prece ſua
Confer, bone Ieſu, tua
Pietate gaudium. Amen.

HYMNVS

DE SANCTO PATRICIO

Ex eiuſdem ſancti Officio

Eccleſiaſtico.

ECce fulget clariſſima
  Patricij ſolemnitas,
  In qua carne depoſita
  Fœlix tranſcendit ſidera
Qui mox à pueritia
  Diuina plenus gratia
  Vitam cæpit diligere
  Puritatis Angelicæ.
Fœlici hic proſapia
  Ortus eſt in Britannia,
  Perceptóque baptiſmate
  Studet ad alta tendere.
Sed futurorum præſcius
  Clemens & rectus Dominus
  Hunc direxit Apoſtolum
  Hiberniæ ad populum
Erat namq; hæc inſula
  Donis terræ fructifera,
  Sed cultu idololatra
  Mergebatur ad infimá
Ad hanc doctor egregius
  Aduenien s Patricius,
  Prædicabat Gentilibus
  Quod tenebat óperibus
Confluebat Gentilitas
  Ad eius ſacra monita,
  Et reſpuens Diabolum
  Colebat Regem Dominum
Quapropter dilectiſſimi
  Huius in laudem Præſulis,
  Pſallamus Chriſto cordibus
  Alternantes & vocibus.
Vt illius ſuffragio
  Liberati a vitio
  Perfruamur in gloria
  Viſione Angelica
Laus Patri, ſit & Filio,
  Cum Spiritu Paraclito,
  qui dono ſuæ gratiæ
  Miſertus eſt Hiberniæ. Am.

Alius Hymnus ex eodem officio.

IESV corona præſulum,
Conſerua tuum populum,
qui hodie Patricium
Ducis ad cæli ſolium.
Vir magni ſacer meriti
Affert lucrum Dominici
Talenti ſibi traditi
Auctum fructu multiplici.
Sumpta Chriſti parabola
Propalat Euangelica
Per hunc facta Chriſticola
Tota gaudet Hibernia
Hic eſt Doctor beneuolus,
Hibernicorum Apoſtolus,
Cui loca Purgatoria
Oſtendit Dei gratia.
Præſta beata Trinitas
Concede ſimplex vnitas
Vt precibus Patricij
Hæredes ſimus gaudij Amē.



S. PATRICIVS HIBERNIÆ APOSTOLVS
Claruit Anno Domini CCCCLVIII.

INCIPIT

PROLOGVS IOCELINI

MONACHI DE FVRNESIO IN VITAM SANCTI PATRICII ARCHIEPISCOPI, Primatis, & Apoſtoli Hiberniæ.

PLVRIMORVM *propoſitum erat, & ſtudium, à diebus antiquis, Sanctorum virorum vitas, virtutum perpetuare ſtilo, ne æmulandæ ſanctitatis feruor, obliuionis ſepeliretur tumulo; ſed potius in propatulo præfixa poſteris ad imitandum reluceret, quaſi in ſpeculo. Vnde & in Rationali Summi Pontificis, diuinitus iubebatur, nomina duodecim Patriarcharum filiorum Iſrael, duodecim gemmis inſculpi, quatenus inſpectione magiſtra commouerentur fideles quique, actus Sanctorum Patrum imitari. Dignum planè eſt, vt quorum gloriamur titulis, delectamur praconijs, protegimur patrocinijs, illorum moribus conemur conformari, confirmarique exemplis. Sed quia multæ literaturæ inualeſcebat inopia, deſidiæque ad diſcendum exuberabat copia, perplures idiotæ, & dictandi ignari, vitas Sanctorum ſcriptitabant, intentione quidem pia, ſed oratione inculta, ne delerentur à fidelium memoria. Quocirca multis ad legendum vitas Sanctorum, & geſta, ſtilo incondito, ſeu ſermone barbarico digeſta, nauſea prouocatur vel faſtidium, generatur ſæpius tarditas ad credendum. Hinc eſt, quod & vita glorioſi pontificis Patricij, Hiberniæ patroni, & Apoſtoli, ſignis, & prodijs clariſſima, à multis illiteratis multipliciter dictata, ob confuſionem, & obſcuritatem ſtili, nec patet, nec placet pluribus, ſed habetur tædio, ac contemptui. Compellente igitur charitate, conabimur confuſa in ſeriem reducendo colligere, collecta in codice cudendo condere, condita etſi non latiniſſimi, ſaltem vel latini ſermonis ſapore condire. Huic noſtro conatui, trimodi inſtrumenti inſtructio ſuffragatur quæ candelabro tabernaculi ineſſe deſcribitur. Legimus enim in eo emunctorium, extinctorium, & infuſorium, quibus competenter vti conſueſcimus, ſi vitas*

Exodi 28.

Exodi 25.

Sanctorum, qui verbo & exemplo quaſi candelabrum lucebant, ante Dominum deſcribendo, emungere ſuperflua, extinguere falſa, dilucidare obſcura ſatagimus. Quæ quamuis ex deuotione quam erga S. Patricium habemus actitare teneamur: Reuerendiſſimi tamen Thomæ Ardmachani Archiepiſcopi, totiuſque Hiberniæ Primatis, & Malachiæ Dunẽſis Epiſcopi ad hoc opus aggrediendum præceptis perſtringimur: Illuſtriſſimi nihilominus Ioannis de Curſi, Vlidiæ Principis ſuper hac re petitio adiungitur, qui S. Patricij ſpecialiſſimus dilector, & venerator eſſe dignoſcitur, cui obtemperare digniſſimum arbitramur. Si quis coluber in via, ceraſtes in ſemita, calcaneum noſtrum obſeruans, præſumptionis temerariè nos in hac parte arguerit, vipereoq; dente manum noſtram inuaſerit; nos nihilominus cum
Actor.28 *Beato Paulo ad ignem accendendum ſarmenta colligimus, & in ignem viperam proijcimus. Quia profecto Sanctorum veræ viti adhærentium quorum membra in puluere aruerunt, actus, deſcribentes, quibus mentes fidelium ad amorem Chriſti, & fidem inflammentur, linguas inuidorum, & detrahentium paruipendimus; quia ſi à talibus iudicemur, cum Apoſtolo pro minimo habentes, diuino iudicio totum committimus.*

Explicit Prologus.

INCIPIT

VITA SANCTI PATRICII

ARCHIEPISCOPI, PRIMATIS

& Apoſtoli Hiberniæ.

CAPITVLVM PRIMVM.

EXTITIT vir quidam Calphurnius nomine, filius Potiti Preſbyteri, Brito natione, in pago * Taburnia Vocabulo, hoc eſt tabernaculorum campo, eo quod Romanus exercitus tabernacula fixerit ibidem, ſecus oppidum Empthor degens, mari Hibernico collimitans habitatione. Hic duxerat in matrimonium puellam Francigenam Conqueſſam nomine, Beati Martini Turonenſis Archiepiſcopi * conſanguineam, forma, atque morum elegantia egregiam: de Gallijs namque obductam, cum ſorore priore natu, ad Aquilonales partes Britanniæ, & in obſequium patris ſui venditam adamauit, eiuſque delectatus moribus, delinitus obſequijs, illectus pulchritudine, illam ex ancillari famulatu, in coniugale conſortium promouit. Soror verò illius, alteri tradita viro, habitabat in Empthor oppido prænominato.

** Taburnia ſita eſt in Cornubia præfectura Angl.*

** Sororem*

Erant enim ambo iuſti ante Dominum, incedentes ſine querela in iuſtificationibus Domini; genere, & fide, ſpe, ac religione præclari. Et licet viderentur ſub angaria ſeruire Babyloniæ, habitu exteriori, & commoratione, ſe tamen ciues Hieroſolymæ exhibebant actu, & conuerſatione. De terra itaq; carnis ſuæ à ruderibus peccatorū criminalium, & noxijs grauaminibus viriorum mundatæ, vomère Euangelicæ & Apoſtolicæ doctrinæ excultæ, virtutū germine fœcundæ, velut fructum optimum, & opimum, generādo protulerūt filiū, quem, cum deponeret veteris hominis exuuias in ſacro fonte, nominari fecêre Patricium, patrem, patronumque plurimarum gentium futurum; qui profectò puer puriſſimus, vas electionis, quam deuotus foret cultor Sanctæ Trinitatis, ſtatim ipſe Deus trinus & vnus, in eo baptizato declarare dignatus eſt indicio miraculi triplicis. Poſtquam verò aliquantulum proceſſerant in diebus ſuis, fœlici generatione completa, communi conſenſu caſtitati ſtuduerunt, & ſancto fine in Domino quieuerunt. Calphurnius autem prius in Diaconatu diutius Domino ſeruiuit, poſtremo in Preſbyteratu vitam finiuit.

Patricius naſcitur.

poſt Patricium natum Calphurnius ſacros ordines ſuſcepit.

De eruptione fontis, illuminatione cæci, & intelligentia literarum.

CAPITVLVM II.

QVIDAM vir Gormas nomine, ex matris vtero cæcitatis carcere damnatus, audiuit in ſomnis vocem præcipientem ſibi, vt pueri Patricij recenter baptizati apprehenſa dextera, ſignum crucis humo imprimeret: adijcientem, quòd ad illius tactum noui fontis ſcaturitio erumperet, cuius latice ſi oculorum orbes irrigaſſet, conſequenter viſum reciperet. Diuino itaque edoctus oraculo, ad paruulum cæcus acceſſit, illius dextera ſignaculum ſalutis humo impreſſit, & continuò in eodem loco * fons nouus erumpens ema-

Primum miraculū.

nauit. Ex eiuſdem itaque aquæ ſalutati li-
2 quore funeratæ frontis orbes irrigati, infu-
ſum cenſere diem*, ac quaſi Siloë iteratam
Pſalm. 106. virtutē. Et vt multiplicius *confiterentur Domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum*, dum exterius exterſa caligine cæcus illuminatur, interiores obtutus reuelati dono ſcientiæ illuſtrantur: & qui nunquam cognouit literaturam expertus potentias Domini, legebat & intelligebat ſcripturam; ſicut ergo exteriori beneficio effectus fuerat videns de cæco, ſic interiori gratia literatus de laïco. Fons verò præ-
3 fatus profluuio profuſiori dilatatus, vſque
in præſens perſpicuas emanans aquas, S. Patricij nomine inſignitur, hauſtu dulcis, guſtuque ſalubris, vt dicitur, varijs incommodis laborantibus ſoſpitatem, aut leuamen impartitur: oritur enim ſecus limbum maris, ſuper quem poſterorum diligentia ædificauit oratorium habens altare in modum crucis extructum.

De lapide Sancti Patricij.

CAPITVLVM III.

Eſt lapis prope locum poſitus, quem Patricij petram incolæ vocant; quia ſuper illam quidam eum natum fuiſſe, quidam Miſſam celebraſſe exiſtimant. *Patricius Miſſam celebrauit.* Quoties aliqua controuerſia inter conuicaneos, vel vicinos vertitur, quæ iuramento concludenda decernitur, ad petram prædictam acceditur, & ſacramento corporaliter præſtito, cauſa terminatur. Si verò peierans, aut falſidicus teſtis ſuper eam manum extenderit, protinus aquam effundere conſueſcit; & quam ſit execrabile crimen periurij, aut falſi teſtimonij, cunctis patenter Patricij ſanctitas oſtendit: alioquin nec guttulam ſudare ſolet, ſed in ſiccitate, duritiaq; naturali permanet. Quæ autem opinio vulgi ſuper lapide probabilior ſit, à nobis ignoratur; quanquam poſterior veritati vicinior videatur: Sufficiat ergo miraculum memoraſſe, quod S. Mel Epiſcopus teſtatur, ſe ſæpius conſpexiſſe.

De ſentina exſiccata.

CAPITVLVM IIII.

Creſcente ætate, creſcere videbatur & gratia, & velut ex promptuario pleno ſpiritualium vnguentorum diuinum odorem intrinſecus manante, foras aromatizabat multiplicium miraculorum copia. Nutriebatur namque in Empthor oppido puer Domini Patricius, in domo materteræ ſuæ, cum ſorore ſua Lupita nomine. Contigit hyemali tempore glacie diſſoluta ſentinam excreſcere, plurimarum domorum infra oppidum ſubuerſionem minitare, manſionem etiā illam in qua degebat Patricius aquarum exundantia occupabat, & totam ſupellectilem ſubuertebat, omniaq; vaſa enatare faciebat. Porro paruulus eſuriens, more infantili petebat panem, nec erat qui frangeret ei, ſed potius voce obiurgatoria, illum proximiorem ſubmerſioni quam refectioni à nutrice ei reſpondetur. Puer verò tres digitos aquæ intumeſcenti intinxit, ac ſtans in ſicco, præmiſſa oratione ter quaſi alluuionem aquæ in modū crucis reſperſit, & ſentinæ, vt quantocius recederet in nomine ſanctæ
Trinitatis imperauit. Mira res, continuo
curſu refluo exundatio illa tota receſſit,* 4
ſiccitas rediit, nec læſio vlla aut damnum in vaſis habitaculi illius, vel rebus apparuit. Videbantur enim intuentium oculis, de digitis Sancti pueruli orantis, pro ſtillulis aquæ, ſcintillæ igneæ reſpergi, atque aquam ab ipſis ablingi & abſorberi; ſic ſic *congregans Dominus ſicut in vtre aquas maris*
ponens in theſauris abyſſos laudatur ab om- Pſalm. 32.
nibus, qui tam magna operatus eſt in dilecto ſuo Sancto Patricio paruulo, magnificatur & paruulus, qui tot & tanta potuit in magno & laudabili Domino.

Quomodo de glacie produxit ignem.

CAPITVLVM V.

Sanctus Patricius in ætate puerili licet ſaperet & interdum ageret vt paruulus, quam pretioſus fuerit in oculis illius

paruuli

paruuli, qui natus eſt nobis, clariſſimis declarabatur operibus. Quadam die, brumâ cuncta congelante, puerorum coætaneorũ ſuorum ludentium retibus immixtus Patricius puer, glacierum fragmina plurima in gremio collegit, eaque domum deportans in aream proiecit. Nutrix verò illius hoc videns, dicebat, commodius ipſi fore ligna ad focum conſtruendum congerere, quam glacialibus fruſtulis ludere. Reſpondet puer lingua ſenili; facile fore Domino conditori, lege naturarum mutata, de huiuſmodi vſibus, ſuis focum facere, atque eius nutu, ſi fides non deſit, ignem in aquã præualere: Et vt ſcias, inquit, omnia poſſibilia credenti, probabis oculata fide, quæ dico tibi. Cõgeſſit ergo ad inſtar titionum, ſtruem glacierum, & orauit, factoq; crucis ſignaculo inſufflauit, ſtatimque* ignis
5 egreſſus, glaciem accendens flammarum comam longius produxit; nam non ſolum focus ille accedentibus exhibuit beneficium calefactionis, verumetiam materiam miniſtrauit magnæ admirationis: videbatur ex ore pueri Patricij pro flatu flamma proceſſiſſe, vt liquidò clareſceret illum immenſo lumine diuinæ gratiæ interius illuſtratum eſſe. Nec hoc miraculum, multum ab illo antiquo degenerat, quod ſub Nehemiâ ſcriptura geſtum narrat: cum enim ipſe populum Hæbræorum poſt longam captiuitatem, à Cyro Rege Perſarum libertati
4 donatum, in terram Iuda reduceret, iuſſit locum indagari, in quo Patres eorum in tranſmigratione ignem ſacrificij abſconderunt; quò cum peruentum eſſet, non inueniebatur ignis, ſed aqua craſſa, quam iuſſit Nehemias afferri, & ex ea ſacrificium aſpergi; ignis enim copioſus ſtatim accenſus, holocauſtum deuorauit, & lapides duriſſimos concremauit. Eiuſdem itaque potentia, ignis aquam congelatam combuſſit, quæ de aqua exiens, victimas, & lapides conſumendo incinerauit. Admiranda eſt ergo nouitas miraculi, veneranda ſanctitas Patricij, & in his omnibus adoranda virtus omnipotentis Dei; præclaro namque prognoſtico in tali ſigno S. Patricium Dominus clarificauit, cuius prædicatio poſtmodum plurimos in infidelitate congelatos igne fidei, & charitatis Dei inflammauit.

2. Mach. 1.

Hoc miraculum fuit figura conuerſionis Hibern.

De Sorore S. Patricij ſanata.

CAPITVLVM VI.

QVADAM die ſoror S. Patricij prænominata Lupita, iam grandiuſcula, cum iuſſu materteræ ſuæ ad agnos tempore ablactationis à matribus ſegregandos curſitaret, collapſa corruit, colliſoque capite ad peracutum ſilicem, grauiſſimo vulnere fronti eius inflicto quaſi mortua iacuit. Accurrunt è familia plures, confluunt noti, & amici condolentes vulneratæ & afflictæ; affuit & germanus cum cæteris, compatiens ſorori ſuæ, ſed confidens de diuino medicamine; accedens enim erexit eam, & pollice manus eius dexteræ, ſaliuæ oris ſui intincto, fronti cruentatæ puellæ ſignum crucis impreſſit, & illam ſanitati illicò reſtituit*; cicatrix tamen vulneris inflicti remanſit, ob 6 indicium, vt reor, facti miraculi, & ſanctitatis experimentum illius, qui illud in fide crucis Chriſti fecit.

De nutritio eius reſuſcitato.

CAPITVLVM VII.

MARITVS materteræ S. Patricij, qui illum infantem in vlnis geſtare ſolebat crebrò, repentina morte præuentus expirauit. Coniunx verò illius cum cæteris accurrentibus aduolauit, ac Patricio propè aſtanti, in hæc verba prorumpens cum fletu, ait; Ecce Patrici, nutritius, & gerulus infantiæ tuæ, defunctus iacet, oſtende in illo tuam viuificam virtutem, quæ cæteris mederi ſolet. Compaſſus igitur ſanctæ indolis adoleſcens, nutricis ſuæ lachrymis, ac nutritoris ſic iacentis miſeriæ, acceſſit ad ipſum exanimem, fuſa ſuper eum oratione, cum benedictione, & vitalis ſigni impreſſione proprijs manibus caput, & collum complexus, illumq; erigens*, viuum reddidit, & incolumem. Omnes verò videntes hoc ſignum, operantem 7 in Patricio Deum laudauerunt.

De oue à lupo liberata.

CAPITVLVM VIII.

ERAT S. Patricio adoleſcen-
tulo à matertera, ouium cuſto-
dia delegata, cui ipſe omnem
diligentiam adhibuit, vnâ cum
ſorore ſua ſuperius memorata. Non enim
tunc temporis in gente illa, ignauiæ, vel
ignominiæ huiuſmodi opera adſcribeban-
tur, quia filij optimatum, opilionis officio
olim deputabantur: Vnde Iacob, & filij
eius Patriarchæ, coram Pharaone ſe paſto-
res ouium, ſicut patres eorum, tam vene-
Geneſ. 47 rabiliter, tam veraciter proteſtabantur;
Exod. 3. & Moyſes Legiſlator, & Dauid Rex cla-
1. R. 16. riſsimus in paſcendis ouibus diu deſudaſſe
& 17. leguntur. Quadam igitur die cum eſſet
puer Patricius in paſcuis, cum ouibus ſibi
commendatis, è vicina ſilua lupus progre-
diens vnam ouiculam abripuit, abreptam
aſportauit: Veſpere verò, reuerſo Patri-
cio, cum grege ad hoſpitium, prædicta
matertera, pueri negligentiæ ſeu deſidiæ,
damnum imputauit illatum. Puer autem li-
cet à voce increpantis, & obloquentis eru-
buerit, verba tamen illa patienter ſuſtinuit
& pro reductione ouis preces fudit. In cra-
ſtinum verò cum minaſſet gregem ad paſ-
cua, lupus memoratus occurrit, ouiculam
ore geſtatam depoſuit ante Patricij veſti-
8 gia,* notaque nemoris repetijt loca. Puer
Dan. 6. autem Domino gratias retulit, qui ſicut
Danielem à rugientibus præparatis ad eſ-
cam intactum tutauit; ſic nunc ob ſui con-
ſolationem, ouem à lupinis dentibus illæ-
ſam conſeruauit.

De Vacca à dæmone liberata, & alijs quinque vaccis ſanatis.

CAPITVLVM IX.

HABEBAT plures Vaccas mater-
familias quæ nutriuit S. Patri-
cium, quarum vnam ingrediens
torquebat dæmonium: illa præ
furore cornupeta effecta: pedibus conte-
rendo, ac cornibus impingendo, quinque
Vaccas euiſcerauit, reliquum autem ar-
mentum vndique ventilauit. Poſſeſſores
autem armenti, de caſu qui contigit do-
luerunt; homines, & iumenta ab impetu
furioſæ, veluti à facie leonis timuerunt.
Puer verò Patricius fide armatus obuiam
proceſſit, editoque ſigno Crucis, ab omni
vexatione dæmoniaca Vaccam liberauit;
Accedens deinde ad Vaccas ſauciatas, ac 9
proſtratas, præmiſſa prece benedixit, &
ſoſpitatem priſtinam omnibus reſtituit.
Bucula autem à dæmone mundata, libera-
torem ſuum non ignorans, propius acceſſit
obſtipo capite, pueri manus, ac pedes lam-
bens, omnes videntes in laudem Dei, &
venerationem Patricij conuertit.

De aqua in mel verſa, & nutrice ſanata.

CAPITVLVM X.

NVTRIX S. Patricij, ægritudine
depreſſa, mel deſiderabat, cuius
guſtu ſe meliorandam confide-
bat. Quæritur mel à circumſtantibus, nec
inuenitur, inueniendi impoſſibilitas deſi-
deranti nnntiatur; vnde factum eſt, vt ex
non adepto quod cupierat, eius appetitus
ampliori auiditate acueretur, & neminem
ſui memorem, ſeu ſibi ſubuentorem con-
quereretur. Audiens hoc almificus adole-
ſcens, alumnus eius Patricius, illi condo-
luit, & confidens in Domino, vas de recen-
ti aqua fontis repleri, ac ſibi afferri præce-
pit: ipſe verò in oratione genua flexit, ac
ſurgens crucis ſignaculo illud benedixit, ac
mulieri mel deſideranti porrexit. Res mi-
ra: ſtatim aqua illa in mel optimum eſt cõ-
uerſa; *guſtauit ergo mulier, & anima eius
ſaturata eſt, ac conſequenter ab infirmita- 10
te ſanata eſt. Sic ſic Patricius laticem in
mel mutauit, in eius nomine, qui aquam
conuertit in vinum in Cana Galilææ.

De perpetuo fimi exterminio, à quodam municipio.

CAPITVLVM XI.

ERAT autem in quodam promõtorio ſupereminenti præfato oppido Empthor, munitio quædam extructa, cuius adhuc murorum apparent

parent ruinoſa veſtigia. Dominus autem loci, iugo duræ ſeruitutis, ſibi ſubiugatam in famulam depreſſerat nutricem S. Patricij. Inter opera ſeruilia cætera ipſi iniuncta, iuſſit illi, quotidie cunctas officinas infra municipium exiſtentes ſcopis emundare, à ſtabulis etiam equorum fimum exportare. Mulier verò mente ingenua intelligens omnem poteſtatem à Deo eſſe, cunctaque quæ à Deo ſunt, ordinata exiſtere, *Rom. 13.* neceſſitatem vertit in virtutem, ac patienter ſuſtinuit impoſitam ſibi ſeruitutem. Puer verò Patricius compaſſus afflictioni nutricis ſuæ Dominum exorabat, vt illam dignaretur de tam ſeruilis operis laborioſo laboritio liberare. Orante igitur Patricio, omnia habitacula illa abſque humana manu mundata cernebantur, nec infra, ſeu iuxta, fimi alicuius veſtigium inueniebatur. Mirabatur municeps, & omnes qui viderant, vel audierant hoc ſignum; abſoluitur nutrix à iugo ſeruitutis, ob alumni ſui meritum. Nec hoc miraculum momentaneum videtur, aut annuum, quia vſque in præſens, conſtat eſſe continuatum. Sicut enim incolæ loci illius, atque finitimi atteſtantur, ſi infra præfatæ munitionis ambitum, tot iumenta, quot locus capere poſſet, aggregata ibidem demorentur, nullatenus aliqua fimi particula reperitur. Eſt autem locus celebris in valle Clud ſitus, lingua gentis illius, Dunbreatan .i. mons Britonum nuncupatus, ſignum ſcire ſitientes non ſinit latere, vtpote toties diuulgatum à patriotis omnibus.

De religioſa conuerſatione ſancti Patricij.

CAP. XII.

PRoficiebat Patricius puer, pretioſus in conſpectu Domini, ſenſus canitie, maturitate morum, multiplicabaturque magis meritorum in eo numerus, quam annorum: exuberabat in pectore puerili, affluentia chariſmatum ſpiritualium; in iuuenili corpore virtutum conuentus conſtituerat ſibi domicilium. Ingrediens itaque, & progrediens lubricam viam adoleſcentiæ, continebat pedes ſuos à lapſu, veſtemque quam natura neuit, næuum neſciens niuei pudoris, indeciſam conſeruauit, perſeuerans virgo carne, & ſpiritu. Et licet vnctio docuerit eum de omnibus, tempore tamen accepto habili doctrinæ, à parentibus ſacris literis traditur imbuendus. Ipſe verò animum adhibuit literarum ſtudijs, præcipuè tamen Pſalmis, Hymnis, & Canticis ſpiritualibus diſcendis, & memoriter retinendis ac iugiter Domino decantandis: vnde & ab ipſo primæuæ pubertatis flore, quotidie conſueuit totum Pſalterium deuote Domino decantare, & ex phiala puriſſimi cordis, multarum orationum odoramenta aromatizare. *Patricius totum Pſalteriū quotidie recitauit.* In ieiunijs, & vigilijs multis, ac pijs ſanctorum laborum exercitijs corpus tenerum conterens, hoſtiam viuam, ſanctam, Deo placentem, ſemetipſum offerebat; ſicque in carne, contra ac ſupra carnem degens, conuerſatione Angelum repræſentabat.

De S. Patricij in Hiberniam abductione.

CAP. XIII.

QVONIAM teſte ſcriptura, aurum probat fornax, & iuſtos caminus tribulationis, vt Patricius *Eccl. 27.* probatior perciperet coronam vitæ, acceſſit ei hora tentationis. Cum enim ipſe puer illuſtris tria luſtra perluſtraſſet, ſextumdecimum attingens annum, cum alijs pluribus compatriotis, à Piratis fines illos deprædantibus rapitur, captiuatur, & in Hiberniam ducitur: cuidam deinde Regulo Paganiſſimo, Milchoni nomine, in Aquilonali parte eiuſdem inſulæ principanti, in ſeruitutem venditur, in qua, ſcilicet, ætate Ioſeph in Ægypto venũdatus fuiſſe memoratur. *Gen. 37. & 41.* Ioſeph autem venditus, poſt ſui humiliationem, exaltatus ſuper vniuerſam Ægyptum poteſtatem accepit, & imperium: Patricius poſt ſui venditionem, & afflictionē ſuper Hiberniam ſpecialis ac ſpiritualis principatus promeruit primatum. *Comparatio Patric. cum Ioſepho.* Ioſeph Ægyptios fame laborantes refecit frumento: Patricius pauit proceſſu temporis Hibernicos idololatria pereuntes, Chriſtianę fidei ſalutari alimento: vtriq; tamen illata afflictio erat ad profectum animę, quod flagellum grano, fornax auro, lima ferro, tor-

cular vuæ, prælum oliuæ. Principis itaque præfati præcepto, Patricius porcorum cuſtodiæ mancipatur, mirumque in modum ſub illius cura, grex fæcundis fætibus numeroſius multiplicabatur. Ex qua re rectè conijci poteſt, & colligi, ſæpius ſubſtantiam Domini, vel patrisfamilias augeri, vel meliorari ob gratiam & ſolicitudinem ſerui, ſiue diſpenſatoris ſoliciti, & fortunati; ſicut è diuerſo, minui, aut deteriorari ſub manu pigri, & infauſti. Sanctæ igitur indolis adoleſcens iudicium Domini animo amplexans, neceſſitatem illam vertit in virtutē, & ſubulci ſolicitudine ſolitudinem nactus, ſui ipſius operabatur ſalutē. Morabatur in montibus, & ſyluis, ac ſpelūcis eremi, vacans orationi, & vidēs quam ſuauis eſt Dominus, liberius atque libentius ad libitum libabat precum thymiamata in conſpectu altiſſimi. Centies namque in die, totieſque in nocte flexis genibus conditorem adorabat, & orabat aliquanto tempore penitus ieiunus, quandoque herbarum radicibus, ſeu leuiſſimis cibis ſe ſuſtentans, membra ſua, quæ erant ſuper terram mortificabat. Non illum æſtus, aut frigoris, niuis, grandinis, glaciei, aut aliqua alia inclementia aëris arcere potuit à ſpiritualibus exercitijs. Ibat ergo quotidie creſcens & proficiens ſeipſo robuſtior in fide, & amore Ieſu Christi; imo quo infirmior, & imbecillior videretur, eo validior & potentior fuit in exercendis mandatis Domini.

Pietas & mortificatio S. Pat.

De ſomnio Milchonis & eius interpretatione.

CAP. XIIII.

Aſpiciebat in viſu noctis, Milcho memoratus: Et eece Patricius quaſi totus igneus domum ſuam ingrediebatur, flammaq; de ore eius, & naribus, oculis, ac auribus egreſſa ipſum cremare videbatur. Milcho verò comam flammigeram à ſe repulit, nec ipſum vllatenus tangere præualuit: flamma diffuſa dextrorſum diuertit, & duas filias eius paruulas in vno lecto quieſcentes arripiens vſque ad cineres combuſſit; Auſter denique perflans cineres illos ſurſum eleuauit, & in plures partes Hiberniæ deportauit. Euigilans Milcho meditabatur ſecum in cubili ſuo, quid ponderis portaret, aut quid prodigij protenderet iſta terribilis viſio. In craſtino, Patricio ad ſe accerſito narrauit ſomnium per ordinem, obſecrans, & obteſtans vt ſi ſciret, ſibi enodaret ipſius interpretationem. Patricius plenus gratia Spiritus ſancti reſpondit Milchoni: Ignis quem vidiſti de me exire, fides eſt Sanctæ Trinitatis, qua totus illuſtror, quam & tibi prædicare conabor; ſermo autem meus non capiet locum in te, quia cæca mente lucem diuinæ gratiæ repelles a te, morieriſque in tenebris infidelitatis tuæ: filiæ autem tuæ ad prædicationem meam in Deum verum credent, ipſęque in ſanctitate, & iuſtitia omnibus deinceps diebus vitæ ſuæ Deo ſeruientes, ſancto fine in Domino requieſcent, ipſarum quoque cineres, ſcilicet, reliquiæ, Domino reuelante, ac ſigna faciente, in multos fines Hiberniæ deferentur, ac ſanitatum beneficia infirmis plurimis impertientur: & verum eſt ſomnium, & eius interpretatio, quæ implebuntur in tempore ſuo. Hæc dicens, Patricius abijt ad conſuetum opus ſuum, cunctaque euenerunt poſtea Milchoni, & filiabus eius ſecundum Patricij verbum.

Patricio data eſt gratia interpretationis ſomniorum.

De Victore Angelo S. Patricio, apparente.

CAP. XV.

Hic volutis ſex annorum orbitis, cùm Domino diſpenſante didiciſſet apprimè Hibernicam linguam ad eiuſdem nationis conuerſionem, lachrymis ac gemitu indeſinenter à Deo precabatur ſibi indulgeri è ſeruitute ereptionem, & ad patriam ſuam reuerſionem. Oranti illi quadam die Angelus Domini apparuit, ſtans ſuper cuiuſdam præeminentis petræ præruptum, annuntians orationes ipſius, & ieiunia aſcendiſſe in memoriam ante Deum: adiecit, etiam in proximo ipſum ſeruitutis iugum de collo excuſſurum, & ad patriam, proprioſque parentes expleta nauigatione proſperè peruenturum. Facie ad faciem famulus, factoris Angelum intuebatur, & ore ad os cum illo

illo tanquam amico familiariter loquens, quis eſſet, & quo cenſeretur nomine ſciſcitabatur. Nuncius cælicus, ſe eſſe Angelum Domini, adminiſtratorium ſpiritum in mundum miſſum propter eos qui hęreditatem capiunt ſalutis; Victorem vocari, ſpecialiter ipſius cuſtodiæ deputatum profitebatur; in omnibus ſuis agendis coadiutorem, & cooperatorem affore pollicebatur. Et licet cæleſtes ſpiritus vocabulo humano cenſeri neceſſe non ſit, pulchrè tamen Angelus humana forma ex aëre aſſumpta indutus, ſe Victorem appellauit: ipſe nimirum virtutem vincendi, & vinciendi aëreas poteſtates, & principes tenebrarum harum, a victorioſiſſimo Rege Chriſto accepit; qui etiam ſeruis ſuis de puluere plaſmatis, poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, vincendi & conterendi Sathanam donare conſueuit. Conſerto colloquio mutuo, oſtendit Angelus Patricio foſſuram humi à porcis euiſceratæ, præcepitque ei aurum, pretium quo redimeretur de manu crudelis Domini, in ea quærere: adiecit etiam, nauem paratam ad transfretandum in Britanniam, ſtare in portu à loco illo ducentis millibus paſſuum diſtante, & nutu diuino ſecundam auram, abſque ſui præſentia habere non poſſe. Hæc dicentis Angeli viſio diſparuit, & allocutio; eiuſque veſtigia vſque in præſens petræ impreſſa, in finibus* *Dalnardiæ*, in monte *Mis*, vt incolarum atteſtatur aſſertio, apparent: eſt enim ibi conſtructū in honore ſancti Patricij oratoriū, in quo vigilare, & orare ſolet deuotio fidelium.

Hebr. 1.

Patricio data eſt gratiam. ſerpentis triaes ſer-monum.

*ſ. * Dalnardia.*

Mons Vlidia.

De redemptione Sancti Patricij.

CAP. XVI.

PErrexit Patricius adlocum indicio Angelico deſignatum, & inuenit inibi auripondus non minimum: Suum deinde Dominum dirum, & durum, ſuper ſui manumiſſione conuenit, eiuſque animum, auri auidum, ad aſſenſum conferendæ libertatis, oblato datoque fului metalli obrizo auro inflexit. Solenniter ergo à ſeruitute mancipij mammona emancipatus abijt viam ſuam gaudens, & verſus mare iter arripit, repatriare cupiens. Milcho verò doluit dimiſiſſe ſe ſeruum ſibi perneceſſarium, pactumque preuaricans vt Patricium reduceret, & ſolitæ ſeruituti ſubijceret, ad inſtar Pharaonis Hebræos perſequentis, èueſtigio recedentem inſequebatur. Sed nutu diuino, mente & pede oberrans, quem quæſiuit non inuenit. Omni conamine fruſtratus, cum dedecore & dolore ad propria reuertebatur. Ad illius etiam augmentum languoris acceſſit, quod ſicut Patricius libertati donatus aufugit, ſic libertatis eius pretium aurum, ſcilicet, domi regreſſo non comparuit. Conſonat etiam ſanctio legalis edicti liberationi, ac libertati S. Patricij: ſex enim annis ſeruituti ſubiectum, in ſeptimo decreuit lex libertati reſtituendum.

Patr. theſaurum miraculoſè inuenit.

Theſaurus mirabiliter diſparuit.

Gen. 21.

Qualiter fame periclitantibus ſubuenit.

CAP XVII.

SAnctus Patricius conductu ductus Angelico ad mare peruenit, ibique nauem, in qua erant gentiles ad transfretandum in Britanniam, expoſitam inuenit, qui gratanter illum intromiſerunt, ventis ad vota ſpirantibus vela cōmittentes poſt triduum applicuerunt. Egreſſi verò ad aridam, inuenerunt regionem illam deſertam & inhabitatam: cæperunt ergo itinerando terram illam perambulare viginti quatuor dierum ſpatio, & ob victualium defectum in horroris & vaſtæ ſolitudinis loco, laborabant famis exitio. Per totum verò iter illud prædicabat Patricius Paganis verbum Dei, diſputans & perſuadens de fide Sanctæ Trinitatis, & regno Dei: at illi inſtar aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas ad vocem incantantis ſapienter, ſepierunt aures audiendi verbum Dei, donec vexatio daret intellectum auditui. Fame namque acrius ingruente & ingraueſcente, maior eorum in hæc verba fertur prorupiſſe: Ecce cernis Chriſticola nos ſqualentes ægeſtate & miſeria, oculique noſtri languent præ inopia; Deum ergo tuum, quem omnipotentem inſtruis & aſtruis, pro nobis interpella, vt ſua nos reficiat munificentia, eiuſque à nobis adoretur & glorificetur magnificentia. Ad hoc Sanctus Patricius: Credite, in-

Pſal. 57.

quit, & confitemini Deo cæli qui dat eſcam omni carni, quo aperiente manum ſuam, ipſius bonitate ſaturabimini. In hunc modum Patricio plura perorante, ac pro eis orante, ſubitò grex porcorum apparuit, & mel ſylueſtre, quorum profectò copia illis ad ſatietatem ſuffecit, nec ab illa die in tota via illa refectionis ſuſtentatio defecit. Viſo ergo tanto miraculo Deo gratias egerunt, & Sanctum Patricium in ſumma veneratione habuerunt.

De ieiunio viginti dierum protenſo.
CAP. XVIII.

SVCCEDENTIBVS proſperis, ac viatici arridente abundantia, homines illi citò obliti ſunt Deum, qui ſaluauit eos de famis anguſtia: immemores enim Dei, & ingrati beneficio ſibi diuina largitate collato, immolauerunt de cibis ſuis, dæmonijs & non Deo, imitati ſunt in hac parte Samaritanos illos, quos liber Regum refert, Deū
4. Reg. 17 coluiſſe, nec tamen Idolorum ſuorum culturam reliquiſſe. Vnde contigit S. Patricium viginti diebus continuis nullo terreno cibo veſci, quia licet plurimum roga-
Patricius ieiunat viginti diebus. tos, nullatenus illis voluit in conuiuio cōmiſceri, ne videretur immolaticiis contaminari: dedit namque Dominus Patricio virtutem abſtinentiæ huius tolerandæ, qui quondam facilitatem ieiunandi quadra-
3. Reg. 19. ginta diebus tradidit Heliæ Prophetæ.

De tentatione inimici ſuperata.
CAP. XIX.

MIRABILIS moderator omnium Deus electos ſuos, quos arctius amat multoties ſignis & virtutibus clarificat, aliquoties in varias tentationes, iuxta Apoſtolum, ſinit incidere, vt diſcant, & ſciant fortitudinem ſuam ad Deum, qui ſuſceptor eſt eorum, cuſtodire, & nihil in ſe, vel de ſe confidere: Vnde & dilectus, & electus Dei Patricius permittitur diuino iudicio ab Angelo Sathanæ grauiſſimè tentari, ad cumulum confuſionis tentatoris, & ipſius tentati coronæ augmentum, & ne fortè magnitudo ſignorum, aut ieiuniorum extolleret eum. Nocte namque, in ipſum dormientem princeps tenebrarum fortiter irruit, & mole ingentis ſaxi illum oppreſſit: cadeps etiam ſuper eum, omnium membrorum motum, & officium effectumque ſenſualitatis ei abſtulit, tenebras inducens, & torporem, per triduum ſupra modum humanæ tolerantiæ vexare & cædere non ceſſauit. Sanctus autem in tribulatione ſua clamauit ad Dominum, bis inuocans in nomine Domini Heliam principem Prophetarum ſibi in adiutorium. Miſſus itaque Helias à Domino cum lumine immenſo illum ab omni preſſura inimici, quæ circundedit eum liberauit, illuminanſque illum mirabiliter intus & exterius, omnium artuum, atque ſenſuum vires ei reparauit. Inimicus autem humani generis confuſus, compulſus eſt confiteri ſe ab eo deuictum, nec vllatenus in poſterum ſe habiturum poteſtatem præualendi aduerſus eum.

Qualiter ſit captus, & liberatus miraculo cacabi.
CAP. XX.

DIGREDIENS autem Patricius à conſortio conuiatorum ſuorum, vt experiretur quod multæ ſunt tribulationes iuſtorum, per quas oportet eos introire in regnum cœlorum, incidit in manus alienorum à quibus dum captus & detentus eſſet, ac anxiaretur ſpiritus eius in ſe, pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis ſecundum ſolitum morem deſtinauit Angelum Victorem ad confortandum eum, prædicentem & pollicentem in breui eum eripiendum de manibus detinentium ipſum. Quanta enim veritate ſubnixa fuerit angelica promiſſio, probauit ipſius feſtina exemptio, quæ ſubſecuta eſt completo tantùm duorum menſium ſpatio. Barbari namque, cuidam de vicinis vendiderunt eum pro quodam cacabo, exiguo ſatis pro tanta re commercio: Emptum autem pro pretio tali vaſculum, dum aqua repletum ob coquenda cibaria more 13
ſolito ſuperponeretur foco, nullum ignis calorem admiſit, imo quò copioſius ignis ſuccenderetur, eò amplius friguit; ſæuiebat vndique flamma fomentis adhibitis exterius, ſed ſentiebatur aqua congelata interius

rius

rius, ac ſi pro igne glacies ſubtus poneretur. Diuiius ergo circa huiuſmodi, ſed fruſtra deſudatum eſt, verbumque iſtud circũquaque diuulgatum eſt: æſtimans emptor quod accidit, alicuius faſcinatione factum eſſe, cacabum ipſius venditori reſtituit, & Patricium in ſua ditione denuo recepit. Vas ergo memoratum ſuſcepto calore, naturaliter miniſterium exhibuit cõſuetum, cunctiſque claruit, cauſã Patricij iniuſtè vexati, illud contigiſſe miraculum, ſtatimque qui illum ceperant, dimiſerunt liberum. Liberatus ergo diuinitus de filiorum alienorum manibus, poſt diutinam captiuitatem teſtituitur proprijs parentibus: Videntes autem illum gauiſi ſunt gaudio magno valdè, reuixitque ſpiritus illorum quaſi de graui ſomno euigilantium, in aduentu filij reuerſi de longinqua regione: rogatur ab illis, multa precum inſtantia, & lachrymarum affluentia, ne ſua ſuos vlterius viduaret præſentia: ille verò, vt debitum honorem, & obedientiam exhiberet parentibus, cum illis remanſit aliquot diebus.

De ſomnio Sancti Patricij.

CAP. XXI.

Merso aliquanti temporis ſpatio, in paternis conſtitutus laribus, in viſu noctis vidit virum venuſti vultus, & habitus, quaſi de Hibernia plures epiſtolas afferentem, & vnam ſibi ad legendum porrigentem, quam ille ſuſcipiens legit, literarum que in limine ſcriptum inuenit: Hæc est vox Hibernigenarvm. Perlecto enim principio, cum in legendo vellet procedere, videbatur ſibi in ſpiritu infantulos Hibernicos maternis vteris incluſos voce clara conclamantes ſe audire: *Rogamus te Sancte puer Patrici, vt venias, & ambules inter nos, & liberes nos.* Ad hunc clamorem compunctus Patricius corde, perlegere epiſtolam non potuit, ſed à ſomno expergefactus omnipotenti Deo immenſas gratias perſoluit: Fixum ergo animo habuit ex viſione, quod Dominus, qui ſegregauit eum ex vtero matris ſuæ, vocaret per gratiam ſuam ad conuertendam, & ſaluandam Hibernicam gentem, quæ videbatur, ipſius deſiderare & inuocare præſentiam. Conſuluit ſuper hoc negocio, magni conſilij Angelum, & vt patriam parenteſque deſerens, Gallias peteret ob fidei Chriſtianæ doctrinam, diſciplinamque diſcendam, per Angelum Victorem, diuinum ſuſcepit oraculum.

Quod cum B. Germano deguerit, & à S. Martino habitum ſuſceperit.

CAP. XXII.

Cælitvs edoctus, & eductus, licet vtroque parente renitente, ac tenêre eum volente, de terra & cognatione ſua, & domo patris ſui cum fideli Abraham exiuit, natale ſolum Britanniæ pertranſiens, Galliarum fines adiuit. *Geneſ.12.* Et ne fortè in vacuum curreret, aut quod nõ didicit doceret, B. Germano Antiſidioenſi Epiſcopo adhæſit, & vt in Chriſtiana religione, ac eruditione plenius proficeret, cum illo * octodecim annorum ſpatio legens, & ad implens ſacras Scripturas (ſicut in eiuſdem B. Germani geſtis continetur) moram fecit. *S. Patric. octodecim annis ſacra Scriptura operam nauat.* Suſceperat vterque diuinum oraculum, Patiicius ſcilicet, vt cum S. Germano maneret, & Sanctus Epiſcopus, vt eundem ſanctum adoleſcentem, ſecum erudiendum retineret. Erat hic Antiſtes genere, dignitate, vita, doctrina, officio, & ſignis celeberrimus, à quo ſingulos ſacrorum ordinum gradus, & etiam * Sacerdotalem apicem, ſecundum inſtituta canonum percepit Patricius. *Poſt ſtudia in ſacerdotem conſecratur.* Similiter nihilominus intentione, ob diuinæ doctrinæ dignoſcendæ gratiam, cum B. Martino Turonenſi Archiepiſcopo, aliquanto tempore demorabatur, qui etiam * auunculus matris eius Conqueſſæ, eſſe dicebatur: *germanus.* Et quia idem ſanctiſſimus Sacerdotum carbunculus, monachus fuit, cognato ſuo Patricio monaſticum habitum, & eius inſtituta tradidit obſeruanda, quæ ille deuotè ſuſcepta, actibus habitui reſpondentibus adornauit, & in eiſdem perſeuerauit. *Poſt ſacerdotium, habitum monaſticum à S. Martino ſuſcipit.* Valefacientes ad inuicem diſceſſerunt ab alterutro, quia B. Martino, vt ad Tamerenſem inſulam proficiſceretur, iniunctum eſt ab Angelo; Sanctus autem Patricius, ad B. Germanum reuerſus, remanſit cum ipſo aliquot diebus.

De carnibus in piſces mutatis.

CAP. XXIII.

PATRICIVS monachus effectus, quæ retro ſunt obliuiſcens, in anteriora ſe extendit, & quaſi paruipendens præteritam conuerſationem, ad celſitudinem perfectionis feſtinauit. Incredibili enim abſtinentia, vigiliarumque protelatione ac cæterarum virtutum exercitijs ſemetipſum affligebat, & crucis mortificationem, quam habitus prætendit, in corde, & corpore iugiter ferebat. Summus autem paſtor, qui illum ad culmen ſanctitatis Eccleſiæ prouehere diſpoſuit, vt diſceret humilia de ſe ſentire, humilibuſque conſentire, infirmis compati, propriam infirmitatem experiri permiſit. Sic profectò vt tantò robuſtiùs ſtaret in magnæ perfectionis faſtigio, quanto firmius fixus collocaretur in veræ humilitatis fundamento. Ipſi namque deſiderium veſcendi carnibus irrepſit, tandem à tali concupiſcentia abſtractus, & illectus, carnes porcinas acquiſiuit, acquiſitas in quodam dolio abſcondit: arbitrabatur rectius, vt nactus opportunitatem, clanculò appetitui ſuo ſatisfaceret, quam vt palam hoc faciens, lapis offenſionis, & petra ſcandali cæteris fratribus fieret. Nondum à loco lõgius receſſit, & ecce quidam habens oculos antè, & retrò, coram eo aſtitit; quem intuens Patricius, oculatum modo tam miraculoſo, imo monſtroſo, mirabatur, & quis eſſet, aut quid oculi ante, & retro fixi prætendebant, ſciſcitabatur. Cui ille, miniſter Dei ſum ego, oculiſque in fronte fixis, quæ in conſpectu ſunt video, ac obtutibus in occipite poſitis intueor monachum in dolio carnes occultantem, vt ſatisfaciat ventri ſuo. Hæc dixit, & continuò diſparuit. Patricius verò crebro pugno pectus percutiens, in terram corruit, tantoque lachrymarum imbre, ac ſi omniũ criminum reus eſſet, illam inebriauit: cũque ſolo procumberet eiulãs, & flens, apparuit ei ſæpe dictus Angelus Victor in forma conſueta dicens; Surge, confortetur cor tuum, quia Dominus tranſtulit peccatum tuum, deuita in poſterum huiuſcemodi lapſum. Surgens igitur S. Patricius, abiurauit, & abſcidit à ſe omnem eſum carnium in vitę ſuæ tempus reliquum: adhuc tamen humiliter deprecabatur Dominum, vt aliquo euidenti ſigno, ſibi demonſtraret dimiſſum eſſe reatum ſuum. Iuſſit igitur Angelus Patricio carnes illas abſconſas, in medium proferre, prolataſque in aquam ponere: fecit itaque Patricius quod imperauit Angelus. Mira res. carnes illæ aquis immerſæ, ac extractæ, ſtatim in piſces ſunt conuerſæ. Hoc ſignum S. Patricius ſæpius ſolebat ſuis diſcipulis referre, ob refrænandam concupiſcentiam gulæ. Perplures autem *Hibernigenarum, hoc ſignum ſiniſtrè ſectantes, ſolebant in die S. Patricij, quæ ſemper infra quadrageſimam euenit, carnes aquis immergere, merſas extrahere, extractas coquere, coctas comedere, illaſque Patricij piſces nominare. In hoc ſigno inſigni diſcat religioſus quiſquis gulam reprimere, carnes illicitè non comedere, nec attendat quid populus ſtultus, & inſipiens conſueſcat agere.

**Quidquid ſit de priſtinis temporibus, hic abuſus à multis retrò ſæculis ceſſauit.*

Quomodo Romam adiens, baculum Ieſu inuenit.

CAP. XXIIII.

SEDIT animo Patricij ſedem ſancti petere Petri in Petra fundati, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ canonicis inſtitutis vberius imbui, cupiens authoritate Apoſtolica iter, & actus ſuos roborari. Cum autem quod corde conceperat, enodaſſet B. Germano, approbauit ſanctum ipſius propoſitum S. Germanus, adiungens ei Chriſti ſeruum Sergecium Presbyterum, itineris ſocium, laboris ſolatium, ſanctæ conuerſationis teſtem idoneum. Profectua verò, diuino inſtinctu, ſeu reuelatione Angelica ad quendam in quadam inſula Tyrreni maris degentem ſeceſſit ſolitarium, ſacræ vitæ, opinionis optimæ, magni meriti virum, nomine, ac opere Iuſtum: cumque poſt ſanctam ſalutationem, ſalutaria mutuò verba conferrent, dedit idem vir Dei Patricio baculum, quem ſe ſuſcepiſſe aſſeruit de manu Domini Ieſu ſibi apparentis, ipſi conferendum. Erant etiam in eadem inſula quidam alij viri ab habitaculo illius ſolitarij, ſemoti, quorum quidam iuuenes videbantur, alij ſenes decrepiti. Cum quibus cum conſeruiſſet Patricius

colloquium, didicit ab eis ſeniſſimos, eſſe filios illorum iuuenum: cumque admirans S. Patricius inquiſiſſet euentum tam grandis miraculi; reſpondentes, dixerunt ei, nos à pueritia, Domino miſerante, miſericordiæ operibus fuimus iugiter intenti, oſtiumque noſtrum patuit omni viatori, pro Chriſti nomine victualia ſiue hoſpitium petenti: quadam nocte quendam peregrinum, in manu baculum habentem hoſpitio collegimus, & ſecundum poſſe noſtrum omnem ei humanitatem exhibuimus; mane igitur facto nos benedixit & ait; Ego ſum Ieſus Chriſtus cuius hactenus membris miniſtraſtis, quem hac nocte in propria ſuſcepiſtis perſona; deinde baculum quem manu geſtabat, dedit viro Dei, ſpirituali patri noſtro, præcipiens ei, vt illum ſeruaret, & cuidam peregrino nomine Patricio, poſt multos dies ad ſe venturo tribueret: hæc dicens, aſcendit in cœlum, noſque permanſimus in eodem ſtatu iuuenilis decoris, & vigoris quo tunc fuimus vſque in diem hodiernum, filij verò noſtri qui tunc erant paruuli, iam vt cernis effecti ſunt decrepiti. Sanctus Patricius Deo gratias agens cum viro Dei diebus aliquot manſit, ac eius exemplo magis ac magis in Deum proficiens, ei tãdem vale facto cum baculo Ieſu proficiſcebatur quò propoſuit. O datum optimum deſcendens à patre luminum, Eulogia egregia, ægris remedium, ſignorum effectiuum, munus à Deo miſſum, fatigato ſuſtentaculum, vianti miniſtrans iter proſperum. Sicut enim Dominus multa ſigna per virgam fecit in manu Moyſi educturi populum Hebræorum de terra Ægypti, ſic per Patricium in baculo, quem proprijs manibus formatum geſtauerat, ad conuerſionem gentium plurimarum multa & magna voluit operari. Baculus iſte in Hibernia magnæ venerationis habetur, & vſque in præſens baculus Ieſu nominatur.

Præmium hoſpitalitatis.

Gen. 7. 14. & 17.

Quomodo Romam veniens in Epiſcopum conſecratur, & de Palladio legato Hiberniæ.

CAP. XXV.

PATRICIVS, proſperum iter ſibi faciente Deo ſalutarium noſtrorum, ad vrbem orbis caput deuenit, Apoſtolorum, martyrumque memorias debita deuotione venerationis viſitans, notitiam, & familiaritatem ſummi pontificis nactus, in oculis eiuſdem gratiam inuenit. Præſidebat tunc temporis Apoſtolicæ cathedræ, nomine & conuerſatione Papa Cæleſtinus primus, à B. Petro Apoſtolo quadrageſimus tertius; hic autem S. Patricium ſecum retinens, fide, doctrina, & ſanctitate probatum, perfectumque inuentum, in Pontificem tandem conſecrauit, ipſumque ad conuertendum Hibernicam gentẽ deſtinare decreuit. Præmiſerat præfatus Papa prædicandi gratia in Hiberniam ante illum, alium Doctorem nomine Palladium, Archidiaconum ſcilicet ſuum, cui adiunctis ſocijs contulit copiam librorum, vtrumque videlicet teſtamentum, cum reliquijs Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac martyrum plurimorum: Hibernicis verò prædicationi non credentibus, ſed obſtinatiſſimè oppugnantibus, à regione illorum diſceſſit, Romamque tendens, in Britannia infra fines Pictorum, in fata deceſſit; quoſdam tamen in Scotia ad Chriſtum conuertens, baptizauit, treſque eccleſias de robore exſtructas fundauit, quibus diſcipulos ſuos prælatos, Auguſtinum, videlicet, & Benedictum, Silueſtrum & Solomum, collatis codicibus ſuis & reliquijs ſanctorum reliquit. Huic, fructuoſiori legatione, & labore Patricius ſanctus ſucceſſit, quia vt Hibernico prouerbio dicitur: *Non Palladio, ſed Patricio Dominus conuertendam Hiberniam conceſſit.* Certificatus Dominus Apoſtolicus de morte Palladij, iter & opus ſalutaris legationis Patricio præcisè præcepit aggredi, quod antea facere diſtulit conſilio vſus ſtrictiori.

Patr. in Epiſcopũ conſecratur.

Patricius miſsionẽ ſuam accipit a Papa

Quod videns Dominum ſalutauit eum.

CAP. XXVI.

PAVCO tempore poſt epiſcopalem gradum acceptum elapſo, Angelus Domini ſæpè nominatus Victor, Romæ commoranti Patricio apparuit, præcepitque ei, vt ad Hiberniam iter maturaret, eiuſdemque inſulæ plebem prædicando, Chriſto lucrifaceret, ſicut Dominus diſpoſuit. Patricius verò tanto oneri, operique tam arduo impotentem

& imparem ſe iudicans, reſpondit, ſe nullatenus velle vel poſſe id attentare niſi prius videre Dominum poſſet atqne ſalutare. Ductus eſt ergo ab Angelo ad montem Motion, Tyrreno mari vicinum, ſecus ciuitatem Capuam ſitum, ibique ſicut Moyſes dominum videre & ſalutare me-
33 ruit iuxta ſui amoris ardentis affectum.
Quis quæſo mente metiri meritum poterit Patricij, quæue lingua ad liquidum eloqui, cui in terra degenti donatum eſt Regem gloriæ, quem in decore ſuo Angeli deſiderant proſpicere facie ad faciem intueri, & quod prædicaret hominibus ab ore altiſſimi edoceri? Promiſit ei Dominus ſe preces eius exauditurum, & in omnibus ſuis agendis coadiutorem affuturum. Ex viſione ergo, & collocutione diuina confortatus, & corroboratus ad opus miniſterij diuinitus ſibi iniuncti, à Domino etiam Papa cõmiſſi, conſummandũ anhelauit, & verſus Hiberniam cum viginti viris vita ac ſapientia præclaris ab ipſo ſummo Pontifice ſibi deputatis in adiutorium, regreſſum maturauit. Diuertit autem ad beatum Germanum nutritorem & eruditorem ſuum, ex cuius munere accepit calices, & veſtimenta ſacerdotalia, copiam codicum, & alia quæ pertinent ad cultum & miniſterium eccleſiaſticum.

De transfretatione leproſi valde mirabili.

CAP. XXVII.

BEATVS Patricius iter accelerans verſus Hiberniam cum in portu Britanniæ finibus ſito nauem cum ſuis transfretaturus conſcenderet, quidam leproſus littori aſtans ſe ſancto obtulit, obſecrans & obteſtans in nomine Domini Ieſu quatenus ipſum in naui ſecum aſſumptum in Hiberniam trãſueheret. Vir Dei pietatis viſceribus affluens, annuit precibus pauperis miſerandi, ſed nautæ contradicebant & cæteri, qui erant in naui aſſerentes, quòd nauis ſatis onuſta eſſet, & ipſe foret omnibus oneri & horrori. Sanctus de Dominicæ potentia clementiæ confidens, altare lapideum ſacratum à Domino Papa ſibi donatum, ſuper quod diuina myſteria celebrare conſueuerat, in pelagus proiecit, ac ſuper illud leproſum ſedere fecit. Sed horret animus, hebet ſtylus exprimere quod accidit diuinitus, tabula illa lapidea taliter ſarcinata ferebatur ſuper aquas regente illam *lapide angulari*, ac cõtra naturam natans, nauique collaterans cum ea concertabat pari curſu,
ſicque eodem momento in eodem loco 14
applicabatur littori. Applicatis itaque omnibus proſperè, inuentoque altari cum onere ſuo, ſonat gratiarum actio & vox laudis in ore ſancti Præſulis, exprobratque diſcipulis & ſocijs itineris incredulitatem, & duritiam cordis, emollire moliens corda lapidea in carnea, ad exercenda opera charitatis.

Altare portatile Patricij.

Qualiter dæmones viderit

CAP. XXVIII.

CVMQVE Sanctus cum ſuis nauigando approximaſſet terræ, proſpexit multitudinem dæmonum in modum circuli conglobatam, totam inſulam circumcingere, & ex aduerſo opponentes ſeſe quaſi murum, attium ſuum velle fortiter cuſtodire, conantes ingreſſum ſibi obſtruere. Sancti verò cor non turbabatur, nec formidabat à facie deformium illorum, ſciens plures ſecum eſſe potentiores quam cum illis, ad ſui tutelam & deiectionem ipſorum. Stabat ergo Sanctus, fide immobilis ſicut mons Syon, confiſus in Domino, quia montes Angelici in circuitu eius, & Dominus in circuitu famuli ſui, fortis plane & potens in prælio. Sciens ſanctus præſul omnes hoſtes illos in virtute crucis Chriſti à ſe deuincendos, erecta ſacta dextera ſignum crucis edidit, & quod vidit enarrans, ſuoſque in fide confirmans, illæſus & imperterritus pertranſiuit. Indutus itaque virtute ex alto, accepta arma potentiæ à Domino, ad conterẽdas aëreas poteſtates, aduerſus omnem altitudinem, extollentes ſe contra ſcientiam Domini, viriliter exercuit, in promptu habens vlciſci omnem inobedientiam & contradictionem eorum ſicut in ſequentibus euidentius elucebit.

De flumine perpetua ſterilitate damnato.

CAP. XXIX.

APPLICVIT vir Domini cum ſui
14 itineris conſortibus infra fines Lageniæ in portu *Innbberde*, vbi flumen mari influcts abundabat tunc temporis piſcium multitudine copioſa. Piſcatores autem tunc ex aqua aſcenderant, ac retia repleta piſcibus ad ripam poſt ſe trahebant. Sancti enim præſulis familia fame fretoque fatigata, obnixè petebat ab eis aliquod ſolatium ſibi impartiri de piſcibus; ſed barbari, bruti, & inhumani, non ſolum repulſam, ſed & contumeliam reddebant, rogantibus. Quod Sanctus moleſtè accipiens, ſententiam quaſi maledictionis protulit dicens: flumen iſtud in poſterum non procreet piſces, ex cuius captura copioſa, cultores cunctipotentis petentes, ab Idololatris dimittuntur inanes. Ab illo ergo die vſque in præſens, flumen iſtud ſterilitate damnatur propterea, vt ſententia ore Pa-
15 tricij prolata patenter probaretur à facie Domini Dei ſui egreſſa.

De Terra in paludem conuerſa.

CAP. XXX.

PROGRESSVS Pontifex ſanctus, ad locum qui vocatur *Aonach Tailltion* diuertit, ibique quantalicunque quietis refrigerio ſe atque ſuos recreare, ac prædicationis ſuę officium nuntiare diſpoſuit. Loci verò incolæ idololatrę non ſufferentes viri Dei præſentiã, congregati in vnum, violenter expulerũt eum à finibus ſuis, quia Solaris lampas lippientibus oculis eſt intolerabilis. Sed Deus, quem Patricius portabat, & glorificabat in corpore ſuo, non ſinebat, famulo ſuo pro nomine ſui ignominiã illatam, iri inultam, ſed indigenis intulit condignam velociter vindictam; terram namque eorum fructife-
Pſal. 106 ram conuertit Dominus in ſalſuginem à malitia habitantium in ea, quia mare inſoliti reumatis nouo profluuio illam operuit, & vt inhabitabilis fieret in æternum, in pa-
16 ludem vliginoſam eſt conuerſa. Diuertens deinde ad quandam inſulam paruulam, aliquantis diebus recreandi gratia ibidem demorabatur, quæ non longè à terra diſtans, inſula S. Patricij vſque in præſens nominatur.

Qualiter ad Vlidiam peruenit, & de vaticinio Magorum ſuper eius aduentu.

CAP. XXXI.

BEATVS Patricius cum ſuis nauim aſcendens, diuertit ad Aquilonares partes inſulæ, aquilonarem hoſtem expugnaturus, ipſumque ex cordibus in quibus ſedem poſuerat ſibi, expulſurus, ſic profectò recedente Aquilone Auſter perflans adueniret, & in lateribus Aquilonis hortum Domini aromata perfluentem plantaret: velle etiam adiacebat ei, Milchouem regulum adhuc ſuperſtitem, cuius ſeruitio ſubiugatus quondam fuerat, ad agnitionem veritatis perducere, Regiſque veri, cui ſeruire regnare eſt, ſeruum facere. Sed quia non eſt via hominis in poteſtate eius, ſed greſſus eius à Domino diriguntur, applicuit in finibus Vlagh, quæ modo Vlidia dicitur, vt vaſa miſericordiæ ibi colligerentur. Egreſſuro autem ad aridam Patricio, paganorum multitudo ipſius aduentum expectans, occurrens, obſtat, obuiam: Magi namque & Arioli ipſius regionis, coniecturando vel vaticinando, inſulam per Patricij prædicationem conuertendam præcognouerant, eiuſque aduentum longè antea in hæc verba prædixerant, *Adueniet in circulo tonſus in capite, cum ſuo ligno curuo, cuius menſa erit in oriente domus ſuæ, populuſque illius retrorſum illi aſtabit, & ex menſa ſua neſas cantabit, & tota familia ſua, fiat, fiat, reſpondebit: hic autem cum aduenerit, Deos noſtros deſtruet, templa & altaria ſubuertet, turbas poſt ſe ducet. Reges ſibi reſiſtentes ſubijciet, aut de mèdio tollet, & doctrina eius in ſæculum ſæculi regnabit.* Non ergo mirum aut incredibile videatur ſi Domino inſpirante aut etiam permittente; Magi de aduentu S. Patricij, & actibus talia protulerint præſagiendo, cum Balaam Ariolus, & Nabuchodonoſor rex præclarè prophetauerint de aduentu Dominico, & teſtimonium dæmonia perhibuerint Dei

Præſagiũ de tonſa corona S. Patr. de baculo paſtorali, de altari & Miſſa in eo celebranda.

Num. 24.

filio. Quod autem dixerunt, illum neſas cantaturum ex menſa, liquidò conſtat ipſum qui in veritate non ſtetit, ſed ab initio erat mendax, & pater mendacij, hæc blaſphemando protuliſſe per ipſorum ora.

De cane obmuteſcente & conuerſione Dichu, & fonte de terra producto.

CAP. XXXII.

REx autem principalis totius Hiberniæ, Leogarius nomine, filius Neyll, recolens prædictum præſagiū, præcepit patriotis ſuis, vt Patricium pede terram contingentem confeſtim eliminarent de partibus illis. Sanctus autem Patricius in portu vocabulo *Innbberſlan* exiſtens, de naui ſolus exiuit, de ſalo ad ſolum: ſtatimque populus infidelis, ac moribus caninus canem, inſtigabat ferociſſimum ad morſum mortiferum pontifici inferendum. Canis verò viſo viro Dei penitus obmuteſcens, ad inſtar
17 lapidis totus diriguit, atque immobilis quaſi fixus ſubſiſtit; euidenti indicio ſuos inſtigatores, lapidum cultores dijs ſuis ſimiles oſtendit. Quod cum cerneret quidam vir viribus robuſtus, ſtatura giganteus, animo atrox Dichu dictus, feſtinus gladium in Sancti viri vibrauit interitum. Sed opponente Domino brachium protectionis ſuæ, omne robur in eo emarcuit, totuſque obriguit, vt nec pedem ad acceſſum, nec
18 manum mouere poſſet ad ictum. Vir ille tale ſignum in ſe expertus, repente in virum alterum mutatur. De elato humilis, de truculento mitis, de Idololatra fidelis effectus, prædicante Patricio, cum omni domo ſua in Chriſtum credens baptizatur: Sic profectò, qui primus & præcipuus erat Chriſtianæ fidei in illa terra impugnator, eiuſdem effectus eſt primus profeſſor, & vſque ad veſperum dierum ſuorum conſtantiſſimus executor. Sicut, itaque à vinculis peccaminū abſolutus eſt in anima, ſic ab omni ſtupore ſtoliditatis ſoluta ſunt ipſius membra, ſinguliſque artubus ſenſualitatis & roboris priſtini, reſtituta ſunt officia. Ecce ſignum quod quondam in rege Ieroboam patratum liber Regum narrat, Patricius in Dichu ſalubrius iterabat. Nam cum idem Rex idolis ſacrificans, ad prophetam ſe re- 3. Reg. 13.
darguentem comprehendendum, manum extenderet, mox brachium eius obſtupuit, quod poſtmodum ipſi pœnitenti, prophetę deprecatio reſtituit, nec tamen ſanus effectus errorem ſuum deſeruit: Dichu verò vtriuſque hominis ſanitatem adeptus, ad augmentum & argumentum internæ deuotionis, quam erga fidem ſuſceptam habuit, locum cum pertinentijs ſuis, in quo ſignum illud apparuit, ad nouam Eccleſiam in eo extruendam, Sancto Patricio contulit. In eodem loco, ipſo Dichu petente (neſcio qua de cauſa) à Sancto Dei ab Aquilonari parte verſus meridianam plagam Eccleſia ædificatur, fortè vt ab Aquilonari frigore infidelitatis, ad feruorem meridianum fidei, charitatiſque Chriſti, myſtica huius ſtructurâ cultores idolorum incitari viderētur, quæque vſque in præſens ab incolis *Sabhall Phadrnig.* i. horreum Patricij nominatur; proceſſu enim temporis, egregium inibi monaſteriū conſtruxit, in quod perfectos monachos introduxit, ad quorum vſum de nōn longè à lo-
co perneceſſarium de terra fontem oran- 19
do produxit; huic cœnobio S. *Dunnium* diſcipulum ſuum Abbatem conſtituit, vbi & ipſe de prædicatione reuerſus, cum eo non paucis diebus deguit.

De malefico à terra abſorpto.

CAP. XXXIII.

QVADAM die cum in eadem Eccleſia almificus Antiſtes Patricius aſtaret altari diuina myſteria agens, quidam maleficus, filius perditionis, ſatelles Sathanæ, acceſſu auſuque execrabili foris ſtans per feneſtram cum virga calicem euertit, & ſacroſancta ſacrificia ſacrilegus ſuper altare effudit. Dominus autem ſcelus tam horribile in inſtanti terribiliter vindicauit, hominemque nefarium, nouo, imo innouato modo è medio tulit. Repente enim terra terribili hia-
tu aperiens os ſuum (ſicut quondam Da- 20
than & Abiron) deglutiuit magum illum, Num. 16.
deſcenditque viuus vſque ad infernum. Abſorpto verò mago, tellus diſciſſa & dirupta hiatum contrahendo concluſit, ſed foſſa ibidem remanens cernentibus diuinæ vindiciæ indicium oſtendit. Contriſtatus autem

autem Sanctus ſacrifex ſuper effuſo calice cum grauiſſimis lamentis ſe afficeret, calix cum diuinis ſacrificijs integris loco ſuo compoſitus diuina virtute coram illo erectus ſtetit, nec vllum veſtigium effuſi libaminis vſpiam apparuit.

De Sene in iuuenilem ætatem refloreſcente.

CAP. XXXIV.

ERAT prædicto Dichu germanus caruc, Rius nomine, ætatis & infidelitatis prouectæ, cuius corporis tabernaculum præ ſenio ſentiebatur pronum proximumq; ruinæ, qui grauiſſimè dolebat ſuper Magi interitu & fratris conuerſione. Hic enim totus terram ſapiebat, vitam nullam præter præſentem eſſe credebat, fratrem etiam ſuum ſe amiſiſſe æſtimabat, qui in Chriſtũ credens ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in ſeruis eius omni annisu anhelabat. Hac de cauſa ſingulis diebus impugnans tribulauit Patricium, & nitebatur oppilare os ſuum ne diſſeminaret verbum Dei per illam regionem, vt augeretur in Domino numerus credentium, Sanctus autem hominem Chriſto lucrifacere volens, conuenit illum viuis ac veris rationum aſſertionibus, ad credendum in cunctorum conditorem, ex ipſis creaturarum ſpeciebus & naturis perſuadens, & vt eum in viam veritatis efficacius induceret, verbis fidem faciens ſignum ſecuturum ſpopondit, dicens. Cum omnium artuum ſenſuumque tuorum officia in te ſopiantur emortua, vitæque tuæ lumen in limine iaceat, ſi Chriſtus tibi reſtitueret vires & venuſtatẽ vernantis iuuentutis, nonne iure in illum credere teneteris? Reſpondit ille, ſi tanti miraculi exhibitionem exequaris in me per Chriſtum, conſequenter credam in ipſum. Orauit ergo S. Patricius & manus imponendo eum benedixit, ſtatimque decorem & fortitudinem induens, in ſtatum iuuenilis ætatis refloruit. Omnes ergo, qui aderant ob tale ſignum patratum ſtupor circundedit, & in laudes Chriſti, & reuerentiam S. Patricij illorum ora reſoluit.

De communione illius infidelis Rius.

CAP. XXXV.

SVPRA memoratus igitur Rius, ſicut exterius in corpore, ſic interius renouatus ſpiritu mentis ſuę, adiunctis ſibi tribus fratribus ſuis, cum alijs multis purificari meruit fonte ſalutari. Poſt hæc videns hominem Sanctus Patricius penitus à peccato purgatũ, & lutoſam lubricamq; viam vitæ mortalis transgredienti, in foribus adeſſe peccatum, Sancto Spiritu dictante, dixit ad eum: Elige modo vtrum in hac valle lacrymarum, in terra tribulationis, & anguſtiæ elongentur anni tui, an impræſentiarum finita præſentis vitæ miſeria, ab Angelis lucis aſſumptus, introeas in gaudium Domini Dei tui. Ille verò credens videre bona Domini in terra viuentium; eligo inquit, & cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto *Philipp.1.*
in æternum, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Accepit de manu Epiſcopi ſancti vitale viaticum, ſcilicet, in manus Domini commendans ſpiritum, introductus eſt in ſempiternæ quietis refrigerium.

De interitu Milchonis.

CAP. XXXVI.

SANCTVS Patricius ſæpe-dicto Dichu dilecto ſuo, ſua cuſtodiẽda commendans, ad viſitandum Milchonem quondam Dominum, imo tortorem ſuum, ſicut corde conceperat, cæpit proficiſci; vt ipſum iam inueteratum dierum malorum prædicando, verè faceret cõuerſum ad infantiam Chriſtianæ fidei. Milcho autem malitioſæ mentis homo, & miniſter mortis, ſperabat Patricij prædicationem poſſe penetrare pectus quodlibet ſaxeum: verbo etiam lucido atque ignito, aut miraculo irrefragabili ſe compelli ad credendum timuit. Indignum, imo ignominioſum ducebat, doctrinæ ſerui quondam ſui ſubjici, & inſuetæ creatoris culturæ potius quam Idololatriæ inueteratæ ſubiugari. Vt autem audiuit Antiſtitem altiſſimi aduenire, datus in reprobum ſenſum, filius perditionis

collectam totam ſubſtantiã ſuam in vnum, flammis tradidit, ſeque deſuper in medijs *Matt. 27.* ignibus projiciens inſtar Iudæ, infernalibus furijs holocauſtum ſe fecit. Sanctus Præſul, reguli rogo conſumpti exitialem exitum de monte propinquo proſpiciens, ipſius animam in formam igniti ſerpentis mergi in barathrum vidit, iudiciorum Dei abyſſum multam aduertens, lacrymoſis ſuſ- *Maledicit Milchoni, & ſemini eius.* pirijs in hæc verba prorupit: *Regis huius qui ſe dupliciter damnauit, ne crederet in creatorem cæli & terræ, ſemen non poſſideat terram hæreditate, ſed in perpetuum deprimatur inſolubili ſeruitute.* Quod itaque iuxta verbum viri Dei euenit. Nam nullus de ſtirpe eius in regni ſolium poſt ipſum aſcendit. Sed in breui generatio illius gladio aut fame, ſeu captiuitate ſub duriſſimę ſeruitutis iugo de terra, vt dicitur, citò diſperijt. Sic ſic Dominus viſitat, & vindicat, peccata patrum in filios; & ſecuris ad radicem arboris mortiferæ ponitur, ne prauitatis proferat ramos. Sed quia Deus multoties de lapidibus ſuſcitat filios *Luc. 3.* Abrahæ, & de ſpina ſolet roſas producere, ipſo Domino inſpirante, duæ filiæ illius ſupramemorati Milchonis conuerſæ ſunt ad fidem, Patricij prædicatione. Nominabatur vtraque *Emeria*, dum ſalutari abluerentur vnda, quæ ſanctè & religioſè vixerunt, & poſt mortem ſepultæ ſunt in loco, qui dicitur *Cluainbroin*, & ſicut ipſe Patricius longè prædixit, multis miraculis claruerunt. Reuerſus inde Sanctus ad domum Dichu, diebus deguit ibidem non paucis, atque ad Chriſtianam fidem ſuſcipiendam prædicando, ſigna & prodigia faciendo profuit populis plurimis.

De ſancto Mochna.

CAP. XXXVII.

VIT quidam bonæ indolis adoleſcens Mochna nomine, porcos paſcens, quem Sanctus Patricius inuenit ſecus oppidum *Breattan* per illas partes prædicando iter faciens; ſpiritu reuelante, intelligens illum futurum vas electionis, prædicabat illi viam ſalutis. Ad vnius verò prædicationis vocem puer credidit, baptiſmum ſuſcepit, quem Sanctus ſtatim alphabetum docuit; data nihilominus benedictione litteris inſtruendum tradidit, ſicque in viam ſuam abijt. Adoleſcens autem vnctione magiſtra, infra vnius menſis ſpacium didicit Pſalterium, & antequam annus expleretur peruenit ad notitiam ſanctarum Scripturarum. Euoluto aliquanto tempore reuertebatur ad præfatum Pagum beatus Patricius, cui occurrit Mochna memoratus. Cum autem conſedentes conferrent de cæleſtibus mutuò, baculus deſtinatus cælitus, cecidit illorum in medio, cuius caput in ſinu Patricij, cuſpis iacuit in Mochna gremio. Adgratulans Sanctus de munere miſſo mirabiliter adoleſcenti, dixit illi: Noueris fili chariſſime hoc baculo paſtorali, animarum cuſtodiam committendam tibi. Ipſo verò recuſante, & prætẽdente inopiam ſcientiæ, & imperfectionẽ ætatis ſuæ, Sanctus fertur ad illum dixiſſe. Noli dicere, quia puer ego ſum, quoniam ad omnia ad quæ mittet te Dominus, ibis, & quæ mandauerit tibi, in eius nomine loqueris. Per ſingulos igitur gradus ſacros, ordine debito decenter promotum, tandem illum in Epiſcopum præfato baculo ſibi collato cõſecrauit, & *Edrumenſi* Eccleſiæ præfecit. Ipſe verò in Eccleſia Dei multum verbo & exemplo profecit, virtutibus & ſignis clarus ad cæleſtia regna migrauit. Sepultus in Eccleſia ſua, in qua Deo dignè miniſtrauit, crebriſque miraculis coruſcans, cum Chriſto ſe viuere comprobare conſueſcit. Baculus memoratus in eadem Eccleſia reſeruatur, *baculuſque volans* ab Hibernicis nominatur. Et quia Sanctus Patricius virum illum de ſubulci cura ad pontificatum promouit. Porcus de territorio eius aſſumptus, annuatim Eccleſiæ Dunenſi perſolui conſueuit.

De obſidibus Dichu liberatis ab Angelo.

CAP. XXXVIII.

LEOGARIVS leoninæ feritatis homo, ſuperbo & inſatiabili corde ambulabat in magnis & mirabilibus ſuper ſe, eo quòd ſibi videretur ſe terram poſſidere in fortitudine brachij ſui, & robore virtutis ſuæ. Habebat namque omnium magnatum comprouincialium collimitantium regno

gno ſuo obſides, & ipſius etiam Dichu fœlicis filios penes ſe habebat, ne quis eorum auderet caput leuare repugnandi, aut calcaneum recalcitrandi contra ſe. Erat enim Magorum & Aruſpicum ardentiſſimus amator, radicatus & fundatus in Idololatriæ errore; quinimo dura ceruice & indomabili corde ad credendũ & obediendum ſanæ doctrinæ. Vt autem agnouit, Dichu cum omni domo ſua, cognatione & gente, ad Chriſtum, conuerſum, patrijs dijs, imo dæmonijs abrenunciaſſe, turbabatur animus & oculus eius præ furore iræ, & indignationis ſuæ. Motus igitur animo, obſides eius modo ſatis pernicioſo præcepit puniri, quia vt ſiti perirent, prohibuit potum illis miniſtrari. Pontifex ſanctus hoc, ſpiritu docente didicit, & ipſi Dichu indicauit. Admonuit itaque vt ab eodem Leogario inducias ſaltem decem dierum peteret, donec ipſe Patricius præſentiam ſuam Regi exhiberet. Petijt ergo homo iuxta viri Dei monita, nec vllatenus vnius diei requiem impetrauit, ſed potius prece ſua, velut vehementiori flatu, cor vltro ſuccenſum, acriori iræ incendio inflãmauit, quod cum ad aures perueniſſet Præſulis, ad conſueta confugit arma orationis: & ecce nocte ſequenti obſidibus incarceratis, angelus Domini apparens, ipſis potum propinauit, ſitim illorum ſedauit, imo mirabilius extinguendo effugauit. Ab illa hora nulla ſitis perpeſſio illos apprehendit, donec paucis diebus tranſactis, orante Patricio iterum angelus adueniens, de domo carceris, & de manu inimici eos liberauit. De loco namq; in quo carcerati tenebantur, à Dunenſi ciuitate diſtante, dieta prægrãdi per aëris vaſta, ſicut olim Habacuc Prophetã, illos tranſportans, vnum illorum, in loco vbi nunc in Dun ædificata eſt Eccleſia ſancti Patricij, alterum in monticulo vicino, circumcluſo palude pelagi, dimiſit, & catenas quibus vinculati erant, ſeparatim confregit: vterque verò locus vſque in præſens à catenis cõfractis vocabulum ſcilicet *Dun daleath-glas* eſt ſortitus. *Dan. vlt.*

De ſancto Benigno, & Prophetia ſuper eum facta.

CAP. XXXIX.

PROPE erat paſcha, dies feſtus Chriſtianorum, in quo vita mortua, ex mortuis reſurgens primitiauit, & probauit reſurrectionem mortuorum. Sedit enim ſancti Pontificis cordi, hanc diem ſolemnem, quam Dominus rediuiuis cælicis ciuibus, atque terrigenis fecit exultabilem, in campo *Breagh* ſpecioſo, ac ſpatioſo ſolemnizare, ibidémque Euangelizando regnum Dei, & Baptizando populum acquiſitionis, genus electum Chriſto aggregare. Aſcendens in nauem, nauigando deuenit, ad quendam portum præfato campo vicinum, egreſſúſque ad terram cõmendata naui ſua, ſuo nepoti Sancto Lumano, pernoctandi gratia, in cuiuſdam viri venerabilis qui vocabatur *Seſgnen* declinauit domum. Paterfamilias Patricium gratanter hoſpitio collegit, ſperans ſalutem domui ſuæ affuturam ex hoſpite tanto: nec fefellit eum ſpes ſua, quia prædicante Patricio verbum ſalutis, credens baptizatus eſt cum omni domo ſua. Habebat vir ille filium, quem ſanctus vnda ſalutari abluens, ac nomẽ ei ex re adaptans nominauit Benignum: & verè ſicut vocabulo, ſic & vita & moribus erat benignus, dilectus Deo & hominibus, in terra & in cælo gloria & honore dignus. Hic ſancti Præſulis lateri firmiter adhæſit, nec ab illo auelli vllatenus potuit: cum ènim ſanctus quieti membra daturus, lecto ſe recepiſſet, ille puriſſimus puer à patre & matre fugiens ad pedes ſancti ſe proiecit, ipſóſque ad pectus ſuum, ſuis manibus conſtringens, crebróque deoſculans ibidem pauſauit. In Craſtinum cum ſanctus procinctus ad iter, vno pede in ſandalibus, áltero in terra poſito, vehiculum aſcenderet, puer pedem illius ſtrictis manibus apprehendit, obſecrans & adiurans ne ſe derelinqueret. Et cum illum amouere à ſancti veſtigijs, & ſecum retinere vellet vterque parens, puer cum fletu & eiulatu magno clamauit dicens: recedite quæſo, recedite, dimittite me vt pergam cum meo ſpirituali patre. Sanctus verò in tenello corde & corpore

deuotionem tantam intuens, in nomine Domini illum benedixit, ſecum illum leuari in vehiculum iubens, ipſum ſucceſſorem miniſterij ſui, ſicut & fuit, fore prædixit: Idem namque Benignus in regimine Pontificatus, Primatuſque totius Hiberniæ ſucceſſit ſancto Patricio, virtutibus & miraculis clarus requieuit in Domino.

S. Benig. S. Patricij ſucceſſor.

De igne à Patricio accenſo.

CAP. XL.

SANCTVS Epiſcopus ſacratiſſimo Sabbatho in vigilia paſchæ ad locum aptum atque amænũ, Vocabulo *Feartſethin*, in campo prænominato, præclaram ſolemnitatem celebraturus diuertit, ibique iuxta ſanctæ Eccleſiæ conſuetudinem de igne benedicto luminaria accendit. Contigit nocte eadem Idololatras, quoddã ſublime feſtum quod dicitur *Rach* frequentare, quod & ipſi in tenebris incedẽtes principi tenebrarum ſolebant conſecrare. Moris erat apud illos vt ignis totus circumcirca extingueretur, nec reaccenderetur ab aliquo in circumiacenti prouincia, niſi prius accenſus appareret in aula regia. Rex autem Leogarius in loco dicto **Teomaria* tunc temporis principali ſede totius regni Hiberniæ, cum ſuis aulicis conſtitutus, ignemà Sancto Patricio accenſum intuebatur, admirabatur, indignabatur, & quis tale quid præſumere audebat, ſciſcitabatur. Quidam magus inter cæteros affuit, igneque conſpecto, quaſi vaticinando regi dixit: *niſi hac nocte ignis ille extinctus erit, accenſor eius cum ſuis ſequacibus in tota inſula principabitur.* Quo audito rex adunans & adducens ſecum ſuorum multitudinem, in impetu iræ ſuæ perrexit ad extinguendum ignem. Duxerat enim ter nouies currus ſecum, quia faſcinatio nugacitatis ſeducens cor eius, perſuaſerat ei tali numero vbique prouenire ſibi omnem triumphum: Conuertit etiam facies hominum & iumentorum ad læuam Patricij ſecundum traditionem magorum, credens conatum ſuum non poſſe ab illo impediri. Videns Sanctus multitudinem curruum, incepit hunc verſum, *Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei noſtri inuocabimus.* Cum verò rex appropinquaret ad locum, Magi diſſuaſerunt Regi accedere ad Patricium, ne videretur præſentia ſua honorare, & reuerendo quaſi adorare illum. Subſtitit rex, & maleficis monentibus mittens nuncios Patricio præcepit præſentiam ſui exhibere ſibi, interdixitque ſuis omnibus, ne quis aſſurgeret aduenienti. Præſul peracto diuino officio vocatus adfuit, nulluſque ob interdictum regis Sancto aſſurrexit.

**Team-bair.*

Pſal. 19.

De ſancto Herco.

CAP. XLI.

QVIDAM autem Hercus nomine filius *Degha* qui multa de ſancto Patricio audiuit, in conſpectu omnium aſſurgens illum honorificè ſuſcepit. S. Præſul ipſum benedixit, vitamque ipſi æternam promiſit; ipſe autem in Deum credens baptiſmi gratiam percepit, & vitam virtutibus & ſignis inclytam ducens, poſtmodum Epiſcopus effectus, in ciuitate Slani ad cæleſtia migrauit.

De mago confracto.

CAP. XLII.

EXſtitit quidã magus, regi acceptus atque amiciſſimus, nominatus in illo loco *Lochu*, loquens nefaria, aduerſus Dominum & Chriſtum eius. Artibus namque dementatus dæmoniacis, Deum ſe eſſe aſſeruit, eiuſque præſtigijs populus perſtrictus, pernicioſæ doctrinæ peruicaciter adhærens, ipſum quaſi numen aliquod coluit. Blaſphemabat iugiter viam Domini, & ab Idololatria recedere volentes, ſatagebat ſubuertere, vel auertere à fide Ieſu Chriſti. Eodem penè modo aduerſabatur S. Patricio, quo Simon magus reſtitiſſe legitur Apoſtolo Petro. Quadam enim vice cum à principibus tenebrarum, ac poteſtatibus aëreis, huiuſmodi de terra in aëra eleuaretur, rex populuſque intuerentur illum quaſi euntem in cælum. S. Patricius hoc videns, in huncmodum precem fertur fudiſſe ad Dominũ: Domine Deus omnipotens, tolle Magum iſtum blaſphemum ſancti nominis tui de medio, ne in te credentibus, vel credituris vlterius ſit impedimẽtum. Nec mora è ſub- *Actor. 8.*

limi & inani ad terram demiſſus cum globo niuis, ante pedes viri Dei corruit, capitéque ad ſilicem eliſo, diruptus & confractus expirauit, ſpiritumque ſepeliendum in inferno tradidit.

De liberatione S. Patricij mirifica, ſed terribili.

CAP. XLIII.

REx autem ſuper Magi morte multum moleſtatus, ira totus incanduit, & cum ſuorũ populoſa caterua in ſancti Patricij necem conſurrexit. S. Patricius videns impetum illorum, clara voce pſallendo illum verſiculum inchoauit de Pſalterio, *Exurgat Deus & diſsipentur inimici eius, & fugiant qui*
Pſal.67. *oderunt eum à facie eius.* Dominus autem adiutor & protector ſuorum in ſalutem, ſaluauit ab hac multitudine Patricium in omni domo ſua famulum fidelem, ſic: excitatis enim terribili terræ motu, & horribili tonitruo, ictu etiam fulminis coruſcantis, quoſdam peremit, alios in terram proſtrauit, reliquos in fugam conuertit Dominus. Sic ſic iuxta propheticum eloquium,
Pſal.17. *emiſit Dominus ſagittas ſuas & diſsipauit eos, fulgura multiplicauit & conturbauit*
Iſa.19. *eos.* Miſit enim inter eos ſecundum Iſaiæ præſagium ſpiritum vertiginis, & conuertere fecit idololatras illos, contra ſe ipſos, velut Ægyptios contra Ægyprios: vnuſquiſque enim in alterum irruit, & vir in fratrem ſuum arma conuertit, currus & aſcenſores eorum deiecti ſunt per planitiẽ, & præcipitati, quadraginta nouem viris proſtratis vix cæteri euaſerunt ſemiuiui. Rex autem *ab increpatione Domini, & ab*
Pſal.17 *inſpiratione ſpiritus iræ eius* tremefactus, fugiendo latitabat, tantum cum quatuor viris in quodam conclaui, vt ſe abſconderet à facie furoris Domini. Regina verò pro regis recõſiliatione rogatura, reuerenter acceſſit, genibus flexis ante S. Patricium, ſpondens ſponſum ſuum ad ipſum venturum, & Deum ſuum adoraturum. Sanctus annuit & orauit ad Dominum, & ceſſauit clades, & redijt ſerenum. Rex iuxta condictum, ſed tamen duplici corde ad ſanctum acceſſit, genua flexit, finxit ſe Chriſtum adorare, in quem non credidit. Labijs etiam iniquis & corde doloſo Præſulem precabatur, vt in craſtinum domum ſuam viſitare dignaretur, ſeque illius monitis & præceptis pariturum pollicebatur. Vir verò Dei licet Domino reuelante non ignoraret iniquitatem, quam peſſimus meditabatur in cubili cordis ſui, confidenter tamẽ habitans in adiutorio altiſſimi acquieuit eius petitioni.

Qualiter Sanctus inſidias mortis euaſerit.

CAP. XLIV.

REx valefaciens Epiſcopo reuertebatur ad propria, varijſque in locis per quæ tranſiturus erat Patricius poſuit inſidias, vt aduenientem priuaret vita: & quidem plures amnes interfluebant, qui in diuerſis locis tranſuadari poterant, quorum ſecus quodlibet vadum abſcondit nouem currus cum funeſtis ſatellitibus, vt ſi ab aliquo euaderet iu alium incideret, ſicque nullo modo pertranſiret indemnis. In craſtinum autem Patricius cum octo viris tantum & puero Benigno ſuperius memorato, recto itinere *Teomariam* vbi rex Anglicè Taraghi
tunc morabatur tendens tranſibat per medium vitæ eius inſidiantium, oculiq; eorum tenebantur ne viderent vel agnoſcerent illum, ipſorum enim obtutibus apparuerunt octo cerui, cum vno hinnulo ſalientes in montibus, tranſilientes colles, aquas tranſuadantes, ſicque ſanctus cum ſuis comitibus Deo protectore euaſit, ſibi mortem machinantes. Ipſe verò ad regiam peruenit vrbem, regemque cum ſuis cænantem inuenit. Ingreſſo Pontifici domum regis nullus cõuiuantium aſſurrexit, excepto quodã poëta regis, nomine *Dubbtacho*, qui ſurgens ſanctum deuotè ſalutauit, ſeque fieri Chriſtianum ab eo petijt & impetrauit. Credidit *Dubbtachus* diſcumbentium primus in Domino, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam: Baptizatus namque & in fide Chriſti confirmatus, carmina quæ quondam ſtudio floreſcente peregit in laudem falſorum Deorum, iam in vſum meliorem mentem mutans & linguam, poëmata clariora compoſuit in laudem omnipotentis Dei, & ſanctorum eius præconum.

De veneno vino immixto.

CAP. XLV.

Rex Leogarius ſepè nominatus, nequitiæ & fraudulentiæ felle fermentatus, qualiter ſanctus euaſiſſet inſidias agnoſcēs, & admirans, ad alia cōmenta ſe cōuertit, & quem fortium ferro ferire non valuit, veneno intoxicare voluit. Calicē enim ſuum per manum malefici cui nomen *Lugaith Mael*, aſſidenti Patricio ad potandum porrexit, in quem idem ſatelles Sathanæ de aſſenſu regis vino venenum immiſcens, Patricio propinauit. Vir verò Domini calicē accipiens, & nomen Domini inuocans: illum inclinauit & quidquid in potu peſtiferum poſitum fuit, in volam propriam abſque reliqui liquoris admixtione refudit: impreſſo denique crucis ſignaculo, reſiduum benedixit, & ad magi venefici confuſionem, & omnium aſſidentium admirationem, ex eo bibens nullam læſionem aut moleſtiam penitus ſenſit.

De niue Fantaſtica.

CAP. XLVI.

Rubore ergo perfuſus imo cōfuſus Magus magis doluit, & ne victus videretur, ad facienda ſigna de cœlo Patriciū prouocauit. Sancto reſpondente Epiſcopo, ſe nolle quippiam diuinæ voluntati aduerſum attentare: Magus maleficijs ſuis fines illos & confinia frigidiſſima reſperſit niue, & incolas afflixit frigore. Inſtabat Sanctus antiſtes admonēs & angarians, vt magus amoueret à terra niuem & frigus ab hominibus: ille compulſus confitebatur publicè, ſe nullatenus id actitare poſſe vſque in craſtinum ſuis artibus. Ex ore ergo tuo, inquit Sanctus te iudico homo nequam, & conuinco artificem mali, miniſtrum diaboli eſſe, qui malum tantummodo poteſt inferre, bonum verò nulli conferre. Eleuata deinde manu ſacrata ſacerdos ſanctiſſimus, campum & circūiacentia loca candentia niue in nomine S. Trinitatis benedixit, totaque nix vtpote fantaſtica, quæ nec liqueſcere conſueto more videbatur, confeſtim euanuit. Admirabantur vniuerſi, confitentes & clamantes operantem in Patricio manum Domini, deteſtanteſque deluſoria opera Magi.

De tenebris effugatis.

CAP. XLVII.

Maleficus videns vileſcere & vilipendi vires artis ſuæ, loca quę prius niue dealbauit, iterum incantationibus ſuis palpabili tenebrarum denſitate inducta, eadem obtexit. Timor & tremor venerunt ſuper homines illos quos texerunt, vel tunc ſaltē tenebræ, experti inquantum à meræ & veræ fidei caligabāt claritate. Nec mirandū ſi alieni ab agnitione veræ lucis, quę illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, magicis tenebris potuerunt obuolui, qui corde cæco credendo ac obſequendo adhæſerunt tenebrarum principi. Conuenit iterato modo Patricius maleficum ſuper expulſione caliginis, ſicut antea ſuper amotione niuis: ſed replicauit ille, aſſerēdo eadē quæ prius. Effudit ergo orationem deuotam filius lucis ad candorem lucis æternæ, Solis iuſtitiæ, ſtatimque exoriente ac radiante materiali ſole, effugatæ ſunt tenebræ. Populus ergo gentium illarum, qui ſedebat in tenebris iam videns lucem magnam, acclamando gratiarum actiones ſummæ luci, ac laudum præconia, perſonabat, Patriciumque præconem perennis lucis magnificabat.

Pſal. 54. *Io. 1.* *Iſa. 9.*

De Mago & eius veſte combuſtis, & puero Benigno, & caſula Patricij obſeruatis.

CAP. XLVIII.

Magus autem ſæpedictus *Lugbaidh Mael* nomine, lucis malignus eliminator, magis diligens tenebras quam lucem, in artificijs tenebrarum tenebreſcens, obſtinatè in

malitia

malitia ſua perſeuerabat & adhuc contentioſè agens ſua dogmata praua atque peruerſa præeminere & præualere Patricij doctrinæ affirmabat. At rex verebatur opera Magi ſic eſſe ſubuerſa, quandam ex ipſis examinationem experiendam proponens dixit vtrique: libri veſtri mergantur in aqua, & quorum deleta vel obliterata fuerit ſcriptura, prædicationis eius deſpiciatur doctrina: in codicibus verò cuius nulla comparuerit obliteratio, eius deuotè ſuſcipiatur ac firmetur prædicatio. Annuit ſententiæ regis, Patricius, ſed contradicebat Magus, affirmabat enim Patricium elementum aquæ pro Deo colere, eo quòd credentes baptizaſſet aqua in nomine Dei ſui. Rex iterum examinationis modum mutans iudicauit vtriuſque codices mittendos in igne, & cuius libri permanſiſſent illæſi, ipſius ab omnibus acquieſcendum eſſe doctrinæ. Sanctus autem huic definitiuæ ſententiæ, ac conditioni aſſenſum præbuit, ſed Magus diffidens de ſe penitus non acquieuit, dicebat enim Patriciũ, nũc aquã, nunc ignem, verſa vice colere, & idcircò vtrumque elementum ſibi propitium habere. Reſpondit Patricius, ſe nullum elementum adorare, ſed omnium elementorum conditorem colere. Cum ergo in congregata concione contentio creſceret, claudicante populo in vtramlibet partem, Domino inſpirante, ad diſcernendam lucẽ veræ fidei à tenebris idololatriæ, veritatem ſanæ doctrinæ, à vanitate magicæ leuitatis, nouum genus per ignem excogitatur & exquiritur probationis. Omnium ergo communi conſilio, conſentiente etiam vtroque, videlicet Patricio atque Malefico, domus noua, nouo conſtruitur modo, cuius vna medietas ex viridi robore, altera ex arida materia ac carioſa ædificatur, duos itaq; vinctis manibus & pedibus ex oppoſito poſitos, Benignum ſcilicet præfatum puerum Patricij, veſte Magi indutum in parte domus arida, Magumque in viridi indutum caſula S. Patricij ſtatuerunt, igne appoſito domum incenderunt. Res mira & valde inuſitata; ignis inſurgens ſæuiendo Magum cum parte domus viridi in qua ſtetit vſque ad cineres combuſſit, & in caſula S. Patricij qua amiciebatur nullum aduſtionis vel corruptionis veſtigium apparuit, puerum verò benedictum Benignum ſtantẽ è contra cum parte arida domus, ignis omnino non tetigit, nec quicquam moleſtiæ intulit, ſed veſtẽ Magi qua induebatur conſumendo in fauillam redegit. Ecce in hoc ſigno inſigni, in igne patrato, duplicato modo miracula iterantur, quæ canonicis codicibus inſcripta leguntur; ſicut quondam in tribus pueris camino Chaldaico iniectis, ignis vim ſuam ob illorum comburenda vincula, ipſis illæſis exercuit, ſic Magum cum parte domus viridi caſula Patricij illæſa, veſtemque malefici puero cum carioſa parte domus intacta incinerauit. *Dan. 3.*

De multis à terra abſorptis, & cæteris ad Deum conuerſis.

CAP. XLIX.

INDVRATVM eſt cor tegis Leogarij, ſicut quondam Pharaonis coram Moyſe *Exod. 1.* orga mandata Domini. Non enim tot licet ſignis exhibitis timuit exacerbare Deum excelſum, & exaſperare ſeruum eius Patricium. Neronem namq; nouum, etſi alterum, ſed non alteratum repreſentans ſeipſum, ob vlciſcendam mortem malefici, ex ſuis plures parauit in Patricij iugulum. Et quia ſecundum ſcripturæ ſacræ teſtimonium, *Rex iniquus omnes miniſtros habet impios*, de ſatellitibus ipſius ſeſe plurimi præbuerunt ad tale ſacrilegium perpetrandum acclives, ſpontaneos, & expeditos. Sed Deus omnipotens ſuorum protector potentiſſimus ac propugnator, armauit zelum creaturæ contra inſenſatos idololatras illos, & antequam conatum ſuum producerent ad effectum, de terra delens diſperdidit illos. Aperta eſt enim terra Domino vindicante, & deglutiuit eos alioſq; quamplures de populo Teambrach illis conſentientes, dilatauitque infernus, ſicut ſcriptum eſt, os ſuum & abſorbuit eos velut viuentes. Reliqui verò horum ſuperſtites, ac omnes terræ illius habitatores, hæc videntes vel agnoſcentes, timore horribili perterriti obſtupuerunt, & ne pœna pari plecterentur, credentes in Chriſtum, ad baptiſmum conuolarunt. Tremebundus autem Rex, prouolutus pedibus S. Patricij veniam poſtulauit, ſeque in poſterum præ- *Prou. 29.*

ceptis illius in cunctis obtemperaturum promiſit. Pius igitur pater, quod in ſe commiſit, clementer illi indulſit, & licet diu de fide Domini Ieſu illum inſtruxiſſet, ad ſubeundum ſalutare lauachrum inducere non potuit. Sanctus autem dimiſit illum ſibi, vt libero vtens arbitrio iret in adinuentionibus cordis ſui, ne videretur ab ipſo ad fidem compelli; tamen de illo & poſteris eius intus ſpiritu reuelante, quod agnouit ipſi aduenturum palam prædixit. *Quia*, inquit, *doctrinæ meæ ſemper reſtitiſti, meque ſupra modum affligere non ceſſaſti, inſuper & in omnium creatorem credere contempſiſti, filius quidem mortis es, & cum cæteris, imo præ cunctis tuis participibus, pœnis perpetuis in præſenti perire iure deberes, ſed quoniam humiliter ad me veniens veniam petiſti, & inſtar regis Achab coram Deo meo te humiliaſti, non inducet tibi Dominus malum ſtatim quod promeruiſti; veruntamen nullus de ſemine tuo poſt te in ſolium tuum ſurget, ſed fratri tuo minori in Deum meum credituro, & ſemini eius in generationes ſæculorum ſeruiet.* Regina verò in Chriſtum credidit, & à ſancto Patricio baptizata & benedicta, ſancto fine in Domino requieuit. Patricius verò profectus prædicabat cum ſuis per vniuerſam regionem, credentes baptizans in nomine S. Trinitatis, Deo cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.

Patric. maladicit Leogario & ſemini eius.

3. Reg. 21.

Mar. 16.

De Sororibus & nepotibus S. Patricij.

CAP. L.

ERANT tres ſorores S. Patricio memorabiles in ſanctitate & iuſtitia, Domino placentes: harum fuerunt nomina, Lupita, Tygridia, & Darercha. Tygridia fœlici fœcunditate ditata, fructus optimos protulit, quia ſeptemdecim filios & quinque filias edidit; Omnes mares magni meriti Pontifices ſanctiſſimi, ſacerdotes optimi, & monachi fuerunt, fœminæ verò ſanctimoniales effectæ, in magna ſanctitate dies conſummauerunt; Epiſcoporum nomina, Brochadius, Brochanus, Mogenochus, & Lumanus fuerunt, qui cum S. Patricio auunculo ſuo de Britannijs in Hiberniam venientes, & in agro Dominico ſtrenuè collaborantes, meſſem multam ad horrea cæleſtia tranſmittenda collegerunt. Darercha verò ſororum vltima, mater erat Epiſcoporum ſanctorum Mel, Moch, & Munis, quorum pater dicebatur Conis. Hi ſimiliter in prædicatione, & itinere B. Patricium comitabantur & in locis diuerſis Pontificalem dignitatem ſortiebantur. Verè generatio iſtarum apparet benedicta iuxta ſacri ſeriem eloquij, & hæreditas ſancta nepotes S. Patricij. *Eccl. 44.*

Qualiter S. Lumanus nauigauerit contra fluuium & ventum contrarium.

CAP. LI.

SANCTVS Patricius de partibus Vlidiæ nauigio tranſuectus, in Midiæ finibus ad oſtium *Boinn* applicuit inter barbaros & idololatras, nauem ſuam cum armamentis eius S. Lumano nepoti ſuo cuſtodiendam commiſit, iniunxit enim illi vt ſaltem quadraginta diebus in illis partibus commorando, iſtam obedientiam ſuſtineret, dum ipſe ad vlteriora interim regionis loca ad prædicandum pergeret. Lumanus verò lucis manens nuntius, ſpe martyrij obtinendi factus obediens, iniunctum ſibi dierum ſpatium ibidem demoratus duplicabat, quod nullus ſociorum eius facere capiti ſuo timens audebat. Ipſe verò filius obedientiæ non eſt fruſtratus à fructu mercedis ſuæ in hac parte. Dum enim ſemen obedientiæ ſuſcipiens, patientiæ fructum in ſe protulit, diuini verbi ſemine fœcundare terras alienas ad proferendos fidei flores fructuſque iuſtitiæ producere promeruit; & quantò deuotius obediebat patri ſpirituali, tantò mirabilius elementa obtemperabant ei. Expletis namque dierum duobus quadragenarijs, cùm fatigatus eſſet diutina expectatione ſuper reditu S. Patricij, quadam die flabris ventorum vehementius ex oppoſito ſpirantibus, armamenta nauis explicuit, & feruens fide fidenſque de S. Patricij meritis, ipſius auctoritate naui quatenus ſe tranſueheret ad locum ſibi congruum præcepit. O ſignum hactenus inauditum & incompertum, nauis nemine gubernante

bernante contra fluuium & ventum ad votum viri Dei velificauit, & ab oſtio *Boinn* fluminis vſque ad *Athrym* curſu proſpero illum tranſuexit: Ipſe verò nauem ob merita Patricij vexit aduerſus auræ flatum abſque remigio in flumine contrario, qui quondam fluenta Iordanis conuertens retrorſum, in aluei proprij fontem retorſit, curſu retrogrado.

nunc Trim.

Ioſue 30.

De Forkerno, & parentibus eius conuerſis & baptizatis.

CAP. LII.

Appvlsvs S. Lumanus ſecus oppidum Athtrym ſuperius nominatum; prius filium cuiuſdam optimatis ibidem dominantis, vocabulo Forkernum, ad ſe dum recitaret Euangelium, venientem, deinde matrem eius Britoniſſam natione, ad vltimum patrem ipſius, Fethleminum nomine, ad Chriſtum conuertit, & in fonte, quem in oculis eorum de terra precibus produxit, illos & alios multos baptizauit. His itaque geſtis Sanctus Sacerdos XXV. anno ante fundationem Ardmachiæ ibidem exſtruxit Eccleſiam, cui dorandæ, ditandæque Fethleminus fidelis famulus Chriſti effectus, Athtrym & Midiam cum prædijs multis, & pertinentijs ſuis, ſolemni donatione contulit. Ipſe verò trans amnem ſecedês, manſionem ſibi ac ſuis fecit, dieſque ſuos in bonum conſummauit. Lumanus in Eccleſia præfata Pontifex factus, Forkernum neophitum ſuum literis imbuendum tradidit, & in breui ſufficienter literatum ad Sacerdotium promouit. Approximante die ſui exitus de corpore, cum Forkerno præfato profectus eſt ad fratrem ſuum Brocadium, præcepitque Forkerno in virtute obedientiæ, vt Eccleſiæ, cui præerat, regimen ſuſciperet poſt ipſius deceſſum. Ipſo verò recuſante, & allegante non eſſe rationi, ſeu iuſtitiæ conſentaneum, vt in Eccleſia vel allodia Patris ſui regimen ſuſciperet animarum, ne videretur hęreditate poſſidere Domini ſanctuarium. Iterato pater & paſtor præcepto perſtrinxit illum. Quid plura? Benedicere noluit illum, donec huic oneri ſuſcipiendo præberet aſſenſum. Sancto denique Lumano ex hac luce ad luciferæ patriæ perpetuam manſionem migrante Forkernus Eccleſiæ præſcriptæ iniunctam ſibi curam ſuſcipiens, tribus tantummodo diebus illi præfuit, ac deinde cuidam peregrino, genere Britanno, Cathladio nomine, regimen illius commiſit. Sic profecto vir Dei Patris ſui præceptum adimpleuit, & ne cæteris daret exemplum vendicandi ius aliquod in Eccleſijs, aut hæreditate parentum, omnimodè vitare curauit. Huius tamen Eccleſiæ cuncta prædia, de aſſenſu principum, à S. Lumano beato Patricio, eiuſque ſucceſſoribus ſunt collata, & ad ius Ardmachanæ ſpectant Eccleſiæ in perpetuum poſſidenda.

Antiquitas Eccleſia Trimenſis.

De Prophetia S. Patricij ſuper Coyrbre, & ſterilitate fluuij.

CAP. LIII.

Erant regi Leogario filio Neyll duo fratres, quorum prior natu vocabatur Coyrbre, crudelitate, & incredulitate ſimilis illi, ſi tamen in regione illa inuentus eſt ſimilis illi, qui contemneret & condemnaret legem excelſi. Alter adoleſcentior dicebatur Conallus, nihil amplius contrahens de generatione ſua, quàm quod piſcis de pelago, vel roſa de ſpina. Ad præfatum autem Coytbre conuertêdum, qui tunc manebat in loco agonis regalis vocabulo *Taillten* profectus Patricius, prædicauit veritatem fidei Catholicæ tenens, ſi quo modo poſſet de lapide illo ſuſcitare filium Abrahæ; ipſe verò cordis Adamantini ad credendum effectus, prædicanti ſibi ſalutem machinabatur mortem; in medio etiam fluuii proximi flagellauit famulos S. Patricij; ſciens enim ſanctus Patricius hominem in errore ſuo obſtinatum, & à Deo reprobatum, vocitans inimicum Dei prophetando dixit ad illum. Quoniam iugum Chriſti cœleſtis regis, cui ſeruire regnare eſt, geſtare recuſaſti, nullus de poſteris ſtirpis tuæ obtinebit Thronum regni tui, ſed perpetua ſeruitutè ſubiugabitur ſemini iunioris germani tui Conalli: hoc autem erit tibi ſignum, quod implebit Dominus verbum, quod locutus eſt per os meum. Fluuius vicinus manſioni tuæ, in quo tam crudeliter cæcidiſti famulos meos, qui præ abundantia piſcium

Laus Conalli.

paſcere te tuoſque conſueſcit, ab hodierna die vſque in æuum piſcem non procreabit. Verbum ergo viri Dei fixum ſtetit, quia tota poſteritas eius ſemini Conalli fratris ſui, ſceptrum regni obtinenti ſeruiuit, & fluuius ille Seyle vocatus, vſque in præſens piſce caruit.

De Conallo, & Prophetia S. Patricij ſuper eo.

CAP. LIV.

Relinqvens S. Patricius filios iræ ac tenebrarum in cæcitate cordis, & profundo ſui erroris, diuertit ad Conallum ſupra memoratum, futurum filium veritatis. Ipſe verò S. Patricium ſicut angelum pacis & lucis lætabundus, & laudans ſuſcepit, eiuſque ſalutiferæ prædicationi aures audiendi apertiens, credidit, & per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti Chriſto incorporari meruit. Quo in facto euidenter edocemur, figulum cœleſtem ex vna maſſa quædam vaſa ſecundum velle ſuum poſſe formare in iram & contumeliam, quædam in honorem & gratiam. Confortatus Conallus confirmatuſque in Catholica veritate totam manſionem ſuam cum fundo ipſius & prædio, S. Patricio obtulit, & vt inibi ad dilatandam Chriſtianitatem, ciuitatem ſibi, ſuiſque conſtrueret, crebris precibus efflagitauit: ipſe verò aſſeruit ſe velle aliud habitaculum ſibi ædificare in confinio ciuitatis ſuæ. Sanctus præſul neophiti ſui tantæ charitati congratulans, ne ipſius preces ſpreuiſſe videretur, ciuitatem, quæ nunc dicitur* *Dombnach Padruig*, id eſt, ciuitas Patricij ædificauit, & habitaculum Conallo, quod nunc nuncupatur * *Rathyrtair* tactu baculi ſui deſignauit. Sanctus illum deinde benedixit in nomine Domini, & inter cætera quæ ei ventura erant, ore præſago prædixit; Fauſtum & fœlix erit habitaculum iſtud, multique fœliciter in eo morabuntur, nec in eo alicuius hominis, niſi vnius tantum ſanguis effundetur; Benedicens benedicet tibi Dominus, & firmabit tibi ſolium tuum, multiplicabit imperium, ſemenque fratrum tuorum ſeruiet ſemini tuo in ſæculum. Omnia iſta, quæ Sanctus protulit ore prophetico, non ſunt fruſtrata ab euentu & effectu ſuo.

Eccleſia in Comitatu Dungallenſi.

Patricius Iacob ſpiritualis benedicit Conallo Iuda ſpirituali, & ſemini eius vſq; in ſæculum. Gen. 49.

De altari S. Patricij.

CAP. LV.

Sedit cordi S. Patricij Connaciam regionem viſitare, & præcipuè propter oraculum ſibi quondam in ſomnis factum, quo inuitaretur ab infantulis, vteris matrum illius regionis incluſis, patriotis illis regnum Dei optabat euangelizare. Propoſuit poſtea circuire totam inſulam, & perambulare eam, vt ad Chriſtum conuerteret eam. Sanctus ad iter procinctus, Conallum chariſſimum ſuum benedictione muniuit, & in ſui memoriã in ciuitate * præſcripta, quaſi quoddam pignus ſanctitatis ſuæ, altare ſuum lapideum ad ſalutem languẽtibus conferendam, ſignorum effectiuum reliquit; Cumque iter arriperet, altare illud ſequens illum egrediebatur, nec alicuius hominis oculis perceptibile fuit a quo portabatur, ſed (vt reor) eius potentia atque virtute, lapis ille poſt Patricium portabatur in via, cuius nutu de Iudæa in Chaldæam tranſuectus eſt *Habacuc* Propheta. Vt enim lapis ille angularis, ſcilicet Chriſtus, cunctis oſtẽderet Patricij ſanctitatem, abſque humana manu ferri fecit illum ſanctum lapidem. Reſpiciens Antiſtes ſanctus, altare modo tam miraculoſo poſt ſe geſtari, exultabat in Domino, reuerſuſque collocauit illud in loco idoneo. Ab illo ergo die vſque in præſens fixum perſtitit, ſed miraculis coruſcare non deſtitit, ac ſi virtus Patricij manſiſſet in eo, aut manaſſet ex eo.

Dombnach Padruig.

Dan. vltimo.

De Simulachris cœlitus comminutis, & fonte de terra producto.

CAP. LVI.

Rex Leogarius dæmonum deditus culturæ, cum plurima parte populi placere ſibi ſatagente adorabat quoddam Idolum ex auro & argento magnificè coopertum, & in campo, cui nomen *Maghſleidh* erat erectum. Nominabatur

mlnabatur enim *Ceancrvisbi*, id eſt, caput omnium Deorum, eò quod reſponſa dare putabatur à populo ſtulto & inſipiente qui colebat illud. Circumſteterunt etiam idem ſimulachrum xij. deiculi ærei, quaſi ſubiecti eidem & acclines. Diuertit ſe ſanctus Patricius ad locum illum, vt ſubuerteret ſimulachrum illud, & prædicatione ſancta eius cultores ad Creatoris culturam conuerteret. Sed cum prædicando, ſeu ſigna faciendo parum proficeret, nec Idololatras reuocaret à radicata in illorum pectoribus dementia, ad orationis conſueta confugit arma. Cùm ergo de vicino colle conſpiciens Idolum, & ob illius euerſionem puras manus in oratione protenderet ad Dominum, & contra illud minando eleuaſſet Ieſu baculum, ſubitò Dei virtute corruit in latus ſiniſtrum, defluxitque ab eo totum aurum & argentum penitus comminutum & in puluerem redactum; videbatur etiam in duro lapide, baculi velut effigiati veſtigium, licet non tetigiſſet illum, ac ſi molli ceræ vel butyro fuiſſet impreſſum: Cunctos etiam circum erectos deiculos vſque ad collum abſorbuit terra, eorumque capita extant adhuc ex humo prominentia. Sic, ſic, quod nõ valuit vis humana, effecerat potentia diuina. Plures, videntes quod acciderat, in Deum viuum, & verum crediderunt, & conſequenter baptizati (ſecundum Apoſtolum) Chriſtum induerunt. Gal. 3. In illo loco fontem optimum S. Patricius de terra prece produxit, in quo plures poſtmodum baptizauit.

De tenebris exterminatis.

CAP. LVII.

SAnctus, ſimulacris ſubuerſis, viam quò propoſuerat, carpebat, famáque ſanctitatis eius præuolans, præſentiam eius prænuntiabat. Cum autem appropinquaret Connactiæ finibus, duo Magi filij Neyll, in illis locis degentes, quorum vnus vocabatur *Mael*, alter *Cabhlait*, audierunt aduentum eius: erant ambo dominio dæmoniorum mancipati, non minus maleficiorum exercitijs, quàm naturæ generationis germine germani; hi maleficijs ſuis, denſiſſimis tenebris totam regionem obuoluerant continuatis per triduum, quibus ſe poſſe Patricio in fines illos, intercludere autumabant, ingreſſum. Filius autem lucis in cuius corde indeciduus Lucifer iugiter lucebat, dum cor, manus, & linguam orando extolleret in cælum, ac ſacris ieiunijs maceraret innocentiſſimum corpus ſuum, magicis tenebris per regionem illam ſparſis, Solis emergentibus luciſluis radijs, induxit exterminium: ipſe liberum in Connactiam nactus introitum, & tranſitum, omni niſu aperire ſatagebat indignis veritatis hoſtibus fidei oſtium.

De virginibus ad cælum migrantibus.

CAP. LVIII.

FVERVNT ſæpius memorato Leogario Regi duæ filiæ, velut de roſeto exortæ roſæ, *Esbne* rufa, & *Fedella* alba vocatæ, & à præfatis Magis nutritæ, & educatæ, quæ cùm die quadam manè, orto iam Sole veniſſent, lauandi gratia, ad quendam fontem perſpicuum, repererunt ſuper eiuſdem fontis marginẽ, cum aliis ſanctis Sacerdotibus, & viris, actu ac habitu religioſis, ſedentem Patricium: intuentes enim ſingulorum vultum & habitum, admiratione ſumma percellebantur, de genere & loco manſionis illorum diligenter ſciſcitantes, phantaſmata eos eſſe opinabantur. Sanctus Patricius admonuit illas potius in Deum ſuum credere, quàm de loco habitationis illorum, & genere ſolicitè inquirere. Puellæ verò de Deo certiora cupientes, inſtantius de illius potentia, diuitiis, & gloria perſiſtebant inquirentes. Sanctus verò docebat eas de fide Catholica, affirmans veris aſſertionibus Deum cœli, & terræ, maris, & omnium quæ in eis ſunt, eſſe plaſmatorem, & rectorem; & habere filium ſibi coæternum, coæuum, & conſubſtantialem, vbique regnantem, omnia regentem, omnia poſſidentem: promiſit etiam eis, pro terreno regno & tranſitorio, cæleſte & æternum regnum commutandum, aſſerens ipſas, ſi ſuis acquieuiſſent monitis ſiue conſiliis, cum Rege cæleſti contracturas caſtum & indiſſolubile coniugium. Cúmque multa in hunc modum

diuinæ doctrinæ verbis perſuaſibilibus prædicaret paſtor egregius, puellæ in Chriſtum crediderunt, & ab ipſo in eodem fonte baptizatæ ſunt. Chriſtianæ igitur effectę rogauerunt Patricium ſanctum, ſecundum promiſſum ſuum, ſibi faciem Chriſti ſponſi earum oſtendere. Ad quas ſanctus: oportet vos prius carnem & ſanguinem ſponſi veſtri, ore cordis, & corporis deuotè ſumere, vt tam vitali viatico vegetatæ, morte deguſtata, de hoc mundo immundo, ad eius thalamun ſtelliferum poſſitis tranſire.

Antiquitas præcepti ſumendi cæleſte viaticum ante mortem.

Virgines verò verbo viri Dei fidem accommodantes ſacram Euchariſtiam deuotè poſtulauerunt, & aeceperunt, ſtatimque obdormientes in Domino, ex mundis corporum habiraculis egreſſæ, ad cæleſtis ſponſi nuptias peruenerunt. Accurrentes autem amici, & cognati earum, planxerunt illas iuxta conſuetudinem patriæ, per triduum; ſicque recondiderunt illas ſacras exuuias in ventre matris omnium. Illo in loco extructa eſt Eccleſia, quam ſibi collatam poſſidet ſedes Ardmachana.

Ius Eccleſiæ Ardmachanæ.

Duo verò prænominati Magi, qui illas nutrierant, ſuper illarum morte moleſtati, ſanctum virum verbis valdè aſperis & amaris aggreſſi ſunt: ſed Patricio Dauidicam cytharam tangente, & Euangelizante illis regnum Dei, cōuerſi ad fidem in Chriſto baptizati ſunt.

De Mago fulmine percuſſo, & duodecim millibus hominum ad Chriſtum conuerſis.

CAP. LIX.

POST hoc, magnum & ſolemne ſolemni in loco à comprouincialibus in vnum congregatis celebrabatur concilium, cui intererant ſeptem filij *Amblaich*, viri genere, dignitate, diuitijs, ac potentia præclari, cum copioſa caterua ſuorum, ſecum aſtantium. Sanctus autem, vt in multitudine multos Chriſto lucrifaceret, ſe in medium cœtus contulit, & ad ſectionem, & ſuccifionem idololatriæ, arma ſpiritualia potentia Dei arripuit. Cumque inclytus prædicator euaginaſſet gladium ſpiritus, in dæmonum perniciem, & hominum ſalutem; quidam Magus *Rochait* nomine, ſurgens in medio, omni annisu conabatur Patriciū tollere de medio. Sed ne ſcelerati hominis conatus, in ſceleratiorem prorumperet actum, omnipotentis manus, miſſo deſuper igne, conſumpſit Gehennæ filium, fulminatum in conſpectu omnium. Viſo ergo tanto, tamque mirifico miraculo, & terrifico, ſeptem filij *Amblaich* cum duodecim millibus hominum in Chriſtum credentes baptizati ſunt, & in fide Catholica, quam ſuſceperant, fideliter, firmiterque permanſerunt. Duæ etiam filiæ cuiuſdam nobilis *Gleranni* nomine, quæ materna aluo incluſæ ſanctum Patricium inuocaſſe dicebantur, cum cæteris conuerſæ ad Chriſtum, in ipſo baptizabantur. Hæ poſtmodum ſanctè & religiosè viuentes, ſancto fine in Domino quieuerunt, & poſt mortem crebris ſignis ſeſe ſedes cum ſanctis in cœleſtibus accepiſſe docuerunt. Sanctus etiam Patricius præfecit huic populo conuerſo nouiter ad Chriſtum magiſtrum *Mancenum*, virum religioſum & optimè in ſcripturis ſanctis exercitatum.

De altero Mago, quem terra deuorauit.

CAP. LX.

DEDIT Dominus ſancto Patricio contra Magos forte certamen & frequens, vt vinceret & ſciret, quoniam omnium potentior eſt ſapientia, in cuius nomine contrita & euacuata ſunt eorum cuncta conamina. Sicut enim Iannes & Mambres (ſecundum Apoſtolum) reſtiterunt Moyſi, ſic Patricio perplures malefici. Altero namque die, in loco concilij ſupra memorati, Sathana inſtigante maleficus acceſſit alter, non alteratus à malefici, in ſanctum Pontificem, vt illum morti traderet conſimili inſurgens inſania. Sed dextera Domini magnificata eſt in fortitudine, quæ priorem percuſſit inimicum nominis ſui conſumptorio igne, iſtum ſequentem acceſſu & exceſſu in multitudine non minoris potentiæ deleuit à facie terræ. Terra namque dehiſcens, aperuit os ſuum, & Magum illum, qui ſe maleficijs multoties multimodis maculauerat, in ſeſe concludens demerſit in abyſſum.

2.Tim.3. Exod.7.

De tertio mago ad aures demerſo, & iterum eleuato.

CAP. LXI.

EXitialem exitum præfati malefici cernens carne, & ſecta illius germanus ingemuit, & qui fratri pereunti occurrere atque ſuccurrere non valuit, fraternam necẽ in Patricium velut ipſius interfectorem vindicare voluit. Efferatus ergo in eum, nitebatur ei mortẽ inferre. Sed Domino pro Patricio pugnãte ipſum Magũ vſq; ad aures abſorbuit hiatus terræ. Exclamãs homo, ab humo totus penè abſorptus, à Sancto veniam poſtulauit, ſeque in Chriſtum crediturum, & doctrinæ S. Patricij pariturum promiſit. Bonus paſtor Patricius miſericordia motus, pro eo preces fudit ad Deum, & continuò tellus euomens emiſit, & eleuauit eum. Miſer ergo ille miſericorditer liberatus, liberatori gratias egit, credenſque in Chriſtum, baptiſmi gratiam percepit. Sic, ſic Dominus diuidens inter lucem ac tenebras, quoſdam incorrigibiles & obſtinatos in malo diſtrictius damnat, quoſdam ad miſericordiam fugientes miſericorditer ſaluat.

De ſaxo à Sancto eleuato.

CAP. LXII.

PRæteriens S. Patricius quadam die vidit adunatam hominum multitudinem, vt amouerent à loco quendam lapidem prægrandem: diu in tali opere, ſed fruſtrà, deſudabant, quia conamine caſſo, velut viribus eneruati, & fatigati, illum eleuare, vel erigere non præualebant. Acceſſit Antiſtes almus ad locum, laudabilis latomus templi videlicet, Dei viui ædificandi in Domino, factáque oratione, ac datâ benedictione, ſolus ſaxum illud ingens, quod à centum viris actitari non potuit, amouit, erexit, leuauit, ac locauit in loco apto. Homines verò illi, illud opus mirabile admirabantur, & ad Deum ſancti Patricij conuertebantur credendo, & qui hactenus habentes corda lapidea lapides colebant, huius lapidis à ſancto leuati occaſione, in lapidem viuum pretioſum, angularem, electum, poſitum in fundamentis Sion, credebãt: Hunc lapidem ipſi diu reprobauerant, ſed iam tanquam lapides viui, fidei, Catholicæ cæmẽto conglutinati, ſacra doctrina ſecti, atque politi, & baptiſmo abluti, in templum ſanctum in Domino creſcebant. *Iſa. 28.* *Pſal. 117.*

De reſuſcitatione duarum fœminarum à morte.

CAP. LXIII.

VBicumque vir Domini Patricius prædicando proficiſcebatur, labia eius diſſeminabant ſcientiam ſalutarem, augebatúrque numerus credentium in Domino de die in diem. Dominus namque cooperans fideli famulo ſuo ſequentibus ſignis, ipſius confirmabat ſermonem, quia ipſe non adulterans verbum Dei, prædicando, ſeu ſigna faciendo, non ſuam propriam, ſed vbique Domini ſui gloriam quæſiuit, & laudem. Quodam quoque die profectus in prædicatione, ad locum quendam vocabulo *Fearta* deuenit, vbi in cuiuſdam collis rotunda ſuperficie, mulieres duas mortuas atque ſepultas inuenit. Homo verò Dei ad tumulum accedens, amoueri aggerem terræ fecit, & inuocato Chriſti nomine, funeratas reſuſcitauit. Reſuſcitatæ verò Idola vana, & Deos dæmonia clamantes, Chriſtum verum Deum eſſe, in conſpectu præſentium aſſeruerunt, & in nomine ipſius baptizari ſe petiêrunt quod & impetrarunt. Omnes ergo aſtantes Deum glorificauerunt, & eius fidem & baptiſmum deuotè ſuſceperunt. Sic profectus Pontifex ſanctiſſimus, duas mortuas in carne viuificauit à duplici morte, earumque reſurrectio corporalis multos reſurgere fecit à morte animæ. *Mar. ult.*

De duabus fœminis prægnantibus à morte cum prole reſuſcitatis.

CAP. LXIV.

ERat quædam in illis finibus fœmina *Fidelina* nuncupata, fidei Chriſtianæ ignara: hæc autem prægnans, in vtero filium habuit, ſed inſtante partu, ac deficiente vi-

tute pariendi animam exhalauit. Sed ſicut Math. 5. *non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita*, nec lucerna ſupra candelabrum eleuata, nec horti aromatici ſuauis fragrantia, ſic licet latere volentis, nec Patris Patricij latet præſentia. Virtus enim de illo exiens multos male habentes ad ſe trahebat, & odor vnguentorum eius plures poſt ſe currentes faciebat; horum itaque gratia, defunctæ mulieris amici attracti, cadauer ei⁹ exanime ad S. Patricium attulerunt, &, vt virtutem, quam in prioribus exhibuerat, in hac etiam poſteriori iteraret, lachrymoſis precibus petierunt. Vir Deo plenus, protinus ſe in orationem dedit, defunctâq; ad vitales auras reduxit; vitæ verò reſtitutâ parit filium, & tempore competenti poſt puerperium vnà cum prole ſuſcepit baptiſmum: Vtérque ergo ab vtriuſque hominis morte viuificatur per Patricium coram populo; Luc. 18. *Et omnis plebs vt vidit*, credidit, & *dedit laudem Deo*. De gloria cœleſti, & pœna infernali, quas vidit defuncta enarrauit, eiuſque teſtimonium credibile factum nimis, multa millia ad Chriſtum conuertit. Eodem modo poſt paululum mulierem alteram prægnantem, & defunctam, reſuſcitando, & vnà cum prole baptizando, iterauit hoc ſignum.

De Eccleſia ex limo terræ conſtructa.

CAP. LXV.

Ircuibat ſanctus Patricius fines Connactiæ, diſſeminans verbum Dei per vniuerſam regionem, nec ceſſauit a prædicatione, & ſignorum operatione, donec illius incolæ conuerterentur ad chriſticolarum religionem. Pluribus in locis Eccleſias conſtruxit, Sacerdotes & cæteros Eccleſiaſticos miniſtros ad regimen animarum, ac diuinum officium peragendum in illis conſtituit. Cum verò conſueto daret operi intellectum, venit in quã-dam planitiem ſitu & amœnitate aptam Eccleſiæ ædificandæ, ſed lignorum & lapidum expertem. Sylua namque longo interſtitio à loco diſtabat, & lapidicina non inueniebatur in partibus illis, vel ſi reperiretur vſpiam, operandi de eo vſus defuit indigenis. Sacerdos Chriſti præmiſſa oratione, vt creditur, cœlitus adiutus, ædificauit Eccleſiam ibidem tantummodo de limo terræ, tunc temporis perpulchro factam ſcemate, atque diuina præditam virtute. Nullo namque vento, gelu, grandine, pluuia aut aëris aliqua inclementia deteriorari dignoſcitur, ſed ab illo tẽpore vſque in præſens, in eodem ſtatu permanere perſpicitur. Sedes Sancti Patricij prope ipſam Eccleſiam, in qua prædicans reſidere ſolebat, oſtenditur, multáque miracula mirificantia S. Patricium inibi claruiſſe referuntur.

De duobus fluminibus, videlicet Dubh & Drobhaois.

CAP. LXVI.

Vo Flumina in partibus illis eſſe memorantur quorũ vnum *Dubb*, alterum *Drobhaois* nominatur; conſueuit vnum illorum *Dubb*, videlicet, piſcibus abundare, alterum verò nullum piſcem procreare. S. Patricius tranſiens ſecus ripam amnis piſcoſi, rogabat piſcatores, ex copioſa multitudine, quam ceperant, ſibi aliquod beneficium impertiri. Piſcatores charitate carentes chariſſimum Domini Patricium dimiſerunt vacuum, piſcem penitus ei denegantes. Deus autem author & amator charitatis, contractis corde, congelatiſque auaritia, conſuetæ copiæ piſcationis emolumentũ ſubtrahens, flumen illud perpetua productione piſcium euacuauit; & alterum vſque ſterile tunc, ſcilicet *Drobhaois*, copioſa fœcunditate deinceps ditauit. Eſt enim fluuius iſte, ſicut cæteris fœcundior, ſic eius aqua cunctis aquis in Hibernia clarior. Ex qua re ſapiens quilibet poteſt penſare, qua charitate colligere debeat vnuſquiſque membra Chriſti, & amicos Dei ſuſcipere, atque beneficiis ſuſtentare. Quidquid enim honoris, ſeu beneficij illis impenditur, Chriſto proculdubio exhibetur; ſicut è diuersò quod illis iniuſtè ſubtrahitur aut denegatur, illo ſe defraudatum Deus atteſtatur.

De voce emiſſa de ſepulchro.

CAP. LXVII.

SAnctus ſignifer Dominici vexilli, vt ipſe agere conſueuit, conſtituit, ad caput cuiuſlibet Chriſtiani extra cæmiterium ſepulti, crucem figere, quia in regione ad fidem nouiter conuerſa, præ paucitate Eccleſiarum, nouerat omnes defunctos in cæmiterijs funerandos non fore; voluit etiam optimus paſtor tam fœlici charactere oues ab hædis, ſepultos ſcilicet Chriſtianos à Paganis diſtinguere. Sic profectò Chriſticolæ venientes, viſo vitæ ſigno, funeratum fuiſſe famulum fidei crucis Chriſti valerent agnoſcere, atque pro eius anima non cunctarentur cunctorum conditori preces offerre. Fidelis planè conſuetudo, conſtitutióque omnium acceptione digna, vt qui in morte Chriſti baptizatus, & in fide ipſius eſſet mortu', ſtigmata mortis eius ſecus ſe, vel ſupra ſe haberet ſepultus. Contigit autẽ Patricio vero Iſraelitæ, in egreſſu ſuo de Connactia, in exitu ſuo de illo populo barbaro, à barathro iam elongato, & domeſtico Dei effecto, duorum hominum recenter tumulatorum ſepulchra intueri, viditque ad caput vnius eorum ſignum crucis erigi. Sedens in curru itaque, vt mos patriæ illo in tempore exigebat, aurigæ ſuo lorum retrahere iuſſit, ipſe oratione facta, quaſi ad viuentem, ad ſepultum loquens, quis, & cuius ſectæ fuiſſet, inquiſiuit; vox verò de tumulo emiſſa reſpondit, ſe hominem fuiſſe, ſecta Paganum, diuini cultus penitus ignarum: Quid tibi, inquit ſanctus, & cruci Chriſti, cuius cultor & confeſſor nunquam fuiſti? Et vox ad ipſum: qui iuxta me ſepelitur Chriſtianus extitit; veniensque quidam fidei veſtræ profeſſor ignotantia ductus, ad meum caput crucem poſuit. Hæc vox illa protulit, & conticuit. Deſcendens ilicò vir Domini de curru, crucem à loco illo amouit, illamque ad caput baptizati fixit, orauit, & inde diſceſſit.

De itinere eius, & ſignorum numeroſitate.

CAP. LXVIII.

EGreſſus Patricius de Connactiæ finibus, fundatis firmatiſque in fide, ad Aquilonalem partem Hiberniæ * Dalnardiam dictam diuertit, genteſque degentes illis in partibus, verbis & exemplis, ac miraculis ad fidem Chriſti, & fidei ſacramenta conuertit. Deinde tranſiuit montem *Fictb* vſque ad campum magnum *Bregb*, ſic per Midiam ad Lageniam progrediens; vbique fidem & regnum Dei euangelizauit, & quoſdam de diſcipulis ſuis in locis opportunis ad Epiſcopalem gradum ſublimauit. Quantis autem miraculis per totum iter iſtud claruit, quotve infirmis medelam ſanitatis præſtiterit, ſingillatim deſcribere, alicuius etiam diſertiſſimi ſtilus non facile poſſet. Non ſolum tangendo ſiue orando, verumetiam pertrãſeundo ex vmbra corporis ſui ſanitatem pluribus contulit, ac ſi fuiſſet alter Petrus. Quoſcunque vnda ſalutari nondum ablutos agnouerat, ad baptiſmum ſubeundum attrahere ſatagebat; quos verò baptizatos eſſe ſciebat, ne ab hoſte antiquo à fide auerterentur, aut ſub fidei ſpecie, aliqua hæretica doctrina ſubuerterentur, in fide confirmabat. Et quia fides, teſte Apoſtolo Iacobo, ſine operibus mortua eſt, & mortua fides non eſt fides; *ad ſanctæ ſinceræque fidei per dilectionem operantis opera bona, bonus prædicator, ſtuduit inſtigare credentes. Cæterùm, qui in profundum malorum venientes, illius doctrinam contempſerunt, Deoque rebelles, peruicaci pertinacia perſtiterunt in dæmonum cultura, Patricio precante, ſiue imprecante, ſæpe tulit è medio, diuinæ iuſtitiæ ſubita cenſura, ſicut in præcedẽtibus, & adhuc ſequẽtib' declarabit noſtra narratio.

*Dalnardiam.

Actor. 5.

Iacob 2.

* *Suppl.* meritoria.

De prophetia Sancti ſuper Dubliniа, & homine ſanato.

CAP. LXIX.

DIſcedens Patricius de Midiæ finibus, verſus Lageniam euangelizandi gratia, dirigebat greſſus. Cumque iter agens deueniſſet trans flu-

men *Finglas* nomine, ad quendam collem qui à pago *Athcliath* qui modò dicitur Dublinia, vno ferme miliari diſtat: conſiderans locum, & circumiacentia eius, & benedicens, in hanc fertur prophetando prorupiſſe vocem; *Pagus iſte nunc exiguus, eximius erit, diuitijs & dignitate dilatabitur, nec creſcere ceſſabit, donec in regni ſolium ſublimetur.* Quod profectò verbum, quàm fuerit veritatis effectiuum, probat præſentis temporis indicium manifeſtum. Poſt paululum præfatam intrauit villam, eiuſq; habitatores auditis ſignis, quæ fecerat Dominus, in manu illius cum gaudio proceſſerunt ei obuiam: Domini verò loci illius, filius vnicus laborabat in extremis, ita vt iam expiraſſe diceretur à multis. Sanctus autem rogatu patris, & cœterorum accurrentium, ad ægroti lectum acceſſit, genua in terram fixit, preces fudit, ſeminecem benedixit, ereptumque de faucibus mortis, mox in oculis omnium ſanum exhibuit. Homines autem videntes hoc ſignum, in auctorem vitæ crediderunt, & in eius nomine à Sancto Pontifice baptizati ſunt.

De fonte de terra producto.

CAP. LXX.

SAnctus Patricius in domo cuiuſdam matrisfamilias manẽtis in prænominato pago hoſpitabatur, quæ in eius præſentia, de dulcis aquæ penuria multùm conquerebatur: flumen namque ſecus villam præterfluens, ex acceſſu reumatis maris, penitus amaricabatur; nec ante receſſum refluuij, aqua dulcis niſi de longè hauſta ſibi afferebatur. Sanctus verò Patricius, qui iugiter *ad Deum fontem vi-*
Pſal. 41. *uum ſitiuit*, compaſſus hoſpitæ ſuæ querimoniæ, necnon & labori multitudinis in Chriſto recenter renatæ, quin potius vt ad fontem vitæ ardentius anhelarent, ipſius virtutem declarare cõgruum duxit. In craſtinum coram multis aſtantibus ad quendam locum aptum accedens, terram cuſpide baculi Dñi Ieſu, prece præmiſſa, percuſſit, & in nomine Domini de illa fontem optimum produxit. Eodem penè modo ſignum iterauit Dominus per baculum in manu Patricij ſui præconis, quo quondam per virgam operari dignatus eſt in manu Exod. 17.
Moyſi legiſlatoris petram percutientis: ibi petra bis percuſſa largiſſimas aquas emanauit; hîc terra transfixa fontem perſpicuum effudit. Eſt itaque fons ille Dubliniæ, ſcaturigine latus, profluxu peramplus, guſtu ſapidus, qui (vt dicunt) multis infirmitatibus medetur; & vſque in præſens, *S. Patricij fons* rectè vocatur.

De mortuis reſuſcitatis, Rege & populo cõuerſis, productione fontis, & tributis promiſſis.

CAP. LXXI.

DIuina prouidentia labili conſulit mundo ſolicitudinem ſcribendi literas, vt humanum genus, quod, morte interueniente, non poteſt in memoria permanere, ſcribendi ſuffragio, diuina vel humana magnalia poſteris recoleret temporibus, & quaſi præ oculis facta in vſum reuocaret. Eadem enim mihi, memoriæ commendãda videntur, qualiter glorioſus vir Hibernienſis populi Doctor egregius, Patricius, diſpenſandi verbi Dei gratia documentis, ſignis, ac virtutibus, trium-
phator factus hoſtis antiqui *in conue-* Pſal. 50.
niendo populos Hiberniæ *in vnum, & Reges, vt ſeruiant Domino*; tandem victor aduenerit in vrbem nobilem, quæ vocatur Dublinia. Hæc enim à Norvvagienſibus, & inſularum populis habitata, eiſdem tempore pacis, ob neceſſariorum adminiſtrationem, à Rege Hiberniæ conceſſa, in fauorem Regis, ſub Regina filia Regis Norvvagiæ initiata: in poſterum per varias rerum vices, modò fœderata, modo rebellis Regibus Hiberniæ conſiſtit. Adueniens igitur S. Patricius ad hanc, inuenit eam ſpurcitiis idolorum fæculentam, proprijque creatoris ignaram. Qui verò ſeras mortis, & inferni dirupit, ſuo famulo ad hanc facilem fecit ingreſſum: nam Rex & ciues, qui ante dicebant domino, *Recede à nobis ſcien-* Iob. 21.
tiam viarum tuarum nolumus, ita luctu erant deiecti, vlulatibus, & lamentis occupari, vt omnis memoria ſolitæ ferocitatis, barbaricæ ſcurrilitatis, omniſque idololatriæ faſtus ſopiretur. Miſerabili namque

ſpectaculo

ſpectaculo illa die, gemina ſpes regni, & ciuium ciuitatis deliciæ, ſolatia ſenum, ſodales iuuenum, filius ſcilicet Regis Dubliniæ, thalamo fuit defunctus; ſororque eius germana, ſtudio natandi flumen vicinum ſubiēs, medio gurgite abſorpta interiit. Ingens in vrbe tumultus oritur, & adoleſcentis filij Regis neglectis exequiis, ordine confuſo litus aditur: pars, non depoſitis veſtibus, flumen ſubintrat; alia pars natabili agilitate, profunda aquarum penetrat; alij præueniunt nauigio curſum maris, ne forte præceps in abyſſum corpus puellæ regiæ deuoluat. Sed ſpeculatores viri, aſcenſa naui, & expanſo aureo ſcuto, aſpiciunt in aqua puellam glareis inhærentem, ſimilémque dormienti: paſſa moram nullam, regia puella defertur à profundis aquarum, vehitur thalamo fratris ad exequias, ſicque Gentilium ſuperſtitione præparantur mauſolea. Interea rumor fit in aula, quod ille Patricius Ardmachanus, qui in nomine Iguoti, plures mortuos iam reſuſcitauerat, cernebatur illa die nouus hoſpes in vrbe. Audiens hoc Rex, gauiſus valdè, facit eum venire, quò duorum natorum pignora iacuerant: plenus iam fide fidelem ſe, totámque ciuitatem fore, promittit, ſi Deus, Sancti viri precibus natos eius vitæ reſtituat. Huic voto fauent omnes Proceres, ac tota ciuitas ad fidem anhelat, ſi reſurgendi iuuenibus facultas veniat. Videns igitur Sanctus, animarum lucra ibi eſſe parata, fuſis precibus, præſentibus Rege, & populo, Regios adoleſcentes vitæ priſtinæ reparauit; qui cooperatores fidei ilicò effecti, reſurgentes in corporibus, animárum reſurrectionem ſunt cooperati in patre & populo. Et Rex quidem vocabatur *Alphinus*, filius *Cechadb*, filia vero *Dublinia*, quæ ciuitati nominis ſui dedit vocabulum. *Dubliniā vnde dictum.* Hoc ergo miraculo ſtupefacti, reijcientes idola cum cęteris ſpurcitijs dæmonum, Rex totuſque ſuus populus conuerſi ſunt ad Chriſtum, & baptizati ad fontem Patricij, iuxta ciuitatem ad Auſtrum, quem ad augendam credentium fidem percutiens terram cum cuſpide baculi Ieſu fecerat ebullire; vnde & iuxta eum, victimam ſalutarem Sanctus obtulit; ibique vſque hodie B. Patricij & ſucceſſorum eius Ardmachanorum Primatum honor conſeruatur & reuerentia. Ex illa ergo die Rex Alphinus, & omnes Dubliniæ ciues vouerunt ſe, & omnes poſteros ſuos in ſeruitium. S. Patricij, & Ardmachanorū Primatum, ſtatuentes Eccleſiam iuxta prefatum fontem, & aliam manſionem iuxta Eccleſiam Sanctæ Trinitatis, & in ciuitate ad Occidentem eiuſdem ſedis Archipræſulis. Statuerunt ergo reditum S. Patricio ſuo Patrono, videlicet de ſingulis nauibus mercimonialibus capam cōpetentem Ardmachano Primati, aut cadum mellis, ſeu vini, aut ferri falcem, ſeu menſnram ſalis: de ſingulis vero tabernis medonis ſeu ceruiſiæ metretas ſingulas; de omnibus etiam officinis & virgultis, exenia donumque conueniēs, in ſotularibus, chyrothecis, cultellis, pectinibus, & aliis huiuſmodi rebus. *Tributū debitum Primati Ardmachano à ciuitate Dublinienſi.* Et illa quidem die Rex & alij Proceres ſingula talenta obriſi auri ſinguli obtulerunt, alij verò, quod poterant, offerebant. Quæ omnia collata pauper Chriſti Patricius pauperibus erogauit, parte retenta pro ſtructuris Eccleſiarum. Benedixit ergo ſenior benedictionibus Iacob Patriarchæ, benedictionibus Moyſi ſerui Dei, *Gen. 49. Deut. 33.* cuius ætate & ſpirituali ducatu geſſit formam, Prophetans, & precans, eos inuictos fore & fortunatos, ſi dictis facta compenſarent; imbecilles verò, & miſeros eos redderet votorū pręuaricatio. Quod liquidò fuerat comprobatum, quando ſuperbiens populus oblitus benedictionis S. Patricij debitos reditus neglexit perſoluere.

De ſententia Murino illata.

CAP. LXXII.

INcolis Dubliniæ tum ſanctæ prædicationis inſtantia, tum ſignorum efficacia confirmatis in fide ſuſcepta, Pontifex ſanctus benedixit & valefecit, atque ad ſimile opus ſe accingens iter proprium inchoauit. Proficiſcens igitur ad oppidum vicinum peruenit, quod à modernis caſtellum *Cnoc* dicitur, vbi quidam vir tunc Belial, & infidelis Murinus nomine dominabatur. Voluit ſanctus prædicator illum in viam vitæ & veritatis inducere: at filius mortis audiens famam virtutum, & ſapientiæ eius, quibus neminem putabat poſſe reſiſtere, abſentauit ſe ab eo, velut à ſæuiſſimo hoſte. Mandauit illi Sanctus, vt ſaltem ſibi ſui copiam exhiberet, remandauit ille latitans in quodam conclaui, quatenus ſe dormire

ſineret. Quæ cum vtrinq; ſæpius repetita fuiſſent, & Sanctus, Spiritu ſancto docente, virum illum Gehennæ filium intelligens, Dei iuſtitiæ concordans, ſubintulit, dicens: *Dormiat, dormiat, nec ante diem iudicij euigilet, aut reſurgat*, hæc dicens Sanctus inde receſſit, & ille miſer ſomno vtriuſque mortis oppreſſus occubuit. Sic profectò qui dormiens, ad vocem amici ſponſi ſe excitantis à mortuis, exſurgere contempſit, vt illuminaret ſibi Chriſtus, tenebris infideliter obuolutus, ad terram tenebroſam, opertam mortis caligine deſcẽdit perpetuò manſurus: vndè & inepto ſopore ſtertenti Hibernica imprecatione crebrò ſolet dici, *Sic tu dormias; ſicut Murinus obdormiuit ad verbum ſententiantis S. Patricij*.

Epheſ. 5.

De Foylge duplici morte mulctato, & deluſore dæmone ex eius corpore effugato.

CAP. LXXIII.

EVit in finibus Lageniæ idololatra quidam vir Belial, Foylge rufus nomine, incomparabilis aduerſarius nominis Chriſti ſecundum ſuum poſſe. Hic quærebat crebrò opportunitatem mittendi manus nefarias in Chriſtum Domini Patricium, eò quòd eſſet ei grauis, non ſolum ad videndum, verumetiam ad audiendũ. Inueterato namq; odio erga virum Dei ſtimulabatur, eò quòd Idolum *Ceanncroythi* ſuperius nominatum deſtruxerat, cuius culturæ deteſtabili ſpecialiter mancipatus exſtiterat. Sed cum ille nequiſſimus nequiuiſſet affectum effectui mancipare: die quadam in S. Patricij aurigam, O*dranum* nomine, ſedentem in curru, irruens iugulauit eum in oculis eius, vt acrioris languoris aculeo, propter necem interfecti, inſtimularetur cor eius. Sanctus ſauciatus corde maledictionis iaculum in ipſum filium Gehennæ intorſit, talique telo confoſſus, eodem die vitam exuẽs, ſpiritum fœtidum in tartarea habitacula mergendum eructauit. Vt enim quidam ſcripſerunt, idem Odranus præſciens Sathanæ ſatellitem in necem Sancti Præſulis penitus conflatum, precibus obtinuit apud virum Dei, vt eodem die vice ſua minaret currum. Hoc ideò fecit, vt in loco Sancti ſedens animam ſuam pro eo poneret, ne, tali lucernâ extinctâ, populus Hiberniæ in tenebris iterum ambularet. Sanctus animam eius in cælum ab Angelis conſpexit deferri, & inter martyres locum ſortiri. Antiquus autem hoſtis, corporis mortui habitaculum ingrediens, quaſi rediuiuum illum hominibus exhibuit, ipſeque fallax & fantaſticus Foylge, quaſi ad ſua ſuoſque regreſſus in domo propria habitauit. Euolutis aliquantis diebus propè domum illam S. Patricius tranſitum faciens, quendam de familia ad ſe accerſiuit, & vbi Foylge eſſet inquiſiuit; illo verò reſpondente, virum domi eſſe: Sanctus fertur aſſertiuè dixiſſe. *Anima Foylge, ex quo interfecit aurigam meum iniuſtè, iudicante ac vindicante iuſtè cauſam meam Domino, ſtatim exiens de corpore, ſepulta eſt in inferno: Sathanas autem cadauer eius ad illuſionem ac ſeductionem hominum occupauit ingreſſu ſuo vſque adhuc manens in eo, velut in vaſculo proprio.* Interdixit denique Sanctus Sathanæ, ne vlterius demoraretur in illo vaſe, ne amplius ludificarentur homines tam nefando phantaſmate. Continuò ad imperium viri Dei, ſeductorius ſpiritus luteum domicilium deſeruit; illudq; ſcaturiens vermibus, videntibus fœtorem & horrorem incuſſit, & vt ab oculis omnium tolleretur, ſepulturę celeri mãdatur. Nec nimis mirandum, ſi ſe dæmon demonſtraret conſueti inſtrumenti ſui viſibili forma, ipſo *Foylge* hoc promerente, ac Domino permittente, cuius *iudicia abyſſus multa*; ſed potius timeatur ille qui poteſt perdere corpus & animam in gehennam. Pſal. 35. Luc. 12.

De Prophetia Sancti ſuper Regibus Momoniæ.

CAP. LXXIIII.

EXiens Patricius à finibus Lageniæ, proſperè properauit iter ſuum in regionem Momoniæ. Audiens, aduentantem Antiſtitem almum, Rex illius terræ, *Oengus* nomine, occurrit ei lætabundus, & laudans præ cordis exultatione; materiam verò exultandi, ac fidem ſuſcipiendi ſibi miniſtrauit, quòd illius diei diluculo adoraturus idola ſua phanum ingreſſus, ipſa omnia in terram proſtrata in facie

facie reperit. Et cum ſæpius ab eo erigerentur, diuinitus expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare, ſed continuò proſternebantur. 1. Reg. 5. Sicut enim quondam Dagon ſtare non potuit ſecus Arcam Teſtámenti; ſic nec idola in aduentu finibus illis approximantis. S. Patricij. Ipſe namque non incongruè dici poteſt arca fœderis, qui in corde mundo, velut vrna aurea, manna contemplatiuę dulcedinis, tabulas diuinę legis, virgamq; præferebat diſciplinæ cæleſtis. Adduxit ergo eum Rex præfatus in domum ſuam in ciuitate *Caſſel* cum magna reuerentia & honore, quia ex multo tempore ſitiuit in illum, & animus, & oculus eius propter multa mirabilia, quæ cognouerat illum actitaſſe. Ad prædicationem enim S. Patricij Rex credidit, in nomine ſanctæ Trinitatis, in quo, & regeneratus eſt vnda lauacri ſalútaris. Poſtea cum benedixiſſet Regem, eius tangendo caput, id crebrò cum ſumma deuotione poſtulantis, pes eiuſdem Regis vulneratur cuſpide baculi Pontificis. Rex autem auiditate ardentiſſima benedictionem accipiens à Domino Epiſcopo, nullum vulneris dolorem, licet ſauciatus ſenſit in corpore, cuius mens vulnerata charitate recuperata, ſuæ animæ gaudebat ſoſpitate. Data verò benedictione, animaduertens Sanctus pedem Regis cruentatum, crucis ſignaculum imprimendo, benedixit illum, & reddidit ſaniſſimum. Rege verò de ſigno inſigni in ſe patrato exultante, & gratias agente, Præſul ſpiritu prophetico plenus prædixit illi, dicens veridica voce: *Non effundetur ſanguis alicuius Regis, qui de ſtirpe tua in loco iſto ſedebit ſuper thronum tuum, niſi vnius tantùm.* Hanc prophetiam aſſerunt illius regionis indigenę, irrefragabili veritate ſuffultam eſſe, quoniam Regem nullum ex poſteris eius vſque ad decimam generationem præter vnum narrât hiſtoriæ occiſum fuiſſe. Remanſit in loco illo tabula lapidea, ſuper quam Sanctus fortaſſe celebrauerat diuina Sacramenta; vocatur autem ab Hibernicis *leac Phadruig*, id eſt, lapis Patricij, ſuper quem ob reuerentiam illius ſolent Reges Caſſelenſes in principatum promoueri, & in regni ſolium ſublimari.

De Dercardij, ſuorumque extinctione.

CAP. LXXV.

DE migrauit poſt hæc Sanctus ad fines Vrmoniæ, vt ex illis locis ſpinas & vepres erroris, qui antiqui hoſtis verſutia plantati ſuccreuerant, erueret, ac triticum Euangelicum inibi ſpargeret. Vir verò quidam de *Comdothan* vocabulo *Lonanus*, gratanter illum hoſpitio collegit, atque illi, ſuiſque itineris conſortibus cœnam magnam fecit. Sanctus verò Patricius dignum duxit diſpertire illis ſpirituales epulas & æternas, qui ſibi præparauerant temporales & tranſitorias. Cænâ autem factâ, cum Sanctus vitæ verbo ſatiare ſatageret magis mentes quàm ventres, quidam improbus nomine *Dercardius* irreuerenter acceſſit, & inconditis importuniſque ſermonibus, imo clamoribus, Pontificis aures onerans, animum affligens, os quodammodo obſtruens, alimoniam poſtulauit. Sanctus verò quod illi daret ad manum non habens, erubuit, improbitatem etiam, quæ prædicationi ſuæ impedimento fuit aliquantulum moleſtè accepit. Intuens vir quidam *Neſſan* nomine, ſpiritum iuſti anxiatum, arietem obtulit illi, quem ſtatim iuſſit Sanctus dari importunè petenti. Accepto igitur veruece, reuertebatur homo ad ſuos, exultans & iactitans ſaxei cordis Patricij duritiam importunitate ſua ſe penetraſſe, ſicut & guttæ aquæ iugiter ſtillantis, lapides ſolent excauare. Mactant ergo homo, & ſui arietem, & ſicut velle ſe nouerant, præparant, & manducant. Adhuc autem veruecinæ carnes erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper Pſal. 77. eos, carniumque eſus, velut virus peremptorium, repentè Deo vindicante iniuriam ſerui ſui, extinxit vniuerſos. Qua in teſtatis admonemur, à moleſtia famulis Dei ingerenda cautius cauere, ne offendamus omnipotentem Deum, illorum inhabitatorem & propugnatorem in eorum grauamine.

De duobus fratribus corrixantibus.

CAP. LXXVI.

BEatus Patricius, vt Angelus pacis annuntiaturus pacem illam, quæ exuperat omnem ſenſum humanum, his quippe qui propè & procul ſunt in ſanguine Ieſu Chriſti, tranſiuit per medios fines *Ciarraghi*. Et cum iter carperet, vidit de proximo duos fratres, *Bibradium*, & *Locradium* nuncupatos, patre recenter defunćto, & funerato, ſuper hæreditate inter ſe diuidenda, linguas prius in litigium acuentes, & paulò poſt ad inuicem acerrimè confligentes. Cum autem vterque in alternam necem ferrum ferociter ſtringeret, vetitus eſt Sanćtus vehementer, ne fratricidij facinus fieri in ſuo conſpećtu contingeret. Sanćtus igitur, cor ad compaſſionem miſerorum immiſericordiam, os ad orationem, & ad benedićtionem manus mouit; eorumque manus cum brachiis, inſtar ligni, aut lapidis immobiles & inflexibiles efficiens in aëra ſuſpendit. Videntes igitur ſeſe tam miraculoſo euentu prequentos eſſe, à concepti ſceleris furore conquieuerunt, & ad arbitrium Sanćti *Euangelizantis pacem, annuntiantis bona*, prædicantis ſalutem, in fraternæ charitatis mutuam gratiam redierunt. Pacificatis itaque fratribus, ac benedićtione data, reſtituit Sanćtus manuum ac brachiorum officia. Ipſi verò ad ædificandam Eccleſiam contulerunt Sanćto Præſuli agrum, in quo accidit huiuſmodi miraculum.

De refećtione miraculoſa xiiij. millium hominum de. V. animalibus.

CAP. LXXVII.

POſtquam ſignipotens Pontifex Patricius ſuis ſanćtiſſimis monitis Momoniæ munierat incolas, quos iam fide Chriſti repleuerat; nitebatur viſitare partes Aquilonares terræ, ſcilicet fines filiorum *Neyll*, vt eius inhabitatores ad fidem conuerteret, vel in fide confirmaret. Rex autem *Oengus* præfatus cum duodecim ſubregulis, & aliis Magnatibus ſibi ſubiećtis, & maxima multitudine hominum, xiiij. videlicet millium ſequebatur Sanćtum, *pane vitæ & intellećtus* refici cupientium. Cum autem perueniſſent ad flumen *Broſnaeh* nomine, vbi Triamus Epiſcopus, natione Romanus, S. Patricij itineris & laboris ſocius, in loco *Choibeach* vocabulo habitabat, totius multitudinis vtrumque hominem reficere Sanćtus deſiderabat. Prius ergo omnes, qui doćtrinæ deſiderio ad eum confluxerant, ſpirituali alimonia ſatiauit; deinde ipſis ad cænandum diſcumbere iuſſit. Præfatus autem Pontifex Triamus vnam tantum vaccam habuit, de cuius laćte ſolebat ſuſtentari, & illam ad præparationem cœnæ fecit occidi. Sed hæc quid inter tantos? Patricius ergo dilećtus Domini, dirigebat orationem in cæleſte ſanćtuarium, & ecce ſubitò duo cerui ex vna parte nemoris vicini, & duo apri ex altera prorumpentes, tanquam domiti, & domeſtici, vtpotè diuinitùs deſtinati, venerunt ad illum. Hos, altiſſimo largitori gratias agens, ſimili modo iuſſit occidi, fuſâque benedićtione apponi. Comederunt cunćti, copioſéque ſaturati ſunt, & reliquiæ, ne perirent, collećtæ ſunt; Ex quinque ergo animalibus quatuordecim millia hominum in eius nomine pleniſſimè Patricius pauit, qui de quinque panibus, & duobus piſcibus quinque millia hominum ſatiauit. Ipſe namque dixit, *qui credit in me, opera quæ facio ego, & ipſe faciet, & maiora horum faciet*, vt glorificetur Pater in Filio. Non diſcrepant enim miracula hæc, imo licet varientur in numero, quia vtrumque ſignum idem Dominus operatus eſt, illud in ſe, iſtud in ſeruo ſuo. Craſtina autem die reperta eſt in campo vacca ſimillima occiſæ & comeſtæ, quæ ceſſit in vſum vićtus Triamo Epiſcopo, vt de illius aleretur laćte. Exit enim ſermo inter plures affirmans eandem eſſe vaccam & à S. Patricio reſuſcitatam. Nos verò Deo nihil impoſſibile dicimus, ſed fatćum hoc fuiſſe nec negamus nec aſtruimus.

Eccleſ. 15. *S. Triamus.* *Matt. 14.* *Ioan. 14.*

De nouemdecim à S. Patricio reſuſcitatis à mortuis.

CAP. LXXVIII.

Mirandis magis miranda in eodem loco ſuccedunt, mirabilemque Deum in Sancto ſuo cunctis liquidò oſtendunt. Signum enim ſubſequens ampliori admiratione dignius cenſetur, quàm præcedens. Cum enim vir Dei Patricius contemnentibus Deum & præcepta eius, prædicando pœnas perpetuas intentaret; eiuſque mandata cuſtodientibus vitæ perennis præmia promitteret, miraculi inauditi argumento irrefragabili verbis fidem fecit. Sed ne vllus ambiguitatis ſcrupulus in cordibus audientium deinceps emergeret, nouemdecim mortuos ac ſepultos de tumulis ſub omnium oculis reſuſcitauit, è quibus vnus, *Fota* nominat*, funeratus, & à diebus multis incineratus per decēnium, in ſepulchrali lare latuit. Omnes igitur ad vitam reducti pœnas, quas perpeſſi ſunt, in auribus aſtātium narrauerunt, Deumque verum & viuum, quē Patricius prædicabat vnanimiter clamauerunt. Rex verò *Oengus* vniuerſuſque populus hæc videntes, glorioſum Deū in Sanctis ſuis, mirabilem in maieſtate ſua, facientem ſigna & prodigia, qualia non ſunt viſa ſuper terram illam, glorificauerunt: ſanctumque Patricium tanquam Sacerdotem excelſi Dei, vt ſuum proprium Apoſtolum honorauerant. Deinde reuerſi ſunt vnuſquiſque ad propria: crebro dicētes, quia vidimus hodie mirabilia. Reſuſcitati etiam omnes, à S. Patricio baptizati ſunt, & vitam pænitentialem profitentes, monachalem habitum ſuſceperunt & cum B. Triamo Epiſcopo degentes in ſanctitate & fide vſque ad vitæ terminum permanſerunt.

De filia Regis ſanctimoniali effecta.

CAP. LXXIX.

Peruenit S. Patricius in regionem Neyll, in qua principabatur rex *Echu* nomine, habens filiam, nomine *Cynyiam* vnicè dilectam, quam in conſequenti cōgruum duxit nuptui tradere. Puella paternum propoſitum poſtpoſuit Patricio exhortanti, ad centeſimum fructum virginitatis promerendum paruit, carnaléſque nuptias nauſeans, cæleſti ſponſo ſe illibatam offerre, & conſeruare corde ſtatuit. Vidēs pater in filia mentis columnam circa cuſtodiam caſtimoniæ virginalis immobilem ſtare, Sanctum ad ſe accerſiens, ait illi: deliberaui & ſtatui ex corpore natæ, nepotum procreatione proſapiam meam ad robur regni & ſolatium meum dilatare: ſed ſucciſſa eſt ſucceſſio, fruſtrata eſt ſpes mea in hac parte per te. Si ergo pro tātæ ſtirpis amiſſione promiſeris mihi regnum cæleſte, & me inuitum non compellas Baptiſmum ſubire, filia mea famulabitur factori ſuo ſecundum formam exhortationis tuæ: alioquin non defraudabor à deſiderio meo, ſed ab effectu fruſtrabitur prædicatio tua. Sanctus in Domino confidēs, eius diſpoſitioni negotium iſtud totum commiſit, & quod petebatur, Regi ſimpliciter promiſit. Puella verò à ſancto velata & conſecrata, in virginitate, & aliis virtutum exercitiis, Domino ſeruiens multas exemplo ſuo ad obſequium Dei deduxit, atque in hac vita & poſt mortem miraculis coruſcauit. Commendauerat Sanctus illam cuſtodiæ ſanctæ virginis *Cethuberu*, quæ prima omnium Hibernicarum à S. Patricio velum accepit, cui etiam monaſterio *Drumdurban* dicto, magna multitudine virginum Chriſto ſeruientium repleto, præpoſitæ epiſtolam exhortatoriam Sanctus ipſe ſcripſit. In hoc monaſterio S. *Cynnia* viuens deguit, & cum pluribus virginum turbis in Domino quieuit. *Prima Sãctimonialis Hib.*

De rege Echu reſuſcitato.

CAP. LXXX.

Elapſa aliquanto temporis ſpatio, incidit Rex *Echu* in lectum doloris, & cum morbo inualeſcente ſenſiſſet, ſibi diem mortis imminere, deſtinauit nuntium ob ſanctum Patricium vocandum ad ſe. Diſtrictius etiam prohibuit corpus ſuum à ſuis ſepeliri ante ſancti Præſulis aduentum, eo quòd ipſe promiſerit ſibi cæleſte regnum, & maximè quoniam ab ipſo deſiderabat ſalutare laua-

chrum ſuſcipere. Hæc dicens expirauit, eiuſque corpus iuxta præceptum ſuum vnius diei noctiſque ſpatio ob expectationem Patricij inhumatum iacuit. Sanctus Patricius in Saballino monaſterio conſtitutus, quod à loco, vbi ipſe defunctus iacebat, duobus dietis diſtans, regis obitum in ſpiritu agnouit, & antequam regis nuntius deſtinatus ad ſe adueniret; ad iter verſus domum defuncti ſe procinxit. Affuit tandem Sanctus Dei, & de Regis deceſſu doluit, præſertim, quia ſine baptiſmi perceptione de corpore migrauit. Orauit Sanctus ad Dominum, & geminæ mortis vinculis abſoluit illum, quia enim abſque regenerationis Sacramento deceſſit, continuò vitæ reſtitutum regulis fidei inſtruxit, inſtructumque baptizauit, baptizato autem Rege, coram plebe ad eiuſdem ædificationem, ac commendationem ſuæ prædicationis narrare præcepit, quæ de pœnis reproborum, & gaudiis electorum plenius agnouit. Cumque multa miranda de illis referret, inter cætera dicebat ſe ſuum in cæleſti patria à Patricio ſibi promiſſum vidiſſe locum, & quia baptizatus nondum fuerat, illuc intrare non poſſe, ſicque ob precem Sancti iuſſu diuino corpus ſuum reinduiſſe. Sciſcitabatur ab eo Sanctus, vtrū mallet in hoc mundo viuere diutius, an in inſtanti ad locum ſibi præparatum pergere. Reſ-

Electio Regis rebu. pondens Rex reſuſcitatus, ſe totius orbis dominium, diuitias, delitias, inſtar inaniſſimi fumi ducere aſſeruit in comparatione gaudiorum cœleſtium, quæ oculata fide probauit. Sed rogo, inquit, vt abſoluar à

Rom. 7. *corpore mortis huius*, & educar quantocius de carcere iſto, quia vehementiſſimè

Phil. 1. *cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto*. His dictis accepit Euchariſtiæ viaticum, &ſic dormiens in Domino abiit in immortalitatis locum.

De homine gigantea ſtatura reſuſcitato.

CAP. LXXXI.

QVadam die euangelizandi & curandi cauſa, conſueta Patricius itinerans: reperit ſecus viam, miræ longitudinis ſepulchrum: ineſtimabili dimenſione diſtentum. Hoc autem fratres conuiantes videbant: ſed præ ſtupore admirationis, quod aliquis homo infra buſti ſepta ſepultus tantæ longitudini reſponderet, nullatenus credebant. Sed ſanctus affirmabat Deum facile poſſe illorum oculis huius Gigantei hominis reſurrectione fidem facere, ſi ipſi nihil hæſitarent titubantes in fide. Erat etiam tunc tēporis, non parua dubitatio ac diſceptatio ſuper fide generalis reſurrectionis. rogabāt igitur S. Patriciū intentiſſimè, quatenus dictis facta compenſaret, & ſic ab eorū cordibus omnem ſcrupulum dubitationis eliminaret. Res ſtupenda, & ſæculis retroactis incomperta. Accedens igitur almipotens Antiſtes propius, fuſa oratione cum baculo Ieſu ſignauit ſepulchrum, & de puluere reſuſcitauit ſepultum. Stetit ergo vir ille coram illis: ſtatura & aſpectu horribilis. Intuitus eſt S. Patricium, & flens amariſſimè dixit ad illum. Immenſas gratias ago tibi Domine, Dei dilecte & electe, qui ſaltem vel vna hora à pœnis inenarrabilibus, & à porta inferi eruiſti me. Deprecabatur etiā ſanctum Epiſcopum, vt ſe permitteret pergere ſecum: abnuit Sanctus, aſſerens homines nō poſſe præ terrore ferre faciem eius. Interrogatus à viro Dei quis eſſet? reſpondit ſe filium *Chays*, *Glarcum* nomine, porcarium quondam Leogarij Regis Hyrotæ fuiſſe, & iam expletis centum annis, à quodā viro, cui nomen *Fynnan mac con* ſibi inſidiante in regno Coyrbre iugulatum extitiſſe. Admonuit S. Patricius virum in omnium Creatorem Trinum & vnum Deum credere, & in eius nomine ad ſalutem baptiſmum ſuſcipere, vt poſſet locum illum tormentorum euadere. Reſpondit ille; in Deum, quem omnipotentem ſciuit, ſe firmiter credere, atque in eius nomine baptiſmum velle ſuſcipere. Aiebat etiam ſe dum viueret ex creaturarum ſpecie creatorem intellexiſſe, & licet ignoraret eum, ſecundum poſſe ſuum dilexiſſe. Credens ergo à ſancto Patricio baptizatus eſt, ſicque expirans, ac priſtino ſepulchro intumulatus, & à ſupplicijs ſecundum verbum ſancti Patricij liberatus eſt. Sanctus ergo conſiderans & commendans inæſtimabiles diuitias bonitatis Dei, exhortabatur omnes ad amandum ardenter, conſtanter, perſeueranter Deum, & maximè qui ſciunt, & intelligunt ipſum, & credunt in eum, aſſerens hominem illum hanc miſericordiam eſſe conſecutum ob dilectionis ardorem, quem quamuis ignorās habuit erga Deum.

De

De homine incinerato & reſuſcitato.

CAP. LXXXII.

QVidam Regulus principatum tenens in Humeſtia, credidit ad prædicationem ſancti Patricij, cum gente ſua & Baptizati ſunt. Cum autem Sanctus, illum ſuper generali reſurrectione credenda inſtrueret, non facile fidem accomodauit, quia corpora in puluere reſoluta, in ſtatum priſtinum naturæ propriæ, ſed meliorandæ, reſuſcitanda nullatenus credere volebat. Sed cum vir Dei multa ſanctæ Scripturæ teſtimonia, exempla, ſigna & prodigia depromeret, vt illum à ſuo reuocaret errore: tale refertur ad S. Patricium reſponſum protuliſſe. Si auum meum à diebus multis incineratum reſuſcitaueris, in virtute Ieſu Chriſti, firmiter credam reſurrectionem mortuorum, quam prædicando aſſeruiſti. S. Patricius hoc audiens, ipſo regulo cum plebe multa incedente cum eo, ad tumulum acceſſit, & cum baculo Ieſu illum ſignauit, humumque erui fecit, & oratione facta, hominem in admirationem omnium aſtantium, & confirmationem fidei Catholicæ reſuſcitauit. Erat enim proceræ ſtaturæ, aſpectuque terribilis valde, diſſimilis tamen priori in longitudine. Ipſum etiam ad iuſſum ſuum pœnas infernales enarrantem, & baptiſmum in nomine Chriſti deuotè petentem, idem Sanctus baptizauit, baptizatum Euchariſtia ſacra percepta, ſicut & ipſe petierat, obdormientem iterum, ſed in Domino, proprio ſepulchro collocauit. Nulli ergo præſentium de reſurrectione mortuorum ambigebant: quoniam illam teſtimonio tam credibili, ſigno tam euidenti comprobatam, præ oculis habebant. Huius ſigni & præcedentis, Sanctus in epiſtola quadam meminit, quam ad quendam dilectum ſuum in vltramarinis partibus degentem ſcribens, inter cætera dicit. *Dedit mihi Dominus exiguo, virtutem faciendi ſigna in populo barbaro, qualia nec à magnis Apoſtolis leguntur facta, ita vt in nomine Domini Dei noſtri Ieſu Chriſti, reſuſcitarem à mortuis corpora in puluere ab annis multis reſoluta: Nullus tamen obſecro credat, me ob iſta ſiue his ſimilia, parificandum Apoſtolis, aut aliquibus perfectis viris, cum ſim exiguus, & peccator, & contemptibilis*: Attendat auditor in quanto perfectionis culmine vir iſte mentem fixerat, qui talia tantáque operans, tam humilia de ſe ſentiebat. Ego planè plus admiror in ſancto iſto magnam humilitatem, quàm mortuorum reſuſcitationem.

De puero à porcis diſcerpto, & reſuſcitato.

CAP. LXXXIII.

ALius regulus *Elelius* nomine, valdè reſiſtebat doctrinæ S. Patricij, nec vllatenus aurem audiendi aperuit ipſi prædicanti, donec vexatio daret intellectum illius auditui. Quadam namque die filius eius vnicè dilectus à porcis eſt conculcatus, & ex parte magna comminuitur & deuoratur. Quod cum agnouiſſet pater, ſcidit veſtimenta ſua, & prouolutus veſtigijs S. Patricij, quod ſibi accidit, expoſuit, voce lachrymoſa: promiſit etiam in Deum ipſius ſe crediturum, & eius præceptis in omnibus obtemperaturum, ſi reſuſcitaret, in eius nomine, filium ſuum. Sanctus autem præcepit cuidam diſcipulorum ſuorum Malachiæ nomine, Britanno natione, vt defunctum & diſcerptum ad vitales auras reduceret à morte. Ille inobediens & incredulus verbis Sancti viri exiſtens, ex fidei puſillanimitate reſpondit, dicens: Quis eſt homo, in terra, qui poſſit oſſa cõminuta reintegrare, neruos reſolidare, ſuccreſcentes carnes reformare, & cutem ſuperextendere, ſpiritum corpori, & vitam defuncto induceret? Non petam, & non tentabo Dominum ſuper tali temeritate, nec aggrediar opus, quod non poſſum adimplere. Et Sanctus ad eum, nonnè legiſti promiſſum Domini Io. 14.
dicentis: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*: Et iterum. *Si habueritis fidem, ſicut granum ſinapis, dicetis huic monti, transfer te hinc, & mitte te in mare, & fiet.* Illo Matt. 17.
reſpondente, ſe legiſſe ſæpius, ſubintulit Sanctus, dicens. Quoniam, inquit, quãtum in te eſt, verbum Domini, & fidem noſtram euacuaſti, prædico tibi, quod domum exilem & exiguam habebis in terra, & non

erit niſi habitatio tantum vnius hominis in Eccleſia tua. Iniunxit deinde duobus Epiſcopis *Elbeo*, & *Hilaro*, diſcipulis ſuis quatenus defunctum puerum reſtituerent ſuperis: adjiciens, quòd illos ad illud agendum adiuuaret orationibus ſuis. Paruerunt Pontifices Patri ſuo Patricio præcipienti, eiuſque adiuti precibus puerum diſcerptū & dilaniatum, non ſolum vitæ, ſed etiam integræ ſanitati reſtituerunt, & priſtinæ pulchritudini, & valetudini. Credidit ergo Regulus, & cum omni domo, & plebe ſibi ſubiecta eſt baptizatus. In loco verò patrati miraculi Eccleſiam conſtruxit, & in memoriam Sancti Patricij, & duorum Epiſcoporum, & pueri reſuſcitati, quatuor lapides prægrandes erexit. Quod autem Sanctus inobedienti diſcipulo prædixit, conſequenter euenit. Quare autem non à ſe ſolo, ſed à diſcipulis fieri hoc miraculum voluit, fateor eſſe mihi, meique ſimilibus adhuc incognitum. Quibus tamen ſane ſapiens intelligat, Sanctum Patricium iſtum defunctū, ſicut & cæteros in nomine Domini reſuſcitaſſe, cuius præcepto præſtricti, precibus ſuffulti, quod excellentius eſt, eius diſcipuli ſignum iſtud potuerunt facere.

De turpiſſimo per Sanctum Patricium effecto pulcherrimo.

CAP. LXXXIV.

Fvit quidam ex Hyberniæ magnatibus Eugenius vocabulo, qui diu prædicanti ſibi reſiſtebat Patricio: ſed verbi viui, & efficacis ratione tandem circumſeptus, & conſtrictus, ac ſignis irrefragabilibus conuictus, credidit: atque vitalis vndæ lauacro lotus, in Chriſto renouari meruit. Erat idem diues, & potens in regno, ſed vultu membrorumque habitudine cunctis deformior, qui fuerunt ſub eius conſtituti dominio. Hic multoties ſuper deformitate ſua Sancto Patricio conqueſtus, precabatur illum, vt precum ſuarum obtentu, ſuæ larualis faciei horrorem exterminaret, vt ſic Dei ſui omnipotentiam, in quem cunctus populus credidit experiri poſſet. Quadam vice Sanctus Patricius precibus pulſatus hominis, de ſeipſo ſic verecundati atq; confuſi, ſciſcitabatur ab eo, cui in forma optaret aſſimilari. Ille verò circumſpectis cunctis, in circuitu poſitis, prælegit ſpeciē *Roichi* Eccleſiaſtici, cuſtodis codicum Sāncti Patricij; erat ipſe natione Brito, gradu tunc Diaconus, ſancti præſulis conſanguineus, ſpecioſus forma præ filijs hominū in finibus illis degentium. Erat nihilominus homo vitæſāctiſſimæ, vt dicere poſſet illud Pſalmiſtę, ex ſentētia, *Domine, in volūtate tua præſtitiſti decori meo virtutem.* S. verò Patricius fecit eos in vno lecto, ſub vno amictu ſomnum capere: ſtanſque, ſuper eos leuauit puras manus in oratione. Res mira & valde inuſitata! Cum excuſſo ſopore à ſtrato ſurrexiſſent, nulla in vtriuſque vultu apparuit diſtantia. Diſcreuit illos tantummodò tonſura. Cunctos ergo hoc agnoſcentes admiratio percuſſit: ſed hoc in ſe ſignum experti copioſior lætitia pectus perfudit. *Pſal 29.*

De præfato homine in altitudinem ſufficientem creſcente.

CAP. LXXXV.

Voniam Sanctus Patricius Eugenio prædicto ſuper forma in melius mutata ſatisfecit, ipſe cōfidens adhuc de impetratu, petitionem alteram adiecit. Erat enim valde puſillæ ſtaturæ. Precatus igitur Pontificem ſanctum, vt quod ſuis meritis non præualet homo, in nomine Dei ſui adjiceret ad ſtaturam ſuam cubitum vnum. Præcepit Patricius homini menſuram deſideratæ longitudinis ſibi oſtendi. Stetit ille articulis pedum innixus ſuper haſtam ſuam erectam, extrema digitorum quantum potuit extendit, ſuique ſtaturam ad eiuſdem menſuræ altitudinem popoſcit pertingere. Orante ergo Patricio, ſub oculis omnium, homo, imo homuncio ad præoſtenſam altitudinem excreuit: & ne ſigna magica, ſeu mendacia iudicarentur, in ſtatura & in forma præſcripta, in admirationem multorum, vſque ad vitæ terminum perdurauit. *Luc. 12. Math. 6.*

De

De S. Olcano Doctore & Epiſcopo, de terra ſublato.

CAP. LXXXVI.

QVidam Regulus iter agens audiuit non ſine ſtupore magno, quaſi vocem pueruli flentis emiſſam de tumulo: Stans autem iuſſit ſuis aperire ſepulchrum, inueneruntque intus cum admiratione magna iuxta matrem mortuam infantulum viuum. Ex communi ergo cōſilio eductum illum à ſepulchrali lare, ad Sanctum portauerunt Patricium, quem ipſe baptizās, ob dolorem quem ſuſtinuit* Olcanum vocauit, temporeque acceptabili tradidit literis imbuendum. Qui grandiuſculus effectus, diſcēdi auiditate Gallias adijt, ibique diutius degens multæ literaturæ ſcientiā adeptus, repatriauit: repatriatus ſcholas rexit, innumeros diſcipulos, quorum plures Epiſcopi Sancti fuerunt, erudiendo in literaturæ copiam prouexit. Ipſe verò Doctor egregius, Epiſcopalem gradum aſcendit; in ſanctitate multa vitam terminans, miraculis etiam multis claruit.

* *Deriuatur à verbo Hibernico, olc, i. malum.*

De dente S. Patricij ex amne, lucente.

CAP. LXXXVII.

TRanſiuit quadam vice Sanctus Patricius, cum ſuo ſacro comitatu quendam amnem *Dabhall* nomine, & quia adueſperaſcebat dies, & inclinata iam erat, ſecus ripam pernoctaturus, fixit tētorium infra perpulchram prati planitiem. Accedens Antiſtes ad aquam, manus & os lauit, ac lauando gingiuas, & dentes digitis digniſſimis fricauit, fricando vnum dentium præ ſenio, vel infirmitate motum cum ſputo fortuitò, vel potius nutu diuino in aquam proiecit, quo comperto, diſcipuli eius dentem in aqua diligenter quæſierunt, ſed diu quæſitum inuenire nequiuerunt. Noctis verò ſubſequentis ſub obſcuro, dens in amne iacens, velut ſydus lucidiſſimum, emicuit, cuius fulgur omnes ſecus ſe hoſpitantes, ad ſui ſpectaculum ac inuentionem adduxit. Dens itaque tam miraculoſo euentu inuentus ad patrem defertur, ab ipſo & à cunctis omnipotenti Deo gratiarum actio, pro re quæ contigit, offertur. Sanctus autem in eodem loco, Eccleſiam ædificauit, dentemque præfatum infra altare poſuit. Qui profectò locus multis claruit miraculis, & vſque in præſens vocatur *Cluayn-fiacal.* i. Eccleſia dentis. Eiuſdem igitur Domini virtute, inſtar radiantis ſyderis, ſancti Patricij dens illuxit, qua de molari mandibuli dente aſini ad precem Sampſonis de Philiſthæis *Iudic 15.* triumphantis, fons aquæ profluxit. Diſtat Eccleſia illa fermè quinque miliaribus à Metropoli Ardmachana Ciuitate.

De Prophetia Sancti, ſuper Treba Virgine, & velo ab Angelo delato.

CAP. LXXXVIII.

BEatus Patricius quodam tempore, dum quēdam Magnatem, nomine Cartanum, & vxorem eius abluiſſet ſalutari lauacro, indicauit mulieri eam habere filiam in vtero, quam ipſe velaturus eſſet, & in virginitate conſecraturus cæleſti ſponſo. Tempore conſtituto peperit fœmina filiam, quam baptizantes nominauerunt *Trebam*, quæ, decennio completo, cauſa conſecrationis ſuſcipiendæ, iter arripuit veniendi ad Sanctum Patricium; ſed propoſitum perueniendi præpediuit ſtagnum interpoſitum. Fatigata igitur, & anxiata in ripa reſidebat, locumque in quo Sanctus Pontifex fuit à longè oculo ac animo ſitibundo aſpiciebat. Præſul Sanctus, Sancto Spiritu reuelante, iter Virginis, & deſiderium agnouit, factaque oratione à loco illo ſtagnum amouit; ſicq; cum ſuis, ſiccis veſtigijs pertranſiens ad illam peruenit. Cum verò Sanctus Patricius prænominatam *Trebam* Virginem conſecraſſet, ab Angelo Domini velum capiti eius impoſitum eſt, vſque ad nares pertingens, & oculos contegens: Sanctiſſimus Antiſtes appoſuit manum, ab oculis amouere velum volens, ſed puella ſuppliciter prohibuit, dicens; Obſecro, mi Domine, dimittatur velum, ſicuti eſt capiti ancillæ

tuæ impoſitum, ne videant vlterius oculi mei huius ſæculi vanitatem, ſed intuitu potius puriori homo interior, ſponſi mei contempletur claritatem. At gaudens Pontifex propoſito puellæ puriſſimo, velamentum dimiſit: & ſicut cælitus erat impoſitum, genas eius turturinas, & oculos columbinos, omni tempore vitæ ſuæ, cooperiens, ac ſi faciei eius agglutinatum eſſet remanſit. Sic ſic, huius ſacri velaminis obiectu quęlibet illecebroſa ſpecies ab aditu ad illam arcebatur, ne mors vllatenus per feneſtras eius ingrederetur.

De prophetia Sancti ſuper ſanctitate S. Columbæ.

CAP. LXXXIX.

PRinceps quidam, Conallus nomine, petiit, & impetrauit benedictionem à S. Patricio. Acceſſit ad ſanctum, intentione ſimili, frater illius minor natu, Fergus nomine, vnus, imo præcipuus de Optimatibus terræ, Sanctiſſimus Antiſtes præmiſſa oratione benedixit hominẽ, aptatis manibus ſuper caput eius, cum magna mora, & ſumma deuotione. Videns germanus eius natu prior, & dominio, quòd iuniorem benediceret diligentius, & deuotius, quàm ſe; miratus & moleſtatus eſt valde: Patricius, ob benedictionem, viri faciem obſcuriorem ſolitò perpendẽs, cauſam tam moroſę benedictionis prophetando propalauit, dicens. *Benedicens benedixi Ferguſſũ fratrem tuum propter filium benedictum, ex eius ſemine naſciturum. Filius enim eius Fedhleminus, generabit puerum Columbam nomine, nomen ſortiturum ex re, quia Spiritu ſancto replebitur ex vtero matris ſuæ. Siquidem ipſe theſaurus ſapientiæ & ſcientiæ diuinæ locupletabitur, & ſingularis lucerna generationis ſuæ ardens, & lucens, & propheta altiſſimi iure vocabitur; ex quo enim ad intelligibilem ætatem peruenerit, nunquam ſpontaneum mendacium ex ore illius exibit.* Quam veraciter iſta prophetia de S. Columba, qui *Columcille* dicitur, & centum cænobiorum extitit fundator, fuerit prolata, ſcire plenius poterit, qui volumen legerit ſcriptum de eius vita.

Prophetia S. Patricij de S. Columba, ex qua liquidò conſtat ipſum nõ Scoto Britannum, ſed Hibernum eſſe.

Exiſtimo auctorem loqui de vita S. Columbæ per Adãnanum ſcripta.

De flumine diuiſo, & benedicto.

CAP. XC.

VEnit S. Patricius quadam vice, tranſeundi cauſa ad quoddam flumen magnum, & intranſuadabile, *Boallum* nomine: & cum omne defuiſſet nauigium, oratione facta, diuiſit fluuium, & liberum ſibi, ſeque ſequentibus exhibuit tranſitum. Erecta deinde dexterâ, flumen illud benedixit, miroque modo vſque in præſens in Orientali parte ab equitantibus ac peditibus poteſt tranſuadari, & nullus in occidentali parte tranſitus, niſi nauigio, valet inueniri. Fluuius etiam ibidem à Sancto benedictus, copioſius, quàm in cæteris locis abundat piſcibus. Diſcipulis autem mirantibus, & rationem & cauſam huius miraculi tam grandis exponi ſibi depoſcentibus, reſpondit S. Patricius: *Filius vitæ, Columba nomine nondum natus, poſt multorum annorum curricula in loco illo habitabit, & aqua taliter diuiſa, illi atque commilitonibus ſuis in Chriſto, in varios vſus neceſſaria erit; copioſa nihilominus captura piſcium, fratribus inibi manſuris miniſtrabit victualium ſuſtentamenta.* Sanctus verò Columba poſt multum temporis natus, ex quo fuerat adultus, ibidem cænobium egregium ædificauit: & Patricij præſagium veritate ſubnixum, habitatione ac opere comprobauit.

Prophetia de S. Columba aduentu repetita.

De Prophetico eius ad S. Connedum promiſſo.

CAP. XCI.

VIſitauit S. Patricius fines Turturinorum, quibus in locis ſeptem hebdomadibus moram fecit, ſeptemque Eccleſias in tantillo temporis ſpatio extruens, quamlibet illarum *Dominicam* nuncupauit. Hoc enim habebat Sãctus in conſuetudine, vt vbi demoraretur Dominico die, ſi Eccleſiam illic fundaſſet, *Dombnach*, id eſt, Dominicam appellaret. Vni autem Eccleſiarum ſeptem prædictarum, quendam de diſcipulis ſuis præpoſuit, nomine Connedum, virum bonum & Sanctum, preſbyterum gradu, lege diuina

Conſuetudo S. Patricij in nominandis Eccleſiis.

diuina eruditum. Suſcipiens ille regimen illius Eccleſiæ, cauſa potius obedientiæ, quàm captu ambitionis propriæ, vnam hebdomadam tantum ibidem compleuit, atque conſequenter eam derelinquens ad S. Patricium remeauit. Sancto Præſuli inquirenti ab illo ſuæ reuerſionis tam feſtinę cauſam: reſpondit, ſe non æquanimiter poſſe ferre illius tam dilecti Patris abſentiam. Nec mirandum, reſpondit S. Patricius, quia filij vitæ non ſunt in illo loco, ſed viri ſanguinum, & commeſtores pecorum, quorum tu formidas ferrum, timéſq; ſanguinem tuum effundendũ. Reuertere, reuertere ſecurus, neque timeas à facie eorum, quoniam nullius hominis ſanguis effundetur in loco illo, vſq; in generationes generationum. Acceptóque tali reſponſo à S. Patricio, vir venerabilis *Connedus* ad Eccleſiam illam regendam regreſſus eſt, verbumque S. Patricij verum eſſe multis rerum argumentis euidentium, vt afferunt patriotæ, probatum eſt.

De Mannia, & aliis inſulis ad Deum conuerſis.

CAP. XCII.

VIdens S. Patricius in Hibernia *Meſſem quidem multam, operarios autem paucos*, transfretauit Britanniam acquiſiturus ſibi coadiutores in agrum Dominicum & cooperarios. Et quia peſtis Pelagianæ Hæreſis, & etiam Ariana perfidia pluribus in locis, Britanniæ fines fœdauerat; ipſe prædicãdo & ſigna multa faciendo patriotas ad viam veritatis reducebat. Exſtant adhuc in Britannia perplura loca miraculorum eius conſcia, crebriſque miraculis ſanctitatem illius redolentia. Collectos, deniq; viros multos literatos & Religioſos ſecum adduxit, è quibus triginta in Epiſcopalis officij faſtigium poſtmodum ſublimauit. Renauigãs Hiberniã, ad inſulas maris cõuertendas diuertit è quibus *Euboniam*, id eſt, *Manniam*, tunc quidem Britanniæ ſubiectam ſalutari prædicatione, ac ſignorum exhibitione ad Chriſtum conuertit. Inter quæ ſigna, illud inſigne claruit; quod quidam maleficus *Melinus* dictus, inſtar Simonis magi, ſe Deum afferens ac æthera volatu diabolico repetens, precibus

Luc. 10.

Triginta Epiſcopi Brutani.

Actor. 8.

eius è ſublimi corruit, præcipitatus, confractúſque interiit. Quẽdam diſcipulorum S. Patricij virum ſanctum & ſapientem, Germanum nominatum, in Epiſcopnm promotum, illius gentis Eccleſiæ nouellæ regentem præpoſuit, & in quodam promontorio, quod adhuc inſula Patricij dicitur, eò quòd ipſe ibidem aliquantulum demorabatur, & Epiſcopalẽ ſedem poſuit. Aliis autem Inſulis ad fidem Chriſti conuerſis, ſingulis ſingulos, aut etiam plures præfecit præſules, de diſcipulis ſuis: ſicque Hiberniam repetiit. Conſueuit enim S. Patricius, non ſolum in vrbibus, verumetiam in oppidis, & locis celebrioribus Epiſcopos conſtituere, ne baptizati villatenus defraudarentur Epiſcopali confirmatione. Hoc etiam à Sancto procuratum eſt, vt fideles in præſenti haberent, qui miniſtraret Pontificale officium illis, dum Diœceſis non nimis extenſa non ſubtraheret illis præſentiam atque cuſtodiam ſui paſtoris. Quarundam Inſularum incolæ legem Dei per S. Patricium prædicatã abiecerunt, abalienati a fide retrorſum; & ideo vſque in hodiernum diem priuantur ſpeciali Dei dono, quòd cæteris Inſulis in fide ſuſcepta perſeuerantibus, ſuper venenoſorum animalium abdicatione per Patricij preces conſtat collatum.

Multitudo Epiſcoporum tempore S. Patricij.

Sacramentum Confirmationis.

De prophetia ſancti ſuper ſex Clericis, & pelle data illis.

CAP. XCIII.

SEx Clerici, natione Hibernici, vnanimi deſiderio diſcendi ſcripturam ducti, atque loca ſancta viſitandi, verſus trãſmarinas partes iter arripuerunt; caſuque fœlici S. Patricium de Britannia regreſſum, obuium habuerunt. Ipſis verò, genibus flexis, petentibus benedictionem, Sanctus benedixit, ipſoſque omnes Epiſcopos futuros prędixit: Agnoſcens pontifex vnum ipſorum, qui natu maior, & robuſtior cæteris videretur, omnium codiculos in ſinu portantem, eo quod nõ haberet aliud, in quo portaret ad manum, iuſſit illis dari pellem phocinam, ſuper quam in celebratione miſſarum ſtare conſueuerat, ad ſacculum inde faciendum. Munere S. viri cum gratiarum actione ſuſcepto, proſperè transfretauerunt: nec ab illo die aliqua grauis eos ap-

prehendit inopia, ſed ſiue itinerando, ſiue in ſcholis commorando, ſemper arriſit eis honeſta ſufficientia. Cognouerunt igitur Sanctum ſubuentorem ſui in benedictionibus ſuis, Dominumque conſeruantem illis miſericordiam ſuam ipſius meritis. Proceſſu verò temporis optimè literis imbuti repatriauerunt, & infra tempus breue, ſecundum verbum S. Patricij, omnes Epiſcopi effecti ſunt. Horum autem Sacerdotum ſanctorum nomina ſunt: Lugacius, Columbanus, Meldanus, Lugadius, Caſſanus, Ceranus, quorum, Sedium Epiſcopalium nomina deſcribere, certa ratione ſuperſedemus. In multis etiam, vocabula locorum, & etiam perſonarum, ob incognitam verborum barbariem deuitamus, ne latinis auribus faſtidium, aut horrorem ingeramus. Prædicti tamen Pontifices in Eccleſia Dei, verbo, & exemplo plurimùm profecerunt, & in magna ſanctitate vitam terminauerunt: multa etiam miracula ſolebant narrare in pellem præfatam patrata, quæ adhuc manet integra, & pro reliquijs, ob S. Patricij memoriam conſeruata.

De prędicatione S. Patricij triduo continuata.

CAP. XCIV.

SAnctus Patricius prædicabat populis plurimis, de diuerſis partibus in vnum conuenientibus in loco Hiberniæ *Fionnabhair* vocato, qui latinè interpretatur, albus campus. Legebat & interpretabatur illis ſeriatim Sacroſancta quatuor Euangeliſtarum volumina, tribus diebus continuis, & noctibus; omneſque præſentes exiſtimabant non plus temporis effluxiſſe, quàm vnius tantum diei ſpatium, ita fœliciter decepti, delectatique ſalubriter in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius: ô ſalubris, delectabiliſq; deceptio, per quam falſitas excluditur, veritas inducitur, illuditur tempori, nox ſubtrahitur, dies per triduum continuari perſpicitur. Ne cauſetur lector, quòd nominauerim deceptionem, cum Propheta clamet ad ſuum conditorem: *Seduxiſti me, Domine, & decepiſti*: & Apoſtolus Paulus, quibuſdam diſcipulis ſuis, dicat: *Cum eſſem aſtutus, dolo vos decepi*: Bonus dolus, qui ſalutem animarum acquirit; optima ſeductio, quæ ad Deum perducit.

Ier. 20.

2. Cor. 12

De viſione B. Brigidæ, & eius expoſitione.

CAP. XCV.

BEata itaque Brigida conuenticulis præfatis intererat, quæ, reclinato capite, dormiebat. Sanctus Antiſtes prohibuit, ne quis Dei dilectam ſuſcitaret, & euigilaret, donec ipſa vellet. Sicut enim ex fine claruit, illud in Canticis ei ſatis congruit, *Ego dormio, & cor meum vigilat*; eò quod ſponſus eius ſecreta ſua ei reuelabat. Eidem Sanctæ Virgini poſtmodum euigilanti, Sanctus Præſul præcepit, vt cunctis enarraret, quæ in ſomnijs vidit. Obtemperans illa verbo Sancti, dixit: Vidi Synodum candidatorum, & aratra, & boues, & ſegetes, cuncta candida, deinde omnia illa maculoſa, poſtmodum omnia nigra: ad vltimum, conſpexi oues, & ſues, canes, & lupos diſcordantes ad inuicem, & confligentes. Sanctus autem Patricius viſionem exponebat, totumque candorem præfatum ad mundi ſtatum, tunc temporis præſētem, pertinere dicebat. Omnes enim in eo Prælati & ſubditi, erant in fide, ac bonis operibus, ſecundum Euangelicam doctrinam, & Apoſtolicam fertiles & feruidi. Maculoſa quæque ad tempus ſequentis generationis ſpectare dicebat, in quo fide quidem canderent, ſed eam prauis operibus denigrarent. Nigredinem ſubſequentem aſſerebat tempori generationis ſecuturæ congruere, in quo vitam ſuam homines, non ſolum iniquis operibus prophanarent, ſed etiam fidei Chriſtianæ abrenuntiatione. Diſcordiam ouium, ſuum, canum & luporum, pronuntiabat controuerſiam innocentium, & immundorum prælatorum, bonorum & prauorum affuturam in diebus poſtetę generationis, poſt annorum ſcilicet curricula plurimorum. His dictis a loco, ſoluta collecta, Sanctus receſſit, Virginiſq; viſionem, atque ſanctiſſimi interpretationem, veritate ſuffultam irrefragabili, ſicut reor, nullus ambigit.

Cant. 5.

De

De Angelis Dei, & luce cœleſti, & Prophetia S. Patricij.

CAP. XCVI.

BEatus Patricius ſingulas regiones Hiberniæ crebro conſueuit viſere, ac prout temporis opportunitas expetebat, & ratio dictabat, in eis moram facere. Vndè & ſeptem annis continuis in regno morabatur Momoniæ, totidemque In regione Cōnachtæ. Diutius tamen degebat in Vltonia, in qua primitus regnum Dei Euangelizans, ad Chriſti fidem illius incolas perduxerat, cuius fines ſingulos crebrius ſua ſancta præſentia perluſtrando illuſtrabat. Vbicunque proficiſcebatur, auditores ſuos, aut ad fidem Chriſti conuertebat, aut in fide Chriſti confortabat. Quadam igitur vice viſitans S. Patricius illam plagam Vltorum, quæ Dalnardia dicitur, per locum quendam *Mucoemuir* vocatum tranſiens, progrediebatur, diſcipuluſque illius, nomine Benignus ſuperius memoratus, gradum figens, in cæleſtibus aliquod mirum contēplabatur. Vidit enim luciſluos Angelorum choros, locum illum claritate cælica circumfundere, audiuitque ipſos cum inæſtimabili melodia laudes creatori canere. Stans horum mirabilium deuotus ſpeculator, dulcedinis intimæ replebatur tripudio, nec tamen intelligebat, quid prætenderet Angelicæ præſentiæ, lucis coruſcæ, hymnodiæ cælicæ, in illo loco exhibita apparitio. Poſt modicum verò temporis interuallum, admirabilis viſio illa ab oculis Benigni tota diſparuit, illeque præcedentis Patris Patricij veſtigia ſequendo, vt ad ipſum perueniret, greſſus accelerauit. Sancto verò ſciſcitanti cauſam retardationis illius, retulit viſionem oſtenſam ſibi cælitus. Sanctus verò Pontifex diuinitus edoctus, quid innueret, aut indicaret perfuſio luminis & cantus Angelicus exponens, dixit coram præſentibus. Scitote, filioli chariſſimi, quod in illo loco, quidam filius vitæ, nomine Colmanelus, Eccleſiam ædificabit, multoſque filios lucis, ac conciues Angelorum futuros, ibidem adunabit. Ipſe præſul, atque totius Hiberniæ legatus efficietur; virtutibus ac ſignis conſpicuus, pòſt huius vitæ tenebras terminans, ab Angelis Dei, ad æternam lucem & requiem transferetur. Proceſſu verò temporis, loco illo, & perſonæ prænominatæ, & Prophetata omnia euenerunt, ſicut S. Patricij labia diſtinxerunt.

De tentatione ſanctimonialis extincta.

CAP. XCVII.

VEnerabilis Benignus inter cæteras munerum dotes, quibus illum ditauerat diuina gratia, vocis in cantu dulciſonæ, quadam pollebat prærogatiua: ita vt audientium compungendo pleriſque penetraret aures & corda. Sed quoniam virtus, aut donum diuinitus collatum pleriſque ſolet eſſe odor vitæ in vitam, quibuſdam odor mortis in mortem: Ex vocis melodia miniſtrabat tentator delinquendi occaſionem. Quædam namque ſanctimonialis fœmina dum oblectaretur, circa S. Benigni cantum mellifluū, auribus crebrò perceptum, interiori deſiderio ſuccendebatur ad peccatum criminale, cum ipſo viro Dei, huius ignis ignaro committendum. Turpinm ergo ſcematum fomentis adhibitis, feruens, & fœtens in tantum exarſit, & excreuit concupiſcentia, vt vix in eius pectore ſe caperet amoris pernicioſi flamma. Et quia propter diſciplinam S. Patricij puella non poterat potiri ſecretò Benigni colloquio, ex acceſſus, & alloquij ipſius difficultate, ampliori vrebatur incendio. Calliditate igitur fœminea inſtructa, grauiſſimam infirmitatem ſimulans, decubuit doloris lecto, implorans cum ploratu, animæ conſilium, ſacræque communionis, ſalutare viaticum à Sancto ſibi præberi Benigno. Erat enim tunc gradu Sacerdos, magna veneratione habitus, qui; & officium ſacerdotale ſacris adornabat actibus. Sanctus autem Patricius, reuelante ſpiritu ſancto, non ignorabat quo ſanctimonialis illa laborabat incommodo. Accito itaq; diſcipulo ſuo, videlicet Benigno, præcepit, vt ægram viſitaret, & quæ ſaluti animę congruebant illi miniſtraret. Obſecundans ille Patri ſpirituali, eius benedictione poſtulata, & percepta, domum decumbentis intrauit, editoque ſigno crucis, ſicut moris erat, vbique Patricio domum quam- *Modus in gradiendi domumin primitiua Hiberniæ Eccleſiæ.*

libet ingredienti, omnes inſidias latentis inimici ſaluti hominū inuidentis, aut quieti, effugauit. Res mira claruit atque præclara, & licet inuſitata, tamen vtiliſſima; Eleuans oculos puella vidit ingreſſi Benigni ſtaturam valdè terribilem, faciemque eius flammigeram illud habitaculum, atque ſe ipſam intus & exterius colluſtrare, Sanctúmque Patricium manibus ſuis caput ipſius obumbrare. Ab illa ergo hora vſque ad vitæ terminum, ignem venereum in carne ſenſit extinctum, ac ſi corpus ligneum, vel lapideum geſtaſſet, non carneum. Diligebat deinceps S. Benignum illa ſanctimonialis ſancto ſinceró que amore, ſéque confitebatur ipſius meritis per S. Patricium à gehennali ereptam ardore. Vnuſquiſque ergo quod ſentit ſuper hoc ſigno videat, quia *vnuſquiſque* ſecundum

Rom. 14. Apoſtolum *abundat in ſuo ſenſu.* Ego verò magis admiror, pluſque appretior miraculum hîc geſtum, ad animæ viuificationem, ac vegetationem quàm alicuius in carne mortui reſuſcitationem.

De Sancto Comhgallo, & monaſterio cœlitus præoſtenſo.

CAP. XCVIII.

CIrcuibat S. Patricius ſæpius Vltoniam, & perambulabat eam, eiuſque incolas docens attentius fidem Catholicam. Diuertit aliquoties quieſcendi gratia cum ſuo ſanctiſſimo comitatu ad quendã monticulum, non longè ſitum à valle, in qua poſtea constructum eſt Beannchorenſe cœnobium. Conſedentes ergo conſpexerunt de colle vallem illam æthrea luce, ac multitudine militiæ cæleſtis repletam, auribus nihilominus haurientes Angelicis vocibus prolatam, cęleſtis cælcumatis hymnodiam. Omnes igitur videntes viſionem hanc magnam, vnanimi deuotione rogabant S. Patricium, vt in illo loco cælitus ſacrato ædificaret Eccleſiam. S. verò abnuit, ſed verbo vatidico illis ait. *Annorum ſexaginta circulo completo, naſcetur quidam filius vitæ, Combgallus nomine, quod interpretatur.* * *pulchrum pignus, etenim dilectus Deo & hominibus, atque ob morum meritorúmque pulchritudinem intendens, proſperè procedet, & regnabit cum Christo inter ipſius pignora computandus. Ipſe verò in loco luce præoſtenſo, Eccleſiam Sanctorum ædificabit, in qua innumera filiorum agmina lucis & vitæ Chriſti ſeruitio mancipanda coadunabit*, Omnium horum, quæ S. Patricius prædixit, nec iota vnum incompletum præteriit.

Prophetia S. Patricij dos. Cōbgallo & Beãnchorenſi monaſterio. * caomb ghoall.

Tempore verò prophetato, natus Comhgallus, proceſſuque annorum & virtutum, poſtea adultus in loco præfato, *Beannchor* nominato, nobiliſſimum cœnobium exſtruxit, in quo multa millia Monachorum perfectorū per Euangelium Chriſto genuit, & in Chriſto parturiuit. Locus ille Sanctus, Sanctorum fœcundus, quaſi vitis fructificans ſuauitatem odoris, extendit palmites ſuos vſque ad mare, & vltra mare ſui propagines; quia Hiberniam, Scotiam, inſuláſque multas monaſteriis, monachíſque perfectis repleuerunt geniminα eius, & etiam tranſmarinas regiones. Sicut enim relatu, atque ſcriptis Sanctorum didicimus, vnus ex filiis *Beannchorenſis* cœnobij, *Luanus* nomine, centum cœnobiorum ſolus fundator fuit. Alter verò *Columbanus* dictus vir ſanctiſſimus & omnium plenitudine chariſmatum repletus multa monaſteria fundans & conſtruens, innumerabilium quaſi monachorum pater extitit; qui prius egregio monaſterio *Luxouienſi* in Galliis, deinde *Bobienſi* vltra Alpes præfuit: vbi miraculis multimodis glorioſus ac præfulgens in pace requieſcit. Sicque prophetia S. Patricij adimpleta claréſcit. De antiqua Beannchorenſis Eccleſiæ nobilitate, ſuperfluum videtur in præſenti diffuſius proſequi, cum luculenter deſcripta fuerit in Sanctorum Comhgalli actibus primi abbatis illius loci, & Malachiæ pontificis, & ſedis Apoſtolicæ in Hibernia legati.

Luanus 100 monaſteria fundauit.

Prophetia Sancti de obſtinato Ferguſſo, & filijs eius.

CAP. XCIX.

VEnit Patricius in partes *Aſſul*, infra fines Midiæ, vbi in loco idoneò gratum duxit Eccleſiam conſtruere. Quidam peſſimus *Fergus* nomine, illis in locis dominatum habuit, qui Sancto præſuli, ne propoſitum perficere poſſet, impedimento magno fuit. Volens Sanctus Dei, duritiam

duritiam cordis illius potius ſigno, quàm verbo ſignificare, cum baculo Ieſu contra petram poſitam ſignum crucis edidit, & continuò petræ ſuperficies, in quatuor partes ſciſſa apparuit, crucisquè formam effigiatam in ſe vſque in præſens exprimit. Homo nihilominus duræ ceruicis & cordis pluſquam ſaxei, ad pœnitendum ſcindi noluit, ſed vxor eius prægnans corde compuncta, poſtulando veniam ad pedes eius cecidit. Videns Patricius hominem in peruerſitate obduratum, voce præſaga dixit ad eum. Sic te diſſoluere potuit potentia Dei, ſi voluiſſet etiam ad primum verbum oris mei. Sed quoniam neſcis, imo credere non vis, quia patientia Dei ad pœnitentiam te adducit, ſecundum cor tuum impœnitens, & duritiam obſtinationis, theſaurizas tibi iram quæ tibi cito appropinquabit; Velociter diſperdet te Dominus de terra, nulluſque de ſemine tuo in perpetuum dominabitur in terra iſta, vel proſperabitur in alia, excepto ſolo infante, quem in vtero geſtat vxor tua, quia ſuper illum veniet benedictio mea. Hæc autem omnia ore prolata Patricij, euenerunt patri, & proli.

De lapidibus Vſneach ab illo maledictis.

CAP. C.

SImili quoque intentione Eccleſiæ videlicet ędificandæ, diuertit Chriſti famulus ad locum famoſiſſimum *Vſneach* nomine. Duo verò germani, *Fiechus* & *Enda* nominati, illis in finibus principabantur; quibus S. Patricius multa bona in præſenti ſæculo atque futuro, & etiam ſemini illorum, ſi ſibi acquieſcerent, pollicebatur. Illi autem non ſolum à prece & prædicatione Patricij aures auerterunt, verùm etiam à loco prædicto violenter ipſum expulerunt. Sãctus moleſtius impedimentũ Eccleſię fundãdæ, quàm ſui expulſionem accepit, ipſis & ſemini ipſorum iniicere maledictionis iaculum incepit. Secundinus autem diſcipulus S. Patricij ſententiæ verbum ex eius ore rapuit, & antequã fine concluderetur deprecando dixit. Obſecro, Domine pater vt maledictio veſtra non ſit ſuper homines iſtos, ſed ſuper vicinos loci lapides. Sanctus priùs modicè ſubticuit, & poſtmodum poſtulata conceſſit. Mira res! Ab illo die vſque in præſens lapides illi, nulli ſtructuræ apti aut vtiles inueniuntur; quin etiam ſi forte aliqui ex improuiſo, ædificio imponantur, velociter opus illud ruere ſeu diſſipare dicitur. Nullum etiam ignis calorem naturalem admittunt, nec in aquam miſſi, ſtrepitum, vt moris eſt lapidum, faciunt: vnde & prouerbium apud Hibernicos increbuit, vt ſi quando lapis in ædificio frangitur, de lapidibus *Vſneach* maledictis à S. Patricio eſſe dicatur. *Enda* verò prædictorum fratrum iunior, ſuper iniuria S. Patricio illata, pœnituit, & prouolutus pedibus ipſius, veniam popoſcit, & poſtulatam promeruit. Hic nouem filios habuit, quorum vltimum natu, nomine Cormacum, obſequio diuino mancipandum, cum tota nona parte ſuæ terræ S. Patricio obtulit; Frater verò ipſius *Endæ*, Leogerus dictus, conuerſus ad fidem, quindecim villas S. Patricio contulit, cum ſuo nepote, quæ ſpectant ad ius Ardmachanæ Eccleſiæ. S. Patricius baptizauit puerum, educauit, literiſque imbuit: puer autem ætate, ſapientia, & ſanctitate creuit; virtutibus, atque miraculis clarus in Domino requieuit.

Prouerb.

De muliere prægnante, & eius prole.

CAP. CI.

QVidam Regulus, *Brendanus* nomine, recenter baptizatus, obnixius deprecabatur Sanctum Patricium, vt quandam mulierem grauidam benediceret, quia illius benedictionem ei, & ſoboli credidit profuturam. Sanctus eius petitioni annuens manum erexit, ſed repentè priuſquam verbum benedictionis aut ſignum crucis ederet, eandem retraxit. Senſit enim, Spiritu reuelante ſibi, concepiſſe illam de ſemine *Coirbre*, in quem ſententiauerat, & de cuius ſucceſſione nullum regnaturum ipſe prædixerat. Cur autem Sanctus hoc fecerat, homo mirabatur: ſed ei vir Dei rei myſterium intimare, cauſamque non cunctabatur. Inſtabat homo poſtulans attentius, vt vel aliquo modo illã benedicere, & quæ ventura erant ſoboli, prædicere dignaretur. Preſul

ſanctiſſimus Patricius, illam, eleuata dextera, benedixit, & ait: Infantulus, quem geſtas in vtero, non regnabit, quoniam verbum, quod locutus ſum, in nomine Domini ſuper *Coyrbre* & ſemen eius, fixum ſtabit: ſed tamen vnus de Optimaribus terræ, Regi, regnoque pernecesſarius erit. Quod enim Sanctus prædixit, indubitanter euenit.

De piſcibus captis in ſicco à S. Mel Epiſcopo.

CAP. CII.

Magni vir meriti Mel memoratus, qui cum fratribus ſuis viris ſanctiſſimis, Munio, & Riocho, de Britannia in Hiberniam aduenit, ab ipſo S. Patricio in Pontificalem gradum promotus, ipſi in prædicatione coadiutor extitit. Hic ex proprio labore manuum ſuarum, more Pauli Apoſtoli, ſtuduit victitare, & quod ei à diuitibus datum fuerat, ſolebat egenis erogare. Cum iſto Beato viro, vtpote nepote ſuo commanebat, in vna domo more primitiuæ Eccleſię, Lupita ſoror S. Patricij, vt eius verbo, & exemplo proficere poſſet in exercitio diuini obſequij. Euoluto verò aliquanto tempore, cum Sanctus ſacerdos iuxta morem media nocte ſurgeret, ad confitendum Domino, Sancta illa fœmina ſolebat ſe ad ſoporandum collocare, pellibuſque cooperire in Sancti Præſulis lecto. Nihil ſiniſtræ ſuſpicionis ex hoc facto fingi ſuſpicabatur, quia ex conſcientiæ propriæ puritate, aliorum mentes metiebatur. Comperiens conſuetudinem mulieris, quiſpiam, nefandam fore familiaritatem illius cum Epiſcopo denotabat, denotatam in vulgo diſſęminabat: Et quoniam infamiæ dilatandæ ianua linguis vulgi reſerata patuit, res latere Patricium diutius non potuit. Sanctus Patricius, ſi ſic ſe res haberet, euidentius voluit experiri: conuertit greſſus ad habitaculum præfati Epiſcopi. Sanctus Mel melius arbitrabatur innocentiam ſuam probare ſigno, quàm iuramento; arans tellurem in quodam colle, piſces magnos, & multos cepit ex vomere in ſicco, ipſo etiam vidente Patricio. Taliter enim captos obtulit Sancto Dei, quaſi pro miraculo, vt nulla ſuſpicio remaneret in cordibus hoc videntium, dum tale ſignum fieri non ſoleat ab inceſtuoſo. Soror etiam S. Patricij, collectam veſtem in gremio, viuis carbonibus impleuit, quos ſufficienter portans, & excutiens in conſpectu fratris ſui, abſque vllo vſtulationis, aut læſionis ſigno, innoxiam ſe comprobauit. Sanctus Patricius innocentiam ſignis tam euidentibus probatam approbans, illos mundos & immunes pronuntiauit. attamen quod ipſis, alijſque multis ſalubre foret, palam edicere curauit. Imprimis ergo Epiſcopum conueniens admonuit, vt in terra araret, in aqua verò piſcaretur, ne tentare Dominum Deum ſuum videretur: Deindè, ne gloriari pręſumeret, in aliquo miraculo ex diuina gratia in ſe patrato; Denique ſanxiuit Sanctus, vt à mulieribus viri ſequeſtrarentur, & viri que ſexui ædificia, & oratoria diſtincta conſtruerentur. Sic profectò, vt ait idem Patricius, nomen Dei per eos inter gentes, quibus illud prædicabant, non blaſphemaretur; nec infirmis ſcandali occaſio vlla in caſu tali, vel detrahendi materia tribueretur. Quod ergo S. Patricius edixit, & ſtatuit, obſeruari fecit.

Actor. 20 — *Pſal. 118* — *Ipſi tam incontinentiâ* [margin notes]

Suam patra iono miraculi probat. — *S. Patric. conſtituit diſtincta habitacula, & oratoria viris & mulieribus.*

De Virginum veſtigijs petræ impreſſis.

CAP. CIII.

Quadam vice S. Patricius, quatuor virgines ſtantes ſuper lapidem vnum velauit, conſecrauit, ſponſauque cæleſti deſponſauit. Res autem apparuit mira & valdè inuſitata. Virginũ Deo dedicatarum lapidi duro impreſſa vſque in præſens apparent veſtigia; vt cunctis clareſcat, quod benedicentis Patricij precatio, ſiue prædicatio penetrare poſſit emolliendo pectora etiam ſaxea. Datur nihilominus nobis hac in re intelligere, quod mundum contemnentes ob amorem Chriſti, debeant vias duras cuſtodire; vt ad eum, cui ſe probauerunt poſſint peruenire. Vocatur locus, in quo conſecratæ fuerunt *Tedna*, vbi illis Domino ſeruituris, ædificabatur Eccleſia, quæ pertinet hodie ad ius Metropolitanæ ſedis in Ardmachia.

De

De terra in flumine eleuata.

CAP. CIV.

VEnit S. Patricius cauſa tranſeundi ad quoddam prægrande flumen inter Midiam & Conaciam ſitum *Synniam* nomine, quod cunctis, exceptis nauigantibus, ſemper fuit intranſmeabile. Diu nauigium quæſiuit, nec inuenit. Orauit igitur ad Dominum, qui quondam in mari fecit viam, & in profundo ſemitam poſuit, moxque in medio fluminis terra diuino nutu eleuata, Sancto Dei, ſociiſque illius tranſitum liberum fecit & præbuit: vt autem ripam fluminis attigerunt, auriga Sancti defungitur, ibique ædificata eſt Eccleſia, quæ ad ius Ardmachanæ Eccleſiæ ſpectare dignoſcitur.

Exod. 14.

Ardmachia inf.

De altari, & quatuor calicibus ſub terra repertis.

CAP. CV.

IN illo loco, vbi à Magis inductas tenebras Sanctus Patricius orando dimouit, extructa eſt Eccleſia, in qua quendam de ſuis clericis *Asluium* dictum, ad gradum Sacerdotalem quatenus inibi miniſtraret, promouit. Ordinatus Preſbyter conqueſtus eſt Sancto Patricio, quòd ſibi deeſſent neceſſaria ſacerdotali miniſterio. Sanctus diuinitus inſtructus indicauit Preſbytero quoddam altare mirandi operis, habens in quatuor angulis quatuor calices vitreos, eſſe in ſpecu ſubterraneo: & ne forte frangerentur, præcepit ei cautius effodere, humumque egerere; fecit Preſbyter ſicut præſul præcepit, & omnia ſicut prædixit reperit. A quibus autem perſonis illud altare factum fuerat, aut cum calicibus ibi repoſitum, nobis adhuc extat incognitum. Quidam verò opinantur, omnia illa fuiſſe Palladij Epiſcopi ſiue ſociorum eius, quæ relicta ſunt ibi poſt diſceſſum eius.

vide infra in annotationibus.

De auro in foſſura porci bis reperto.

CAP. CVI.

VIſum eſt viro Dei in quodam campo Eccleſiam ædificare, in qua poſſet populum acquiſitionis Deo aggregare: huius rei gratia petiuit à poſſeſſore fundi, præparari ſibi locũ illum, repromittens illi portionem in terra viuentium. Homo autem ille Magicis aſſuetus artibus, promiſſam ſibi pro nihilo habuit terram deſiderabilem, quin potius pro pretio poſtulans aurum, cuius nimis execrandam famem ſuſtinebat. Sanctus aurum in præſenti reſpondit ſe non habere, ſed totum quod habuit in Eccleſiarum ædificia, vel neceſſaria pauperum expendiſſe. Sed cum homo precanti Pontifici nullatenus aſſentiret, ad effoſſuram cuiuſdã porci, prece prælibata, perrexit, ibique tantum auri, quantum exigebatur inuenit, inuentum pro commutatione terræ dedit; Erat & alter vicinus habẽs agrum illi terræ collimitantem, quam comparauit, quam Sanctus ſuppliciter Eccleſiæ præfatæ conferri flagitabat. Quo reſpondente ſimilia verbis prioris, iterum iuit ad effoſſuram porci, reperitque aurum æquilibre priori, quod homini pro comparatione tribuit agri. Hoc iam tertiò manifeſtauit Sancto Patricio Dominus in terra, porcorum naribus euiſcerata, ſemel pro ſui redemptione, bis in hoc loco pro ditanda dotandaque Eccleſia Poſtea poſterior fratrum *Ono* nomine, corde compunctus, aurum Sancto Dei non ſolum reddidit, verumetiam domum ſuam, prædia, & ſubſtantiam ad fundandam Eccleſiam, & ædificandam contulit. Locus autem * *Alfind* vocatur, in quo hodie ſedes Epiſcopalis habetur.

* *Elfinn.*

De pœnitentia Aſyci Epiſcopi.

CAP. CVII.

BEatus verò Patricius quendam diſcipulum ſuum nomine *Aſycum* habitu actuque Monachum, in Epiſcopum conſecrauit, & Eccleſiæ præfatæ præfecit. Ipſe verò admonente S. Patricio in Eccleſiam ſe-

Primus Epiſcopus Elfinenſis.

dis ſuæ, Collegium Monachorum egregium introduxit, cui regendo iute Abbatis præfuit. Hic quadam vice, dum verum aſſertiuè dicere debuit, delinquens linguæ lubrico mendacium protulit. In ſe verò reuerſus, poſtea ſtatuit ſeipſum contra faciem ſuam, ex magna pœnitudinis amaritudine elongauit ſe, & fugiens à facie hominum, manſit in ſolitudine, ibique ſeptem annis degens à nullo viſus eſt homine. Monachi verò illius diu quærentes eum, expleto ſeptennio in cuiuſdam concauo vallis ipſum repererunt, à locóque extrahere ad Eccleſiam ſuam, tanquam ſponſum ſponſæ ſuæ in gremium reducere violenter voluerunt. Epiſcopus illis nullateuus acquieuit, indignum ſe iudicans ad officium Pontificale vlterius exercendum, de cuius ore mendacium proceſſit ſpontaneum, quod ſacri Canones definiunt eſſe ſacrilegium in lingua Sacerdotum. Qua in re penſandum eſt, quantum pœnitere debeant in grauiſſima crimina lapſi, de ſuis magnis exceſſibus, ſi tam ſtrictè de ſolo mendacio pœnituit, & ſatisfecit iſte Sanctus. O quanti corda gerunt ad reſiſtendum peccato lutea, ad pœnitendũ verò ſaxea! Multi namque homines flagitioſi, ſcelerati, abominabiles in vita ſua (quod abſque dolore dici non debet) animarum regimini ſe ingerunt, & manibus inquinatis alienas ſordes diluere appetunt, funibus etiam mortalium criminum conſtricti, cæteros ligatos ſoluere gliſcunt, quorum deſiderium, dum diuino iudicio adimpletur, multo peiores fiunt, quàm antea fuiſſe noſcuntur. Sub regimine namque conſtituti, de ſolis propriis reatibus poſſunt pœnitere, atque ſatisfacere, in ſede paſtorali poſiti de ſingulorum ſibi commiſſorum exceſſibus tenentur rationem reddere. Quia ergo verba Sacerdotum, aut vera ſunt, aut ſacrilega, horrendum iudicium eſt illis Sacerdotibus, cæteriſque prælatis Eccleſiæ, quorum mendaciis aſſiduis, aut periuriis inquinatur lingua. Hæc, quaſi per digreſſum diximus, vt non ſolum flagitia & facinora, ſed etiam mendacia, quàm ſint vitanda cũctis Chriſticolis, & maximè paſtoribus animarum, oſtenderemus. Nunc verò ad hiſtoriæ ſacræ ſeriem redeamus. Monachi enim ſupradicti nolentes à S. Aſyco ſeparari, vſque ad exitum vitæ illius ibidem manſerunt, eoque ſepulto, monaſterium ædificantes illic in ſanctitate & iuſtitia Domino ſeruierunt.

Grauis pœnitentia pro mendacio.

Exhortatio ad Prælatos, & ſacerdotes.

De Prophetia S. Patricij ſuper duobus fratribus.

CAP. CVIII.

SAnctus Patricius, quòd Spiritu Sancto ſibi reuelante de vtroque fratre didicit, vtrique minimè tacendum dixit. Prædixit priori fratri dominationem illius terræ illum cum ſemine ſuo in breui amiſſurum, qui mammona Chriſto, & ſuæ petitioni prępoſuit aurum. Iuniori multa bona prædixit, ob deuotionem animi ſui ſibi euentura, & quòd coadiutor Regum in terra eſſet, optimique Sacerdotes Dei naſcerẽtur eius de ſtirpe ſancta. Omnia iſta quæ Sanctus Prophetico protulit effatu, nullatenus fruſtrata ſunt ab effectu.

De tempeſtate in mari ſedata.

CAP. CIX.

PRædicabat S. Patricius quadam vice Gẽtilibus, ipſoſq; inſtruendo & baptizando illo in loco demorabatur diutius. Benignus autem Sancti diſcipulus aliquantulum ferebat moleſtè moram illam tantam illis in partibus. Sanctus autem dixit, ſe nolle de locis illis egredi, antequam ad ſe venirent de remotis partibus diſcipuli ſui & alumni. Altera die cernebatur cœlum nigreſcere, ventóque vehementi commoueri & concuti mare. Sanctus verò Patricius obnubilata facie mœſtitia, ſuis ſecum manentibus indicauit filios ſuos in Chriſto genitos nauigio ad ſe tendentes grauamen ingens perpeti, ſeque multum afflictis, & maximè puero ſuo filio *Erchi*, alumno eius ſupra modum formidanti, dicebat compati: Aſſerentibus illis non poſſe nauem ſuffetre tantam tempeſtatem, vit Sanctus inſtantius ſe conuertit ad orationem. Interuallo modico facto, cunctis qui præſentes erant audientibus, imperauit ventis & mari, quatenus quieſcerent à feruore ſuo in virtute Dei ſui. O res ſtupenda, & admiratione digna! continuò ceſſauit ventus, ſiluit fretum, pacabatur procella, & facta eſt tranquillitas

quillitas magna. Eadem die memorati fratres proſperè ſatis applicuerunt, & qualiter elemētis prius in ſui periculum verſis, ſed inopinato modo pacatis potentiſſimam precem Patricij patris ſui, ſint experti, coram cunctis retulerunt.

De miraculo iterato in ſicco.

CAP. CX.

ALio quoque tempore ijdem fratres, gratia viſitandi Sanctum Patricium viam carpebant itinere pedeſtri, per arenoſa loca littoris marini, vt venirent ad ipſum. Cumque ſimul pergerent, & incedentes, ſermocinarentur; ecce maris acceſſus illos circumcluſit, ſpemque euadendi adimens cunctis formidinem mortis incuſſit. Sanctus verò Patricius diuinitus edoctus, anguſtias aduentantium agnouit, agnitam diſcipulis præſentibus indicans, ſe compati tribulatis dixit. Deindè, prece præmiſſa, præcepit potenti virtute verborum, in nomine Domini Dei ſui reumati maris, vt quantocius recederet, ac filijs ſuis ſe viſitantibus liberum tranſitum & quietum exhiberet. Obediuit continuò mare voci viri Dei & receſſit, ſicque cætus ille fratrum lætabundus, & laudans Deum ad patrem Patricium peruenit, & ſuper tanto miraculo narrato cunctorum audientium corda in laudem Dei mirabilia in Sanctis ſuis operantis reſoluit.

De Cuculla Sancti Patricij à mari intacta.

CAP. CXI.

QVodam tempore, nauigatione neceſſaria completa, Sanctus Patricius, cum ſuis viris religioſis applicuit, & egreſſus ad aridam fortuito caſu cucullā ſuam in littore reliquit. Appulſi Sancti, ſedentes de cæleſtibus ad inuicem contulerunt, & mutuæ collationis conſolatione ſeſe refecerunt. Mare verò, more ſolito, aſcendens arenæ ſuperficiem cooperuit, & vt præſulis cucullam ad ſe traheret, & aſportaret, prope fuit. Hoc Sanctus intuens, interdixit maris reumati, ne tangeret aut tolleret illam, in eius nomine, qui poteſtatem habet in cœlo, & in terra, in mari & in omnibus abyſſis. Res mira! maris profluuium implendo totum locum conſuetum, & ſpatium occupauit; ſed ſolum locum illum, in quo cuculla continebatur, intactum dimiſit. Poſt autem freti re[illegible]um receſſum, deferri ſibi cucullam fecit, omneſque qui aderant, ſignum iſtud in Dei laudem, & Patricij venerationem excitauit. De cætero cuncti promptiores ad obediendum illi fuerunt, qui mutum elementum eius imperijs obtemperare conſpexerunt.

De velo cælitus deſtinato.

CAP. CXII.

QVadam vice cum S. Patricius cōſecraſſet duas Virgines in campo ſito in finibus *Cregri*, quoddam velum deſtinatum cælitus cecidit in gremio Patricij: quod ſanctus ſuſcipiens ſumma cum deuotione, virgini conſecratę poſterius illud obtulit. Sed illa tali munere, tam ſancta eulogia indignam ſe iudicans, Sancto Antiſtiti dixit: Quoniam iſtud datum optimum, donumque perfectum deſcendens à Patre luminum, mihi peccatrici miſſum non eſt, congruum arbitror, vt ipſe habeas, cui delatum eſt, aut conferas alteri, quæ me melior eſt. Applaudens Sanctus virginis humilitati, impoſuit velum illud illius capiti, præcipiens vt illud geſtaret iugiter, donec introduceretur in thalamum ſponſi ſui. Virgo præcepto pontificis acquieuit, ſanctéque viuens ſanctiſſimo fine in Domino requieuit.

De leproſo Sancto, & fonte nouo, & angelico obſequio, & prophetia Sancti ſuper eo.

CAP. CXIII.

SAnctus Patricius ſancta conſuetudine ductus, quendam leproſum ſecum detinebat, cui cum magna deuotione cuncta pro Chriſto neceſſaria miniſtrabat. Vlcera manibus proprijs lauit, vtrumque ipſius hominem cuilibet, cibo competenti, reficere conſueuit. Leproſus enim corporali ſoſpitate penitus perdi-

ta ſaluti animæ omnibus modis inuigilare ſtuduit, orationi iugiter incũbere, in omnibus agere ſemper Deo gratias. Cum autem lepræ ſqualore ſciſſus fœtorem commanentibus ingereret, timuit, ne cæteris eſſet horrori, clam & humiliter à conſortio cæterorum ceceſſit, & in quadam arbore concaua fortuitò reperta ſolitarius ſecum habitauit. Dum enim ſolus ſederet intuens quendam prætereuntem, illum ad ſe accerſuit, & cuius eſſet profeſſionis inquiſiuit. Quo reſpondente Chriſtianum ſe eſſe; precabatur virum, vt ob eius amorem in quem credidit, non pigritaretur ad proximum accedere iuncoſum locum, & de iuncis ibidem radicitus euulſis afferre ſibi faſciculum. Ad petentis igitur, vel potius adiurantis vocem, pergens ad locum homo, iuncum extirpauit, & confeſtim perſpicuus fons erupit; faſcem enim de iunco factum ad leproſum attulit, & de noui fontis ſcaturigine, quod accidit, retulit. Ille gratias, & laudes Deo reddidit, deinde homini dixit: Noueris, frater chariſſime, quòd Dominus noſter Ieſus Chriſtus huc te adduxit, vt in fontis illius aqua corpus meum abluas, & in eo loco ſepelias. His dictis, oculos ac manus in cælum leuans expirauit, corpuſque illius præfatus vir in fonte diluit, nullumque lepræ veſtigium in eo videns, ſed ſuauiſſimum repertum ibidem ſepulturæ tradidit, & diſceſſit. Euolutis aliquantis diebus Sanctus *Munis* multarum reliquiarum Sanctorum deuotus baiulus, de Roma reuertebatur, & neceſſitate coactus in loco prædicto per noctem morabatur. Sub noctis autem ſilentio videt lucem magnam circumfundere locum illum, & Angelos Pſallentes audiuit excubias agere vſque mane circa tumulati ſepulchrum. Hæc omnia narrauit ille Sancto Patricio, dicens, ſe velle amouere corpus illud Sanctũ à loco illo deſerto. Sanctus Patricius prohibuit hoc fieri, prædicens ibidem habitaturum quendam filium vitæ, nondum natum *Keranum* nomine, qui locum illum repleret præclaro Sanctorum agmine, & corpus illud Sanctum multo ſublimaret honore. Quod enim prædixit, proceſſu temporis euenit; eſt enim locus ille inter Midiam, & Connactiam, in quo ſita eſt ciuitas Cluanenſis, in qua habetur hodie Sedes Epiſcopalis.

De ſtagno à S. Patricio tranſlato.

CAP. CXIV.

SAnctus Munis memoratus de Roma reuerſus, ex itineris longi fatigatione, faſtiditus vſum vlterius itinerandi, precabatur S. Patricium, vt ſicut fratribus ſuis Eccleſias habentibus requiem prouidit, ſic ſibi procuraret locum habitationis contemplationi congruum. Sanctus igitur Patricius illum, licet internæ quietis dilectorem, ſaluti tamen plurimorum profuturum ſciens, obtulit illi locum aptum & optimum, dicens: ecce collis, ecce vallis, ædifica, & inhabita vbi gratius videatur oculis tuis. Illud autem ſcito, quòd ſi in valle habitaueris, plures ad Dominum animas perducere poteris: Si autem in colle manſeris, pauciores acquires, ob vanitates, & amœnitates oculis obijciendas, & alias cauſas caſuſque quamplures. Præmonitus, & præmunitus *Munis* à Spiritu ſancto, reſpondiſſe fertur Sancto Patricio; non conqueror de colle, ſeu de valle, ſed de ſtagno proximo, quoniam inibi regalis exiſtat habitatio: Crebra namque aulicorum, aliorumque ſæcularium frequentatio fiet mihi moleſta, mentiſque meæ Sabbato ingerent impedimenta. Confirmans illum Sanctus Patricius aſſeruit facile fore Deo huic moleſtiæ mederi, recedenſque paululum, preces deuotas & efficaces effudit in conſpectu Dei. Nocte igitur ſequenti, ſtagnum illud cum habitaculis, & habitatis in eo, tam remotè tranſtulit Dominus, vt nullam moleſtiam, aut grauamen ſuſtineret inde ſeruus eius. Sanctus enim *Munis* manens illic Eccleſiam exſtruxit, cui S. Patricius, de reliquijs Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & aliorum Sanctorum perplurium, ac inſignia quædam ad Eccleſiaſticum miniſterium neceſſaria dedit. Ipſe poſtea licet inuitus, virtutibus clareſcentibus ad officij Pontificalis promotus faſtigium, ſignis etiam coruſcans multis, migrauit tandem ad Dominum.

Quomodo

Quomodo S. Patricius S. Fiechi conſcientiam agnouerit, & eum benedixerit.

CAP. CXV.

Fvit quidam iuuenis bene morigeratus, ingenio ſubtilis, eloquentia floridus, forma ſpecioſus *Fiechus* nomine, diſcipulus *Dubhtachi* poëtæ. Hic ante paucos annos duxit in matrimoninm quandam puellam, quæ iam recenter obierat, de quà, & vnicum filium ſuſceperat. Hunc Sanctus Patricius cum magiſtro ſuo prænominato conuiantem obuium habuit, & in momento, & ictu oculi, Spiritu reuelante, illius conſcientiam agnoſcens, coram cunctis dixit. Ecce vir vnius vxoris tantùm, qui ſecundum Apoſtolum dignè promoueri poterit in Sacerdotium, & etiam Pontificatum. *1 Tim. 3.* Cœpit igitur fidei rationem illi exponere, atque, vt Baptiſmum ſuſciperet, admonere. Mirabatur iuuenis in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore Sancti Patricij, & maximè quia tam citò ab ipſo potuit penetrari ſecretum eius, ac vita dignoſci. Credens igitur ſuſcepit Baptiſmum, & prius renitente diu magiſtro, ſed poſtmodum annuente diſcipulatui Sancti Pontificis ſe contulit. Sanctus autem illum benedixit, & alphabetum manu ſua ſcriptum tradidit ei. Ipſe verò benedictione S. Patricij potitus, in vna die Pſalterium didicit, & infra breue temporis ſpatium inſpirante Spiritu ſapientiæ & intellectus, ſacras Scripturas ſufficienter intellexit. Nulla namque ad diſcendum mora eſt, vbi Spiritus Sanctus doctor adeſt, Sanctus Patricius ad Eccleſiaſticos gradus illum promouit, & in ſingulis dignè miniſtrantem, tandem Epiſcopum conſecratum *Scleptenſi* Eccleſiæ præfecit. Ipſe verò vita, doctrina, & miraculis conſpicuus apparuit, & angelico edoctus oraculo, ſuſcipiens habitum monachalem in Epiſcopali ſede cœnobium monachorum egregium ædificauit.

De curru S. Fiecho, Angelico iudicio miſſo.

CAP. CXVI.

Beatus Patricius Sancto *Fiecho* quendam currum duxit deſtinandum, eo quòd infirmitate grauatus, itinerare pedeſter non potuit, Diœceſim ſuam viſitare, atque Pontificis officium exercere. Attenuatus enim erat abſtinentia nimia, inſuper & in coxa fiſtulæ laborabat moleſtia. Cernens hoc Sanctus *Secundinus* humanum quid paſſus, ægrè tulit, currumque ſibi iuſtius, quàm illi dandum aſſeruit. Pater pius moleſtatum illum intelligens, illi ſatisfacere ſategit potius ſigno, quàm ſermone, dicens: Non graueris, frater chariſſime, ſuper munuſculo confratri, & coepiſcopo noſtro dando, ne detur occaſio nos ſugillandi diabolo, quia plus frater ille, quàm quilibet noſtrum indiget vehiculo. Sed noſtro ne videamur erraſſe iudicio, huius rei diſcuſſio examini relinquatur Angelico. Angelus enim apparens vtrique ad precem Sancti Patricij, ſuppoſitis equis currum iungi, & abſque auriga dimitti iuſſit, & apud quemcumque ſubſtitiſſent, ac manſiſſent equi veredarij, currum ei conferendum cenſuit. Factum eſt enim vt Angelus imperauit, currumque Sanctus iungi fecit; equi verò, nemine regente, per loca inuia, & itinera diſtorta, primò ad habitaculum ipſius *Secundini* veſperè deuenerunt, diſiunctique ad paſcua dimiſſi fuerunt. Facto autem mane, nemine iungente, currui ſubiugati ſunt, ſimilique modo ad alterius Sancti manſionem pertingentes, ibidem pernoctauerũt. tertio tandem die verſus Sanctum *Fiechum* appropinquauerunt, & ſteterunt, & quòd ad ipſum deſtinati fuerant euidenter intelligi dederunt. Non tamen Sanctus ille voluit currum illum aſcendere, antequam Angelus ipſum certificaret de miſſo ſibi munere. Alia vice hoc itidem miraculum eodem modo eſt iteratum de duobus equis *Miraculũ iteratum.* à Sancto Patricio ipſi Sancto *Fiecho* deſtinatis, curruique ipſius ſubiugandis.

De officinis cælitus deſignatis.

CAP. CXVII.

ANgelus alia vice præcepit præfato *Fiecho* trans flumen ædificare monaſterium: ſingulis officinis proprium, & congruum aſſignans locum; vbi ſibi aper apparuit, refectorium; & vbi cernebat ceruā, illic extruere iuſſit oratorium. Reſpondet Sanctus Angelo, ſe nullatenus tale quid inchoaturum, niſi S. Patricius Pater & paſtor ſuus adueniens, approbaret opus iniunctum. Non diſplicuit verbum Angelo Domini, quia ſciuit in ipſo affectum dilectionis, & obedientiæ, quam habuit in Chriſto erga virum Dei. Tranſactis igitur aliquantis diebus, Angelo monente, Patricius *Fiecho* ſui potentiam exhibuit, & in illo loco qui dicitur *Ferrach* extruxerunt cænobium iuxta exemplar, quod Angelus illis præoſtendit. Ipſe verò *S. Fiechus* in hoc monaſterio Abbatis vice præfuit, & Epiſcopale nihilominus officiū plenè in diæceſi ſua exercuit. Conſueuit idem Antiſtes ſingulis annis in capite* ieiunij, de cœnobio ſolus egredi, allatiſque quinque panibus hordeacis, cineribus mixtis, ſecum ad ſui ſuſtentationem in ſecretiori eremo toto illo ſacro tempore demorari. In Dominica vero Palmarum, aut aliquoties in Cæna Domini, ſolebat ad officiū peragendum ſuum ad ſua reuerti, ſecum adhuc dimidium panis vnius habens incommeſti. Sexaginta etiam Sanctos ad Deum ante ſe præmiſit, quos ipſe ſequens *Scelepti* ſepultus fuit. Filius autem eius ſuperius memoratus ſcientia, & ſanctitate patrizauit, & alibi gradum Epiſcopalem ſortitus in Domino requieuit.

** Quadrageſimam intelligit.*

S. Fiech. Pater 60. Sanctorū.

De S. Patricij Prophetia ſuper viros de Callria.

CAP. CXVIII.

SAnctiſſimo Patricio prædicationi diuini verbi viriliter inſiſtenti, quidam viri armati de Callria occurrerunt, ipſumq; Angelum pacis violenter de finibus ſuis expulerunt. Vir autem Dei quod de illis in ſpiritu vidit, tacendum minimè iudicauit: Quia, inquit, contra inermem arma tuliſtis, & annuntiantem vobis pacem, prędicantem ſalutē, à finibus veſtris effugatis, vos, & ſemen veſtrum in die belli terga dabitis. Illi autem hoc audientes, à facie gladij oris eius valdè timuerunt, & ſuper temeritate ſua pœnitentes, flexis genibus ante Sanctum Dei lachrymoſis precibus omnes, exceptis quinque, indulgeri ſibi petierunt. Sanctus parumper ſecum deliberabat, iterumque ad illos verbo præſago dicebat. Stabit verbum fixum, quod Spiritu Sancto dictante de vobis, & ſemine veſtro de ore meo eſt egreſſum: Attamen quoniam ex corde pœnituiſtis, licet in fugam conuerſi fueritis, non vltra quinarium numerum in alicuius diſcrimine prælij occumbent ex vobis. Hoc S. Patricij vaticinium narrant Hiberni crebris experimentis eſſe completum.

De caſeis in lapides conuerſis, & de prophanis ſubmerſis.

CAP. CXIX.

QVidam peſſimi, & maligni degentes in terra *Ferros* vitam S. Patricij molientes extinguere, recentes caſeos veneno infectos obtulerunt illi, quaſi pro benedictione. Quos ſibi Sanctus oblatos benedixit, & ſtatim in admirationem multorum, & Dei laudationem, ac ſuimet venerationem, atque veneficorum ignominiam in lapides conuertit. Manent vſque in præſens illi lapides in loco patrati miraculi, & Patricij meritum prædicant etiam muti, quia ſic mutati. Iidem verò venefici ſua machinamenta videntes ad Sancti profeciſſe gloriam, & ſuam confuſionem, adunauerunt ex ſuis quinquaginta viros armatos, ad ſanguinis iuſti effuſionem. Conglobati ergo aduerſus Pontificem, ingreſſi ſunt vadum cuiuſdam fluuij, ſecus cuius ripam itinerans, in occurſum illorum adueniebat vir Dei, quorum vultus vt vidit, eorum cogitationes intellexit, & eleuans ſiniſtram manum contra illos, clara voce dixit: Non vos ad nos venietis, nec ad veſtros reuertemini, ſed in aqua iſta cadauera veſtra manebunt vſque ad diem iudicij. Iuxta verbum enim viri Dei ſententiantis, ſtatim *ſubmerſi ſunt, quaſi plumbum in aquis vehementibus*, nec vſque adhuc illorum corpora, licet multum diuque quęſita, *Exod. 15.*

inuenta

inuenta ſunt à viuentibus. Hoc egit, ex cenſura diuina, aqua in iſto quinquagenario conſpirante in necem S. Patricij, quod ignis cæleſtis in duobus ſuperb s quinquagenarijs à Rege Achab miſſis ad Heliam Prophetam. Locus enim quo aquis ſunt ſuffocati, vocatur vadum ſubmerſorum vſque in hunc diem.

De foueis ſine lapſu tranſitis, & S. Patricij præſagijs.

CAP. CXX.

QVidam tenebrarum filij in campo *Liffy* vocabulo, fecerunt foueas profundas per loca varia publicæ ſemitæ, quas operuerunt ramuſculis, & viridi ceſpite, vt Sanctus itinerans incideret in eas improuiſè. Quædam verò puella preparatas inſidias intellexit, quas viro Dei, quatenus ſe cautè cauendo cuſtodiret, ab illis indicare curauit. Sanctus in Domino confidens, iuſſit ſuis equos aſcendere, dataque benedictione pertranſiuit cum ſuis inoffenſo pede. Fragilis namque herba atque tenuis, quaſi terra ſolida equitantes ſuper ſe ſuſtentabat, quia ſacer equitatus ille in cordibus & corporibus ſuis omnia portantem portabat. Deſtinauit deindè Dei Sacerdos præfatam puellam ad ipſius patrem, vt illum adduceret ad ſui præſentiam ob percipiendam animæ ſalutem. Fecit virgo, vt Sanctus imperauit, patremque ſuum in conſpectu eius præſentauit. Sancto verò prædicante verbum Dei, homo credidit, ipſumque cum decem filiis, & tribus filiabus, Patricius baptizauit. Baptizatas verò virgines, velamine ſacro tradito, Domino conſecrauit, & ex filiis eius quinque fore fœlices, florentéſque in ſeculo, & alios quinque prius in clericali gradu, poſtea in habitu monachali ſanctè victuros ac defuncturos ore preſago pronuntiauit: prædixit etiam illis, qui foueas inſidiosè ſibi, ac ſuis parauerant, quod ipſi, & ſemen eorum vitam ſuſtentando tranſigerent, in terra iugiter effodiendo, & eos ſecundum ſcripturam apprehenderet, velut aqua inopia. Hæc autem omnia, quæ Sanctus prædixit, rerum euentus probauit.

De Sancti Patricij præſagio ſuper quodam pago.

CAP. CXXI.

VEnit Sanctus Patricius ad pagum quẽdam, infra inſulam *Inchenn*, & inuenit locum Eccleſiæ conſtruẽdæ idoneum, quam cum inchoaſſet, multitudo ruſticorum de pago prorupit, & opus inceptum impediuit. Sanctus autem repletus Spiritu prophetiæ, prædixit illis veridica voce. Quoniam mihi, ne poſſim ædificare domum Domino Deo meo, impedimento, & obſtaculo eſtis, fumus non egredietur de domibus generationis veſtræ in iſto loco conſummatis. Hoc autem Sancti Patricij dictum oculata fides, vſque in præſens probat eſſe veriſſimum. Multi enim multoties cœperunt domos ædificare illic, ſed ob ingruentes importunitates nunquam illas potuerunt conſummare.

De ſententia propheticè prolata.

CAP. CXXII.

QVidam prauus atque peruerſus, potens in iniquitate, *Dengo* dictus, Sanctum Patricium Eccleſiam ædificare volentem in loco congruo, prohibendo impediuit. Cui Sanctus Patricius iurans per iudicem ſuum, imo prophetans, dixit. Erit in breui domus tua deſtructa, & ſubſtantia tua diſſipara, filij quoque tui ex profanis lumbis tuis egreſſi, ex maiori parte ſeſe mutuò fratricidio fœdabunt. Cæteri ſuperſtites, nunquam alicuius dignitatis, ſeu poteſtatis faſtigium obtinebunt, ſed vſque ad diem mortis ſuæ vagi, & profugi ſuper terram erunt. Hoc autem S. Patricij præſagium completum, deſcriptæ miſeriæ viro prædicto, filijſque illius inflictæ probauit experimentum.

De prophetia Sancti Patricij ſuper quodam conſecrato in Epiſcopum, & eius conſecratore.

CAP. CXXIII.

PRæpotens quidem in allodio proprio, cum Eccleſiam ædificandam prædiis & poſſeſſionibus locupletaret: Cui regendæ quendam de ſuis aptum ad lucrandas animas Sanctus Patricius præponere volebat; Reſiſtebat homo dicens, ſe de ſuis clericum habere, quem Eccleſiæ ſuæ voluit præficere. Sanctus indignum ducens ad præſens pro hac re contentiosè agere, receſſit ab homine. In craſtinum adduxit homo ad Sanctum Patricium filium ſuum, volens vt illum conſecraret in Epiſcopum Eccleſiæ præficiendum. Et quia Sanctus à ſuis auulſus; in locis ſecretioribus, orationibus, & ſtudiis intendebat: diuertens homo ab eo, duos Epiſcopos ex diſcipulis Sancti alibi conſtitutos adiit, & ſuper conſecratione filij ſhi conuenit. Vnus verò illorum hominis petitioni non acquieſcens, nil tale ſine conſenſu vel præcepto Sancti Patricij ſe velle attentare reſpondit: ſed alter, ſeu prece, ſeu pretio præſtrictus, quod petebatur facere præſumpſit. Quo comperto, Sanctus Patricius præſumptorem plectens percuſſione pœnitentiæ ſatis aſperæ, prædixit etiam illum penuriam panis perpeſſurum omni tempore vitæ ſuæ. Aſſeruit etiam Epiſcopum taliter conſecratum depoſitione dignum, & deſpicabilem, & Eccleſiam eius pauperrimam fore, ita vt à duobus hominibus ſibi vim inferentibus ſe non poſſet defendere. Quod ergo Sanctus prædixit, irreuocabiliter euenit. Qua in re ſapiens quiſque commonetur, ne cæcatus ambitione, ſimile quiddam attentare conetur.

De cæco illuminato, & vidente cæcato, & tribus claudis erectis.

CAP. CXXIIII.

QVidam cæcitate diutina dãnatus *Dombnaldus* dictus, audiens prætereuntem Sanctum Patricium, illi ſe præbuit obuium; confidens per illum ſe lumen deſideratum adepturum. Et quia palpebræ non præcedebant greſſus eius, nec lumen oculorum erat ſecum, currens, & occurrens cadebat; reſurgebat enim, nec fuit, qui ad manum traheret illum. Cernens illum quidam clericus de comitatu ſancti Patricij excorruiſſe, riſit, & deriſit infortunium cadentis cæci. Quod factum comperiens Sanctus Patricius indignè tulit, & ne quis in diſcipulatu eius tale quid amplius præſumeret, eius vecordiam verbo, vindictæq; verbere coercens dixit. Amen dico tibi, quia in nomine Dei mei huius hominis oculi caligine clauſi aperientur, tuique obtutus aperti ad malum, concitantes cachinnum cæcitate claudentur. Hæc dicens, impreſſo ſigno crucis, à cæco tenebras abſterſit, & male videnti cæcitatẽ incuſſit. Quo in facto illud ſacræ Scripturæ Saluatoris ore prolatum adimpletur, *vt non videntes videant, & qui videntes cæci fiant.* Io. 9. Eodem etiam die, diuina virtute tres claudos opem flagitantes erexit, & iuxta propheticum vaticinium, ſicut ceruos exilientes, Iſa. 35. & exultantes ad currendam viam illos effecit.

De nouem maleficis cœlitus cõbuſtis, & de fonte de terra producto.

CAP. CXXV.

MAlefici numero nouem ſancto Patricio præconi vitæ, mortem machinantes, monachos miniſtroſq; iuſtitiæ ſeſe ſimulauerunt, & vt Sanctum in habitu conſimili conſtitutum, facilius poſſent de medio tollere, candidas cucullas induerunt. Imitati ſunt nimirum tenebrarum Principem præceptorem ſuum Angelum Sathanæ, qui ſe transfigurat in Angelum lucis, cui frequẽter in artibus & actibus ſuis exhibuerũt 2. Cor. 11. obſequium ſeruitutis. Perpendens vir Illuſtris

luſtris amicus Sancti Præſulis *Enda* vocatus inſidias impiorum, ob Sancti defenſionem filium ſuum, nomine *Conallum* immiſcuit maleficis, illi præcipiens, vt illorum caſſaret conatum, & a viro Dei arceret acceſſum. Filius enim fecit, quod pater iniunxit, & inter filios noctis, filius lucis ſtetit. Agnouit denique ſanctus Patricius diuinitus edoctus, coruos ſub pennis columbæ, lupoſque latirantes ſub ouium vellere, ſub cucullas ſiccas ad latus depēdere. Sciebat nihilominus Æthiopem mutare non poſſe pellem ſuam, quamuis byſſo contectam, nec magos illos velle deſerere malitiam immedullatam, etſi cucullis candidatam. Prius ergo ſigno Crucis, vndique ſe muniuit, ac illud contra inimicos crucis Chriſti oppoſuit: mito itaq; modo, ignis de cœlo deſcendēs in conſpectu omnium, maleficos conſumpſit, ſtantemque Conallum inter alios tam indemnē à læſione ignis, quā immunē à prauitatis cōſenſu reliquit. Crux ergo Chriſti ſicut pijs, & fidelibus ad ſalutem fuit protectio, ſic impijs idololatris, ad perditionem exſtitit iudicialis punitio. Poſtea ſignaculum Crucis, humo Sanctus ibidem impreſſit, fontemque perſpicuum & ſaluтiferum ex terra produxit. Ædificauit etiam Eccleſiam in loco miraculi per crucem patrati, quæ vocatur vſque hodie *Crux Patricij*.

De Mago incinerato.

CAP. CXXVI.

ALia vice magus alter, ſed à malitia non alteratus, de aſcenſu prophani vulgi, ad facinus aggregati, voto ſe conſtringens ad ſacrilegium perpetrandum conſurrexit in interitum Sancti Patricij. Sanctus autem ante acceſſum auſum execrabilem, percutiens erecta ſiniſtra manu, Malefico maledixit in nomine Domini, & ille confeſtim igne cœlitus miſſo, in oculis omnium combuſtus, inſtar priorum nouem interijt. Vulgus verò quod ad ſpectaculum mortis. S. Præſulis collectum conuenit, timens exitio pari ſe periturum, beneficio fugæ, vel diuinæ potius permiſſu pietatis euaſit.

De Sylua à Sancto Patricio maledicta.

CAP. CXXVII.

CVm B. Patricius die quadam acceleraſſet iter ad miniſterium conſuetæ prædicationis, cum ſumma inſtantia, rota currus, cui inſidebat, in duas partes inueniebatur confracta. Ad ſyluam igitur vicinam curritur, lignum aptum viſu: congruum æſtimatione ſucciditur, dolatur, rotæ reparandæ, adaptatur. Attamen caſſo labore diu deſudatur, quia rota ſicut prius diſſoluta videbatur, & confracta. Iterum enim atque iterum rhedæ reſtauratio attentatur, ſed fractura continuò, ac ſi cælitus cōtigiſſet, renouatur. Vir ergo Dei huius caſum non ſine cauſa contigiſſe intellexit, ac diligentius de ſylua, quæ, vel cuius eſſet inquirens, illam conſecratā fuiſſe dijs, imo dæmonijs à referentibus agnouit. Sanctus Secretoиū diuinorum cōſcius, concorſque cæleſti ſententiæ, leuata læua maledixit ſyluæ præfatæ. O miraculum! Lucus ille totus inſtar euangelicæ ficulneæ confeſtim aruit, nec vlterius vllum arbuſtum aptius alicuius vtilitatis vſui vel operi quam igni protulit.

De ſententia deluſoribus ſuis inflicta.

CAP. CXXVIII.

REgulus quidam & populus eius in loco, qui *Nadeſe* dicitur, degens infra fines Momoniæ, conſtituerunt diem atque horam, qua conuenire deberent, & ſuper Eccleſijs fundandis tractare ante Sancti Patricij præſentiam. Venit Sanctus Patricius iuxta condictum ad locum & diem præfixum, totaque die vſque ad veſperam expectauit, nec aliquis vel ſaltem reſponſalis comparuit. Tali modo multis vicibus homines illi deluſerunt virum Dei. Spiritus enim Sanctus inhabitator Patricij non celauit hominibus illis per os eius ſtipendium contumaciæ tantæ, ſed quadam vice veſpere venientibus ad ſe dixit aperte: Quoniam non ſolum mihi, ſed Spiritu ſancto toties illuſiſtis, conuenientia negotia, nec vos,

nec ſemen veſtrum poſt vos in generationes ſæculorum ante veſperum in loco iſto perficietis. Et ſicut prouerbialiter voce vulgi dicitur; hoc dictum à ſancto in hominibus illius loci vſque in præſens adimpletur: Nam ſi ſummo mane ad aliqua præcipuè agenda conueniant, ante veſperam illa nunquam conſummant.

De Monte à terra abſorpto, & iterum eleuato.

CAP. CXXIX.

ERat quidam peruerſus de Magnatibus Momoniæ *Cearbhallus* nomine, qui ſemper impedimento fuit Sancto Patricio, ne poſſet Eccleſiam exſtruere in terra ditionis ſuæ. Erat enim quoddam ſtagnum pulchrum viſu, aſpectuque delectabile non longè à manſione ſua poſitum, ſed Mons magnus & altus interpoſitus, ſui obiectu omne abſtulit ab oculis eius de illo proueniens oblectamentum. Inſtitit Sanctus Eccleſiam fundandam & ædificandam, exhortans, & obſecrans: reſtitit homo, negãs diutius. Quadam tandem vice homo ille nequã, verſuto reſponſo circumſcribere volens petentem Patricium, dixit ad illum: Si tranſtuleris in nomine Domini Dei tui montem iſtum de loco ſuo, vt ſatietur oculus meus viſu ſuper ſtagni deſiderati libera contemplatione, liceat tibi Eccleſiã in loco, quo gratum duxeris, ædificare. Hoc idcirco petijt, quia illud omnino impoſſibile fore credidit. Sanctus verò Patricius fuſa oratione, leuauit oculos fidei, & dilectionis ad *montem præparatum*,
Mich. 4. & eleuatum *in vertice montium*, moxque mons ille humiliatus, & abſorptus à terra, exhibita planitie, præbuit homini liberam facultatem videndi ſtagnum. Cum verò Sanctus Patricius inchoaſſet ædificare, induratus homo ne conſummare poſſet prohibuit, quoniam ob ædificandam Eccleſiam exhæredari ſe, atque de terra illa expelli formidans, trepidauit, vbi timor non fuit. Sanctus rurſus orauit ad Dominum, & mons excreuit in priſtinæ celſitudinis ſtatum. Prędixit autem illum in breui dominatum terræ illius amiſſurum, nullumq; de ſtirpe illius Magnatem, aut Epiſcopum futurum. Conſequenter complebatur vaticidum verbum ſanctiſſimi Præſulis, quia ſicut oculus eius arcebatur à viſione ſtagni, obſtaculo montis, ſic vita eius finiebatur exitu mortis.

De Euchodio maledicto, & eius filio benedicto.

CAP. CXXX.

PEſſimus quidam tyrannus, *Euchodius* nomine, in finibus Vlydiæ regnabat, qui duas ſanctas Virgines, quia coniugium ſpreuerant, ferro vinctas, aquis immergi, & præfocari præcepit, Patriciumque pro eis precantem contempſit. Qua de cauſa Sanctus ſententia maledictionis mulctauit illum, prædixitque nullum de ſemine ſuo poſt ſe regnaturum, ſed regnum potius ad iuniorem germanum eius, vocabulo *Kerellum* transferendum. Coniux autem excommunicati prægnans, acceſſit ad Sãctum Patricium, obnixè benedici ſe petens ab eo vnà cum prole, quam geſtauit in vtero. Sãctus Patricius, vtrumque benedixit, ipſamque parituram prolem ſanctiſſimam, cuius eſſet exitus, ambiguus, & inueſtigabilis tumulus, ore prophetico prædixit. Peperit mulier filium, quem vocari fecerunt *Dountgardum*. Iſte enim fuit ſanctitate clariſſimus, ac ſignis, de quo multa, & magna mirabilia referuntur ab Hybernicis. Porrò *Euchodius* in breui cum regno vitam amiſit, nulluſque de ſemine ipſius ei ſucceſſit. Sed frater eius præfatus, & ſemen illius iuxta verbum ſancti Patricij, permulta tempora regnum Vlydiæ poſſedit.

De Sancto Sennacho Epiſcopo.

CAP. CXXXI.

SAnctus Patricius in loco, qui dicitur *Achadhfobhuir* Eccleſiam fundauit, & conſtruxit, collatiſque illi poſſeſſionibus dotauit. Huic etiam quẽdam diſcipulorũ ſuorũ nomine *Sennachum* regẽdæ præficiens, in Epiſcopũ conſecrauit, quẽ ob cordis innocentiam, agnũ Dei vocauit. Conſecratus autem poſtulauit à Sancto Patricio, vt obtentu precum ſuarum impetrare ſatageret à Domino, quatenus ſe ſub

gradu

gradu ſuſcepto illæſum cuſtodiret à totius peccati criminalis cõmiſſo: Adiecit nihilominus ſuppliciter exorando, vt Eccleſia, cui miniſtraret, nõ vocaretur à nomine ſuo, ſicut moris erat multis in locis populo Hibernico. Hoc enim fecit ille ob magnæ humilitatis cuſtodiam, & vanam gloriam, quæ ſolet eſſe tinea virtutum, euitandam. Sanctus igitur Patricius ſentiens de Domino in bonitate, Sennacho in ſimplicitate cordis illum, & quæ illius ſunt quærenti à Domino complenda poſtulata promiſit; ipſum & proſapiam eius benedicens, plures ſanctos & optimos Sacerdotes ex illa proceſſuros fore prophetando prædixit. Sennachus autem in magna ſanctitate Sancto Sanctorum ſeruiuit, ſignis & virtutibus clarus, in cæleſte Sanctuarium fœliciter introiuit.

De Miraculo in ſecantibus ligna facto.

CAP. CXXXII.

CVm tranſiret S. Patricius, iter agens cum ſuis per ſyluam quandam in Midernia, reperit quoſdam ſeruos cędentes ligna; erant enim ſub iugo crudeliſſimi Domini, vocabulo *Tremei*, dira, duraque ſeruitute depreſſi, ſecuribus obtuſis quercus duriſſimas ſecabant, nec cotes, vel aliud acutorium habebant. Vnde factum eſt, vt viribus deficientibus brachia obrigeſcerent, manuſque cute detracta, dilaniatis carnibus, vſq; ad neruos nudatę apparerẽt, ipſique quandoque magis mortem quàm vitam eligerent. Quos vir Dei mox vt vidit, miſericordia motus ſuper illos, tangendo, manus illorum, & brachia, & ferramenta benedixit. Ad tactum igitur & verbum benedicentis, vires illis omnibus reparantur, brachiis & manibus plenaria ſanitas reſtituitur, ferramenta preacuta ſentiebantur, duriſſima robora, quaſi tenerrima virgulta, ſine vllo grauamine ſecabantur; hoc ſignum continuatum perſeuerabat in illis quoaduſque S. Patricius miraculosè libertatem acquireret eis.

De S. Patricij ſputo lapidẽ diuidente, & obſtinato ſubmerſo.

CAP. CXXXIII.

PIus pater Patricius prædictorum ſeruorum dominũ imo tortorem ſuper illorum manumiſſione crebro conuenit, illumque procacem & inexorabilem inuenit. S. Patricius ad ſolita confugiens arma, triduano ieiunio cum orationibus peracto, ad hominem pro libertate, imo liberatione ſeruis conferenda ſatis humiliter deprecaturus acceſſit, nouumque Pharaonem in illo reperit. Sanctus igitur Patricius ſputaculum ſuper lapidem coram illis forte iacentem proiecit, qui mox ad inſinuandam, imo confutandam & confundendam cordis illius duritiam, in tres partes diuiſus in oculis præſentium crepuit. Sed induratus homo vndè debuit emolliri, durior effectus, currum aſcendit, ſpretoque precante Patricio recedens, præfatos ſeruos operibus grauioribus affligi præcepit. Dominus autem ſui noui Moyſis, videlicet Patricij, contemptum non ſinens tranſire inultum, modo quo quondam in Pharaonem, & eius exercitum, eodem & nunc vindicauit in ipſum ſerui ſui contemptorem temerarium: equi namque iugales currui ſuppoſiti, facto impetu præcipites in ſtagnum quoddam proximum ſeſe dederunt, currumque & aſcenſorem eius aquis ſubmerſum præfocauerunt. Submerſo enim atque ſubuerſo viro Belial, S. Patricius abſque vlla contradictione afflictos de domo ſeruitutis eductos liberauit, liberatoſq; libertati diù deſideratæ donauit. *Exod. 14.*

Quomodo Angelus S. Patricio de S. Moccheo prædixit.

CAP. CXXXIV.

BEatus Patricius in loco ſatis amœno & apto, qui *Ludha* dicitur, Eccleſiam ædificare propoſuit. Sed Angelus ſibi apparens, vt à cœptis deſiſteret imperauit ei dicens, Adueniet in inſtanti quidam famulus Domini, nomine *Moccheus* de Britannia, qui patriam parentéſque deſerens pro Domino *F. Louth à quo Comitatus Louth, nomen ſortitur.*

Hiberniam petiit, peregrinandi gratia. Ille locum iſtum ædificabit & inhabitabit, dieſque ſuos iſthic in bono conſummabit. Obtemperans Angelo Sanctus Dei, ad Orientalem plagam loci diuertit, ibique locum Domino, tabernaculum Deo Iacob ipſius Patricij nomine adhuc inſignitum erexit. Moccheus autem magnæ virtutis vir, veniens ad locum, oratorium & cæteras officinas ſibi competentes conſtruxit, vitamque virtutibus plenam ibidem degens duxit. S. vero Patricius crebrò conſueuit, illum euiſere, atque de his, quæ ad Deum ſpectant, cum illo conferre. Quadam enim vice conſedentibus illis, & de Deo ſermocinantibus, epiſtolam legendam apparens, vtriſque porrexit Angelus, quam acceptam legens Patricius, inuenit in ea quoddam contineri commonitorium, imo præceptorium ſibi ſpecialiter directum, iniungens, quod locum, quem ædificauerat, Moccheo cum omnibus pertinentijs eius plenariè conferret, & quod ipſe in Ardmachia ſuam ſedem Cathedralem conſtituere deberet. Fecit ergo gratanter Patricius quod Angelus, imo Dominus per Angelum mandauerat, conferens S. Moccheo cuncta quæ illic poſſidebat. Duodecim etiam leproſos, quibus pro Chriſto miniſtrabat, præfato viro Dei commendans receſſit, & Moccheus cuncta ſuſcipiens, curam & cuſtodiam omnium illorum egit.

Admonitio Angeli de Ardmachia ædificanda.

De ſententia S. Patricij S. Moccheo Propheticè inflicta.

CAP. CXXXV.

Euolutis aliquantis diebus cum liber Geneſis legeretur coram S. Moccheo, audiens quod Sancti Patres ante diluuium nongentorum annorum ſpatio vel eo amplius, & poſt Cathaclijſmum plures trecentis annis vixerint, non facile fidem ſacræ hiſtoriæ dabat, quia luteum tabernaculum humani corporis, carne tam fragili, pelleque veſtitum, oſſibus neruiſque compactum, tanto tempore nullatenus poſſe durare aſſerebat. Quod cum innotuiſſet S. Patricio, acceſſit ad virum, vt veris rationum aſſertionibus, ab animo illius omnem tolleret huiuſmodi ſcrupulum. Dicebat enim S. Patricius totam canonicam ſcripturam dictatam & ſcriptitatam eſſe digito Dei, & idcirco in nullo derogandum aut diſcredendum ei; aſſeruit etiam non difficilius eſſe factori omnium vitam hominis mille annorum ſpatio protelare, quàm diei vnius ſi voluerit, quoniam teſte Pſalmiſta; *Mille anni ante oculos tuos tanquam dies heſterna, quæ præteriit.* Adhuc autem ſuper his, quæ dicta ſunt à S. Patricio, viro vacillante, fertur Sanctus Pontifex ſententiando, vel potius prophetando pronuntiaſſe. Quoniam, inquit, incredulus fuiſti ſacræ ſcripturæ, quæ in illa continentur experimento proprio diſces vera eſſe: trecentis enim annis prolongentur ſuper terram anni tui, nec ante temporis tantum ſpatium conſummatum, intrabis in gaudium Domini Dei tui. Seruus verò Domini ſuper dubietatis errore poſtea pœnituit, ſed ſententia ore Patricij, dictante Spiritu Sancto prolata, irreuocabilis extitit. Trecentis enim annis S. Moccheus vixit, ſicque naturæ debitum ſoluens, virtutibus & ſignis effulgens ad Chriſtum è mundo tranſiuit.

Pſal. 89.

Moccheus 300. annis vixit.

De S. Patricij ſuper duobus fratribus Prophetia, & productione fontis de terra.

CAP. CXXXVI.

Veniens S. Patricius in fines *Dalnardiæ*, cœpit Eccleſiam ædificare in loco, qui *Elum* dicitur, vbi tunc temporis duodecim fratres filij *Killady* dominabantur. Horum vnus *Seranus* vocabulo, principatum tenuit in terra illa, qui Sancti Pontificis ſanctum opus inchoantis manum apprehendens, ne cœpta perficeret, de loco violenter illum eiecit. S. verò Patricius, licet iniuriam ſibi allatam patienter tulerit, moleſtè tamen impedimentum ſancti operis accipiens, quod Deo vindice venturum illi nouerat, prophetando dixit. Adhuc modicum & expelleris à terra iſta, dabiturque meliori te principandi in ea poteſtas. Frater autem Serani iunior dictus Colladius locum, qui vocatur *Dombnachcumbuir* Sancto contulit, & ad Eccleſiæ conſtructionem, donec opus conſummaretur, adiutorium ſufficienter impendit. Sanctus igitur Pontifex illum benedixit, prædicens

dicens ipſi quod Dominus facere diſpoſuit. In proximo, inquit, principaberis in hac terra, & Reges de te exibunt, & per multas generationes ſimiliter regnabunt. In illo enim loco S. Patricius, precibus produxit optimum fontem de corde terræ, qui nominatur Hibernicè *Slan*, id eſt, ſanans vſq; hodie, eò quòd confert remedia ſanitatis potantibus ex eo, licet multiplici laborantibus infirmitate. *Seranus* poſt hæc ob peruerſitatem ſuam de terra illa expulſus eſt, & iuxta verbum viri Dei, regnum ipſius fratri ſuo Colladio collatum eſt.

De Prophetia Sancti de quodam adoleſcente.

CAP. CXXXVII.

DVodecim fratres patre defuncto recenter, qui dominabatur in Dalredia, ob hæreditatem inter ſe diuidendam in vnum conuenerunt, ſuumque germanum minimum, nomine *Ferguſium* habentes deſpectui, à portione quæ illum contingebat, exſortem & inanem dimiſerunt. Adoleſcens igitur ille precabatur S. Patricium, vt ſe, ſuarum obtentu precum efficeret paternæ hæreditatis participem, promittens ſe daturum Eccleſiæ Dei conſtruendæ, atque ſuſtentandæ ſuæ portionis potiorem partem. Pontifice verò ſancto pro eo exorante, atque negotium illius perorante, fratribus ſuis annumeratur Ferguſius, competentem paternæ poſſeſſionis portionem percepit, cuius medietatem meliorem Sanctiſſimo Præſuli ad ædificandam Eccleſiam obtulit. Quam Sanctus, ne ſuam interuentionem vendidiſſe videretur ſuſcipere renuit, ſed Olcano prænominato illam cõferri iuſſit. Sanctus autem Olcanus infra territorium ſibi collatum, in loco qui dicitur, *Dercan*, Eccleſiam ædificauit, ibique factus Epiſcopus, in ſanctitate & iuſtitia perſeuerauit. Sanctus verò Patricius prædictum benedixit *Ferguſium*, & voce Prophetica dixit ad illum. *Licet hodie videaris humilis, & deſpectus in conſpectu fratrum tuorum, eris in breui princeps illorum omnium: de te enim optimi Reges egredientur, qui non ſolum in terra propria, ſed etiam in regione longinqua & peregrina principabuntur.* Elapſo igitur non magni temporis ſpatio, Ferguſius iuxta viri Dei vaticinium, principatum in tota illa terra obtinuit, ſemenque illius per multas generationes in ea regenerauit. Ex eius ſtirpe proceſſit ſtrenuiſſimus Edanus filius Gabrani, qui Scotiam, quæ dicitur Albania, ſubegit, & alias inſulas cuius in eis regnat adhuc ſucceſſiua poſteritas.

Prophetia S. Patricij de Ferguſio, & eius ſemine, quæ iam completa euidenter apparet; cum ab ipſo originem trahat Sereniſſimus Iacobus VI. magnæ Britaniæ, & Hiberniæ Monarcha.

His Ferguſius iſt auus S. Columbæ; vnde apparet eius cognatio, cum Sereniſſ. Rege Brit. & Hib.

De Conallo, & ſcuto eius.

CAP. CXXXVIII.

SAnctus Patricius principẽ Conallum conuenit chariſſimũ ſuum. Sciſcitatus ab eo ſi vellet induere habitũ monachi. Reſpondit Regulus, ſe cor ſuum paratum habere ad faciendum quod ſibi Sanctus vellet iniungere. Gauiſus Præſul de cordis illius deuotione ad ipſum fertur dixiſſe. *Portabis ſcutum & baculum ob principalis poteſtatis ac protectionis ſignum, & meriti monachalis indicium: Nomen & habitum præſentabis laici; ſed animum & meritum poſſidebis monachi: Multi namque Sancti ex te procreabuntur, & multæ nationes terræ in ſemine tuo benedicentur.* Cum baculo etiam Ieſu ſignum crucis impreſſit ipſius ſcuto, aſſerens quemlibet de ſtirpe ipſius illud baiulantem in bello, nunquam vincendum ab aliquo. Hoc enim promiſſum, imo prophetiam S. Patricij Conallo & ſucceſſiuo ſemini eius eueniſſe aſtruunt hiſtoriæ Hibernicæ, & clamant cantilenæ.

Prædictus Ferguſius erat Frater huius Conalli Principis, ſeu Reguli Tirconnalliæ, quæ ab ipſo nomen retinuit. Prophetia de Conall. & ſemine eius. Victoria promittitur eius ſemini geſtanti ſcutum ei à S. Patric. datum.

De cæleſti luce S. Patricium circumfulgente, & victore conuerſo.

CAP. CXXXIX.

VEniens Sanctus Patricius in fines *Mogharud*, verſus oppidum *Domhnach-Maghin* tendebat, cuius loci quidam vir victor vocatus, Dominus erat. Hic audiens aduenrantem Patricium, magis adhuc diligens tenebras quàm lucem, in condenſo nemore poſuit tenebras latibulum ſuum: multum enim verebatur, quod ſi compareret in conſpectu eius, à ſuæ tenebris infidelitatis exueretur, & ad credendum in veram lucem, etiam inuitus quodammodo traheretur. Nocturnæ au-

tem caliginis ſuperuenit obſcurum, nec tamen Patricius miniſter lucis deſeruit iter inceptum. Cum igitur noctis profundę pallium cuncta cæcitate cooperuiſſet, lucidi verbi prædicatorem iter carpentem tenebræ non obſcurabant Patricium, quia nox ſicut dies, & ſicut lumen ita tenebræ circa ipſum. Lux ergo in tenebris lucens hominem occultantem ſe circunfundebat, nec vltra ſe à facie luminis abſcondere poterat. Signo tam inſigni victor victus, & velut vinctus loris timoris Domini ducebatur ad S. Patricium, & cum magna deuotione poſtulauit, & impetrauit ſalutare lauachrum. Baptizatus igitur cum omni domo ſua, & plebe ſibi ſubdita, contulit Sancto Patricio ad ædificandam Eccleſiam prædium ſuum cum omnibus pertinentijs ſuis, ipſeque manſit in diſcipulatu Sancti Patricij. Proceſſu verò temporis in ſanctitate & ſcientia diuinæ legis profecit, & à Sancto tandem conſecratus in Pontificem, in eadem Eccleſia Epiſcopalis honoris officio & merito clarus effulſit.

De Cymbalo Sancti Patricij perdito & recuperato.

CAP. CXL.

QVidam miniſtrãtium Sancto Patricio cymbalum eius per incuriam amiſit, amiſſum quæſiuit, diu quæſitum non inuenit, de non inuento pænitendo ſatisfecit. Satisfacienti verò Pater clementer indulſit, & quod nullatenus inueniretur prius, quàm ibidem Eccleſia conſtrueretur indicauit. Emerſo enim multo tempore, quidam religioſus *Dicullus* dictus, in illo loco Eccleſiam ædificauit, ibique cymbalum memoratum reperit, repertum in Eccleſia noua locauit. Ex cymbali verò illic locati lotique latice infirmi potati, vel aſperſi frequenter celerem adepti ſunt ſanitatem, & in inſtrumento ad exteriorem ſonum emittendum compoſito, Patricij perſonantem, atque perſeuerantem experti ſunt ſanctitatem.

De S. Volchani obedientia.

CAP. CXLI.

ERat quidam diſcipulus Sancto Patricio Volchanus nomine, fide & religione præclarus, præcipuè tamen virtute præpollens obedientiæ, volens enim Sanctus Patricius, vt quod in eo notum erat, Deo & ſibi, ſiue ſuis condiſcipulis manifeſtum fieret, hominibus cæteris ad exemplum, iniunxit illi Eccleſiam ædificare vbicunque Deus dignaretur illi prouidere. Idem autem ob auditu auriſ verbo Sancti Præſulis obediuit, ſecurim humero impoſitam portans, ad quęrendum locum Eccleſiæ conſtruendæ idoneum. Cernens pater ſpiritalis egredientis ſcapula ſecurim geſtari, verbo conſolatorio imo prophetico dixit illi. Noli, Volchane chariſſime, de inuentione loci diffidere, ſed vbicunque ceciderit ſecuris, ſecurus ędifica, ibi & inhabita, eriſque illic in gentem magnam, Deo propitiantem. His enim auditis, receſſit à pręſentia patris chariſſimi ſcienter neſcius, & ſapienter indoctus, animo ſatis perſuaſum habens impletum iri, quod ei dixerat doctor veraciſſimus. Igitur tota die gradiebatur coram facie ſua, nec quicquam agebat, niſi profundẽdo preces, extollens manus ſuas in Sancta. Cumque aduesperaſceret, & inclinata eſſetiã dies, cecidit ſecuris inopinatè, veluti cęlitus proiecta, vel excuſſa de humero ſuo, in loco vtique non pręuiſo, nec pręmeditato. Securis enim cæleſtis ex acumine diuinitatis vſque ad radicem etiam cuiuſlibet cogitationis ſectilis, & ex humanitatis manubrio comprehenſibilis, deſignauit ſeruo ſuo caſu ſecuris, ſicut S. Patricius prædixit locum habitationis. Intelligens vir Dei locum ſibi deſignatum à Domino, cum ſudore magno monaſterium ibidem ædificauit, multóſque filios Dei, qui diſperſi fuerant in vnam ſanctam Societatem congregauit. In eodem itaquè loco degens reliquum tempus vitæ ſuæ ſanctè ac religioſè compleuit, virtutibus ac miraculis clarus ibidem in Domino requieuit.

De Sancto Rodano eius armentario.

CAP. CXLII.

ERat Sancto Patricio quidam armẽtarius admodum religioſus, *Rodanus* nominatus. Hic ſub paſtorali cura vitam quodammodo ducens Eremiticam, ac orationis ſtudio vacans, vaccas cum vitulis in vna paſcua paſcebat; miróque modo de mandato S. Patricij, ſub diſciplina totum arcens armentum, nihil inquietum, aut indiſciplinatum in ſua finebat cura: vituli namque nunquam accedebant ad matrum vbera, vel ab eis recedebant, niſi ad nutum Rodani, & hæc faciebat authoritate atque virtute S. Patricij patris ſui. Is poſtmodum literas diſcens, illarum ſcientiam ſufficienter attigit, atque Pontificalem gradum aſcendens, in vita, & poſt mortem miraculis multis effloruit.

De S. Kertenno Clochorenſi Epiſcopo.

CAP. CXLIII.

QVidam diſcipulorum S. Patricij, *Kertennus* nomine, vice quadam, vrgente neceſſitate, ipſum ſenio confectum in humeris geſtabat, crebróque anhelitu debilitatem aut laſſitudinem ſuam demonſtrabat. Cui S. Patricius: Sæpius me portaſti, & nunquam te ſpiritu tam anhelo pulſatum ſenſi. Et ille, ne mireris S. Pater, quia iam ſenui, omnéſque penè ſocij mei pares ætate aliquantulæ quietis potiti ſunt refrigerio, ex prouidentia tuæ largitate; Ego iam, reſperſo canis capite, quotidiano labore vitæ actiuæ deſudo, & ammodò contemplatiuæ quietem deſidero, quoniam illa magis indigeo. Compaſſus S. Patricius Sancti Kerrenni diutino labori, promiſit locum vitæ contemplatiuæ congruum, nec tamen ab actiuæ pijs exercitijs alienum. Et quia S. Patricius talis diſcipuli diligebat præſentiam, prouidit illi Eccleſiam, nec à ſede Archiepiſcopali, quam in Ardmachia conſtructurus erat, Angelo iubẽte, nimis remotam, nec eidem Metropoli, ne forte à ſecuturis Archiepiſcopis grauaretur, valde vicinam. Sic profectò factum eſt, vt vir Domini non vexaretur, ſedem primam frequentando, ac Patricium S. viſitando, ob viæ longinquitatem; nec eius Eccleſia deſpicabilis videretur ob nimiam vicinitatem. Expletis aliquantis diebus, præfecit illum Clochorenſi Eccleſiæ, quam ipſe S. Patricius tunc regebat, & cum conſecraſſet eum in Epiſcopum, contulit illi Chriſmatorium, quod cælitus ſibi deſtinatum ſuſceperat. Ibidem ergo S. Kertennus degens interius Abbatis, exterius Pontificis officium exercens, canos ſuos fouit, & in magna ſanctitate vitam finiuit.

S. Patricius Clochorenſis Epiſcopus. Chriſmatorium cælitus deſtinatur S. Patricio.

De puero à S. Patricio benedicto.

CAP. CXLIV.

QVædam materfamilias fidelis, filium ſuum tenellum vocabulo *Lananum* literis imbuendũ tradidit, ſanctũq; Patricium, quatenus puerum præueniret in benedictionibus dulcedinis ſuæ, ſuppliciter poſtulauit, quoniam ipſius benedictione capaciorẽ illum ad diſcendũ, & dociliorem fore credidit. Nec eam fefellit fides ſua, quoniam ad benedictionem S. Patricij aſpirando præuenit puerum, & adiuuando proſequebatur illum gratia diuina. Benedicens enim illi ſignum crucis ori eius impreſſit, & Sancto *Caſſano* inſtituendum commendauit, moribus & literis inſtruendum: Puer ergo S. Patricij benedictione potitus, totum pſalterium ad plenum didiſcit quindecim diebus. Ipſe enim poſtmodum vir ſanctiſſimæ vitæ fuit, ſignis etiam effulgens ad Chriſtum migrauit.

De muliere reſuſcitata.

CAP. CXLV.

VIr quidam nobilis *Euchadius* vocabulo, cuius coniux *Ethra* dicta, iacuit defuncta, cum eiuſdẽ cadauere, vehiculo impoſito in occurſum venit S. Patricij iuxta quoddã vadum in Connactia. Profuſis enim precibus, præſulem Sanctum ſuper reſuſcitatione mulieris conuenit, ſeque cum ſuis in Chriſtum, quem prædicabat, crediturum

promiſit. Sanctus autem Patricius abſque mora mortuam reſuſcitauit, virumque illius, viſo ſigno tam mirabili, iam credentem cum ſuis baptizauit. Vocatur etiam vadum *Ebræ* à nomine reſuſcitatæ vſque in diem hodiernum, & fluidum elementum itinerantibus tranſitum præſtans, prædicat reſuſcitatoris meritum. Crebrò Sanctus Conaciam, & Momoniam viſitauit, miracula in eis faciens; & in ſingulis regionibus ſeptem annis deguit.

Quandiu S. Patricius in ſingulis regionibus degit.

De teſtimonio hominis reſuſcitati à morte.

CAP. CXLVI.

Exibat homo Dei ad opus ſuum ſolitum, & ad operationem vſque ad veſperam dierum ſuorum ſibi conſuetam, ad diuini, videlicet, verbi ſemine, fœcundandum agrum dominicum, de cuius fructu meteret vitam æternam. Hoc ſatellites Sathanæ videntes, & inuidẽtes, dentibus fremebant, & tabeſcebant, dicentes ad inuicem in malitia. Quid facimus? Hic homo deorum deſtructor, noſtræ ſectæ perſecutor, imò ſecator, multa ſigna facit. Si dimittimus eum ſic, omnes Hibernigenæ per eum credent in Deum eius, & venient Chriſticolæ, & tollent noſtram legem. Conſilium ergo fecerunt in vnum, vt eum cum ſuis dolo perderent, & quaſi ſub prætextu iuſtitiæ, morti adjicerent. Quandam namque mulierem mollificantem linum lauando ſecus locum, quò tranſiturus erat ſanctus Sacerdos, conuenerunt ad hoc inducentes illam, vt lini plurimam partem in arboris cuiuſdam concauæ conclaui deberet abſcondere, & Patricij ſociorumque eius prætereuntium furto ſublatam acclamare. Fecit fœmina ſicut erat inſtructa, imo ſeducta; vociferando ad ſe accerſiuit prædictos viros, Belial, furtique arguit Sanctum Patricium, & ſocios ipſius lingua nefaria. Iniqui igitur illi & doloſi, ſicut antea condixerant ſic de latibulis ſuis proſilierunt, & querelæ mulieris conſentientes, S. Patricium, ac diſcipulos eius tanquam furto deprehenſos, reos eſſe mortis conclamauerunt. Erat autẽ in loco quo cõuenerat tota illa torua turba rumultuans, tumulus: & homo in eo ſepultus. Hunc S. Patricius prece præmiſſa coram cunctis, à ſomno mortis ſuſcitauit, & vt verum teſtimonium perhiberet ſuper querimonia ſibi ac ſuis impoſita, virtute veritatis, quæ eſt Deus, imperauit. Ipſe verò S. Patricij, diſcipulorumque eius innocentiæ publicè proteſtatus, fraudulentaque commenta impiorum ſeriatim denudauit, ac locum factione fanaticorum linum occultantem, in oculis omnium demonſtrauit. Sic profectò Patricius cum ſuis, de manibus malignantium mirabiliter liberatur, ſanguiſque in illa die ſeruatur innoxius, multis etiam nocentibus ad ſalutem profuiſſe narratur. Nam qui mortem vitæ æternæ præconi machinabantur hoc miraculoſo euentu, ad Deum conuerſi miſericordiam ab ipſo conſequebantur.

De Cruce non viſa, & voce de tumulo emiſſa.

CAP. CXLVII.

Habebat S. Patricius in conſuetudine, vt vbicunque Sanctæ Crucis triumphale ſignum exhiberetur, ſui itinerantis præſentiæ, etiamſi in curru ſederet, protinus de vehiculo deſcendere, illudque corde, ac capite ſupplici adorare, manibus tangere, brachijs amplecti, & in indicium deuotæ dilectionis crebra oſcula ei infigere. Vna verò die cum iter carperet, in curru ſedẽs crucem ſecus viam poſitam, contra morem ſuum pertranſiuit inſalutatam, quia oculi eius tenebantur ne viderent illam. Ipſam autem auriga intuens admirabatur, quòd Sanctus Patricius contra morẽ ſuum, quaſi inuiſa cruce progrediebatur. Rem tamen ſuppreſſit ſilentio, donec recepti eſſent hoſpitio. Cum autem conſueto more orare cœpiſſent ante prandium, indicauit ſe vidiſſe crucem in via, deſignans etiam locum. Intermittens illico Patricius prædicator crucis Chriſti prandium paratum, hoſpitium egreſſus eſt, eademque via, qua venerat, ad locum præfatum reuerſus eſt. Diligenti itaque indagine quæſiuit vitæ ſignum, & inuenit iuxta illud quoddam ſepulchrum. Accedens enim propius, in conſpectu Domini orationem fudit; & quis in eo ſepultus eſſet inquiſiuit. Vox de intro emiſſa reſpondit, ſe Gentilem fuiſſe, ac Chriſtianum ſecus ſe funeratum,

S. Patricij deuotio & reuerẽtia erga Crucem.

Conſuetudo S. Patricij ante prandium

neratum, cuius mater extra Prouinciam conſtituta non affuit filio morienti, aut reuertenti in ventrem matris omnium. Emerſis verò aliquantis diebus venit huc ad lugendum eum; ignorans locum, locauit iuxta me Dominicæ crucis vexillum. Dicebat enim vir Dei, idcirco ſe illam crucem non conſpexiſſe, quia poſita fuit iuxta inimicum crucis Chriſti paganum hominem. Tollens ergo illam crucem inde ad caput baptizati leuauit, commendataque eius anima Deo, ad hoſpitium repedauit.

De balatu hirci in ventre furis.

CAP. CXLVIII.

Habebat hircum Beatus Patricius aquæ ſibi baiulandæ miniſterio deputatum, ſiue artificio, ſeu potius miracŭlo huic operi adaptatum. Hunc quidam vir ventricula de *Oucach* furto ſurripuit; ſublatum mactauit, & manducauit. *F. Iueach* Author furti ſiue fautor inueſtigatur: quidam ſuſpicioni patens euidentibus aliquantis indicijs inuenitur, ſed facinus non inficiatur ſolum; verumetiam furto periurium accumulans iuramento ab obiecto reatu ſe exuere conatur. Mirum affatu, ſed mirabilius apparuit actu. Hircus comeſtus in ventre furis, turpiſono balatu, latrocinium in auribus aſtantium prodidit, & clamore miraculoſo meritum S. Patricij prædicandum propalauit. Ad huius etiam miraculi augmentum accedit, quod imprecante Patricio, imo ſententiante, tota hominis illius ſucceſſio, barbam hircinam producere conſueuit.

De pallijs cœlitus deſtinatis.

CAP. CXLIX.

Solebat Sanctus Sanctorum virorum conſortia & colloquia diligere, eoſque ſibi in familiaritatem & amicitiam arctius aſſiſtere, vt ipſorum verbis & exemplis in Deum poſſet peramplius, & perfectiùs proficere. Teſte enim Salomone *ferrum ferro acuitur*, quia vita Sanctorum, vt in fide, & dilectione Dei firmior feruiorque efficiatur mutuis verbis & exemplis efficacius inflammatur. Quod profectò quàm ſit placitum in oculis Dei, ipſe demonſtrare dignatus eſt, indiciò præclari miraculi. Quadam namque die, cum Beatus Patricius, & vir vitæ venerabilis, *Vinnocus* vocabulo, in vnum conſediſſent, & de Domino, & de ijs quæ Dei ſunt contulerunt adinuicem; veſtibuſque ſuis in vſus pauperum erogatis miſericordiæ opera ore, opereque commendâtunt, & ecce de cœlo diuinitus deſtinatum deſcendit inter eos quoddam pallium, tanquam muneris diuini præſens eulogium, & remunerationis futuræ argumentum. Exultant ergo Sancti illi in Domino, atq; hoc quod acciditalter alterius aſcribebat merito. Patricius namque aſſeruit hoc miſſum *Vinnoco*, qui omnia quæ ſunt mundi perfectè dimiſit pro Domino. *Pia & humilis altercatio.* E contrà *Vinnocus* allegat illud collatum Sancto Patricio, qui tanquam omnia poſſidens nihil habuit, inopes & nudos innumeros veſtiens, ſe ipſum nudum reliquit pro Domino. Illis autē tam amicabiliter vtrimque altercātibus pallium in cœlo ſublatum ſubitò diſparuit, eiſque Dominus, pro vno pallio duo pallia, vtrique videlicet ſuum, ne vlterius, vel etiam charitatiuè contenderent, Angelo geſtante ſubrogauit.

De Rege in vulpem transformato.

CAP. CL.

Regnabat in finibus quibuſdam Britanniæ, quæ modo *Vallia* dicitur, tyrannus quidam, Cereticus nomine, flagitioſus, fraudulētus, iniurioſus, blaſphemans vbique viam Domini, Chriſtianorum perſecutor, & interfector crudeliſſimus. Audiens autem Sanctus Patricius illius belluæ tyrannidem effrænatam Sancto ferēdam, ſtuduit illum ad viam ſalutis reuocare, dirigens ad illum conuertendum à vitijs ſuis peſſimis, Epiſtolam commonitoriam. Ipſe verò venundatus, vt faceret malum de die in diem ſeipſo deterior factus, admonitionem deriſit Sancti Patricij, & deſpexit, ſuaque flagitia, facinora, fraudium factiones, cruentatas cedes dilatauit. Quod cum Patricius relatu veridico didiciſſet diuinitus edoctus intellexit vas contumeliæ obduratum in nequitiis, nullimodę correctioni, ſed potius perditioni præparatum, in hunc modū fertur oraſſe ad Dominum. Domine, Deus omnipotens, ſicuti ſcis, & potes hominem hunc

Vulpinum, in vitijs monſtruoſum, modo monſtruoſo eijce à facie terræ,& illius conſummatæ malitiæ finem impone. Inclinans Dominus aures ſuas ad vocem ſerui ſui, prædictum tyrannum quadam die in medio fori ſtantem, circumſtante multitudine ſuorum, ſubitò in vulpem transformauit, illéque à conſpectu omnium fugiens nunquam in terra vlterius comparuit. Hoc factum nullus diſcredere iure poterit, qui vxorem Loth in cautem mutatam, aut hyſtorias de Nabuchodonoſor Rege legerit.

De Machaldo peſſimo, & ſociis eius conuerſis.

CAP. CLI.

Vit in finibus Vlidiæ vir quidam, ſecta paganus *Magiul*, qui & Machaldus alio vocatur nomine: Maximus in ſcelere, nominatiſſimus crudelitate, & quia ſimilis, ſimilem quærit, turbam non modicam furtis rapinis, cędibus cruentis aſſuetam ſibi adunauit. Hic quædam ſigna diabolica, quæ *Deberth* dicuntur capiti proprio, atq; vniuſcuiuſque ſociorum eius impoſuit, vt cunctis pateſceret quod de ſatellico Sathanæ ſodalitium illud totum fuit. Contigit quadam die Patricium beatum per locum illum itinerando cum ſuis tranſitum facere, in quo malignantium conuentus conſederat, concors in iniquitate, expectans & explorans aliquem viantem, in quem diripiendum, & expoliandũ poſſet irruere. Videntes autem Sanctum Patricium cogitabant prius illum, tanquam animarum ſeductorem, Deorumq; deſtructorẽ interficere: ſed continuò, conſilio, diuino nutu, mutato, ignominioſum duxerunt in illis imbellis, imbecillis, inermis ſenis, ſanguinem ire. Communi tandem conſenſu ob inueſtigandum imo illudendum Chriſti potentiam, Patricijque ſanctitatem, vnum de ſociis ſuis *Garbanum* nomine, ſanum licet corpore, mortuum ſe ſimulantem in medio ſtratæ, ſtratum ſub ſago poſuerunt, virumque Dei, vt funeri exequias impenderet, aut defuncto, more ſolito, vitam redderet, irriſoria inſtantia deprecati ſunt. Sanctus autem, Spiritu reuelante, quod geſtum fuerat agnouit, illóſque illuſores, licet fallacia non tamen falſa ſibi ſuggeſſiſſe ſuper ſocij morte pronunciauit. Precibúſque nihilominus eorum aurem accomodans, pro anima deluſoris ad Dominũ interceſſit, abienſque in viam ſuam indè receſſit. Sancto nondum longius progreſſo, ſocium ſocij ſago detexerunt, & mortuum non imaginariè aut illuſoriè, ſed veraciter inuenerunt. Viri enim illi ex tali caſu, imo occaſu tremefacti, ſimile quid ſibi imminere timẽtes, S. Patricium è veſtigio ſecuti, eiuſque pedibus prouoluti, errorem ſuum confeſſi ſunt, & pœnitendo, ac ſatisfaciendo, veniam conſecuti ſunt. Omnes enim in Dominum crediderunt, & conſequenter in nomine eius baptizati ſunt. Sanctus etiam Patricius ipſis deuotè exorantibus regreſſus defunctum reſuſcitauit, ipſumque ſalutari lauachro dilutum, in Chriſti fide ipſis ſociauit.

S. Patricius viuũ deluſorẽ morte mulctauit.

Eundem ad vitam reduxit.

De pœnitentia Sancti Machaldi.

CAP. CLII.

Rocidens *Machaldus* princeps eorum, ante S. Patricium confeſſis peccatis poſtulauit cum lachrymis ab eo formam pœnitentialis vitæ ſibi imponi, quam tenendo vitam æternam poſſet adipiſci. Sanctus diuinitus inſpiratus iniunxit ei natale ſolum, ſcilicet, Hiberniam irreuocabiliter relinquere, omnémque ſubſtantiam ſuam pauperibus erogare. Ipſum etiam vili & aſpero amictu veſtiuit, ferreis compedibus vinculauit, earum clauem in mare proiecit. Præcepit illi deindè, vt lembum de coreo factum, abſque vllo Remigio ſolus intraret, & vbicumque Deo ducente applicuiſſet in terra illa vſque ad vitæ terminum Domino ſeruiret. Fecit itaque homo verè pœnitens quod ei iniunxit paſtor præcipiens. Solus namque ferro, pedibus conſtrictus, habens in ſignum pœnitentiæ in capite tonſuram, lembum ingreſſus ſub protectione Dei cœli freto ſe commiſit, ac eo gubernante ad Inſulam Enboniam, quæ *Mannia* dicitur, applacuit. Erant enim ibi duo Epiſcopi Sancti Connidrius & Romulus vocati, quos ipſe Patricius conſecrauerat & illuc deſtinauerat, ad populum Inſulæ illius regendum & erudiendum in fide Chriſti poſt obitum Sancti Germani primi eiuſdem

Primus Manniæ Epiſcopus.

eiuſdem Inſulæ Epiſcopi. Hi videntes hominem, mirati & miſerati ſunt ſuper miſeria eius in tali habitu conſtitutum, cognitaque cauſa eius, collegerunt eum hoſpitio, & retinuerunt ſecum. Qui cum in illo loco multo tempore demoraretur, die quadam piſcis in pelago captus, ad eius hoſpitium deportabatur, qui cum coram illo incideretur, clauis in eius inteſtinis inueniebatur, qua compedibus admota & immiſſa illorum clauſtrum reſeratur, ipſeque ſolutus, Deo gratias multiplices agẽs liber gradiebatur: Qui poſt modum in magna ſanctitate excreſcens, poſt deceſſum Sanctorum Epiſcoporum prędictorum Epiſcopalem gradum promeruit, ſignis & virtutibus clarus ibidem requieuit. Habebatur enim in illa Inſula ciuitas quōdam non exigua, cuius murorum adhuc cernuntur reſidua, ex eius nomine cognominata. Habetur etiam in cœmeterio Eccleſiǽ eiuſdem loci Sarcofagus cauati lapidis, in quo latex iugiter reſudat, imo ſufficienter ſcaturit, qui hauſtu dulcis, guſtu ſalubris, multis infirmitatibus & precipuè veneno infectis, vel potatis mederi conſueſcit. Aut enim poſt aquæ potationem quilibet celerem ſanitatem ſentiet, aut cita morte vitam finiet. In hoc etiam S. Machaldi oſſa ſacra requieuiſſe referuntur, in quo nihil, niſi aqua limpida, inuenitur. Plures etiam pluries lapidem illum à loco amouere, & etiam Rex Noricorum, vt aquam dulcem haberet, iugiter in mari, qui Inſulam ſibi ſubiugauit conati ſunt, ſed tamen affectu ſuo omnino fruſtrati ſunt. Quo etiam altius vt lapidem effoderent niſi ſuffodere ſunt, eo firmius & profundius fixus inuentus eſt in corde terræ.

De agro à mari cooperto.

CAP. CLIII.

ALio quoque tẽpore B. Patricius fatigatus ex itinere diuertit in agellum herboſum iuxta *Roſcomain* in Conatia gratia aliquantulum quieſcendi, ac equos ſuos paſcendi, & recreandi. Cum autem S. Patricius conſediſſet, & iuxta ſe iumenta pabula carperẽt, quidam plebeius poſſeſſor loci, prauus atque peruerſus accurrit impetu iræ ſuæ ad expugnandum eum. Prius S. præſulem verbis contumelioſis moleſtauit, deindè turgidus ac turbulentus, lapides iaciendo ab agro iumenta perturbauit. At lætio ictibus ingeſta iumentis, in iniuriam, imo contemptum redundabat illorum ſoliti ſeſſoris. Et quoniam S. ipſe Patricius vnus erat, atque præcipuus de illis equis, quibus Dominus iuxta Habacuc Prophetam viam fecit in mari, hoc ſanctis prædicatoribus portantibus Dominum in mundo corde & corpore ſuo; notificantibus etiam nomen eius in hoc mundo moleſte, nimirum accepit, moleſtiam illatam portatori ſuo. Deo igitur vindice ſtatim ager aruit, marique illũ operiente inarabilis impoſterũ permanſit. Congruo itaque ſatis modo, iuſtoque Dei iudicio, actum eſt, vt qui viro Dei inuidit ceſpitem, Deo inuiſus populus, illius telluris in perpetuum amitteret meſſem: & quia erga Sanctum Domini egit contentiosè, vt illum ab agello ſuo amoueret, omni fructu in perpetuum locus ille priuaretur, pro quo contentio fieri valeret. Hab. 3.

De lapide in lac conuerſo, & lacte in lapides mutato.

CAP. CLIV.

QVidam à diebus multis maleficijs deſeruiuit, ſed audità famâ virtutum, & miraculorum Sancti Patricij, cauſa confligendi cum eo in ſignis faciendis, ad eum venit. Hic itaque in præſentia Patricij, ſigna multa mendacia multiplicauit, quæ ipſe mox fuſa oratione, ac ſigno crucis edito, euacuauit. Cernens Magus omnia ſua fruſtrari figmenta, exegit ab homine Dei, ob declarandam Dei ſui potentiam fieri ſigna. Sanctus nil cunctatur facere quod poſſet virtutem Chriſti aſtruere, & Chriſticolas fide nihilominus inſtruere. Duriſſimum ſilicem in lactis coagulati maſſam molliſſimam mutauit; & huius iterum lactis duas maſſiculas, in duriſſimos lapides in Chriſti nomine conuertit. Sed ne ſigna iſta fantaſtica ſimilia Magicis eſſe putarentur, lapides illi in eadem naturæ ſoliditate, in qua tranſmutati fuerant permanere comprobantur. Quod autem factum eſt corporaliter in oculis hominum, hoc agit ſpiritualiter diuina virtus in con-

uerſione credentium quotidie, cultores namque lapidum, duræ ceruicis homines, ad fidem & dilectionem Chriſti molleſcunt, & quaſi modo geniti infantes Apoſtolicæ doctrinæ, vt in ea creſcant in ſalutem, lac concupiſcunt. Quod itaque in illo Mago contigit, quoniam ſigno præfato viſo, credens in Dominum baptiſmum ſuſcepit.

De plauſtro virgis onuſto ab igne ſeruato.

CAP. CLV.

Poſtulauit S. Patricius virum quendam, vt ſibi afferret duo plauſtra virgis onuſta, quia ſic exigebat rei neceſſariæ cauſa. Homo ille Sancti Patricij petitioni paruit, & ad locum deſignatum virgas adduxit. Ignis autem locum, in quo virgæ continebantur inuadens, duo plauſtra prænominata circumſepit, vnumque illorum abſumpſit, alterum penitus illæſum ab omni aduſtione reliquit. Admirabantur hoc intuentes, quod in vno plauſtro ignis vires ſuæ naturæ exercuit, & in altero vim habere non potuit, ſicut quondam in fornace Chaldaïca tribus pueris ligatis, ſed ab igne ſolutis, abſque illorum læſione contigit. Nos autem Patricij prædicandum in hoc miraculo meritum miramur: ſigni tamen cauſam diſcutiendam eſſe nequaquam arbitramur.

Quomodo Sanctus à pluuia manſerit intactus.

CAP. CLVI.

Vir Dei diem Dominicam ducere deuotione ſingulari ſolemnem ſolebat, ob illius maximæ ſolemnitatis recordationẽ, quam vita mortua ſuæ rediuiuæ reſurrectionis, melodia cœlis, terris, tartaris fecit exultabilem. Vndè & ſancta conſuetudine conſtituit, animo fixum, quaſi pro lege, vt vbicumque ei Sabbatum aduesperaſceret, ob reuerentiam Dominicæ ſubſequentis, ibidem pernoctando & procraſtinando in Hymnis, & Canticis, & Pſalmis ſpiritualibus medullitus diuinæ contemplationi deditus, vſque in ſecundæ feriæ maneret mane. Quadam nocte dominica, huius ſanctæ conſuetudinis cauſa contigit, beatiſſimum Patricium poſitum ſub dio, ſacras excubias cum ſuis celebrare, imbriumque inundantium vehementiam circumiacentis campi planitiem perfundere. Locum autem, in quo Sanctus ille vigil, cuſtos murorum ciuitatis Ieruſalem cum ſuis fuit, nec vlla pluuiæ diſtillantis ſtillula madefecit. Sic profectò in Sancto Patricio ſignum iteratò claruit, quod quondam in vellere Gedeonis apparuit, quando tota terra rore madente, illud ſiccum vel inhumectum extitit. *Iudic 6.*

De Digitis Sancti Patricij lucentibus.

CAP. CLVII.

Vt autem candor lucis æternæ oſtenderet, quanta gratiæ ſuæ luce vas ſuum interius illuſtrauerit, priori ſigno Sanctum ſuum mirificans, mirabilius ſequens ſubiunxit. Nocte namque eadem, quam pernox Patricius in diuinis laudibus duxit, campi latitudinem, in quo ipſe cõſtitutus erat, denſiſſima caligo obduxit. Auriga ſancti Pontificis, equos currui ſubiungandos, quos in campum ad paſcendum emiſerat, diutius quærebat. Sed præ caligine inuenire non valens, multo fletu ora rigabat. Quod cum almus Antiſtes agnouiſſet compaſſus lachrymis aurigæ, animo anxiati dexteram de manica eduxit, digitoſque dimiſſos ſurſum erexit. Res mira, & à ſæculis inaudita! Continuò illius quinque digiti, velut v. radij Solis lucidiſſimi effulſerunt, miro nouoque modo, totam prouinciam illuminantes, tenebras in lucem, & noctem in diem conuerterunt. Huius itaque claritatis mirificæ ſubſidio, auriga iugales inuenit, inuentos admirans & exultans ad patrem adduxit, adductoſque currui ſuppoſuit. Ipſe enim ſuperni luminis portitor & prædicator, digitis exterius lucere deſiſtentibus, ſed myrrham, primam ac probatiſſimam nequaquam diſtillare deſinentibus, more ſolito, ſecũdæ feriæ diluculo vehiculum aſcendit; & vbi voluntas ſe regentis, & in ſe reſidẽtis vocabat, accelerauit. Perpulchro ſatis, ſed ſignatiuo ſigno eius digiti, digito Dei dignè in ſe operante extrinſecus eluxerunt,

runt, qui tam crebrò lucis opera, ſanitatum beneficia, gratias curationum, in propatulo exhibuerunt.

Quod ignis viſus eſt de ore eius exiſſe.

CAP. CLVIII.

PRędicabat Sanctus Patricius cuidam viro præpotenti verbum Dei, videbaturque ei, quod ex ore Patricij flamma egrediens, aures & os ſuum ingrederetur, eiuſque calore omnia interiora ſua replerentur. Erat enim ignis ille non conſumens, ſed illuminans, non cōburens, ſed lucēs; quod & ille, qui hoc experiebatur, intimare ſancto curauit dicens. Video ignē flāmiuomum ex ore tuo exiiſſe, atque cordis corporiſque mei intima penetrare. Cui Sanctus. Deus noſter vera lux eſt illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum, qui & ignem venit mittere in terram, quem vult ardere in cordibus credentium. Verbum enim Domini lucidum eſt, ignitumq; vehementer eius eloquium, cuius in te, me prædicante, habes experimentum.

De Sancta Membeſſa, Virgine ad Dominum migrante.

CAP. CLIX.

ERat quædam puella præclara genere & ſpecie, *Membeſſa* nomine, filia cuiuſdam Principis regnantis in quibuſdam finibus Britanniæ. Hæc Spiritus ſancti gratia præuenta, ex virtute bonæ naturæ inſita, & ex ipſis creaturarum ſpeciebus diſtinctis Creatorem earum intellexit, intellectum toto corde & anima dilexit, ob cuius dilecti amorem & deſiderium diuitias, delicias, decus, & amorem huius mundialis gloriæ, cordis calce calcando deſpexit. Nondum enim erat lota lauachro ſalutari, moribus tamen ſactis repræſentabat quendam candorem Chriſtianæ fidei. Eius quippe parentes pagani propoſitum illius conabantur caſſare & conquaſſare verborum verberumque omni anniſu, ſed virginali cordis columna collocata in petra Chriſto, nec blandimentis ſuffodi, nec terroribus cōcuti, aut magicis maleficijs, à ſuæ nullatenus potuit amoueri ſtabilitatis ſtatu. Cumque illam ætas vernans venuſtaret & membrorum habitudo elegans ornaret, & ferret in facie lilia mixta roſis, appetebant eius connubium plures Proceres Regij germinis. Satagebat vterque parens, cæteræque cognationis pars plurima illam commonere aut compellere ad matrimonium contrahendum. Sed nullo modo valuerunt illam inclinare ad thalami collocandi conſenſum. Caſſo igitur labore in eam diu deſudantes, communi tandem conſilio, perduxerunt puellam parentes eius ad ſanctum Patricium, cuius ſanctitatis fama, ſignis, ac prodigijs probata, ac propalata erat vbique terrarum. Inſinuauerunt vtique Sancto Patricio puellare propoſitum, obnixius implorantes, vt illam ad Dei ſui in quem concupiuit, & defecit anima eius, ſtuderet perducere conſpectum. Audiens hoc Sāctus Patricius, exultabat in Domino, gratias agens illi, qui vbi vult, & ſicut vult ſpirat, & quos prædeſtinauit ad vitam abſque prædicante, ad ſe multoties vocat. Monſtratis ergo Chriſtianæ fidei regulis, illam catechizauit, confeſſamque credulitatem baptizauit, baptizatam Dominici corporis & ſanguinis Sacramentis communiuit. Illa verò, viatico accepto, ſolo proſtrata inter verba orationis, ſpiritum exhalauit: ſicque de lauachro aſcendens dealbata, manibuſque Angelicis deducta ad dilecti ſui candidi & rubicundi conſpectum, & complexum demigrauit. Sanctus ergo Patricius, & omnes, qui aderant Deum glorificauerunt, eiuſque ſacri corporis glebam honorificè ſepulturæ tradiderunt.

De opere facto die Dominico.

CAP. CLX.

TEmpore quodam Sanctus Patricius in portu, in Aquilinari parte Hyberniæ ſito, verſus oppidum *Drnimbo* vocabulo inſtante die Dominica applicuit, nec egreſſus inde, ſed ibidem naui quieſcens, eandem deuotione ſolita ſolemnizauit. Iam verò illa die feſto mediāte, audiuit ſonum non modicum, cuius indicio agnouit Gentiles ſuis profanis laboribus contra Sancti Patris conſuetudinem &

conſtitutum, diem Dominicum temerare, & quoddam opus, quod *Rayth*, id eſt, murum, nuncupabant exercere. His aliquantulum motus Patricius laborantes ad ſe acccerſiri fecit, eiſque in illa die labores corporei exercitiũ imperatiuè interdixit. Sed gentibus profanaticis & inſẽſatis ſanctiſſimi Sacerdotis ſentẽtia prohibitoria, non ſolũ ducebatur contẽptui, ſed etiã habebatur cunctis ſubſannationi, & deriſui. Sanctus verò Patricius ſubſannantium temerarium obſtinationem intelligens, poſt prohibitionem ſubintulit, dicens, licet labor veſter ſudet ad effectum, nunquam tamen perducetur ad perfectum, aut nullum inde promerebimini profectum. Sermo enim ſanctiſſimi viri, quàm fuerit veridicus in inſtanti probauit euentus. Nocte namque ſubſecuta procelloſa pelagus tempeſtate mirabiliter elatum, & dilatatum omne opus Gentilium diſſipauit, & ne vlterius recolligi, & reædificari poſſet, irreparabili diuiſione diſperſit.

De homine ſanato, & equo reſuſcitato in loco qui dicitur Feart.

CAP. CLXI.

VIr quidam illuſtris, nomine Darius, locum habitationis cum agello contulit Sancto roganti Patricio, vbi ſe reciperet cum ſuorum Sanctorum contubernio. Eſt autem locus anguſtus, ſecus Ardmachiam ſitus tempore moderno, *feſtum miraculorum* nominatus. Euoluto aliquanto tempore, auriga præfati Darij, nocte miſit equum ſuum veredarium in agellum S. Patricij ad depaſcendum eum, quem in craſtino cum eum educere vellet reperit extinctum. Quod cum indicaſſet Dario Domino ſuo, felle commotus ille vir ſanguinum, præcepit perimi Patricium, tanquam interremptorem equi ſui, amoto totius excuſationis, aut dilationis, ſiue retractationis obſtaculo. Vix autem vox huiuſcemodi in ventum venit ex ore viri, cum ecce ſubitò infirmitas mortis commonitoria, imo comminatoria illum lecto depreſſit. Repentè igitur ab eodem cum ſententia præcepti cruenti, pedes prompti, & manus aſſuetæ ad malum, reuocantur ab effuſione ſanguinis innoxij, quia ſola vexatio dabat intellectum illi. Quæ cum annunciata fuiſſent ſanctiſſimo Præſuli, aſperſione aquæ à ſe benedictæ, iuſſit, vtrumque iumentum, videlicet mortuum & virum infirmum irrorari. Aſperſus igitur vterque, ſurrexit, equus ſcilicet à morte, & Darius ab ægritudine ſanus.

De cacabo S. Patricio dato, & poſtea ablato.

CAP. CLXII.

DArius igitur ſanus effectus, prægrandẽ cacabum æneum capientem ternas metretas S. Patricio miſit per miniſtrorum manus, qui erat in ipſius & ſociorum vſus coquendis cibariis pernecesſarius. Quem ille illo egens, gratanter accepit, & tantùm gratias agam, dixit. Reuerſis etiam famulis ad Dominum ſuum, ſciſcitabatur ipſe ab eis viri Dei reſponſum. Illis autem referentibus, Patricium nihil aliud dixiſſe, niſi gratias agam. Admirans homo de tali reſponſo, arguit S. Patricium temeritatis, & infacetiæ; volens tamen illius verbi virtutem indagare, iuſſit iterum ſuis ſeruis illud vas à Sancto auferre, & ad ſe reportare. Quod cum feciſſent iterum, gratias agam dixit, quod crebrò in verbis, & operibus ſuis agere conſueuit. Iteratò requiſiuit à ſeruis Darius, quid vel tunc reſponderit Patricius. Ipſis verò aſſerentibus verbum ſuum conſuetum, ſcilicet gratias agam, protuliſſe, admirans, ac animo amplexans illius conſtantiam, ipſum ſtabilem, & conſtantiſſimum virum eſſe, & verbum optimũ, pronunciauit, ex eius ore ſolito ſonuiſſe: verè (inquit) vir iſte megnanimus eſt & immutabilis, cuius vultus, aut vox ex dati vaſis allatione, aut ablatione non variebantur, nec mutabantur, ſed ſemper in eodem ſtatu permanere cernebantur. Iuſſit ergo Darius iam datum cacabum referri, & reddi Sancto Dei. Ipſe vero veſtigia portitoris præcedentis ſecutus, verbis pacificis illum ſalutauit, agrumq; vicinum habitationi ſuæ, de quo controuerſia poterat emergere, contulit ei.

De Ardmachia S. Patricio data, & fonte de terra producto.

CAP. CLXIII.

POſt modicum tempus, volens vir nobilis Darius, ampliorem gratiã exhibere Pontifici Sancto eduxit illum de loco humili in ſublimem, de anguſto in auguſtum, & amœnum, *Druymſaileach* vocabulo, qui poſtmodum Ardmachia vocabatur, Angelico ſibi præoſtenſa miraculo. Sanctus Patricius loci amœnitatem, & opportunitatem conſiderans, & circuens, ceruam cum hinnulo procũbentem inuenit, quam comitantes Sanctũ interimere volebãt, ſed ne hoc fieret Pater Pius prohibuit. Vt enim oſtenderet Pater Sanctus viſcera pietatis, quam erga creaturas Dei habuit, ipſe hinnulum memoratum propriis vlnis baiulans, pius baiulus manibus palpauit, attrectauit, & vſque ad ſaltum ad Aquilonalẽ plagam Ardmachiæ ſitum tranſpoſuit. Cerua quoque, velut ouis manſuetiſſima, ſequebatur miſericordem gerulum, donec demiſſum, atq; dimiſſum reciperet fœtum. In illo enim die ad laudem Dei & plebis vtilitatem, Sanctus, ſuarum precum obtentu, de terra ſeptima iam vice fertur præclarum produxiſſe fontem.

Ardmachia olim dicta Druimſaileach.

De Angelica viſione, & xvj. leproſorum curatione.

CAP. CLXIV.

CVm autem diurnæ lucis lampas extingueretur nocturnis ſepulta tenebris; vir Dei aſpiciebat in viſu noctis Angelos metientes formam & quantitatem ædificandæ in illo excelſo loco ciuitatis: vnus autẽ illorũ iniunxit Patricio, vt craſtino die iuxta fontem in latere Ardmachiæ ſitum, qui modo dicitur *Tobar Patraic*. i. fons Patricij in nomine Dei ſui curare deberet xvj. viros lepra ſqualidos ibidem, ob virtutem Domini experiendam, & excipiendam fidem eius, ex pluribus plagis in vnum congregatos. Patricius enim ob auditu auris Angelicæ, voci obediuit, manéque facto viros inuentos ad fidem prædicando conuertit, conuerſos in fonte, prædicto baptizauit, baptizatos à lepra vtriuſque hominis, mundos & ſanos exhibuit. Hoc ergo in notitiam plurimorum propalatum miraculum, ciuitatis fundandæ fuit futurum auſpicium præclarum, præſenſque adminiculum. Saxum etiam pergrande in via exiſtens, quod vix valuit humano ſudori ſuſtolli, aut ingenio, orante Patricio Angelus longius amouit à loco, ne ciuitatem adituris aliquando fieret impedimento.

Angeli metiuntur formã Ardmachia.

De ciuitate Ardmachana, & duodecim eius ciuibus.

CAP. CLXV.

CIuitatem itaque egregiam, ſitu, forma, quantitate, ambitu, Angelicis indicijs deſignatam, fundauit Patricius, & extruxit, diuinitùs adiutus ad vnguem perduxit, ciues quoque duodecim, quos ſtudioſè vndecũque collegit, diſcretè delegit, ad inhabitandum in eam introduxit, introductos fidei Chriſtianæ Catholicis inſtitutis, atque dogmatibus diligenter inſtruxit, Eccleſijs autem honeſto, ac ſpirituali ſcemate fabricatis, vrbem eandem venuſtauit, Clerum etiam ad diuini cultus obſequium, ad regimen animarum, ad Catholici populi eruditionem, in ipſis ordinauit. Monaſteria monachis, & alia ſanctimonialibus repleta, omniſque perfectionis inſtitutis erudiuit. Erat enim in quodam Cœnobiorum frater quidam, nolens ante ſtatutam horam ſecundum regulam Sancti Patricij, quicquam cibi aut potus ſumere, qui ſiti extinctus fuit, cuius animam ad cęlos aſcendere & inter Martyres collocari Sanctus Patricius vidit. In monaſterio Ancillarum Dei, erat quædam virgo, filia Regis Britanniæ cum nouem puellis Sanctis, quæ cum ipſa illuc ad Sanctum Patricium venerant, è quibus, tres, vidente Patricio, ad Cæleſtia migrârunt. Vna enim illarum ſolebat ceruam mulgere, & cernentibus mirabile ſpectaculum præbere. Cathedram Archiepiſcopalẽ in eadem vrbe collocauit, & vt ſedes illa totius Hiberniæ eſſet primaria Metropolis, & magiſtra ſtatuit animo. Vt autẽ illius propoſitũ ratum & inconuulſum permaneret in poſterum, pectori eius ſedit,

Monachus martyr.

Tres Sanctæ de Britannia.

S. Patricius Archiepiſcopalem in Ardmachia conſtituit.

ſedem Apoſtolicam adire, eiuſque priuilegijs authenticis illud communire.

Quod Angelo monente Sanctus Patricius Romam adierit.

CAP. CLXVI.

ANgelus Domini Sancto Patricio apparens, itineris arripiendi propoſitum approbauit, & etiam quo Dominus Papa reliquias Apoſtolorum Petri & Pauli, & aliorum Sanctorum transferre & diſpartiri pluribus Eccleſijs deberet, indicauit. Et quia vehicula fortè tunc deerant ſeni quatuor currus, quaſi cælitus deſtinatos contulit illi, qui ipſum cum ſuis vſq; ad mare tranſuexerunt in inſtanti. Glorioſus ergò Præſul Patricius, poſtquam prædicationis laborioſæ inſtantia peracta tot & talium ſignorum exuberantia totam ad Chriſtum conuerterat inſulam, ordinatis Epiſcopis & Præsbyteris, cæteriſque miniſtris Eccleſiæ in locis ſingulis, vbi opportunius ducebat, benedicens & valefaciens eis, cùm quibuſdam filijs, Angelico fultus ducamine, profectus eſt Romã. Quò perueniens, dum in ſummi Pontificis præſentia ſui aduentus expoſuiſſet cauſam, in oculis ſuis ſummam inuenit gratiam: imprimis ergo illum vt Hiberniæ Apoſtolum amplexans, ac pronuncians pallio decorauit, illique vices ſuas committens, atq; Legatum ſuum conſtituens, quæcumque in Hibernia geſſerat, conſtituerat, diſpoſuerat, authoritatis ſuæ munimine confirmauit. Xenia etiam plura, & pretioſa munera, quæ ad decorem, imò robur Eccleſiæ ſpectant, ei contulit, inter quæ erant reliquiæ Apoſtolorum Petri & Pauli, ac Stephani Protomartyris, & aliorum plurimorum martyrum. Inſuper & linteamen quoddam ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti cruentatum, (quod omnibus antecellit) condonauit. Hiſque ſacroſanctis eulogijs Sanctus in Hiberniam reuerſus, Ardmachiam Metropolitanam Eccleſiam ad animarum ſalutem, & vrbis patriæq; tutelam muniuit, & retro maius altare in ſcrinio recondidit. Mos etiam in illa Eccleſia inoleuit, à diebus Sancti Patricij, vt diebus Paſchæ, & Pentecoſtes de illo loco efferantur, & adoranda in conſpectu populi producntur.

S. Patricius Nūcius conſtituitur, & palliũ à Papa accipit.

Reliquiæ Ardmachanæ Eccleſiæ.

De geſtis Sancti Patricij Roma reuertentis.

CAP. CLXVII.

SIgna verò, quæ Sanctus Patricius Romam proficiſcens, vel inde reuertens, & repatrians geſſerit in itinere, non eſt noſtræ facultatis per ſingula, cuncta deſcribere Nam pœnè vbicumque pernoctabat, aut moram fecit, ſigna ſanctitatis ſuæ, in ſanitatis alienæ exhibitione poſt ſe reliquit. Extant enim Eccleſiæ & oratoria illis in locis nomini eius attitulata, quæ vſque in præſens ſanctitatem illius redolent, & vbi fides petentium promererur miraculorum beneficia exhibent. Ipſe etiam Sanctus in regreſſu ſuo aliquantiſper in Britannia propria patria moratus, monaſteria multa fundauit, atque à Paganis deſtructa reparauit. Monachorum ſacris conuentibus ſecundum formam religionis, quam eis præfixerit, annuentibus ea repleuit. Multa etiam aduerſa & proſpera, quæ ventura erant Britanniæ, Spiritu, & ore prophetico pronunciauit. Beati etiam Dauid vtero materno incluſi ſanctitatem præuidit, & prædixit. Extant vero rura & oppida, quorum quia indigenæ Sanctum itinerantem, ne pernoctare apud eos poſſet violenter, eiecerunt; poſteri vſque in præſens proſperari illis in locis, ſeu locupletari non poterant, ſed ſemper alienigenæ, & extranei diuitijs, atque dominio illis præponi conſueſcunt. Loca autem nemorum, in quibus Sanctus expulſus à peſſimis, pernoctans hoſpitabatur, quæ parua paucáue arbuſta antea protulerunt, benedictione tanti hoſpitis ſilueſcere, ac tanta virgultorum copia fructificare viſa ſunt, quod ſuccedentium manibus deſtrui penitus non poſſunt. In fluminibus quoq; vbi ſancto ſciſcitãti de vadi certitudine, deluſores peſſimi mẽte ac voce ſubdola, illi abyſſum pro vado oſtenderunt; mox data benedictione tranſiens immunis, illam abyſſum vertit in vadum, vadumque antea cunctis peruium, deinceps intranſmeabilem fecit abyſſum.

Hinc fortaßis Abbas à quibuſdam ſcriptoribus appellatur, ideoque duos Patricios alium Abbatem, alium Apoſtolum cõſtituunt.

Prophetia S. Patricij de S. Dauide.

Quid fecerit Sanctus Patricius reuerſus in Hiberniam.

CAP. CLXVIII.

Benedictus Patrici⁹ itinere lõgo, de regione longinqua peracto, præſentia ſua ſuos exhilarabat, & triginta Epiſcopos ex tranſmarinis partibus congregatos, & à ſe conſecratos, in Dominicam meſſem, eò quod eſſet multa, & operarij pauci, deſtinabat. Cœpit igitur Epiſcoporum ſynodos ſanctas ſæpius congregare, concilia ſolemniter celebrare, & quod fidei Catholicæ comperit contrarium Eccleſiaticiſue inſtitutis aduerſum auellere, & deſtruere, & quod Chriſtianæ legi, quod iuſtitiæ, quod ſacris Canonibus conſonum, moribuſque optimis conſentaneum erat, ſtuduit plantare, & ædificare. Innumeris interim miraculis quotidie coruſcabat, & quæ ore docuit, aut conſtituit, ſequentibus ſignis obſeruanda confirmabat, inter quæ quoddam opus fecit: Vndè omnes merito admirantur, ex cuius beneficio vniuerſi illius inſulæ incolæ, vſque in ſæculum iure congratulantur, de quo in ſequenti plenius dicere conamur.

Synodos celebrat.

De triplici incommodo Hiberniæ.

CAP. CLXIX.

Hibernia à primordiali inhabitatione gentium in ea, triplici laborabat pernicie: venenoſorum ſcilicet animantium, quorum non erat numerus, abondãtia, ac Dæmonum viſibiliter apparentium manifeſta depreſſione, & maleficorum, magorumq; multitudine. Tot namque virulenta ac monſtruoſa animantia præualuerant ſuper inſulam è terra marique emergentia, vt non ſolum homines, atque animalia veneniſ inficerẽt, verumetiam cruentis mortiferiſque morſibus interficerent, & multoties membra dilaniarent ac deuorarent. Dęmones etiam, qui per idololatriam in ſuperſtitioſis habitabant cordibus, in varijs formis viſibiles ſeſe exhibebant illorum obtutibus. Multis etiam mul[ti]modas læſiones, quaſi offenſi viſibiliter inferebant: quibus itidem, ſacrificijs, aut muneribus, ſiue operibus prauis placati, gratiam leuaminis, ſeu ſoſpitatis præſtare videbantur, dum ab eorum læſione ceſſabant. Tanta multitudo dæmonum in aëre volitantium, vel in terra gradientium crebrò cernebatur, vt ipſa inſula illorum incapax putaretur: ac per hoc Hibernia dæmonum domicilium domeſticum, & propria poſſeſſio æſtimaretur. Magorum etiam, & maleficorum, atque aruſpicum turba tanta in finibus ſingulis ſuccreuerat, quantam nulla in aliquâ terrarum regione hiſtoria narrat.

Venenoſorum abundantia.

Dæmonũ multitudo.

Magorum turba.

De triplici peſtilentia de Hibernia per ſanctum Patricium effugata.

CAP. CLXX.

Sanctiſſimus Patricius peſtilentiæ triplicis eliminandę ſummam operam & diligentiam adhibuit, & tum, ſalutari doctrina, tum feruentiſſimæ orationis obtentu, Hiberniam huius graſſantis veneni, exſortem exhibuit. Ipſe namque paſtor præſtantiſſimus, manu, Domini Ieſu baculum baiulauit, eiuſque eleuatione comminatoria, omnia venenata animantia, Angelico ſuffultus ſuffragio, ex vniuerſis Hiberniæ partibus in vnum congregauit. Deindè omnia vſq; ad editiſſimũ inſulæ promontorium in fugam compulit, quod ſcilicet *Cruachan-aılge*, dicebatur tunc, nunc verò, *Cruach phadruig* dicitur, ibique totam turbam peſtiferam, de prærupta montis crepidine, in virtute præcepti, præcipiti lapſu Oceano abſorbendam depulit. O ſignum inſigne! O miraculum magnificum à mundi exordio inexpertum, nunc tribubus, populis, & linguis compertum, cunctis ferè nationibus notorium, ſpecialiter Hiberniæ incolis perneceſſarium. Huic tàm miraculoſo, tamque perutili ſpectaculo numeroſus populus intererat, quorum pars plurima ad ſigna videnda, quædam ad verba vitæ percipienda vndique confluxerat. Conuertit deinde faciem ſuam verſus Manniam, & cæteras inſulas, quas fide Chriſti, & Sacramentis imbuit, & benedixit, ac precum ſuarum obtentu, reptilium venenatorum omnes illas tantum expertes fecit & reddidit. Aliæ vero inſulę quæ ad eius prædicationem non crediderant, adhuc virulenta

Patricius venenata in vnum congregat.

Mari abſorbenda tradidit.

Ergo non naturâ, ſed meritis S. Patricij Hibernia ab eis libera manet.

Maleficos vel ad fidem conuertit, vel è terra euertit.

animalia procreant. Maleficorum quam-innumerabiles ad fidem Chriſtianam conuertit; plures etiam obſtinatos in peruerſitate, & incorrigibiles, ſicut iam diximus terribiliter de terra deleuit. Ab hominibus nihilominus, quos in Hibernia Chriſti Sacramentis initiatos Deo viuo, & vero ſubiugauit: Dæmonum viſiones, & ſolitas læſiones arceri, atque auferri à Domino popoſcit, & impetrauit.

Dæmones fugauit.

De quadrageſimali ieiunio Sancti abſque terreno cibo expleto.

CAP. CLXXI.

PRæcellentiſſimus Paſtor Patricius, vt nullum in Hibernia, aut cæteris Inſulis à ſe benedictis relinqueretur alicuius reptilis venenati veſtigium, aut rediuiuum oriretur ſeminarium, ſeu conſueta concederetur commoratio cateruis dæmonum, abſque victuali terreno quadragenarium tranſegit ieiunium. Deſiderabat enim dilectus Domini imitari ieiunio myſtico Moyſen, adhuc naturali tantum lege conſtrictum, vel potius Eliam Prophetam ſub lege conſtitutum, ſed potiſſimum placere gliſcens conditori naturæ, legis largitori, & gratiæ, Chriſto Ieſu, qui in ſe ſacrâuit tale ieiunium. Subiit ergo in montem excelſum *Cruachan-ailge* vocatum, in Conactia conſtitutum, quadrageſimali tempore ante Paſcha commodius illis ſalutiferis diebus ducens, deſideranti Domino, & deliberanti, ieiunij immolare holocauſta. Quinque itaque lapides in modum crucis locatos diſpoſuit, in quorũ medio, quaſi centro, ipſe recedit, modo & forma ſeſſionis ſuæ, ſicut & abſtinentiæ mortificatione ſe ſeruum crucis Chriſti indicauit. Sedebat ergo ſolitarius leuans ſe ſuper ſe, ſolummodo in cruce Chriſti gloriabatur, quam in corde & corpore ſuo iugiter geſtabat, ad dilectum ſuum candidum & rubicundum indefeſsè anhelabat, perſiſtebat enim ieiunus in corpore iugiter, ſed eius interior homo erat ſatiatus, ſaginatus, & ſauciatus, ſanctæ contemplationis dulcedine, Angelicæ viſitationis conſolatione, ac dilectionis Dei mucrone. *Viuus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vſque ad diuiſionem corporis & animæ*, quo ipſe vulneratus erat charitate.

Exod 24. 3.Reg. 9. Matth. 4.

Heb. 4.

De Dæmonum effugatione.

CAP. CLXXII.

SOlebant Dæmones deletum dominium ſuum in Hibernia per Patricium, nimiſque infeſti inſiſtebant illi ieiunanti & oranti, pariter conglobati contra eum. In ſpecie namque nigerrimarum auium, forma, magnitudine horribilium, ac multitudine, ſuper & circa eum volitabant, & horriſonis garritibus geſtientes, impedire orationem eius, diutius virum Dei moleſtabant. Patricius tandem Dei gratia præuentus, protectuſque adiutorio, ſigno crucis edito, aues illas mortiferas, à ſe longiùs abegit, ac continua crebráque cymbali ſui percuſſione, eas ab Hiberniæ finibus effugauit. Dæmones itaque à S. Patricio trans mare fugati fugerunt, & in Inſulis à fide, & dilectione Dei alienis per phalanges diuiſi degere, ac fantaſias ſuas exercere ſoliti ſunt. Ab illo ergo tempore vſque in præſens, venenoſa animantia in Hibernia meritis, & precibus ſanctiſſimi Patris Patricij penitus eſſe ceſſarunt, Dæmonumque fantaſmata, & illorum illuſoria ſcemata, ſicut in cæteris regionibus apparere non conſueſcunt. Cymbalum etiam Sancti, ex crebris ictibus in vna parte apparuit effractum, quod poſtmodum Angelica manu eſt reſolidatum, cuius fracturæ cicatrix adhuc apparet oculis intuentiũ. In huius igitur montis cacumine ieiunare, ac vigilare conſueſcunt plurimi, opinãtes ſe poſtea nunquã intraturos portas inferni, quia hoc impetratum à Domino exiſtimant meritis & precibus Sancti Patricij. Referunt etiam nonnulli qui pernoctauerant ibi, ſe tormenta grauiſſima fuiſſe perpeſſos, quibus ſe purgatos à peccatis putant, vnde & quidam illorum locum illum Purgatorium Sancti Patricij vocant.

S. Patricius cymbali percuſſione Dæmones ab Hibernia depulit.

Cymbalũ crebris ictibus fractum, Angelus reparat.

Purgatorium S. Patricij.

De

De Angelicis cœtibus S. Patricio apparentibus.

CAP. CLXXIII.

Miſerante moderatore omnium Deo, qui poſt nubilum ducit ſerenum, ſtatim eiectis ſpiritibus malignis, Angelorũ multitudo maximo fulgore perfundebat locum, mirabilique melodia permulcebat Sanctum. Ipſe verò expleto ieiunio, gratiarum ac laudum hoſtias immolabat Deo, qui homini mortali tantæ abſtinentiæ adimplendæ virtutem tribuit, & tanta beneficia ob ſui interceſſionem largiri dignatus fuit. Inſuper & Angelica viſitatione ſe lætificauit. Angelico igitur comitatu deductus de monte deſcendit, ac cymbalum ſuum percuſſit, cuius ſonitum per omnes fines vndique Hiberniæ Dominus audiri fecit. Ex qua re nullus fidelium ambigere debet, quod nouiſſimæ tubæ ſonum omnis homo audiet. Eleuatis deinde manibus S. Patricius totam Inſulam cum habitatoribus ſuis benedixit, Chriſtoque commendauit. Mos itaque fuit S. Patricio, ſicut & cæteris antiquis Sanctis in Inſulis degentibus habere cymbala, tum propter dæmonum expulſionem, tum propter corporalis pigritiæ excitationem, atque ad horas diei, die ac nocte denunciandas, aut forte alia neſcio qua cauſa. Vnum verò pro certo ſcitur, quod multa miracula ſonitu, ſeu tactu talium cymbalorum geſta eſſe noſcuntur. Benedictus ergo Domini Patricius in cæna Domini, egreſſus de ſecreto ad publicum, ſua præſentia lætificauit omnem Eccleſiam Sanctorum, quos genuerat Chriſto per ipſius Euangelium. Pergit itaque Epiſcopale officium, quod illis ſacratiſſimis diebus inſtantibus competebat, ſicque ad iter, & opus ſalutis animarum ſe procingebat.

Cymbali ſonitus auditur per totam Hiberniam.

Quomodo Sanctus decimauit Hiberniam, & incolas eius.

CAP. CLXXIV.

Solemnitate igitur Paſchali, conſueta deuotione peracta, circuibat totam Inſulam, & perambulabat eam cum ſuorum filiorum, quos in Chriſto parturierat, multitudine ſanctiſſima, vbique viam Domini in veritate docens, aut ad fidem conuertit, aut in fide confirmauit incolas prædicationis efficacia. Omnes ergo Inſulani, ad quos vel ſaltem notitia nominis eius peruenit, propter nouum, & inſigne ac tam vtile miraculum, ſeſe ſuaque dedentes illi, manus dederunt, eiuſque doctrinæ, inſtitutis, atque præceptis, tanquam Angelo lucis, vt proprio Apoſtolo deuotè obtemperauerunt. Videns optimus agricola duritiam agri Dominici emollitam, conabatur ſentibus ſenſim extirpatis, tribulis euulſis, tuderibus erutis, ipſum ſaluberrimi ſeminis augmento copioſius fœcundare, quatenus non ſolum triceſimum aut ſexageſimum, verumetiam centeſimum poſſet fructum feracius facere. Fecit ergo totam Inſulam in funiculo diſtributionis diuidi, diuiſam cum omnibus incolis vtriuſque ſexus decimari, omnéque decimum caput, tam in hominibus, quàm in peccoribus in partem Domini iuſſit ſequeſtrari. Omnes ergo mares Monachos, fœminas ſanctimoniales efficiens, numeroſa monaſteria ædificauit, decimamque portionem terrarum, ac pecudum eorum ſuſtentationi aſſignauit. Infra breue igitur temporis ſpatium, nulla eremus, nullus pœnè terræ angulus, aut locus in Inſula tam remotus, qui perfectis Monachis, aut Monialibus non repleretur, ita vt *Hibernia* ſpeciali nomine *Inſula Sanctorum*, vbique tertatum iure nominaretur. Viuebant enim ſecundum regulam à Sancto Patricio illis præfixam, mundi contemptu, cæleſtium appetitu, ſancta mortificatione carnis, ac abdicatione voluntatis propriæ: pares Ægyptiis Monachis merito, atque numero; ita vt exteras atque longinquas regiones illuſtrarent verbo, ac religionis exemplo. Nullus in diebus Sancti Patricij, aut multo poſt tempore ſucceſſorum eius, in Pontificem aut regimen animarum promouebatur, niſi diuina reuelatione, aut aliquo ſigno euidenti dignus demonſtraretur.

Hibernia Inſula Sanctorũ.

Epiſcopi Hiberni diuina reuelatione eliguntur.

De ſtatibus Hiberniæ diuerſis Sancto diuinitus oſtenſis.

CAP. CLXXV.

VIr Dei deſiderabat attentius,& deprecabatur inſtantius, ſuper ſtatu Hiberniæ præſenti & futuro certiorari, vt agnoſceret quāta fidei deuotione ferueret, aut quanti penderetur labor eius in conſpectu Dei. Deſiderium enim cordis eius exaudiuit Dominus, & quod petebat, præclara reuelatione manifeſtauit oculis eius, conſtitutus enim in oratione, laxato ſinu mentis, vidit totam Hiberniam,velut igneam eſſe flammamque vſque cælum extendentem,audiuitq; Angelū Dei manifeſtè ſibi dicentem. Talis eſt Hibernia in præſenti coram oculis Domini. Facto denique paruo interuallo, contemplatus eſt in omnibus finibus Inſulæ montes velut igneos ad æthera vſque porrectos. Poſtmodum,interiecta modica morula pluribus in locis intuebatur quaſi candelabra lucere, & paulo poſt inualeſcente caligine, lucernas exiguas, ac demum carbones raros incineratos, viuos tamen in abditis apparere. Subiungitur etiā Angelica voce: quod futuris temporibus in ſtatibus diuerſis taliter expreſſis, eſſent gentes Hibernicæ. Sanctus autem Patricius imbre lachrimarum ora madefaciens, illud Pſalmiſtæ crebrò replicabat, dicens. *Numquid in æternum proijciet Deus, aut non apponet vt complacitior ſit adhuc? aut in finem*
Pſal. 76. *miſericordiam ſuam abſcindet à generatione in generationem? aut obliuiſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas?* Et angelus. Reſpice ad Aquilonalem plagam, & videbis mutationem dexteræ excelſi, tenebraſque diſpergendas à facie luminis aduenturi. Leuauit igitur oculos Sanctus, & ecce vidit modicam prius lucem in Vlidia exorientem, diu cum tenebris concertare, tandem iiſdem effugatis ſuo fulgore totam Inſulam illuſtrare. Nec ceſſauit lux illa creſcere & inualeſcere, donec videretur ad primum ſtatum igneum Hiberniam reducere. Tunc enim impletum eſt gaudio cor Sancti Patricij,& lingua eius exultatione,hæc omnia ſibi oſtenſa proſequens cum gratiarum actione. Intellexit vir Dei,& ore deprompſit in magnitudine ignei ardoris, Chriſtianæ fidei & dilectionis, qua feruebant Inſulani, deuotionem & zelum Religionis. Per montes igneos,ſanctos ſignis & virtutibus, verbis & exemplis præclaros. Per diminutionē claritatis, detrimentum ſanctitatis: Per obductam ſuper totam terram caliginem, in ea præualentem infidelitatem. Per morarum ſpatia, ſuccedentium temporum interſtitia. Tempus autem tenebrarum, Hibernici illud autumant, quo prius Gurmundus,ac poſtea Turgeſius Noruagienſes principes Pagani, in Hibernia debellata regnabant. In illis enim diebus, Sancti in cauernis & ſpeluncis,quaſi carbones cineribus cooperti,latitabant à facie impiorum, qui eos tota die,quaſi oues occiſionis mortificabant. Ex qua re accidit, vt varij ritus contra Eccleſiaſtica inſtituta in Hibernia inducerentur, & à Prælatis Sanctæ Eccleſiæ diuinæ legis ignaris, contra formā eiuſdem noua Sacramenta conficerentur. Lucem verò prius ex Aquilonari parte exorientem, & licet diutino conflictu tenebras exterminantem, Hibernigenæ ſanctum Malachiam aſſerunt, qui prius in Dunenſi Eccleſia,poſtmodum in Ardmachana Metropoli præfuit, & Hiberniam ad Chriſtianæ legis ſtatum reduxit. E contrà Anglici lucem illam arbitrantur aſcribendam ſuo aduentui, eò quòd tunc Eccleſia videbatur ſuo iudicio in meliorem ſtatum prouehi: Religio plantari,ac propagari, atq; Sacramenta eccleſiaſtica, & Chriſtianæ legis inſtituta, ritu competentiori obſeruari. Ego verò finem contentioſum inter eos nec porto, nec dirimo, ſed huius rei diſcuſſionem,atque diffinitionem diuino iudicio relinquendam cenſeo.

Explicatio viſionis S. Patricij, ſuper Hibernia ſtatibus.

Opiniones diuerſæ.

De reſponſione Sancti ſuper oblatione ſancti Secundini.

CAP. CLXXVI.

SEdebat Sanctus Secundinus aliquoties in cœtu ſanctorum, de geſtis & virtutibus Sancti Patricij mutuò conferentium. Cumque quidam illorum affirmaſſet, illum eſſe Sanctiſſimū omnium ſuper terram viuentium: Sanctus Secundinus dixiſſe fertur ad illum. Verè ſanctiſſimus eſſet, niſi minus charitatis fra-

S. Patricius munera ſpreuit.

ternæ, quã decet, habuiſſet. Non diu enim latuit verbum iſtud Sanctum Patricium in auribus tot diſcipulorum eius prolatum. Conuenientibus poſtmodum in vnum Sancto Patricio, & Secundino, ſciſcitabatur magiſter à diſcipulo, Metropolitanus à Suffraganeo, cur de ſe, vel potius aduerſum ſe tale verbum protulerit. Secundinus reſpondit. Quia recuſas oblata tibi diuitum munera, & prædia ſuſcipere, quibus poſſis Sãctorum multitudinem collectam ſuſtentare. Cui Sanctus Patricius. Propter adimpletionem, inquit, charitatis, non admitto iſtud opus charitatis. Si enim oblata mihi ſuſciperem, duorum equorum paſtum Sãctis poſt nos aduenturis adipiſcendum non relinquerem. Sanctus Secundinus ſuper verbo illo, quod locutus eſt, pænitens, veniam à S. Patricio petijt, & ipſe ſolita benignitate pænitenti clementer indulſit.

Reſponſum S. Patricij

De hymno à Sancto Secundino in honorem Sancti Patricij facto.

CAP. CLXXVII.

SÆpè dictus Sanctus Secundinus, ſapiens, & literatus, dixit Sancto Patricio, velle ſibi adiacere, de ſancto quodam adhuc ſuperſtite carmen componere. Et quia ſanctus is erat Patricius, de quo ſcribere diſpoſuit, illius nomen ſilentio ſuppreſſit. Ad quem Sanctus Patricius; Verè, inquit, dignum, & iuſtum eſt, æquum, & ſalutare, vt
Eccli. 44 *ſapientiam* & gloriam *Sanctorum narrent populi, & laudem eorum nunciet Eccleſia*, ſed id quidem dignius, & commodius poſt lucis terminum totius cœnodoxiæ ſublata materia. Lauda ergo diei ſerenitatem, ſed cum aduesperaſcerit; militis virtutem, ſed cum triumphauerit; nauta proſperitatem, ſed cum applicuerit. Dicit enim Scriptura.
Eccli. 11. *Ne laudaueris hominem in vita ſua.* Si tamen id omninò cordi tuo infixum fuerit, quod facere diſponis, fac citiùs, quia mors tibi adeſt in ianuis. Omniũ enim Epiſcoporum qui ſunt in Hibernia, de ſæculo primus migrabis. Hymnum igitur in laudem Sancti Patricij compoſuit, & paucis poſtea diebus elapſis, iuxta verbum Sancti Patricij diem vltimum clauſit: ſepultuſque in Eccleſia ſedis ſuæ in loco, qui vocatur *Dombnach Seachlainn*, crebris ſe miraculis cum Chriſto viuere oſtendit. Hymnum autem illum Hibernici plures cõſueſcunt quotidiè cantare, ac multa magnaque mirabilia ex eius frequentatione narrant eueniſſe. Plures enim cantantes hunc Hymnum, non viſi tranſierunt per medium inimicorum ſanguinem ſuum ſitientium. Illo namque genere cæcitatis erant percuſſi, quam Acriſiam nuncupant Phiſici.

De cuiuſdam peccatoris anima per Sanctum Patricium à dæmonibus liberata.

CAP. CLXXVIII.

QVidam Sanctus in Hibernia, nomine *Kaennechus*, videbat quadam vice phalanges Dæmonum, infernalibus armatos inſtrumentis pertranſire: Quos adiuratos in nomine Sanctæ Trinitatis compulit cauſas ſibi ſuæ profectionis denudare. Adiurati igitur, licet inuiti, confitebantur ſeſe profectos ob adducendam animam cuiuſdam peſſimi peccatoris, qui ſepeliri promeruit in infernalibus antris. Præcepit illis S. *Kaennechus* in nomine Domini ad ſe redire, ac quid egiſſent ſibi referre. Poſt aliqua interualla horarũ, Dęmones cõfuſi reuertebantur, ac ſe ſuam prædam perdidiſſe per Patricium proteſtabantur. Inquirente S. *Kaennecho* cauſam ereptionis illius animæ, dixerunt Dæmones, hominem illum in vita ſua conuiuium magnum ſingulis annis in feſto Sancti Patricij celebraſſe, atque quotidie quædam capitula de hymno in honore Sancti Patricij compoſito frequentaſſe, talique de cauſa, de manibus ſuis affirmabant Patricium illum tanquam mancipium proprium eripuiſſe. Hęc dicentes Dæmones in vmbras euanuerunt tenues. Lętatus eſt Sanctus *Kaennechus* in his quæ dicta ſunt ei; iſtaque referens, multos incitauit ad hymnum frequentandum in venerationem Sancti Patricij.

S. Patricius ſe honorantem liberat ab inferno.

Quomodo Sanctus apparuerit hymnum ſuum canenti.

CAP. CLXXIX.

QVidam Abbas de diſcipulis S. Patricij, Colmanus nomine, prędictum hymnū crebrò conſueuit repetere. Qui cum conueniretur à diſcipulis, cur non potius horas conſtitutas, aut pſalmos decātaret, ac diceretur, hymnum ſemel cantatum ſibi debere ſufficere. Reſpondit, ſe dum hymnum cantaſſet, deſideratum dilecti ſui Patris Patricij iugiter vultum vidiſſe, nec tamen ex illius contemplatione ſatiari potuiſſe. Hęc autem diu poſt deceſſum S. Patricij geſta, idcirco ſcripſimus, vt oſtenderemus, quanti pendatur hymnus iſte apud Hibernicos, & quàm promptus adiutor in opportunitatibus, in tribulatione, ſit Sanctus Patricius ſe honorantibus, & ſui memoriam frequentantibus.

De admirandis Sancti contemplationibus.

CAP. CLXXX.

SAnctus Patricius Prædicator veritatis, viuens adhuc in carne ſicut multos viuentes mortuos ad veram vitam verbo & exemplo reuocabat, & prouocabat, ſic ex his, qui empti ſunt de terra, plures ad terram viuentium precibus perducebat. Multos etiam exutos carne ab ipſo perpetui puteo interitus, à rugientibus pręparatis ad eſcam, precibus potenter eripuit, & ad loca purgatoria reducens expiandos, ipſos ſaluationi reſtituit. Ipſe ſæpius ſecretorum cæleſtium contemplator effectus, cœlos apertos, & Dominum Ieſum ſtantem in medio multitudinis Angelorum conſpexit, & hoc aliquoties dum Patri filium immolaret, aut Apocalypſim Ioannis deuotè decantaret, videre promeruit. Dum enim viſiones illas mirabiles meditando miraretur, miro modo ad quarundam earū ſimilem ſpeculationem à Domino ſubleuabatur. Angelus autem Domini Victor ſæpè nominatus, ter in hebdomada qualibet illi conſueuit apparere, ſuique colloquij collatione, & conſolatione refouere.

S. Patric. cæleſtia intuetur.

De animabus diuitis, & pauperis ad diuerſa loca, vidente, Patricio deſtinatis.

CAP. CLXXXI.

MVltoties Sanctus Dei de corporum tabernaculis animas egreſſas vidit, ad diuerſa loca ſuppliciorum, ſiue gaudiorum deſtinatas, quorum vnum exemplum dignum duximus calamo tradere, quod ædificationis cauſa Sanctus ſolebat referre. Erat homo quidam habens nomen magnum iuxta nomen magnorum, qui fuerunt in terra illa, fueruntque illi greges ouium, & armenta boum, eiuſque poſſeſſio creuit in terra. Vir denique præfatus in fata deceſſit, cuius funeris exequias, cum ingenti pompa & honore magno ſecundum ęſtimationem hominum cognatio plurima, comitante turba filiorum, celebrans, in ventrem matris omnium ipſum recondidit. Homines vero, qui beatum dicere ſolent hominem, cui hæc ſunt, funeratum illum, qui taliter in vita ſua floruit, & in exitu ſuo tam honorificè ſepultus fuit, fœlicem aſſeruerunt, cuius exitus matutini & Veſperæ delectabiles, cernentes, ipſum Domino placere valdè, putauerunt. Alter vero in vicino degens, mendicus, omnibus diebus vitæ ſuæ miſera ſqualens ægeſtate, ingreſſus eſt viam vniuerſæ carnis. Cadauer autem illius abſque miniſterio exequiarum aliquandiu iacuit inhumatum, & ab auibus laceratum, poſtremo per pedes tractum, in quandam foueam fuit proiectum, ac ceſpite coopertum. Qui verò ſecundum faciem iudicabant, illum miſerrimum & infœliciſſimum omnino pronuntiabant. Vir autem Domini reſpondens dixit, diſsidere hominum iudicia ab illius æquitate, qui ſcrutatur renes & corda, cuius iudicia abyſſus multa. Adiecit enim, referens ſe vidiſſe prædicti diuitis animam à miniſtris Tartareis in Barathrum præcipitari; pauperis verò ſpiritum, cuius vita æſtimabatur inſania, & finis ſine honore, inter filios Dei computari, & inter Sanctos locum beatitudinis ſortiri. Verè vani filij hominum, & mendaces in iudiciorum ſuorum ſtateris, ſed iuſtus Dominus iuſtitias dilexit, cuius vultus vidit

dit

dit æquitatem. Hinc enim delicias, & diuitias diuitis: hinc peccata pauperis, quibus fortaſſis iram meruit, & calamitas, quam patiebatur in ſtatera æquitatis, appendit: vnum ad tormenta de gloria & honore præſenti diſtrictè iudicans: alterum in camino paupertatis & afflictionis expiatum ad gaudia cæleſtia miſericorditer deſtinauit. Nec ſolum Sanctus hæc de iſtis duobus, ſed ſæpius vidit, & referre conſueuit de alijs pluribus. Sic, ſic quod veritas ore proprio dignabatur enarrare de diuite purpurato, & vlceroſo Lazaro, hoc amicus veritatis ſe vidiſſe de alijs atteſtatus eſt ore veridico.

Luc. 16.

De Sancto Vinuualoeo mirabiliter à Sancto Patricio ab itineris propoſito reuocato.

CAP. CLXXXII.

FLoruit in Britannia minori vir vitę venerabilis, Vinuualoeus nomine, ſignis ac prodigijs præclarus ab ipſis rudimentis infantiæ ſuæ. Nam ſicut eius geſta deſcripta teſtantur, plura permaxima ab ipſo patrata miracula memorantur. Hic autem Auſtro perflante ortum ſuum, vt fluerent aromata illius, ſacram opiuionem S. Patricij audierat, æſtuantique corde in odorem vnguentorum eius currere concupierat. Deliberabat diutius ac deſiderabat, demumque animo fixum ſtaruit parentes patriamque relinquere, & ad Hiberniam proficiſcendo in diſcipulatu, & ſub diſciplinatu S. Patricij Chriſto ſeruire. Nocte verò præcedente, qua in craſtinum ſe ad iter propoſuit procingere, vidit in viſu virum clariſſimum Pontificalibus redimitum coram ſe aſſiſtere, ac ſibi in ſermone Domini dicere. Noueris, chariſsime Vinuualoee, me eſſe Patriciũ ad quem ire diſponis, nec te fatiges, nec quæras quem inuenire non poteris, inſtat enim tempus meæ reſolutionis, in proximo eſt vt ingrediar viam vniuerſæ carnis. Voluntas Dei eſt, vt non dimittas locum tuum, ſed verbo, & exemplo in terra iſta ſatagas acquirere populum acceptabilem Deo, ſectatorem bonorum operum. Supereſt enim corona vitæ, *Quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Hæc dicens viſio diſparuit, Sanctuſque Vinuualoeus fecit, ſicut edoctus diuinitus fuit. Attendat auditor quanta perfectione vir Sanctus Domino adhærens, vnus cum eo Spiritus fuerit, qui Sancti viri manentis in Armoticana Britannia deſiderium in Spiritu vidit, agnouit, & ab itineris propoſito profectui profectuti oppoſiti tam mirabiliter amouit.

De quotidianis orationibus & genuflexionibus S. Patricij.

CAP. CLXXXIII.

EXcluſa igitur infidelitatis nube, cuius obiectu Hibernigenæ diù veri Solis claritate, & calore caruerant: B. Patricij, quamdiù fuit halitus in eo & Spiritus Dei in naribus eius, lingua, vita, virtus omnibus in via Domini profectis, prouectis, & perfectis profuit, ad dandam ſcientiam ſalutis, ad exhibendũ exemplum ſanctitatis, & ad conferendnm infirmis remedium omnimodæ ſanitatis, & hæc quidem forma cunctis propoſita patuit abſque eo quod intrinſecus latuit. Sanè ſingularis vitæ modus, quem in ſecreto exercuit, talis quotidianus continuuſque fuit. Omni namque die Pſalterium integrum, cum canticis & hyinnis, & Apocalypſi Ioannis Apoſtoli, ac ducentis orationibus ſtrenuè ſedulóque ſolebat Domino decantare: centenis ter vicibus Dominum adorãdo genua flectebat; qualibet hora diei canonica, centies crucis ſe charactere ſignabat. Conſueuit nihilominus quotidie digniſsimè & deuotiſsimè Patri filium immolare, nec prætermittebat populis prædicare, ſiue diſcipulos docere.

Qualiter nocturnum tempus Patricius expendebat.

CAP. CLXXXIV.

SVpernaturali etiam more diſtinguens per partes nocturnum tempus, illud ita tranſigere ſolebat Dominicæ vineæ cultor, cuſtoſque vigilantiſſimus. Priorem partem eius ſub ducentis genuflexionibus duobus quinquagenarijs pſalmorum diuinis laudibus libatis, ſtudio vigilanti percurrebat: ſubſequenti parte aquis algidis ſe immer-

gens, corde, ore, oculis, ac manibus cœlo infixus tertium quinquagenarium cum orationibus multiplicatis conſummabat. Poſtmodum verò, ſuper nudum lapidem ſtratus, capiti eius loco ceruicalis altero lapide ſuppoſito, corpus ſanctiſſimum ſomni tenuis, & modici refrigerio recreabat, imo vt luculentius loquar, illud ad conſueti atque continui conflictus laborem reparabat. Tali tamen indulgens membra ſopori, lumbis circumponebat particulam aquis algentibus intinctam aſperrimi cilicij, ne lex in membris militans, contra legem mentis in detrimentum Spiritus igniculum aliquem veteris fortè fomentaret fermenti. Ipſe etiam victu arcto, ac arido, aſperoque amictu ſemetipſum hoſtiam viuam, ſanctam Deo placentem offerebat, nec principem coquorum muros Ieruſalem in ſe attingere permittebat, beatæ ſterilitatis carni pœnam inflixit, & ne paruulos procreare poſſet alliſione mortéque dignos, multiplicis fructus fœcundum ſpiritum effecit.

De habitu, ac geſtu, & factis Sancti Patricij.

CAP. CLXXXV.

MOre Apoſtolorum vſque ad quinquageſimum quintum annum ætatis ſuæ, quo in Hiberniã Epiſcopali gradu ſublimatus aduenit, iugiter pedes gradiebatur, & ex tunc currus vehiculo more illius regionis, illo in tempore, aſſueto, ob difficultatem itineris in prædicatione vtebatur. Super cætera indumenta cuculla candida amiciebatur, vt ipſe habitus forma & colore monachatus ſui ſpeciem, & candidatum humilitatis, & innocentiæ repræſentare videretur. Vndè & monachi in Hibernia Sancti Patricij ſequendo veſtigia, per multa temporum volumina habitu ſimplici contenti erant, quem ouium miniſtrabat lana, qualibet extrinſeca tinctura remota. Excutiebat manus ſuas à munere, Beatius ſemper iudicans dare quam accipere. Si igitur aliquando ei munus collatum eſſet à diuite, quàm citius potuit illud pauperi ſtuduit erogare, ab illo ſe alleuians velut à graui onere. In vultu, in viſu, affatu, inceſſu, in quolibet membrorum motu, & in totius corporis geſtu intuentibus ædificationem pariebat, ſermoque eius ſale conditus omni ætati, omni ſexui, omni gradui, omni conditioni congruebat. In quatuor enim linguis, Britannica videlicet, Hibernica, Gallica, & Latina peritus & expeditus erat, Græcam etiam ex parte nouerat. Extat enim libellus Prouerbiorum eius Hibernicè ſcriptus, ædificatione plurima plenus. Magnum etiam volumen, quod dicitur *Canoin Phadruig*, id eſt, canones Patricij ſcripſit, quod cuilibet perſonæ, ſeu ſæculari, ſeu etiam Eccleſiaſticæ ad iuſtitiam exercendam, & ſalutem animæ obtinendam ſatis congruè conuenit. Quoties enim conueniebatur ſuper profundis quæſtionibus enodãdis, aut cauſis occultis & ambiguis, primitus, ex humilitatis vſu reſpondere conſueuit; *neſcio, Deus ſcit.* Quoties tamen magna neceſſitate ductus cogebatur verbum ſuum certificare, per iudicem ſuum iurando ſolebat illud confirmare. Spiritu itaque prophetiæ pollebat, vt innumera futura, tanquam præſentia prædiceret, abſentia ſciret, & quod de labijs eius exierat abſque vllo ambiguitatis ſcrupulo eueniret. De ſanctis namque Hiberniæ & præcipuè Conactiæ, & Momoniæ vſque ad poſt centum annos naſcituris tam luculenter ad prophetiam texerat, vt ipſorum vocabula, merita, & loca habitationis eorum deſignaret. Quemcunque ligabat, aut abſoluebat, ipſe ligatum, ſiue ſolutum diuina iuſtitia, indicijs euidentibus comprobabat. Sicut enim benedictionem dando dexteram extendebat, ſic infetendo contrarium, læuam leuare ſolebat. Quem autem benedicebat, benedictio Domini ſuper eum veniebat, & cui maledicebat, maledictionibus repletus apparebat. Quæcunque ſentẽtia ex ore Sancti Patricij fuiſſet prolata, ita inconuulſibilis manebat, & fixa, ac ſi à ſuperni Iudicis tribunali fuiſſet egreſſa. Vnde liquidò conſtat, quod vir Sanctus adhærens Domino, vnus cum eo Spiritus erat. Sed licet in ſingulis, aut pluribus virtutibus, cæteris Sanctis æquipollebat aut præcellebat, ſeipſum tamen humilitate vincebat: vndè & in epiſtolis ſuis ſe peccatorẽ vltimũ, minimum, cõtemptibilem omnium nominare conſueuerat. Signa etiam & prodigia, quæ faciebat, parui pendens, nulli viro perfecto æquiparandum ſe cenſebat. Et quia non grandis ſtaturæ fuerat ſe ſæpius homuncionem vocabat.

bat. Manuali multoties etiam labori, more Apoſtoli Pauli piſcationi videlicet & agriculturæ, ſed præcipue Eccleſiis exſtruẽdis inſudabat, & ad huius exercitium diſcipulos ſuos verbo & exemplo incitabat. Inſiſtebat nihilominus inſtantiſſimè baptizandis populis, Eccleſiæque miniſtris ordinandis. Trecentos namque Epiſcopos & quinquaginta manu ſua conſecrauit. Septingentas Eccleſias fundauit: quinque millia Clericorum ad ſacerdotalem gradum & officium promouit. Cæterorum verò miniſtrorum infra inferiores gradus conſtitutorum, ac monachorum atque ſanctimonialium, quos diuino obſequio applicauit, ſolus Deus numerum nouit.

Act. 20.

S. Patricius 350. Epiſcopos conſecrauit 700. Eccleſias fundauit. 5000. Clericos ad ſacerdotiũ promouit.

De infirmis curatis, mortuis reſuſcitatis, & diſcipulis, eius geſta ſcribentibus.

CAP. CLXXXVI.

SVb hac itaque norma ſanctiſſima vitæ præſentis ad brauium tendendo futuræ trãſcurrens, tot ac tantis miraculis coruſcabat, vt in his, nulli Sanctorum antecedentium ſecundus appareat. Cæcos enim, & claudos, ſurdos, & mutos, paraliticos, lunaticos, leproſos, epilepticos ceu quibuſlibet membrorum vſibus deſtitutos, ſiue morborum generibus grauatos, in nomine S. Trinitatis naturalibus officijs, & integræ ſoſpitati reſtituebat, & in talibus ille quodãmodo quotidianus, & conſuetus vbique vſus erat. Triginta enim & trium mortuorum, quorum quidam, poſt multorum annorũ curricula, incinerati erant, legitur eſſe, reſuſcitator magnificus, de quibus ſuperius ſuis in locis diffuſius enarrauimus. Vnde & de his quæ mirificè geſſit in mũdo, libelli, vel tractatus referũtur conſcripti, ſexaginta ſex numero, quorum pars plurima principantibus Gurmundo & Turgeſio cõſumpta perijt incendio. Quatuor tamen codices de virtutibus & miraculis eius partim Latinè, & partim Hibernicè conſcripti reperiuntur, quos diuerſis temporibus quatuor diſcipuli eius, videlicet beatus Benignus ſucceſſor illius, & Sanctus Mel Epiſcopus, & Sanctus Lumanus pontifex nepos eius, & Sanctus Patricius filiolus eius, qui poſt deceſſum patrui ſui Britanniam remeans in fata deceſſit, in Glaſconenſi Eccleſia ſepultus eſt honorificè, conſcripſiſſe referuntur. Sanctus nihilominus Euinus ſimili modo actus Sancti Patricij in vnum codicem compilauit, quẽ partim Latino ſermone, partim Hibernico compoſuit. De quibus omnibus quæcunque fide digna reperire potui, in hoc opus collecta communicare notitiæ poſterorum gratum duxi.

S. Patricius habuit gratiã ſanitatum.

Libri 66. ſcripti de geſtis S. Patricij.

Non Patricius Apoſtolus, ſed eius nepos ſepultus eſt in Glaſconenſi Eccleſia.

De obitu, & loco ſepulturæ Sancti Patricij, voce oſtenſis Angelica.

CAP. CLXXXVII.

POſt hæc dilectus Domini Patricius plenus dierum, & meritorum, cum iam fideliter, fortiterque curſum conſummaſſet adminiſtrationis ſibi creditæ, tum diuina reuelatione, tum terreſtris habitaculi, quod geſtabat, diſſolutione, ſuæ vitæ veſperum videt imminere. Et cum eſſet in finibus Vlidiæ conſtitutus, verſus Ardmachanam ciuitatem ſedis ſuæ maturauit greſſus. Sedit enim deſiderio ſuo, illo in loco ſacri corporis exuuijs depoſitis viã vniuerſæ carnis ingredi: & ſub oculis filiorum, quos in Chriſto parturierat, in ventre matris omnium recondi. Sed Sancti viri propoſitum inopinatus commutauit euentus, vt ſciant ſinguli quod, teſte ſcriptura, non eſt via hominis in poteſtate ipſius, ſed à Domino diſponuntur greſſus eius. Angelus namq; victor illi, quò propoſuerat tendenti occurrit, & ſecus viam de rubo abſq; vllius cõbuſtionis iactura ardẽte loquẽs ait. Prohibe Patrici, pedem à cœpto itinere, quia nõ eſt voluntatis diuinæ, vt vita tua morte cõmutetur in Ardmachia, corpuſq; claudatur ſepulchrali lare. In regione enim Vlidię, quã prius præ omnibus Hiberniæ finib⁹ conuertiſti, Dominus præuidit te moriturum, & in ciuitate Dunenſi honorificè tumulandum. Ibi quippe erit tua reſurrectio, ſed in Ardmachana vrbe, quam diligis, gratiæ tibi collatæ ſucceſſiua adminiſtratio. Memor eſto verbi tui, in quo filijs Diuchu, primis Neophitis Hibernigenarum ſpem dediſti, quando cælitus edoctus in terra eorum te moriturum & funerandum prædixiſti, & promiſiſti. Sanctus autẽ præſul prius

paululum hoc moleſtè accipiens obſtupuit; ſed repentè in ſe reuerſus, diuinæ diſpoſitionis prouidentiam multa cordis deuotione magnaque gratiarum actione amplexatus eſt, Deique voluntati ſuam ſubmittens ad partes Vlidiæ regreſſus eſt.

Quomodo locus ſepulturæ ſancti Patricij cœlitus eſt oſtenſus.

CAP. CLXXXVIII.

Paucis diebus poſt hæc tranſactis, ſedebat ſanctiſſimus ſenex Patricius, in loco non lõge diſtante à Dunenſis ciuitatis matrice Eccleſia, & cum illo erat Brigida Hiberniæ margarita, & Religioſorum, ac Eccleſiaſticorum turba non minima; cumque Sanctus concionaretur ad eos de gloria Sanctorum, & manſionibus luciſluæ patriæ, lux copioſa cœlitus emiſſa, perfudit quendam locum in Cœmiterij Orientali parte. Quem intuentes qui adderant admirabantur, & ipſa lux quid prætenderet, à ſancto ſciſcitabantur. Sanctus enim pater iuſſit Beatæ Brigidæ aſſidenti denudare poſcentibus myſterium apparẽtis luminis deifici. Virgo verò palam in auribus omnium, aſſeruit illam claritatem deſignaſſe atque ſanctificaſſe locum ſepulturæ cuiuſdam clariſſimi, Deóque chariſsimi Sancti ibidem in proximo funerandi. Sancta etiam Ethembria affuit, quæ prima omnium Sanctimonialium in Hibernia fuerat à Sancto Patricio in virginitate conſecrata; & quis eſſet ille Sanctus ſecretius inquiſiuit à Brigida. Illa vero reſpondit ipſum eſſe patrem & Apoſtolum Hiberniꝗ Sanctum Patricium illo in loco nuper tumulandum, ſed proceſſu temporis exhinc transferendum, ſe etiam fœlicem fore pronunciauit, ſi eius ſacratiſsimum corpus obuolueretur linteamine, quod propriis manibus nendo, & texendo ad idem obſequium ipſa præparauerat. Hæc virgo in aure, conuirginali ſuæ protulit, nec verbum illud abſconditum aliquem audiſſe putauit. Lux etiam, quæ apparuit cœlo, recepta ab oculis omnium diſparuit, aſcenſu ſuo ſanctum Dei ad cæleſtia migraturum præoſtendit.

Quomodo Sancta Brigida tulit veſtem ad inuoluendum corpus eius.

CAP. CLXXXIX.

Sanctus Patricius edoctus diuinitùs deſiderium cordis Brigidæ, oriſque alloquium, & præparationem veſtis agnouit, illique, vt domum reuerteretur, ac veſtem deferret, corpuſque ſuum ob ſpirituale indicium mutuæ dilectionis in Chriſto, obuolueret imperauit. Ipſe verò reuertebatur ad Cœnobium Saballinum, quod egregio Monachorum agmine repleuit, ibique lecto doloris decumbens, terminum vitæ, imo viæ, ac vitæ initium ſpe fœlici expectauit. Virgo enim venerabilis ob auditu auris verbo Patris atque Pontificis obediuit; Ad Monaſterium ſuum perrexit, veſtem aſſumpſit, & cum quatuor virginibus ſibi adiunctis ad Sãctum, regreſſum maturauit: ſed quoniam nimia abſtinentia, & longioris viæ difficultate erant afflictæ, in itinere præ laſſitudine ſubſtiterunt, & concito gradu, ſicut propoſuerant, ad Patrem venire non potuerunt. Sanctus autem in Saballo poſitus virginum fatigationem, Spiritu Sancto ſibi reuelante, ſciuit, ac aurigæ ſuo, quatenus Beatæ Brigidæ, ſociabuſque eius, illo in loco cum quinque vehiculis citò occurreret, præcepit. Qui iuſſa ſancti præſulis complens in loco ab illo deſignato, illas quinque valde fatigatas inuenit, & ſingulas ſingulis vehiculis impoſitas, ad Saballinum Monaſterium adduxit. Ipſæ enim exhibitæ præſentiæ viri Dei, veſtem illi gratanter ſuſcipienti obtulerunt, & oſculantes pedes ipſius, & manus, benedici ab eo meruerunt.

De tranſitu mortis eius.

CAP. CXC.

Ingraueſcente igitur corporis moleſtia, vrgente ſenio, vel potius ad coronã vocante Domino, Benedictus Patricius mortẽ ſibi in ianuis adeſſe ſentiebat, imo ad mortis portum, portãque vitę ſe propetaſſe, iam & perueniſſe gaudebat. Admonitus ergo ab Angelo cuſtode ſui, S. *Thaſach* Epiſcopo diſcipulo

diſcipulo eius miniſtrante, miſterijs diui-
nis ſe muniuit, eleuanſque oculos ſuos, *Alter Stephanus.*
cœlos apertos, & Ieſum ſtantem in multitudine Angelorum conſpexit. Erectis ergo manibus, benedicens ſuos, & Domino cõmendans, ac gratias agens, ex hoc mundo tranſiuit, de fide ad faciem, de via ad patriam, de præſenti ærumna, ad æternam gloriam. O quam fœlix Patricius! qui vidit Dominum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima eius. Beatus inquam homo, cui cœli patuerunt, qui & penetrauit in ſancta, æterna redemptione inuenta, quem cum niueis virginum choreis ſuſcepit Benedicta Maria, quem ſuo conſortio Angelorum admiſerunt agmina, Prophetarum prouidus comitatur chorus, Iudiciarius Apoſtolorum amplexatur ſenatus, Martyrum laureatus venuſtat exercitus, Confeſſorum cãdidatus cõdecorat cœtus, quemque omnium electorum gloria, & honore innumerabilis proſequitur numerus. Nec mirum, nec immeritò, quia ipſe fuit Angelus Domini, licet non natura, virtute tamen & officio, cuius labia cuſtodiebant ſcientiam, & legem vitæ requiſitam ab ore ſuo, ſincerè denunciauit Dei populo. Iure etiam Propheta Altiſſimi dicitur, qui tot abſentia cognouit, tot ac tanta prædixit futura, quanta prophetaſſe raro aliquis Prophetarum inuenitur. Iure etenim Hiberniæ vocatur, & eſt Apoſtolus, cum omnes Hibernigenæ, & alij Inſulani ſigna ſint Apoſtolatus eius. Congruè etiam Martyr vocatur, qui crucem Chriſti iugiter in corpore ſuo ac corde geſtans, hoſtiam viuam ſeipſum exhibuit Domino, qui tot inſidias & conflictus, à Magis, ab Idololatris, à Regibus, à Dæmonibus perpeſſus, ad quælibet mortium genera ſubeunda cor paratum ſemper habuit. Quàm etiam competenter Confeſſor Domini ſacratus dici debeat, pœnè nullus ignorat, quippe qui nomen Chriſti iugiter confitendo prædicabat, & ad eiuſdem nominis confeſſionem, & proprij peccati, & laudis Dei, populos, tribus, & linguas, verbis, & exemplis, & ſignis innumeris inducebat: Virgo etiam permanſit corpore, Virgo corde, & virgo fide; & ideo ſponſo virginum, virginique virginum hac triplici placuit integritate. Meritò ergo Angelicis Choris, & omnium Sanctorum cœtibus aggregari meruit, qui omnium Sanctorum, virtutum particeps fuit.

S. Patric triũphans ingreditur cœleſt. aulam. — *S. Patric. Angelus.* — *Propheta.* — *Apoſtolus.* — *Martyr.* — *Confeſſor.* — *Virgo.*

De numero annorum vitæ eius.

CAP. CXCI.

Centeſimo viceſimo tertio ætatis ſuæ anno, xvj. Kal. Aprilis, migrauit à ſæculo, cuius vitæ anni diſtincti hoc modo computantur. Floruit enim xvj. annis, antequam à piratis totam eius patriam deprædantibus ad Hiberniam Inſulam eſt ductus. Sex annis grauiſſimo oppreſſus ſeruitio porcorum greges paſcebat. Quatuor namque Euangeliorum dulciſſimo pabulo eos, qui prius erant porci, depoſitis Idololatriæ ſordibus, velut candidos agnorum greges pauit. Octodecim quoque annorum ſpatio ſub S. Germani Epiſcopi Magiſterio tranſacto: quinquagenarius quinquennis natu fuit, quãdo Epiſcopali gradu decoratus Hiberniam prædicandi gratia intrauit. Triginta quinque annorum ſpacio totam Hiberniam cum aliis quibuſdam Inſulis ad Chriſtum conuertit; reliquis deinde triginta tribus, contemplatiuæ vitæ dulcedini intendens, potiſſimum in Saballo, vel monaſterio Ardmachiæ conſtituto commorari conſueuit. Nec de facili de ſanctis locis ſolebat egredi, niſi traheretur aliqua cauſa ineuitabilis negotij. Semel tamen ſingulis annis concilium celebrabat, vt ad regulam deduceret, quæ correctione egere cognouerat. *S Patric. ſingulis annis Cõcilium celebrabat.*

De humanis, & Angelicis exequijs corpori S. Patricij impenſis.

CAP. CXCII.

Expirante Sancto Patricio, circumſtans corona Monachorum, in manus Domini commendabat eius Spiritum, linteamine à S. Brigida præparato, corpus obuoluens ſacrum. Multitudo etiam populi, & cleri, copioſa catervatim confluxit, deceſſum Patricij Patroni ſui, tãquam Patriæ deſolationem, ſuſpirijs lachrymoſis luxit, in pſalmis & hymnis exequias funeri deuotas impendit. Nocte vero ſecuta Lucifluus Chorus Angelorum, circa corpus cæleſtes excubias exhibuit, locum & omnes exiſtentes in eo, claritate

circumfulgens, odore oblectans, pſalmodiæ mellifluæ modulamine mulcens, ſpirituali iucunditate cuncta perfudit. Igitur in omnes, qui conuenerant, ſopor Domini irruit, & donec Angelicæ explerentur exequiæ, vſq; manè cõſopitos detinuit. Facto autẽ mane cœtus Angelici æthera repetentes, odorem ſuper omnia aromata ſuauiſſimum poſt ſe reliquerunt, quem à ſomno expergefacti, & omnes aduentantes cõtinuato duodecim dierum ſpacio experiri potuerunt. Tot namque diebus continuis ſacrum corpus inhumatum cuſtodiebatur, quia clero controuerſijs populorum præpedito, in loco cælitus deſignato, illud ſepelire non permittebatur.

De duodecim dierum lumine continuato.

CAP. CXCIII.

SIgnum quippe magnum, & mirum apparuit, quod ab initio temporis nunquam viſum fuit. Per totam enim regionem illam duodecim dies, abſq; noctis vllius interpolatione, lux cõtinuauit, quia nox ſicut dies reſplenduit, illuminata. Qua in re patenter datur intelligi, quia mortis tenebræ non obſcurabant filium vitæ, inhabitatorẽ lucis æternæ, Patricium, dũ nox illi illuminatio in delicijs ſuis fuit, & ipſe ad lucem ſine defectu, diem ſine nocte, Solem ſine Eclipſi clarus aſcẽdit. Videtur enim ſignum iſtud inſigne, illi antiquo miraculo ſub Ioſuè in die Gabaon patrato aſſimilari, quamuis in ſpacio probetur elongati. Sol enim ſicut ſcriptum eſt contrà Gabaon, & Luna
Ioſ. 10. contra vallem Aialon vnum diem ſpacio duorum protelans, fideli populo diuina virtute victoriam miniſtrauit: Patricij de mũdo & mundi principe triumphantis, duodenæ lucis indefectiua continuatio pari potentia meritum monſtrauit.

De mirabili inter contentioſos populos elatione maris.

CAP. CXCIIII.

VIſo tanto miraculo, non poterant populi diuerſi à contentione cohiberi, quia quod iræ ſuæ furor, & animorum impetus ſuperabat impetus, adſcribebant habitæ erga Sanctum Dei deuotioni. Duodecimo denique die inter duos populos, videlicet Vlidiæ & Ardmachiæ, ſuper ſanctiſſimi corporis gleba aſportanda, orta eſt contentio grauis ſatis, & pericuſoſa. Cumque accincti armis bellicis ad congreſſum conſurgerent, vocem de ſupernis, in ſanguine iræ prohibentem audierunt, quam Spiritum Sancti Patricij protuliſſe putauerunt. Mare nihilominus terminos tranſgrediens conſuetos, inſtar muralis erectum, vtrumque populum ſibi aduerſantem, ne mutuis viſibus ſeſe conſpicere, aut ictibus poſſent contingere, diuiſit: diuiſos corporaliter ad concordiam mutuæ pacis ad horam coniuit. Sedatis ergo populis à furore ſuo, ſedatum ſtatim ſtetit fretum à furore ſuo.

De plauſtris miraculoſè deſtinatis.

CAP. CXCV.

REductis igitur fluctibus tumeſcentibus maris, & in ſe confractis, duo boues plauſtrum nobili onere oneratũ, gleba ſcilicet, sãctiſſimi corporis, verſus Dunum videbatur trahere; quod Clerus, & populus Vltanus vnanimi deuotione, cum Pſalmis, Hymnis & Canticis ſpiritualibus, ſequebantur. Ille plane plauſtrum illud minabat, qui quondam Arcam fœderis ab *1. Reg. 7.*
Acharon vſque Getht perducebat. Sed in his omnibus viſis aut auditis mirabilibus, Ardmachani populi non eſt furor auerſus: Sed adhuc ad bellandũ manus eius extenta, ne Primi præſulis, imo Primatis, Patronique ſui, corporis priuaretur præſentia. Sed ne vlterius vlla confligendi, ſeu litigandi ſuper hac re moueretur materia, vtriuſque populi paci definitiuę diuina proſpexit prouidentia. Bobus namque ducentibus, quoddam plauſtrum apparens, populum Ardmachanum præcedebat ad inſtar prioris, quod ſacrum corpus portans, verſus Dunum tendebat; illi enim non deſiſtebant ſubſequi pretium, putantes illud theſauro deſiderabili onuſtum, donec peruenirent in confinio Ardmachanæ Prouinciæ, ad quendam fluuium *Cancune* nominatum. Tunc etiam plauſtrum illud imaginarium diſparuit, populuſque præfatus, ſpe ſua fruſtratus, vacuus, & inanis ad propria redijt.

De

De Sepultura S. Patricij in ciuitate Dunenſi.

CAP. CXCVI.

INgreſſi interim Vltani vrbem Dunenſem, Miſſarum ſolemnijs celebratis, venerandum corpus veneratione debita in loco luce præoſtenſo ſepelierunt: theſaurum deſiderabilem, & lapidem pretioſum multum, ſub lapide, quinque cubitorum profunditate, in corde terræ, ne forte furtim tolleretur, poſuerunt. Quantis vel quibus miraculis, Sacro-ſancta oſſa illius pullulauerint de loco ſuo, ſcriptum non inuenimus, quia fortaſſis à negligentibus calamo mandata non ſunt; vel quoniam à Paganis principatibus in Hibernia pluries, huius ſcripta incendio deleta ſunt. Deceſſit enim S. Patricius anno Incarnationis Dominicæ CCCC. nonageſimo tertio, Pontificante Felice Papa, primo anno imperij Anaſtaſij imperatoris, principantibus Aurelio Ambroſio in Britannia, Forcherno in tota Hibernia, Ieſu Chriſto Monarchiam tenente in omnibus, & ſuper omnia. Ipſi gloria, laus, honor & imperium, per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

Quo tempore S. Patricius obijt.

TRACTATVS

DE PVRGATORIO SANCTI PATRICII Hibernorum Apoſtoli.

AD LECTOREM PRAEFATIO.

EVangeliſta Ioannes, ſublimis illa aquila, quæ ſupra omnem viſibilium, & inuiſibilium creaturarum conſtitutionem ſe erexit, lucis internæ, atque æternæ fixis oculis contemplator, & generationis diuinæ ſpecialis annuntiator, non erubeſcit, fluenta illa altiſſimi ſui Euangelij, quæ de ſacro Dominici pectoris fonte potauit, hacce periodo concludere: Sunt autem & alia multa, quæ fecit Ieſus, quæ,
Io. vlt. ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum mundum arbitror capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt libros; *vt ſic oſtenderet, ſe non ad gratiam, quòd amicus eſſet Chriſti, ſcripſiſſe. Etenim qui ad gratiam ſcribunt alicuius, nihil prætermittere ſolent, quod ab eo geſtum fuerit, commemoratione dignum; ſe verò multo plura, quàm ſcripſiſſet, & valde memorabilia omiſiſſe. Vel quod probabilius videtur, ne quis exiſtimaret non fuiſſe facta à Chriſto plura miracula, quam quæ ipſe, cæterique Euangeliſtæ commemorârunt, ibique fidei terminum figeret, nihil amplius credens, quòd aut alibi legeret, aut aliunde factum à Chriſto audiret. Quo vel vnico Achil[illegible] iaculo, ſeu lapide ex funda Dauidica proiecto, ſuperbus ille Goliath, & incircumciſus corde Philiſtæus,*
Impudentia Lutheri in reijciendis traditionibus detegitur. *Lutherus, cum ſuis hæterodoxorum caſtris proſternitur, & fugatur: dum Apoſtolicas, cæteraſque Eccleſiaſticas traditiones, tanquam hominum figmenta, reijcit, nihilque credendum aſſerit, quod in Verbo Dei ſcripto, non comprehendatur expreſſè; & ſiquid ibidem eius turpiſſimæ voluptati, aut palliatæ libertati contrarium (vt eſt Epiſtola canonica D. Iacobi &c.) contineretur, id non niſi vanum, & ſtramineum affirmaret, parique inſania ex Biblijs deleri curaret.*

Quis igitur meritò mirari poterit, ſi aliquis ſcriptor vulgaris, quouis Euangeliſta longe inferior, vitam talis Sancti, qualis erat Sanctus noſter Patricius, deſcribens, cuius infantia, adoleſcentia, virilis ætas, & ſenectus, nihil aliud eſſe videtur, quam iugis emanatio virtutum, operatio magnalium, & patratio miraculorum, quibus nec ipſa mors limitem poſuit, aliqua, imò plurima commemoratu digna, à tali Sancto patrata, aut pœnitus ignoret, aut cognita prætermittat?

Cum ergo certiſſimum ſit (vt ex infra dicendis manifeſtè patebit) extraordinarium in Hibernia à S. Patricio inuentum fuiſſe Purgatorium *: certum item ſit, iſtud à Iocelino, in eius vita, aut prorſus ſilentio præteriri, aut leuiſſimè tactum deſeri, non ideò exiſtimamus, communem domeſticorum traditionem, ac exterorum hocce de purga-*

torio

torio, aſſertionem debilitari, aut Iocelinum imperfecti operis auctorem debere appellari, cum & ipſum ſufficienter excuſare, & non incongruè ſuprà relatum Ioannis de Domino dictum, famulo Domini Patricio *accommodare poſſimus, ſic dicendo:* Sunt autem & alia multa, quæ fecit Patricius, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc à Iocelino cōpoſito, *ob cauſas nimirum ſuprà in explicatione textus Euangelici memoratas. Deinde non ſine magna probabilitate, aſſerimus, Iocelinum idcirco de* Purgatorio S. Patricij *in libro eius Vitæ non tractaſſe, quod ex aliquorum opinione deceptus, non Patricium Apoſtolum, ſed alium Patricium & ætate, & dignitate, ab hoc diuerſum, huius Purgatorij inuentorem fuiſſe putauerit; quam ſententiam, vtpote falſam, infra refutatam videbis. Et ſane, niſi veritati indagandæ ſtuduiſſemus, non eſt quod tantopere de huius* Purgatorij *auctore altercaremur. an non ſat nobis foret, illud ab aliquo, quiſquis tandem ille ſit, inuentum eſſe, tam ſingulari Dei priuilegio noſtram patriam gaudere, tamque ſalutari beneficio noſtrates frui?*

Cur Iocelinus nō ſcripſerit de Purgatorio in vita S. Patricij?

Quamobrem (amice Lector) non eſt quòd in hocce de Purgatorio tractatu ſtyli diuerſitatem mirêre: nam cùm nullum reperire potuiſſemus, qui de eo exactè egiſſet; ſed hunc iſtud, illum aliud attigiſſet punctum, ſatius eſſe arbitrabamur, quæ apud varios inuenimus in vnum congeſſiſſe, quam opus aliqua ex parte imperfectum reliquiſſe. Sed ne quis laboris præmio defraudetur, aut operis merito priuetur, aut diuerſorum opera confundantur, vnius auctoris ab alterius, ſcripta, hoc modo dignoſces.

*Quatuor primas Alphabeti literas, in margine apponi curauimus. Quæ itaque ſub litera, A, vſque ad aliam ſequentem literam, ſcripta reperies, adſcribe Reuerendiſſimo Domino D. Dauidi Rotho, Oſſorienſi Epiſcopo, & totius Hiberniæ Vice-*Primati, *viro in omni ſcientiarum genere verſatiſſimo, Rhetori facundo,* Philoſopho *ſubtili, Theologo profundo, Hiſtorico percelebri, acerrimo vitiorum reprehenſori, Eccleſiaſticæ libertatis defenſori, patriorum priuilegiorum propugnatori, Hibernicarum calamitatum zelatori deuotiſſimo, pacis denique, & vnitatis inter Eccleſiaſticos propagatori diligentiſſimo, qui idcirco* Congregationem, *vulgò dictam,* Pacificam, *in Hibernia, anno* 1620. *inchoauit, quæ cum magno Eccleſiaſticorum fructu magis magiſque indies per totum illud regnum dilatatur: qui varia ſui ingenij monumenta poſteris reliquit, quorum Cathalogum, non ſine cauſa, hìc inſerere ſuperſedemus, & maiora ab eo breui ſperamus.*

Virtutes Oſſorienſis Epiſcopi.

Quæ deinde ſub litera, B. ſcribuntur Henrico Salterienſi Monacho Anglo Ordinis Ciſtercienſis tribue; qui à Florentiano Hiberno Epiſcopo, & à Gilberto de Luda Ciſtercienſium monachorum Abbate bonas literas, & optima bene viuendi præcepta didicit: Ipſe etiam iam edoctus, alios docere ſolebat initium ſapientiæ timorem Domini. Et quia videbat homines, plerunque magis pœne timore, quàm virtutis amore à vitiis deterreri, populo inculcare conſueuerat, nihil inquinatum intrare poſſe in regnum cœlorum; atque adeò omni peccato debitam ſuam pœnam, & prius ſecundum diuinam iuſtitiam ſatisfaciendum pro delictis, vel in hoc ſæculo benè faciendo, vel in Purgatorio ſupplicia patiendo, quam cuipiam, qui peccati maculam aliquando contraxit, pateat aditus in æternum cæleſtis beatitudinis refrigerium. Vnde & ſcripſit ad Henricum Abbatem de Sartis ſuper Purgatorio S. Patricij *librum vnum: De pœnis purgatorij librum vnum. Claruit anno gratiæ* 1140.

Quis fuerit Salterienſis.

Quæ deniq; ſub litera, C. inueniuntur, ſcripta ſunt Matthæi Paris, *Angli, Monachi Benedictini, qui ab ipſa adoleſcentia monaſticæ diſciplinæ traditus, egregiam quàm natura dedit indolem omni laudabiliori eruditione perpoliuit, omni virtute ornauit:*

Laudatur Matthæus Paris.

Manuarius, ſcriptor, pictor non vulgaris, Poëta elegans, Dialecticus acutus, Theologus ſolidus, & quod omnium caput eſt, morum integritate purus, vitæ innocentia clarus, ſimplex, candidus; multaque plura de hoc, quæ breuitatis cauſa omitto, habet Piſeus ad annum 1259. quo tempore idem Matthæus obiit.

Hiſtoriam Oeni militis Hiberni, habet tam hic Matthæus, quàm præfatus Henricus, ſed ille compendioſius, & vt arbitramur ex Henrico deſcriptam; hic verò prolixius. Quocirca hiſtoriam integram ex vtroque conficiemus, ſupplendo ex vno quæ deſunt in altero: propriis tamen ipſorum verbis totam referemus; & (niſi dum pauca erunt) quæ ex vno alteri adiungemus, diuerſa, in margine, litera aſſignabimus.

Quæ tandem ſub litera D. habentur, aut ex noſtro adiecimus, aut ex aliis collegimus, prout tractatus complementum requirebat: His omnibus (pie Lector) vtere, Deumque pro nobis interpella, vt ignis Purgatorij *ardorem, aut nunquam ſentiamus, aut ſi ſenſerimus, ab eo quantocyus liberemur.* Vale.

INCIPIT

PROLOGVS HENRICI

SALTEREIENSIS IN PVRGATORIVM

Sančti Patricij.

Patri ſuo in Chriſto præoptato, Domino Henrico, Abbati de Sartis, Frater Henricus Saltereienſis, monachorum minimus, continua ſalute, patri filius obedientiæ munus.

B. *Iuſsiſtis pater venerande, vt ſcriptum vobis mitterem, quod de purgatorio, in veſtra me retuli audiſſe præſentia: quod quidem eò libentius aggredior, quod ad id implendum paternitatis veſtræ iuſſione inſtantius compellor. Licet enim vtilitatem multorum per me peruenire deſiderarem, veſtram verò minimè lateat paternitatem, nunquam me legiſſe quidquam, vnde in timore, & amore Dei tantum proficerem. Et quoniam Beatum Papam Gregorium legimus multa dixiſſe de his, quæ erga animas fiunt terrenis exutas corporibus, vt & triſtibus negligentium animos terreret, & lætis iuſtorum affectum ad deuotionem inflammaret; fiducialiùs quod iubes, ad profectum ſimplicium perficiam. In multis enim exemplis quæ proponit, ad exitum animarum, Angelorum bonorum, ſiue malorum præſentiam adeſſe dicit, qui animas pro meritis, vel ad tormenta pertrahant, vel ad requiem perducant. Sed & ipſas animas adhuc in corpore poſitas, ante exitum multa aliquando de his quæ ventura ſunt ſuper eas, ſiue ex reſponſione conſcientiæ interiori, ſiue per reuelationes exterius factas, præſciſſe fatetur. Raptas etiam, & iterum ad corpora reductas, viſiones quaſdam, & reuelationes ſibi factas narrare dicit, ſiue de tormentis impiorum, ſiue de gaudijs iuſtorum. Et in his tamen, nihil niſi corporale, vel corporalibus ſimile recitaſſe: flumina, flammas, pontes, naues, domos, nemora, prata, flores, homines nigros, & candidos, & cætera, qualia in hoc mundo ſolent vel ad gaudium amari, vel ad tormentum timeri; ſe quoque ſolutas corporibus, manibus trahi, pedibus duci, collo ſuſpendi, flagellari, præcipitari, & multa huiuſmodi, quæ naturæ minimè repugnant, narrat.*

Notum eſt autem multos multoties quæſiſſe qualiter animæ corporibus exeant, quò pergant, quid inueniant, quid percipiant, quid-ue ſuſtineant; quę quia nobis ſunt abſcondita, magis nobis ſunt timenda, quam inueſtigẽda. Hoc verò certum habetur, quòd vitam bonam mors mala non ſequitur: & licet vſque ad mortem maneat meritum, & poſt mortem reddatur præmiũ, pœna tamen poſt mortem eſſe dicitur, quæ purgatoria nominatur, in qua hi qui in hac vita in quibuſdam culpis, iuſti tamen, & ad vitam æternam prædeſtinati, vixerunt, ad tempus cruciabuntur vt purgentur: vnde quemadmodum à Deo corporales pœnæ dicuntur præparatæ, ita ipſis pœnis loca corporalia in quibus ſunt, dicuntur eſſe diſtincta. Creduntur tamen tormẽta maxima, ad quæ culpa deorſum premit, in imo eſſe: maxima verò gaudia, ad quæ ſurſum per iuſtitiam aſcenditur, in ſummo; in medio autem bona, & mala. Quod & huic de Sancti Patricij purgatorio, videtur cõgruere narrationi: & quod infimus ſubtus terram, vel intra terræ concauitatem, quaſi carcer, & ergaſtulum tenebrarum communiter creditur, narratione iſta aſſeritur; & quod Paradiſus in Oriente ſit, & in terra Sur, narratio iſta oſtendit: vbi fidelium animæ à pœnis purgatorij s liberatæ, dicuntur aliquandiu commorari iucundè. Quod verò B. Auguſtinus & B. Gregorius dicunt, ſpiritum pœna corporalis ignis cruciari, iſta videntur affirmari narratione. In pœna verò purgatoria, qua poſt exitum purgantur electi, certum eſt alios alijs plus, minus-ue, pro meritis cruciari, quæ quidem ab hominibus non poſſunt definiri, quoniã ab ipſis minimè poſſunt ſciri: ab eis tamen, quorum animæ à corporibus exeunt, & iterum, Deo iubente, ad corpora redeunt, ſigna quædam corporalibus ſimilia, ad demonſtrationem ſpiritualiũ nuntiantur; quæ niſi in talibus, & pe[illegible]alia ab animabus corporibus exutis viderentur, nullo modo ab eiſdem ad [illegible]rpora reuerſis, in corpore viuentibus, & corporalia tantum ſcientibus, intimarentur: vnde & in hac narratione à corporali & mortali homine ſpiritualia dicuntur videri, quaſi in forma, & ſpecie corporali. Quis verò eam mihi retulit, & quo modo eam agnouit, in fine narrationis indicabo.

Explicit Prologus.

INCIPIT
PVRGATORIVM
SANCTI PATRICII.

De nomine, exiſtentia, & loco Purgatorij.

CAP. I.

1. VARIIS appellationibus inſignitur hic locus apud ſcriptores Eccleſiaſticos; nam præterquam quòd vulgari nomine dicatur Purgatorium: etiam puteus Sancti Patricij, & antrum, vel ſpecus vocatur multoties. Purgatorium quidem ab effectu animas expiandi, purgandique: puteus verò & antrum à profundo ſitu, & ſubterraneo meatu, in quem includuntur expurgandi.

A. *Variatio nomina purgatorij.*

2. Nondum mihi contigit locum ipſum inuiſere, tametſi multum optarim. Sed vetuerunt vel pericula itineris, vel occupationes quibus iugiter diſtinebar; Idcirco quæ de loco ipſius Purgatorij; de tempore Purgationis: de modo purgandi ſe, ſiue conficiendi ipſam peregrinationem; de miris euentibus, & exemplis ingredientium, quæ commemorari ſolent, ex relatu aliorum accepi; ſed talium de quorum fide mihi dubitandum non fuit: Sciſcitatus enim eram è diuerſis compertæ

3. fidelitatis & auctoritatis tam Eccleſiaſticis quàm ſæcularibus, cùm antiquarijs, tùm alijs, qui locum luſtrarunt, & luſtricam illam expiationem pluſquam ſemel compleuerunt nonnulli eorum quos conſului; & quæ ex eorum narratione cum his collata, quæ ſcriptis monumentis continentur, certiora aut veriſimiliora comperi, paucis hoc loco perſtringam.

4. Eſt que ante omnia obſeruandum, apud exteros ſcriptores reperiri mentionem duplicis in Hibernia Purgatorij: Vnum eſt S. Patricij quod in Aquilonari parte Regni poſitum eſt: alterum Sancti Brendani, quod in partibus occiduis eiuſdem Regni Radulphus haberi aſſerit.

Duplex purgatorium in Hibernia.

Deinde illud commemorandum eſt ex eodem Radulpho, duos ab eo diſtingui Patricios, ætatis pariter, & dignitatis longo inter ſe diſtinctos interuallo: quorum alter, qui & primus, Archiepiſcopus erat: alter, qui ſecundus, Abbas. Patricius primus (inquit ille) inter cætera operum ſuorum ſigna, duo fertur patraſſe; vnum, quòd cuncta venenoſa animantia cum baculo ſuo de terra eiecit; ſecundum, quòd nullus Hibernicus aduentum Antichriſti expectabit. Tamen memorabile quod de eius purgatorio legitur, magis adſcribitur ſecundo Patricio iuniori, qui non fuit Epiſcopus ſed Abbas, qui floruit circa annum Domini octingenteſimum quinquageſimum, de quo meminit Martyrologium? quòd quia populum rebellem reperit, de Hibernia receſſit, & apud Glaſtingenſe monaſterium ipſo die S. Bartholomæi, diem clauſit extremum: hæc ille. 5.

Purgatorium autem iſtud à Patricio ſiue primo, ſiue ſecundo (de quo opportunius alibi) fuiſſe inuentum, cùm ſit communis Hibernorum ſenſus & traditio; quã cum lacte nutricis ſuxiſſe videntur; & lingua ipſa popularis, fere ſit doctrina ſalutaris, vt in re ſimili dixerat olim Magn⁹ Eccleſiæ Doctor, morumque Magiſter Auguſtinus: Hic iam quærimus adminicula quædam illius perſuaſionis, & piæ credulitatis, quæ ſic peruaſit totam hanc gentem, qua Catholica eſt, vt ſi nitaris obtrudere contrariam ſententiam, à ſummis, & imis, & omnibus tanquam nouator, nouarumque opinionum ſator exauctoreris, & explodaris; quibus Tantalea curioſorum ſitis extinguatur, & intolerabilis hæreticorum impudentia retundatur. 6.

Purgatorij exiſtentia probatur.

Primum igitur firmamentum receptæ traditionis, ſit ipſa tam conſtans & conſona receptio eius ab omni æuo, & memoria hominum per vniuerſam hanc nationem. Neque enim ſine cauſa dicitur, quod omnium fertur ore; præſertim quando id ore 7.

piorum, eruditorum, prudentium, nemine pœnæ refragante conſtituitur.

8. Secundum, quod domeſticis teſtimoniis adſtipulentur exterorum ſuffragia: vt Henrici Saltereienſis, & Matthæi Pariſienſis in viſione Oēni militis, inferius ad longum deſcribenda: Dionyſij Carthuſiani libro de quatuor nouiſſimis, tertia parte, articulo xiij. & de iudicio particulari animarum, art. xxiij. Iacobi Ianuenſis (alias) Genuenſis, Dominicani in vita S. Patricij in Legenda Sanctorum. Radulphi Hygeden Ciſtercienſis in polychronico. Cæſarij Heiſterbachenſis in ſuis Dialogis. Mombriſij to. 2. de vitis Sanctorum. Marci Maruli lib. 3. cap. 4. Maurolyci Siculi in Martyrologio, & aliorum.

a In cap. 35. Solini
Quibus adiūgere lubet Ioannē [a] Camertē, qui ex aliorū coniectura ducitur ad ſuſ-
D. picandum, b Claudianum Poëtam ad hanc
9. foueā, hæc quæ ſequuntur carmina aptaſſe:
b Lib. 10. in Ruff.

Eſt locus, extremum pandit quâ Gallia littus
Oceani prætentus aquis, quò fertur Vlyſſes,
Sanguine libato, populum mouiſſe ſilentum.
Illic vmbrarum tenui ſtridore volantum
Flebilis auditur queſtus, ſimulachra coloni
Pallida, defunctaſque vident migrare figuras.

Hoc ſi ad veritatem accedat, vt locum eſſe demus ante Patricium natum, quod etiam hiſtoria militis infra deſcribenda
C. non obſcure inſinuat, quæ ſic habet: *Vndè dum Patricius pro ſalute populi, in ieiunijs, vigiliis, & orationibus poſitus, Dominum precaretur propenſius, pius Dei filius apparens ei, duxit eum in locū deſertum, & * oſtendit illi ſpeluncam rotundam, & obſcuram intrinſecus, & dixit. Quiſquis veraciter pœnitens, & in fide conſtans hanc ſpeluncam ingreſſus fuerit, ſpatio vnius diei ac noctis moram in ea fecerit, ab omnibus purgabitur peccatis, quibus in tota vita ſua Deum offendit, &c.* ad celebrem tamen religionis vſum, ante Patricium, non fuit accommodatus.

*Ergo antea factā.

Matt. 18 Si itaq; in ore duorum, vel trium teſtium ſtet omne verbum, vt ipſa veritas in Euangelio loquitur, quis niſi perfrictæ frōtis homo audeat auctoritati ternarij numeri triplicati, maxime religioſorum ac probatæ fidei Hiſtoriographorum, contradicere?

A. Tertium elicitur ex ipſo officio Eccle-
10. ſiaſtico, & vniformi conſenſu Eccleſiaſticorum, & Eccleſiæ Sanctorum, qui à multis ſæculis inibi floruerunt: quorum omnium auctoritatem, & mutuam conſenſionem, quæ ſatis exprimitur in antiquis Breuiariis, & Antiphonariis manuſcriptis omnium prouinciarū, quiſquis ille eſſet, qui non formidaret cōtemnere, ego vtiq; non excuſarem eius temeritatem, & audaciam. 11.

Reperitur autem illa traditio, tum in vetuſtis membranis, tum etiam in excuſis codicibus, quos prima typographiæ infantia nobis tradidit, vt ille videatur fuiſſe vnanimis ſententia cleri, pariter & populi, quam & priuatim retinebant, & publice cognoſcebant, in illis quæ ſanctiſſimè, & religioſiſſime colebant muniis & ritibus diuini cultus, & Eccleſiaſtici. Reclamare autem vſui tam recepto, tam vetuſto, tam probato, qui crebertimus erat, & celeberrimus in ſermonibus & cordibus fidelium, quis auſit: niſi nouitatis auidus, & vetuſtatis pariter ac pietatis aſpernator?

Sed contra hæc omnia firmamenta obiicier argutus quiſpiam, Giraldum Cambrenſem diligentiſſimum inueſtigatorem Hibernicæ antiquitatis, cum minutos quoſque, ac anguſtos Hiberniæ angulos exquiſitius depingat, huius tamen Purgatorij ne mentionem vſquam facere: & quanquam ſi ratiocinationem ad acrem ac ſeueram topicorum formam dirigas, non neceſſariò & Dialecticè concluditur; tamen cum Giraldus apud animum ſuum propoſuerit, omnes notabiles Hiberniæ locos è tenebris in aſpectū lucemque proferre, parum probabile videtur, tam inſigne monumentum ab illo fuiſſe prætermiſſum, ſi id temporis aut cognitum, aut miraculis fuiſſet nobilitatum. 12. D. Prima obiectio.

Verùm ve nihil in hac cauſa controuerſiæ relinquatur, lectori confirmo, Purgatorium Sancti Patricij. Giraldi Cambrenſis ætate cognitum fuiſſe & peruulgatum. Atque iſtud ipſum Giraldi ſcripta non modò ſignificant, verumetiam declarant, cuius verba libet adpingere; ſic enim habet in Topographia Hiberniæ diſtinctione ſecunda: Eſt locus in partibus Vltoniæ continens Inſulam bipartitam, cuius pars altera probatæ Religionis Eccleſiā, habens ſpectabilis eſt, & amœna Angelorum viſitatione, Sanctorúmque loci illius viſibili frequentia incomparabiliter illuſtrata. Pars altera hiſpida nimis, & horribilis, ſolis Dæmoniis dicitur aſſignata: quæ & viſibilibus cacodæmonum turbis & pompis fere ſemper manet expoſita: pars iſta nouem in ſe foueas habet, in quarum aliqua ſi quis forte pernoctare præſumpſerit 13. Solutio.

» rit (quod à temerariis hominibus non-
» nunquam conſtat eſſe probatū, à malignis
» ſpiritibus tum arripitur, & nocte tota tan-
» quam grauibus pœnis cruciatur, tot tan-
» tiſque, & tam ineffabilibus ignis, & aquæ,
» variique generis tormentis inceſſanter
» affligitur, vt mane facto, vix vel minimè
» ſpecie ſuperſtite, reliquiæ miſero in cor-
» pore reperiantur. Hæc, vt aſſerunt, tor-
» menta, ſi quis ſemel ex iniuncta pœniten-
» tia ſuſtinuerit, infernales amplius pœnas,
» niſi grauiora commiſerit, non ſubibit. Hic
» autem locus, Purgatorium Patricij ab in-
» colis vocatur. De infernalibus namque
» reproborum pœnis, de vera poſt mortem
» perpetuaque electorum vita, vir Sanctus
» cum gente incredula dum diſputaſſet: vt
» tanta, tam inuſitata, tam inopinabilis re
» rum nouitas rudibus infidelium animis
» oculatâ fide certius imprimeretur, effica
» ci orationū inſtantia, magnā & admirabi
» lē vtriuſque rei notitiā, duræque ceruicis
» populo perutilē, meruit in terris obtinere.

Ita Giraldus, vbi & locum, & auctorem ſatis luculentū exprimit: de cuius amaritudine ſtyli, quæ ipſi familiaris eſt, & de ſugillatione temeritatis eorum, qui foueas illas pœnitentiales adeunt, non eſt hic tractandi locus. Satis autem ſuperque refellitur eius tam acerba cenſura, per multitudinem, & frequentiam pœnitentium, qui ab eius æuo, & quotannis ſolent ſubire ſacras illas ſtationes cum magno deuotionis fructu, & ſenſu compunctionis, adeo vt damnandi non ſint pro temerariis præſumptoribus.

14. *Secunda obiectio.* Sed adhuc nonnemo fortaſſis mirabitur, nos iſtud Purgatorium aſtruere, cùm de colo Iocelinus, qui vitam S. Patricij ab infantia vſq; ad mortem exactiſſimè deſcripſit, ne vllū quidem verbum vſpiam loquatur.

Solutio. Sed mirari, exiſtimo, deſinet, qui ea, quæ nos ſuprà in præfatiuncula ad Purgatorium diximus, attentè legerit: quibus (vt varietate delectetur Lector) placuit adiungere reſponſionem noſtri Stanihurſti lib. 2. de vita Sancti Patricij; ſic enim ait. *Idem Patricius, qui fuit Hiberniæ Apoſtolus, à quibuſdam vetuſtis ſcriptoribus Abbas nominatur: atque ex hac opinione, non ſatis cognita, & peruagata, eos exiſtimo in errorem deferri, qui illud tormentarium Antrum* Patricio *Abbati adſcribunt*, & Apoſtolo negant: & poſtquam varijs teſtimonijs probauit Patricium Apoſtolum, fuiſſe etiam Abbatem, ſic tandem concludit: *Iſtud igitur Abbatis nomen, quod à nonnullis priſcis hiſtoricis noſtro* Patricio *Ardmachano fuit impoſitum, aliquos in errorem induxit, vt Patricium abbatem à Patricio Hibernorum Apoſtolo diſtinxerint, Abbatémque huius, de quo tractamus, Purgatorij auctorem poſuerint. Quod ſecus eſt, vti ſatieſ comprobatum.* Horum igitur è numero, quos nomen Abbatis in errorem induxerat, Iocelinum fuiſſe non improbabiliter dicere poſſumus. His ita ſtabilitis.

Tertiò notandum, nonnullos opinari ipſum Antrum ſeu * puteum Sancto Patricio à Chriſto Domino oſtenſum, vel incognitum eſſe, & inconſpicabilem: vel ſaltem non eundem eſſe, quem peregrini ineunt cùm in ſpecu recluduntur, ad horas viginti quatuor; ſed vel ſubtus deliteſcere, vel paucis abinde paſſibus diſtare. Ita ex veteri traditione retulit nobis. R. D. Ioannes Gamhneus Abbas de Leathra, & Ioannes Furuus Mhac Kegan Sacerdos ſeptuagenarius. Alij opinati ſunt ignorari pœnitus locum, nec appariturum hominibus, niſi in fine ſæculi, vt quod de ſepulchro Moyſis veteres Hebræi, & de Arca teſtamenti ante regreſſum è Babylone: ſic de hoc puteo ſentiendum eſſe. Atque hanc opinionem Patri Eugenio Duffio ex inſtituto S. Franciſci, vulgatæ pietatis viro, me audiente, tribuebat Tornus Mulchonrius rei antiquariæ ex officio deditus, & ipſe dierum perantiquus. 15.

** Hiatum, qui ſtape. tuit oràte S. Patricio.* A

Variæ opiniones de identitate Purgatorij, à S. Patricio inuenti, & illius quod nūc aditur.

16. Iacobus autem de vitriaco in ſua hiſtoria Orientali cap. 92. de puteo hoc ſic loquitur. *In Hibernia locus quidam habetur, qui Purgatorium Sancti Patritij nuncupatur: ſi quis illuc ingreſſus fuerit, niſi verè pœnitens & contritus fuerit, ſtatim à Dæmonibus raptus & necatus, nunquam poſteà reuertitur. Qui autem verè contritus & confeſſus ingreditur, per ignem, & aquam, & mille genera tormentorum à Dæmonibus correptus ibidem purgatur. Qui autem amplius deliquit, acerbius in eodem loco punitur. Qui autem à prædicto loco purgatus egreditur, nunquam deinceps ridere poteſt, vel ludere, vel aliqua, quæ in mundo ſunt, diligere, ſed ſemper lugens & gemens, poſteriorum oblitus, in anteriora ſe extendit.*

Hæc pleraque non eſſe veritate ſubnixa, ſi de ſpecu nunc cognito, & frequentato 17.

ſermo ſit; vſu quotidiano docemur: multi enim ſunt, qui iteratis vicibus, Purgatorij antrum ſubierunt, & tamen regreſſi ludunt, rident, cachinnantur, in ſæculo cum ſæcularibus verſantur, tractantque negocia huius mundi, non ſecus ac ſi ingreſſi locum illum nunquam fuiſſent. Alioqui innumeros haberemus in Hibernia Philoſophos è ſchola Heracliti; cum tamen multo plures ſint è Democriti familia, effuſiores in riſum, quàm in fletum proni. Adhuc ſupereſt nonnemo optimæ fidei, qui nobis in verbo ſacerdotis, aſſeruerat, à ſe viſos mille quingentos homines, qui ſimul & ſemel in Inſula obibant nudipedalia, & alias pœnitentias de more conſuetas, dum præſtolarentur per nouenos, & nouenos ingreſſum in puteum, niſi quod aliqui per commutationem ſecubuerint in aliquo ex ſeptem, quæ habẽtur ibidem pænalia ſtrata aliorum Sanctorum finitima ipſi puteo Sancti Patricij. Quod ſi vna vice tantus fuerit numerus peregrinorum, quid cenſebimus de vna aliqua ætate, præſertim quando liberior erat aditus, quam nunc experimur ob colonias Proteſtantium in circuitu?

Non ſemper lugent egreſſi Purgatorium.

Numerus peregrinantium in Purgatorio.

18. Sin autem vitriacus loquatur non de præſenti & conſpicabili, ſed de altero illo deliteſcente & abſcondito Purgatorio: ſi vera ſit Duffij, Gamhnæi, Conrij, Kegani, & aliorum de hoc relatio, quorum tamen minus recepta ſententia eſt, de re ipſa in alterutram partem, nihil nunc ſtatuo, nec temerè putant recedendum viri graues à communiori opinione & perſuaſione, quæ viſa eſt apud plures indiſtinctè obtinuiſſe, in Inſula Darrigij cauernam illam, quæ adhuc ſpectabilis eſt ſua humili & demiſſâ fornice concameratam, eſſe verum ſitum in quo continetur puteus, quem quærimus.

19. Cæterum illud ex doctrina D. Thomę occurrit animaduertendum de loco Purgatorij, vbi non inuenitur aliquid expreſſe determinatum, dicendum eſſe ſecundum quod congruit magis Sanctorum dictis & reuelationi factæ multis; Atque ita locum Purgatorij eſſe duplicem, vnum ſecundum legem communem, & ſic locus Purgatorij eſt locus inferior coniunctus inferno, alium eſſe locum Purgatorij ſecundũ diſpenſationem, & ſic in diuerſis locis, aliqui puniri leguntur, vel ad viuorum inſtructionem, vel ad mortuorum ſubuentionem, vt viuentibus eorum pœna innoteſcens, per ſuffragia Eccleſiæ mitigarentur.

4. Sētent. diſt. 21. quæſt 1. art. quæſtiuncula 2.

Sanè quidem vtrumque membrum diſtinctionis iam traditæ, tam illud ſecundũ legem communem, quàm iſtud ſecundum diſpenſationem pertinet ad locum Purgatorij poſthumi, & ad pœnas poſt hanc vitam luendas ſatis patiendo; nos vero nunc diſſertamus de pœnis ſatisfactorijs (quæ etiam meritoriæ poſſunt eſſe in hac vita, & via huius ſæculi, quam decurrimus ad metam fatalis noſtri deceſſus è victu & conuictu hominum. Atque ita duplex Purgatorium diſtinguimus; vnum Vitale ſeu viatorium in hac præſenti vita viatorum & peregrinantium à Domino: alterum poſthumum & præliminare, quando anima defuncta onere carnis mortalis confecto prælio & conflictu ſæculari, poſt mortem plectitur & purgatur in veſtibulo, vt expurgata ab omni ruga & macula, atque ex piata ab omni reatu pœnæ ac culpæ veniali, admittatur in atria Domini, & recumbat ad cœnam agni in menſa ſponſi cæleſtis, qui præparauit & ornauit eam per gratiam in via, vt in patria bearet eam, & veſtiret ſtola immortalitatis. 20.

Duplex Purgatorium.

Itaque de iſto agentes viatorio purgamine videtur magis congruere dictis Sanctorum per manus traditis & reuelationibus infra citandis, idemque magis conſentaneum eſt officio Sancti Patricij, ſi dicamus in illa ædicula Inſulæ Datrigij, de qua ſupra, poſitum eſſe Purgatorium ſeu locum luſtraminis, in quo Sanctus hic præco diuini verbi apetuit incredulis intellectum vt ſubſequam; poſt egreſſum hinc, pœnã crederent, & qualis ſit conciperent, vt dũ vita ſupereſſet, tam qui tunc degebant, quã qui poſt naſci turi erant, & nati natorum euaderent poſthuma ſupplicia æternæ cõbuſtionis per præſentaneam expurgationem, quam ſuſtinerent in iſta palæſtra luſtrali, in qua ſe poſſent expiare viuentes, ad præueniendum Dei ſeueritatem in futuro. 21.

Atque huc reſpicere videtur vetus Antiphona, quam Eccleſia Hibernica in eius rei memoriam grato, lætoque animo concinebat in laudem Dei & Sancti Patricij, in hæc verba. 22.

Magni

Magni patris ſunt miranda merita Patricij,
Cui Dominus oſtendit locum Purgatorij,
Quo viuentes ſe expurgent delinquẽtes filij.

Locus igitur ille purgatorius, tametſi aliquãdo dicatur puteus, vel antrum, per iſtã nuncupationem non deſignat adæquatè totam purgationem, ſed partem ſolummodo, eamque magis arduam pænitudinis ſiue pœnalitatis, quæ ſubitur in hac peregrinatione.

De modo, & ritu conficiendi peregrinationem huius Purgatorij. poſterioribus his ſæculis.

CAP. II.

23. ORdo autem conficiendi totius itineris, eſt huiuſmodi.

Tempus peregrinationis.

Nouendiale tempus inſumitur vt debiti expleantur circuitus in ipſa inſula, quæ tota circundatur aqua ſtagnante, eaque valde profunda, iuſtar cuiuſdam ęſtuarij, quod alijs hinc inde inſulis inſperſum eſt: ſed iſta Purgatorij cum altera finitima Sancti * Auogi, in qua ſitum eſt monaſterium Canonicorum Regularium Sancti Auguſtini duobus aut tribus ſtadijs ad Occidentem, diſſitum, nominatiſſima omnium & celeberrima eſt; in hanc lintre excauato monoxylo peruehuntur peregrini, remigio ad hoc parato. Toto tempore quo morantur in ipſa inſula, putá per nouem ipſos dies, ieiunandum erit in pane & aqua, non quomodolibet, ſed vna refectione ex paue azymo ſubcineritio, vel cocto in craticula; aut certe farina auenacea incocta, aqua vero lacuſtri, ſed cocta vel ſaltem calefacta in cacabo, citra ſalem, aut aliud quodcunque condimentum, atque iſta tam cruda & macilenta alimonia, quamuis frendentibus inteſtinis non niſi ſemel deguſtanda erit ſpatio vigintiquatuor horarum, niſi quod arentes fauces licitum ſit refrigerare ſæpius, quando ſitis vrgeret. Eſtque ea vis iſtius aquæ quamuis ſtagnantis, vt quamtũuis ex ea te velis ingurgitare, nullum inde grauamen ſentias, perinde ac ſi è vena metallica flueret, quod de aqua Spadana ex fonticulo acido emanante perhibent, qui eam epotârunt, abſque onere ſuo vel ſtomachi grauamine.

** Alias virbij ſeu Fintani.*

Lintre peruehuntur in inſulam.

Modus viuendi tẽpore peregrinationis.

Virtus aquæ huius inſulæ.

24. Interdiu neceſſe habent peregrini ter obire ſacras ſtationes, mane, meridie, veſperi: & laſſi ſub noctem recubant in fœno vel ſtramine, ſine ſtragulo, puluinari, culcitra, niſi vel chlamyde ſe inuoluant, vel fœmoralia capiti obſtipent.

Modus accubãdi.

Stationes vero ipſæ hoc ordine peraguntur. Admiſſi à Patre Spirituali qui purgatorio pręeſt, ex inſtituto Canonicorum, ad peregrinationẽ faciendã exuunt ſe calceos & caligas, & Eccleſiam quæ Sancto Patricio inſcripta eſt deuoti nudipedes ingrediuntur, ibique facta oratione, ſacros obeunt circuitus introrſum ſepties in ipſo templo, & extrorſum totidem vicibus in cœmiterio: His peractis recipiunt ſe ad manſiones pœnoſas, ſeu lectos, quos vocãt aut cellas pœnitentiales Sanctorum quę in gyro sũt; ſingulas earũ circungyrãt ſepties ab extra nudis pedibus, ab intra flexis genibus; ſimiliter obeunt tum crucem in cæmiterio, tum alteram crucem in aceruo lapidum infixam. Et tot circuitionibus confectis, in aſpera & plerumque rupicoſa ſemita veniunt ad lacum, & in marmore ſubaquato plantas pedum, laceras quandoque, ſed ſemper laſſas figunt, & vno minus medio quadrante horæ, dum recitant orationem Dominicam, ſalutationem Angelicam, & ſymbolum Apoſtolorum, perſentiſcunt tantũ refrigerij & roboris ex ſubiecto pedibus lapide (in quo Sanctus Patricius ipſe oraſſe dicitur, & veſtigia pedum ſuorum impreſſa reliquiſſe) vt parati eſſent è veſtigio ſecundos circuitus facere, quod non licet tamẽ, niſi interpoſito aliquo temporis ſpatio. 25.

Modus peragendæ ſtationes ſeptem primus diebus.

Hac auſteritate repetita per dies ſeptem, octauo die duplicant ſtationes ſiue circuitus, vt ſatisfaciant pro eodem, & inſequẽti die, quo ingrediendus erit puteus: neque enim illo die puteano fas eſt circuire, nequidem exire è ſpecu, quem inire debent hac ſeruata cæremonia. 26.

Stationes duplicantur octauo die.

Nouenum illud agmen, cuius vices sũt ingrediendi cauernam, coram patre Spirituali conuenitur, qui verbo exhortationis habito admonet periculi, ſi mẽte inquinata; & præmij ſi purgatis conſcientijs ingrediantur; eaque verbis conceptis cõmemorat horroris exempla, quę ſtupidiſſimũ mouere, rigidiſſimũ emollire, audaciſſimũ perterrere poſſint. Suſcitat commonitionẽ pœnitentiæ & conſtantiæ, vt præmiſſa cõfeſſione Sacramentali, & ſacra commu- 27.

Modus ingrediendi ſpeluncã purgatoriam.

niono percepta, ſe parent armentque contra ptincipes & poteſtates tenebrarum, contra Spiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Compunctos iam & abſolutos, ac ſanctiſſima Euchariſtia refectos, præeunte vexillo crucis, deducit illos ad exequias Pœnitentiales, vt iam iuſta ſoluant vitæ negligenter anteactæ, & veteri Adamo cum actibus ſuis in funere peccatorum, & fœnore melioris propoſiti parentent. Iam ingreſſuros, & aqua luſtrali reſperſos in oſtio ſpeluncæ, quaſi in tranſitu ad alium orbẽ, & è via ad terminum properantes in agonio poſitos, cernere eſt gementes, ſuſpirantes, veniam & pacem offerentes omnibus, & precantes ſibi, ignoſcentes toti mundo quidquid in ſe deliquiſſet, cum ſingultu, fletu & lachrymis plerique ſubeunt ſpeluncam, & accluſo deforis oſtio, recedunt qui comitabantur funus.

28. Eſt autem cauerna ipſa, lapidea domuncula tam anguſtis lateribus, & fornice tam depreſſa, vt homo proceræ ſtaturæ adeò ſe erigere non poſſet, vt nec ſedere quidem, niſi inclinata ceruice valeret, arctè ſe cõprimunt noueni ſibi aſſidentes & acclinãtes: nec decimus, niſi maximo cum labore, ſubſiſtet cum alijs. Habet ſpelunca lateralem feneſtellam, per quam ſublucet interdiu tenuis radius, longitudo & amplitudo putei, quanta ſufficeret homini iuſtæ ſtaturæ in dorſum reſupino commodè continendo, & extrema pauimenti pars ſubſternitur grandi ſaxo, ſub quo prodũt aliqui ſubeſſe voraginem illam & foueam, quam orante Sancto, & terra dehiſcente, ad terrorem obſtinatorũ aperuit * Deus. Et quanquam noſtris hiſce diebus, & ab hominum lõgiſſima memoria fundus ſpeluncæ complanatus ſit, & reliquæ terræ coæquatus, tamẽ in prima loci inſtitutione profundiorem fuiſſe, & paulatim eleuatum ſancientibus Epiſcopis, & annuente ſede Apoſtolica, traditio eſt quorundam ſeniorum.

Deſcriptio ſpeluncæ.

Pauimentum purgatorij, eleuatum autoritate Papæ.

**Vel apertam oſtẽdit.*

29. Et quemadmodum ipſe puteus ad Aquilonẽ tẽpli inſularis poſitus eſt: ita ad Aquilonem putei, circumiectæ ſunt manſiones illæ ſiue cellæ, quas diximus Sanctorum: verſus Occidẽtem verò magalia quædam, ſeu tuguria è virgulto & ceſpite, quæ ſeruiunt pro hoſpitijs peregrinorum.

30. Poſt quã igitur recluſi in iſto ſpecu permanſerint ieiuni 24. horas, nullo penitus ſumpto eſculento à meridie pridiano: neque enim fas eſt quidquam deguſtare in ipſo puteo, niſi forſitan pauxillum aquæ ad proluendum palatum, reuiſuntur à præfecto peregrinãtium, & deducuntur ad marginem ſtagni, ibique ſe nudos immergunt aquis lacuſtribus, & hac luſtrati expiatione, veluti noui milites Chriſti è balneo Pœnitentiæ renati purgatique progrediuntur ad Eccleſiam, vbi pro more actis Deo gratijs, pro expleta pœnitudine renouantur ad militiam Chriſtianam intrepidè proſequendam, & ad crucẽ Chriſti generosè portandam. Neque enim ſecuritatem ſibi promittere debent, aut ceſſationem à conflictu Chriſtiano, tametſi hunc agonẽ Pœnitentialem decurrerint, necà colluctatione cum antiquo Serpente, tametſi Sanctus Patricius ex Hibernia ſerpentes eiecerit; (in cuius eiectionis memoriam oſtendi ſolet in inſula, nodus oſſeus magnæ molis, diciturque fruſtum ſerpentini oſſis, ex illo genimine virulento quod Sanctus expulerat;) ſed durãte hac via, durare debet viatorũ vigilantia aduerſus occultos inſidiatores & hoſtes manifeſtos, cum quibus nulla pax eſſe poteſt pijs hominibus, neque fidæ induciæ. Quinimo ſicut totius eſt corporis bene viuere, ſic totius eſt temporis ferre crucem. Idque tunc maxime verũ eſſe cognoſcitur, cum ipſa fides impugnatur, & ea omnia præſidia integritatis & innocentiæ nobis prohibẽtur, quæ ad eandem augendam muniẽdamque deſeruiunt; qualia ſunt cum alijs multis, opera ſatisfactoria, & Pœnitentiales induſtriæ, per quas & vindicta de tranſactis repoſcitur, & medelãm ac munimen in poſterum adipiſcimur.

Nullus cibus vel potus in ſpelunca ſumitur.

Modus egrediendi ſpelũcam, & peregrinationem terminandi

Nodus oſſeus ſerpentinus in inſula Dairrigij.

Et quoniam locus iſte ex inſtitutione ſua in hunc finem ſeruit, vſu ipſo comprobatum eſt multum valere & valuiſſe omni ſemper æuo viſitationem, ſatisfactionem, Purgationemque in ea exerceri ſolitam: quæ ſi fiat in æſtate quis neſciat quam pœnoſa ſit recluſio tam arcta, tam obſcura, tam diuturna, ab æſtu ſolis deforis, & ab intro æſtuante halitu ſe mutuò conſtipantium & ſuffumigantium in ſpelunca: ſin hyeme fiat, quam difficilis ſit immerſio in aquam vt emergas ad Pœnitentiã; & quocunque demum tempore fiat, quam dura ſit diſcalceatio tot dierum, exulceratio pedum, cruda deambulatio in aſperis, & in cellis

31. Vtilitas huius peregrinationis.

Difficultas eiuſdem.

petricoſis ſtationibus, crebra genuflexio in cellis pœnalibus, inedia, chameunia, inſomnia, & cætera quæ ad compunctionem ſtimulant, ad fletum excitant, lachrymas excutiunt. Vt pro tantillo tempore nouendialis exilij, & peregrinationis, vix vlla ſubeat cogitatio, niſi de luctu, triſticia, pœnitentia, de peccatis in ieiunio, plãctu, oratione, meditationẽ cæleſtium, & abdicatione omnis terreni ſolaminis. Ac proinde ſi de loco ipſo & mora in eo peregrinorum loqueretur Iacobus de vitriaco dum aſſerit, ſemper lugentes & gementes poſteriorum oblitos ad anteriora ſe extendere, non abſurdè ſentiret nec abſonè ab vſu ipſorum & praxi, dum iſthic hærent; ſed quod ad totam reliquam vitam, & ad tempus extra Inſulam hoc extrahat, certum eſt non omnes eſſe Driechelmos, aut Heraclitos, nec illas lachrymas eſſe perpetes vltra limites lacus rubei. Nec ideo tamen puto contemnendam piam Inſulam, ſed potius adeundam opportuno tempore ab ijs quibus Deus animum indiderit vireſque ad perficiendum iter ſuggeſſerit opportunas.

Explicatur dictũ Iacobi de Vitriaco.

vide Bedã hiſt. Angl. li. 5. c. 13.

32\. Eſtque illud obſeruandum, cum vtriuſque ſexus quãplurimi ſoleant frequentare locum, tamen in puteo non includi impermixtè, ſed viri ſeorſim, & fœminæ viciſſim. Quod ſi magna eſſet multitudo concurrentium peregrinorum, quemadmodum cum 1500. perſonas vna vice conueniſſe viſas diximus, vt tam numeroſus cœtus commodius expediri poſſet viſitatio putei non affigitur ad certum & ſtatum diem, ſed pro arbitrio præfecti diſpenſatur.

In peregrinatione, viri à fœminis ſequeſtrantur.

33\. Quod autem lingua popularis circumfert de immanibus ſpectris, quæ occurſant incluſis in ſpecu, cæteris omiſſis: vnũ tantummodò referã, quod à viro docto & venerando Antiſtite acceperam, de quodam peregrino, Tirconallio, cui peregrinationem obeunti & incluſo iam in ſpelunca, equum ſubiugalem furto ſuſtulit quidam compatriota; & ipſe abſens in inſula hac, quin & incluſus in puteo tãquam præſens & comitans furem, omnia eius diuerticula, & ſemitas conſpexit, callem per quem venit, capiſtrum quod iniecit collo equi, locum quo deduxit, effugium quod captauit, & omnem circuitum quem fecit, dum abduceret furtiuum iumentum, id quod etiam in puteo renunciauit proximò ſibi aſſidenti comperegrino. Egreſſus verò indè, domumque regreſſus cum reſciſceret ablatum iumentum, mox furem prodidit, & negantem interpellauit coram Dynaſta regionis Hugone Odonello: cumque primo inficias ille furti iuiſſet, conuictus à peregrino, iumenti vero Domino, per indicia certa temporis, loci, inſtrumenti, modi, latebræ, ſuffugij, & ſic de cæteris, victas dedit manus, & furtum reſtituit.

Incluſus in ſpelunca videt furẽ accipientem equum cũ omnibus circũſtantijs; quem poſteà in iudicio conuicit.

De hoc, & alijs huiuſmodi quamuis multorum fide conteſtata ſint, nihil temerè definio: quando certum eſt tutelares Angelos noſtræ cuſtodiæ deputatos, & poteſtates tenebrarum noſtræ ſalutis inſidiatrices potuiſſe iſta cognoſcere, & in articulo temporis inſinuare ea abſentibus: ſi tamen à cacodæmone nota ſunt facta, non niſi ad perniciem, turbationem, & fraudem patefeciſſe accipiatur, ſin autẽ ab Angelo bono in exeitationẽ ad virtutem, in commonitionem ad pietatem in Deum, & ad pænitudinem peccatorum, & maiorem fiduciam diuinæ prouidentiæ, cui omnia ſubiecta ſunt, qui & capillos capitis ſeruorum ſuorum in numerato habet, fuiſſe patefacta intelligamus. 34.

Modi quibus ea ſciri potuerat.

Atque hæc quidem tumultuariè dicta ſint, de hoc Purgatorio Sãcti Patricij, non quomodolibet, ſed quo nunc modo & ritu viſitari ſolet. De ipſo antro quod aditur, de tempore quod inſumitur, de pœnitentialibus cellis, & ſtationibus, quæ obeuntur, de ieiunio quod peragitur. Nec iam quærimus vtrum ſucceſſu temporis aliqua variatio in his ſucceſſerit, ſed de re ipſa eiuſque origine, inſtitutione, continuatione. 35.

Qua autem ratione ante annos quingentos, & quinquaginta celebrata fuerit à quodam pœnitente viſitatio Purgatorij, ex ſubiecta diſces hiſtoria, quam deſcriptam habes apud Matthæum Paris ad annum Domini 1152. qui ex Henrico Salterienſe integro circiter ſæculo Matthæo vetuſtiore, eandem habente, totam videtur ſumpſiſſe, & quanquam paulo prolixior ſit rei geſtæ narratio, quia tamen auctores, ex quibus deſumpta eſt, non ſunt omnibus obuij, idcirco totam accipe propriis ipſorum verbis, quam eo libentius commemoro, quod eandem ſummariè 36.

conſcriptam, & pro vera hiſtoria receptam à Dionyſio Carthuſiano poſſis inuenire, tum in lib. 4. de quatuor nouiſſimis, art. 48. tum etiam in Colloquio de partic. iudic. anim. poſt mortem, artic. 24. cum ſequentibus vſque ad art. 29.

De Purgatorij inuentione, & ritu in eius peregrinatione antiquitus obſeruato.

CAP. III.

C.

Patricij prædicationi nolunt credere Hiberni, & petunt ſignum.

36. MAgnus Patricius dum in Hibernia verbum Dei prædicaret, & multis ibi miraculorum ſignis coruſcaret, infideles illius patriæ homines terrore tormentorum infernalium à malo reuocare, & Paradiſi gaudiorum promiſſione ſtuduit in bono confirmare. Sed ipſi affirmabant, ſe plano ſermone ad Chriſtum non conuerſuros, niſi aliqui eorum, & tormenta illa malorum, & gaudia bonorum poſſent intueri, quatenus rebus viſis certiores fierent quàm promiſſis. Beatus verò Patricius Deo deuotus, etiam tunc pro ſalute populi deuotior in vigilijs, ieiunijs, & orationibus, atque operibus bonis effectus eſt: & quidem dum talibus pro ſalute populi intenderet, pius Dominus Ieſus Chriſtus ei viſibiliter apparens, duxit eum in locum deſertum, & oſtendit illi ſpeluncam rotundam, & obſcuram intrinſecus, & dixit: *Quiſquis veraciter pœnitens, & in fide conſtans hanc ſpeluncam ingreſſus fuerit, & ſpatio vnius diei, ac noctis moram in ea fecerit, ab omnibus purgabitur peccatis, quibus in tota vita ſua Deum offendit: atque per illam tranſiens non ſolum tormenta malorum, ſed ſi in fide conſtanter perſeuerauerit, videbit & gaudia beatorum.*

S. Patricius orat pro cõuerſione Hibernorũ.

Chriſtus Purgatoriũ S. Patricio oſtẽdit.

B.

S. Patricius Eccleſiam in Inſula Darrigij cõſtruit, & canonicos regulares in eam introducit.

37. Sicque ab oculis eius Domino diſparente, ſpirituali iucunditate repletus eſt B. Patricius tam pro Domini ſui apparitione, quàm pro ſpeluncæ oſtenſione, per quam ſperabat miſerum Hiberniæ populum ſe ad fidem catholicam cõuerſurum: ſtatimque in illo loco Eccleſiam conſtruxit, & B. Patris Auguſtini Regulares Canonicos vitam Apoſtolicam ſectantes in illam introduxit; ſpeluncam autem prædictam, quæ in cœmiterio eſt extra frontem Eccleſiæ orientalem, muro circundedit, & ianuas ſeraſque appoſuit, ne quis eam auſu temerario, & ſine licentia ingredi præſumeret; clauem verò Priori eiuſdem Eccleſiæ cuſtodiendam commiſit. Ipſius autem B. Patricij tempore, multi pœnitentia adducti hanc foſſam ingreſſi ſunt, quorum alij in ea perierunt: alij verò reuertentes, & tormẽta ſe perpeſſos, & gaudia ſe vidiſſe teſtati ſunt, quorum relationes iuſſit B. Patricius in eadem Eccleſia notari. Eorum ergo atteſtatione cœperunt alij Beati Patricij Prædicationem ſuſcipere: & quoniam ibi homines à peccatis purgantur, locus ipſe Purgatorium S. Patricij nominatur; locus autem Eccleſiæ *Regles* dicitur.

S. Patricij prædicatio Purgatorij inuentione, & ingredientium relatione, confirmatur.

Hîc porrò ſciendum eſt, cõſuetudinem eſſe, tam à S. Patricio, quàm ab eius ſucceſſoribus conſtitutam, vt Purgatorium illud nullus introeat, niſi ab Epiſcopo, in cuius eſt Epiſcopatu, licentiam habeat, & 38.
qui propria voluntate illud intrare pro peccatis ſuis eligat: qui dum ad Epiſcopum venerit, & ei propoſitum ſuum manifeſtauerit, prius hortatur eum Epiſcopus à tali propoſito deſiſtere, dicens quòd multi illud introierunt, qui nunquam redierunt: ſi verò perſeuerauerit, perceptis Epiſcopi literis ad locum feſtinat; quas cùm Prior loci illius legerit, mox eidem homini Purgatorium intrare diſſuadet, & vt aliam pœnitentiam eligat, diligenter admonet, oſtendens ei multorum in eo periculum: quod ſi adhuc perſeuerauerit, introducit eum in Eccleſiam, vt in ea quindecim diebus ieiunijs, & orationibus vacet. Quibus peractis, conuocat Prior in vnum Clerum, manéque Miſſa celebrata, munitur pœnitens ſacra communione, & aqua ad idem officium benedicta aſpergitur, ſicque cum proceſſione, & litanijs ad oſtium Purgatorij demùm ducitur: Prior autem infeſtationem, & multorum in eadem foſſa perditionem, oſtium ei coram omnibus aperiens, denuntiat: ſi verò conſtans in propoſito fuerit, percepta ab omnibus Sacerdotib⁹ benedictione, & omnium ſe commendans orationibus, propriaque manu ſignum crucis fronti ſuæ imprimens, ingreditur; moxque à Priore oſtium obſeratur, ſicque proceſſio ad

Caeremonia quæ olim obſeruari ſolebant in ingreſſu Purgatorij.

ad Eccleſiam reuertitur: quæ die altera iterum manè de Eccleſia in foſſam regreditur, oſtiumque à Priore aperitur, & ſi homo reuerſus inuentus fuerit, cum gaudio in Eccleſiam deducitur, in qua aliis quindecim diebus, vigiliis, & orationibus intentus moratur; quod ſi eadem hora, die altera reuerſus non apparuerit, certiſsimi de eius perditione, oſtio à Priore obſerato vniuerſi recedunt.

De Militis Pœnitentia, eiuſque ingreſſu in Purgatorium, & nuntijs à Deo ad ipſum deſtinatis.

CAP. IIII.

C. Miles quidam Oënus nomine, qui multis annis ſub Rege Stephano militauerat, licentiâ à
39. Rege impetratâ, profectus eſt in Hiberniam ad natale ſolum, vt parentes viſitaret. qui cùm aliquandiu in Regione illa demoratus fuiſſet, cœpit ad mentem reducere vitam ſuam adeò flagitioſam: quòd ab ipſis incunabulis, incendijs ſemper vacauerit, & rapinis; & quod magis dolebat, ſe Eccleſiarum fuiſſe violatorem, & rerum Eccleſiaſticarum inuaſorem; præter multa enormia, quæ intrinſecus latebant peccata. Miles igitur pœnitentia ductus, ad Epiſcopum* quendam illius regionis acceſſit: cui cum peccata ſua deuotus per ordinem detuliſſet, increpauit eum grauiter Epiſcopus, aſſerẽs, illum nimis diuinam clementiam offendiſſe: vnde Miles multum contriſtatus, Deo condignam facere Pœnitentiam cogitauit.
B. Habent enim hoc quaſi naturaliter homines illius patriæ, vt ſicut alterius gentis hominibus per ignorantiam promptiores ad malum: ita dum ſe erraſſe cognouerint, prõptiores & ſtabiliores ſunt
40. ad pœnitendum.
C. Cum autem Epiſcopus, vt iuſtum ſibi videbatur, vellet ei iniungere Pœnitentiam: Miles reſpondit; dum igitur vt aſſeris, factorem meum tam grauiter offendi, Pœnitentiam aſſumam omnibus Pœnitentijs grauiorem, & vt peccatorum meorum merear remiſſionem accipere, Purgatorium Sancti Patricij volo intrare.

Miles cõſtituit ſe contra ſe.

**In cuius Epiſcopatu eſt purgatoriũ.*

Cõfitetur.

Hiberni faciles ad pœnitendum.

Proponit firmiter ingredi purgatorium.

Epiſcopus quàm plurimorum in eo perditionem, vt eum ab hac auerteret intentione, narrauit, ſed virilis animi miles, Epiſcopi diſſuaſioni non conſenſit. Admonuit Epiſcopus vt Canonicorum, vel Monachorum ſuſciperet habitum: Miles verò reſpondit, ſe nulla hoc ratione facturum, donec præfatum intraret Purgatorium. Cum igitur Epiſcopus illum verè Pœnitentem & inflexibilem cognouiſſet, C. tradidit ei literas ſuas ad Priorem loci, mandans vt cum illo ageret, ſicut fieri ſolet cum illis, qui Purgatorium ingredi depoſcunt. Prior autem viſis literis, & cæteris cæremonijs, vt ſuprà, peractis, Militem in Eccleſiam perduxit, in qua, ſecundum morem, quindecim diebus, ieiunijs, & orationibus, inſtabat: quibus expletis, manè Miſſa à Priore celebrata, ſacra communione Militem communiuit, conuocatis fratribus, & Clero vicino, adductum ad ſpeluncæ introitum, aqua eum benedicta aſperſit; & aperto oſtio, dixit. Ecce nunc intrabis in nomine Domini Ieſu Chriſti, & per concauitatem ſpeluncæ tamdiu ambulabis, donec in campum exiens, aulam inuenies artificioſiſſime fabricatã, quã cũ ingreſſus fueris, ſtatim ex parte Dei nuntios habebis, qui tibi quæ facturus es, vel paſſurus diligenter exponent: illis autem exeuntibus, & te ſolo in ea remanente, ſtatim tentatores accedent; ſic enim habetur eueniſſe his, qui ante te introierunt; tu verò in fide Chriſti conſtans eſto. Miles autem virilem gerens animum, quod alios audiebat abſorbuiſſe non formidabat periculum, & qui quondam ferro munitus, pugnis interfuit hominum: modò ferro durior, fide, ſpe, & iuſtitia armatus, de Dei miſericordia præſumens, confidenter ad pugnam prorupit Dæmonum; atque omnium ſe orationibus commendans, frontem ſuam viuificæ crucis ſigno muniuit, ac intrepidus portam intrauit, quam Prior præforis obſerans, Eccleſiam cum proceſſione repetiuit.

Epiſcopus ei diſſuadet ingreſſum, ipſo verò conſtans in propoſito manet.

Miles Priorem adit.

Purgatorium ingreditur.

Miles itaque nouam & inuſitatam cupiens exercere militiam, per ſpeluncam audacter licet ſolus pergit. Ingraueſcentibus magis ac magis tenebris, in breui totam amiſit lucem: tandem ex aduerſo 42.

lux paruula cœpit per foueam tenuiter lucere; nec mora, ad campum prædictum peruenit, & aulam: lux autem ibi non apparuit, niſi qualis hîc in hyeme poſt Solis occaſum habetur. Aula parietes non habebat, ſed columnis & archiolis erat per gyrum ſubnixa, in modum clauſtri Monachorum: cumque circa aulam diutius ambulaſſet, eius mirabilem mirando ſtructuram, infra eius ſepta vidit eam multò mirabiliorem. Ingreſſus igitur eam, & intus aliquandiu ſedens, oculos huc, illucque conuertit, illius pulchritudinem & ſtructurã admirans, vbi cùm paululũ ſolus ſediſſet, ecce quindecim viri, quaſi Religioſi, & nuper raſi, albiſque veſtibus induti domum intrauerunt, & ſalutantes eum in nomine Domini, conſederunt. Tunc alijs tacentibus, vnus qui prior, & eorum dux videbatur cum ipſo loquebatur, dicens: Benedictus ſit Deus omnipotens, qui bonum tibi propoſitum inſpirauit, vt pro peccatis tuis Purgatorium hoc intrares, ſed niſi te viriliter geras, & corpore & anima peribis. Mox enim vt hanc domum fuerimus egreſſi, multitudo aderit Spirituum immundorum, qui tibi grauia inferentes tormenta, minabuntur inferre grauiora: promittent ſe ducturos te ad portam qua intraſti, conantes, ſi vel te hoc modo decipere poſſint, vt reuerraris. Sed ſi tormentorum afflictione victus, vel minis territus, ſeu promiſſione deceptus, aſſenſum eis præbueris, in corpore pariter & anima peribis; Si verò fortis in fide, ſpem tuam in Domino poſueris, vt nec tormentis, nec minis, nec promiſſis eorum acquieſcas, ſed corde integro eos contempſeris, non ſolùm à peccatis omnibus purgaberis, verumetiam & tormenta, quæ præparantur peccatoribus, & requiem, in qua iuſti lætantur, videbis. Deum ſemper habeas in memoria: & quotieſcunque te cruciauerint, inuoca Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, & per inuocationem huius nominis, ſtatim liberaberis à quocunque tormento, in quo eris. Tecum enim non poſſumus hîc diutius morari; ſed omnipotenti Deo te commendamus; ſicque data benedictione viro, receſſerunt ab eo.

Ad aulam peruenit.

Nuntij ex parte Dei ad ipſum veniunt.

Nuntij militem præmonẽt de futuris.

Nuntij illi diſcedũt.

De acceſſu Dæmonum, & primo tormento quod paſſus eſt Miles.

CAP. V.

43. MIles itaque à viris illis ſolus relictus, ad noui generis militiam ſe inſtruere cępit, & armis Chriſti munitus, intrepidus expectat, quis eum Dæmonum primò ad certamen prouocet, iuſtitiæ lorica induitur; ſpei victoriæ, ſalutiſque æternæ, mens, vt caput, galea redimitur; ſcuto fidei pectus protegitur; gladium etiam habuit verbum Dei, deuotè inuocans Ieſum Chriſtum, vt eo regio munimine tueatur, ne ab aduerſariis infeſtãtibus ſuperetur. Nec eum pietas diuina fefellit, quæ confidentes in ſe fallere neſcit. Miles igitur, vt dictum eſt, cùm in domo ſolus ſederet, animo impauido Dæmonum pugnam expectans, ſubitò circa domum cœpit audiri tumultus, ac ſi totus commoueretur orbis: etenim ſi omnes homines, & omnia animantia terræ, maris, & aëris toto conamine pariter ſtrepuiſſent, maiorem tumultum (vt ei videbatur) non facerent; vndè, niſi diuina virtute protegeretur, & à viris prædictis commodius inſtrueretur, ipſo tumultu amentaretur. Et ecce poſt horribilem ſonum, ſequitur terribilior Dæmonum viſibilis aſpectus: cœpit enim vndique innumera multitudo Dæmonum formarum deformium in aulam irruere, cachinnando illum ſalutare, & tanquam per opprobriũ dicere: Alij homines, qui nobis ſeruiunt, non niſi poſt mortem veniunt ad nos: ſed tu noſtram ſocietatem, cui ſtudioſè deſeruiſti, in tantum honorare voluiſti, vt ſicut alij, diem mortis expectare noluiſti, ſed viuens animam tuam & corpus ſimul nobis tradere; vt maiorem à nobis remunerationem acciperes, hoc feciſti, recipies ergo à nobis abundanter, quod meruiſti: huc veniſti, vt pro peccatis tuis tormenta ſuſtineres; habebis ergo nobiſcum quod quæris, preſſuras videlicet, & dolores. Veruntamen pro eo quod hactenus nobis ſeruieris, ſi noſtris acquieſcendo conſilijs, reuerti volueris, hoc tibi pro mercede faciemus, quod ad portam, qua intraſti, te illæſum reducemus,

Dæmones accedunt.

Hortatur militem, vt reuerti cõſentiat.

mus, quatenus adhuc viuendo in mundo
gaudeas, ne totum quod ſuaue eſt corpo-
ri tuo amittas. Hæc ei ideo promiſerunt,
quia aut terrore, aut blanditijs eum deci-
pere voluerunt. Sed ſtrenuus Chriſti mi-
les, nec terrore concutitur, nec blandi-
mento ſeducitur, eodem animo terrentes
condemnabat, & blandientes, nihil pœ-
nitus reſpondens.

44. Dæmones igitur, à milite ſe contemni
videntes, horribiliter fremebant in eum,
Prima & rogum ingentis incendij in aula ſuccen-
pœna. derunt, ligatiſque manibus & pedibus,
Dæmones militem in ignem proiecerunt, vnciſque
militem ferreis huc illucque per incendium cla-
in igne mantes traxerunt. Et ille in ignem miſſus,
cruciant. cum prius graue tormentum ſenſiſſet, ve-
ri Dei munimine ſeptus, & à præfatis viris
nuper inſtructus, arma militiæ ſpiritualis
non eſt oblitus, ſed inuocato pijſſimi Sal-
Primò uatoris ſui Ieſu nomine dicens, *Ieſu Chri-*
liberatur *ſte miſerere mei*, ita ab illo incendio libera-
per inuo- tus eſt, vt totius rogi ſcintilla vnica non
cationem appareret. Quod cernens miles, audacior
Ieſu Chri- effectus eſt, conſtanter animo proponens
ſti. eos de cætero non formidare, quos inuo-
cato Chriſti auxilio, facile vinci con-
ſpexit.

De quatuor campis pœnalibus, ad quos Miles fuerat tractus.

CAP. VI.

45. *Primus campus.* RElinquentes verò aulam il-
lam Dæmones cum eiulatu,
& horrido tumultu, & egreſ-
ſi, diſcedentes ab inuicem;
quidam eorum, militem per
vaſtam regionem diutius traxerunt. Nigra
enim erat terra, & regio tenebroſa, nec
quidquam, niſi Dæmones qui eum traxe-
runt, vidit in ea: ventus quidem vrens ibi
flauit, qui vix audiri potuit, ſed tamen
ſua rigiditate corpus eius videbatur per-
forare. Traxerunt autem illum verſus fi-
nes illos, vbi Sol oritur in media æſtate;
cumque illuc veniſſent tanquam in finem
mundi, cœperunt dextrorſum conuerti, &
per vallem latiſſimam tendere, verſus il-
lam partem, qua Sol oritur media hyeme.
Quò diuertendo, cœpit Miles, quaſi vul-
gi totius terræ miſerrimos eiulatus, & fle-
tus audire, & quò magis approximauit, eò
clarius clamores eorum & fletus audiuit.
Tandem itaque tractu Dæmonum, in la-
tiſſimum, longiſſimumque campum per-
uenit, miſerijs ac dolore perplenum, cu-
ius fines præ nimia longitudine non pote-
rant à milite tranſuideri. Ille autem cam- *Secunda*
pus, hominibus vtriuſque ſexus, & ætatis *pœna.*
diuerſæ, nudis, & in terra iacentibus erat
plenus, qui ventribus deorſum verſis, cla-
uis ferreis & ignitis per manus, pedéſque
in terram vſque transfixis, miſerabiliter
torquebantur: Aliquando autem præ do-
loris anguſtia videbantur terram comede-
re, clamantes, & eiulantes; *Parce, parce,
Miſerere, miſerere*; cum qui parcere, aut
miſereri noſſet, nequaquam adeſſet: Dæ-
mones vero, ſuper miſeros, diſcurrentes,
duriſſimis flagris eos cedebant; dicentes
Militi: Hæc tormenta quæ vides, ſentien-
do experieris, niſi nobis acquieſcas, vt ad
portam qua intraſti reuertaris, ad quam,
ſi volueris, pacificè deduceris. Sed ille ad
mentem reuocans, qualiter ipſum Deus
alibi liberauit, credere eis omninò con- *Secundò*
tempſit. Tunc Dæmones eum in terram *liberatur.*
proſternentes, ad modum aliorum, affli-
gere conati ſunt. Sed inuocato Ieſu Chri-
ſti nomine, in ſuo conamine defecerunt.

Ab illo igitur campo recedentes, Mili- 46.
tem ad alium traxerunt campum maiori
miſeria plenum. Inter quem, & priorem *Secundus*
hanc conſpexit differentiam, quòd in *campus.*
campo ſuperiori homines afflicti ven-
tres habuerunt deorſum verſos, in iſto ve- *Tertia*
rò eorum dorſa ſolo hærebant. Dracones *pœna.*
autem ignei ſuper quoſdam ſedentes, &
quaſi comedentes eos, modo miſerabili
dentibus ignitis lacerabant. Aliorum quo-
que colla, brachia, vel totum corpus,
ſerpentes igniti circumdabant, & capita
ſua pectoribus miſerorum imprimentes,
ignitum aculeum oris ſui in cordibus eo-
rum infigebant. Bufones etiam miræ ma-
gnitudinis, & tanquam ignei, videban-
tur ſuper quorundam pectora ſedere, &
roſtra ſua deformia infigentes, quaſi eorũ
corda conarentur extrahere: Dæmones
præterea inter & ſuper eos curſitantes, &
flagris aſperrimis cædentes, miſeros gra-
uiter cruciabant: homines autem ſic fixi,
& afflicti, à fletu & eiulatu nunquam ceſ-
ſabant. Finem ſimiliter huius campi præ
longitudine videre non potuit, ſed tantũ
in latitudine qua intrauit, & exiuit: in

tranſuerſum enim campos pertranſibat. Hæc (inquiunt Dæmones) tormenta quæ vides, patieris, niſi nobis, vt reuertaris aſſenſeris. Cumque eos contempſiſſet,
Tertiò liberatur. conati sũt, ſicut & ſuperius, clauis eum infigere, ſed audito Chriſti nomine nihil amplius potuerunt.

47. *Tertius campus.* Tranſeuntes inde, duxerunt Dæmones Militem in tertium pœnalem campum. Iſte etiam campus hominibus vtriuſque ſexus, & ætatis diuerſæ erat refertus, qui
4. Pœna. ita in terram clauis ferreis, candentibuſque fixi iacebant, vt præ multitudine clauorum, à ſummitate capitis vſque ad digitos pedum, locus vacuus non inueniretur, qnantus digiti vnius ſummitate tegeretur. Iſti vocem ad clamandum formare poterant, ſed ſicut homines qui morti proximi ſunt, ita vocem emittebant. Nudi etiam iſti, ſicut & cæteri videbantur, & vento frigido, ac vrente, flagriſque Dæmonum
4. Liberatur. cruciabantur. Cumque Militem hîc, ſicut in aliis pœnis Dæmones torquere voluiſſent, nomen Chriſti inuocauit, & illæſus remanſit.

48. Dehinc Militem trahentes, peruenerunt in quartum campum multis ignibus
4. campus plenum, in quo omnia genera inuenta sũt tormentorum. Alij ſuſpendebantur cate-
5. pœna nis igneis per pedes, alij per manus, alij per capillos, alij per brachia, alij per tibias capitib⁹ ad ima verſis, & ſulphureis flãmis immerſis. Alij vnguibus pendebãt, vncis ferreis fixis in oculis, vel auribus, vel faucibus, vel naribus, vel mammillis, aut genitalibus. Alij quaſi ſuper ſartagines vrebantur. Alij verubus igneis transfixi ad ignem aſſabantur, quos Dæmonum alij verterunt, alij diuerſis metallis liqueſcentibus deguttauerunt. Nec inter fletus miſeros & eiulatus vniuerſorum, Dæmonum tranſcurrentium flagella defuerunt. Ibi etiam vidit quoſdam de ſuis quondam ſocijs, & eos cognouit. Omnia genera tormentotum, quæ excogitari poſſunt, ibi viſa ſunt: clamores & eiulatus quos audiuit, nulla ſufficit lingua exprimere. Hi autem campi non ſolum cruciatis hominibus, ſed etiam excruciantibus pleni erant Dæmonibus. Hęc (inquiunt Dæmones) tormẽ-
5. Liberatur. ta patieris, niſi ad portam qua intraſti redire volueris. Quorum minas vilipendit, & inuocato Chriſti nomine liber euaſit.

De rota ignea, domo fumigante, monte excelſo, & flumine frigidiſſimo ad quod Dæmones Militem traxerunt.

CAP. VII.

Ab illo ergo pœnali loco Dæmones Militẽ impellẽtes, apparuit ante eos rota mirę magnitudinis 49. *6. Pœnalis locus.*
ferrea, & ignita, cuius radij, & cãthi vncis ferreis & igneis erãt vndique circumſepti, in quibus homines infixi pẽdebant. Huius autem rotæ medietas ſurſum in aëre ſtabat, alia in terra deorſum mergebatur: *6. pœna.*
flamma verò tetri ſulphureique incendij, quæ de terra circa rotam ſurgebat, in ea pendentes miſerrime torquebat. Hæc, inquiunt Dæmones, quæ iſti patiuntur, patieris, niſi reuerti volueris, quæ tamen tolerant prius videbis. Miniſtri igitur tartarei, ex vtraque parte alij contra alios, vectes ferreos inter rotæ radios impingentes, eam tanta agilitate rotabant, vt in ea pendentium nullum omnino ab alio poſſet diſcernere, quia prę nimia curſus celeritate, tanquam circulus igneus apparebat. *6. Liberatur.*
Cumque iactaſſent eum ſuper rotam, & in aërem rotando leuaſſent, inuocato Ieſu nomine, deſcendit illæſus.

Procedentes inde, traxerunt eum verſus domum vnam grandem horribiliter 50. *7. Pœnalis locus.*
fumigantem, cuius latitudo nimia fuit, longitudo verò tanta, vt illius non poterit vltima videre, cum autem adhuc aliquantulũ ab ea diſtarent, præ nimio calore, qui inde exibat, ſubſiſtit, procedere *7. Pœna.*
formidans. Dixerunt igitur ei Dæmones; balnearia ſunt quæ vides, velis, nolis, illuc vſque progrediens cum cæteris in eis lauaberis. Cœperunt autem de domo illa miſerrimi fletus audiri & planctus. Introductus in domum, vidit duram viſionem & horridam: ſi quidem domus pauimentum foſſis rotundis erat plenum, quæ ſibi inuicem ita cohærebant, vt vix inter eas, aut nullatenus iri potuiſſet. Erant autem foſſæ ſingulæ metallis diuerſis, ac liquoribus feruentibus plenæ, in quibus vtriuſque ſexus & ætatis diuerſæ mergebatur hominum multitudo non minima; quorũ alij erant omninò immerſi, alij vſque ad

ſupercilia, alij ad oculos, alij ad labia, alij
ad colla, alij ad pectus, alij ad vmbilicum,
alij ad fœmora, alij ad genua. alij ad tibias,
alij vno pede tantùm, alij vtraque manu,
vel vna tantummodò in caldarijs tene-
bantur. Et omnes præ doloris anguſtia
vociferabant, & miſerabiliter flebant. Ec-
ce, inquiunt Dæmones, cum iſtis lauá-
7. Liberatur. bis, ſubleuanteſque militem conati ſunt
eum in vnam foſſarum proijcere. Sed au-
dito Chriſti nomine, vlterius non præ-
ualuerunt.

51. Recedentes autem à domo illa perte-
8. pœnalis locus. xerunt in montem excelſum, & oſtende-
runt ei vtriuſque ſexus homines, & ætatis
diuerſæ multitudinem copioſam, compa-
ratione quotum, pauci videbantur ei om-
nes, quos ante viderat, omnes nudi ſede-
8. Pœna. bant ſuper digitos pedũ curuati. Hi quaſi
mortem cum tremore poſtulantes, verſus
Aquilonem incedebant. Cumque mira-
retur Miles, quid hæc miſera multitudo
præſtolaretur, vnus Dæmonum ait ad eũ:
fortè miraris quid tanto cum timore po-
pulus hic expectat; niſi nobis conſentiens
reuerti volueris, ſcies, quid tam treme-
bundus expectat. Vix Dæmon verba finie-
rat, & ecce ventus turbinis ab Aquilone
veniebat, qui & ipſos Dæmones, & cum
eis Militem, totumque populum illum
arripuit, & in quoddam flumen fœtidum
ac frigidiſſimum, in aliam montis partem;
flentes & miſerabiliter eiulantes proiecit,
in quo ineſtimabili frigore vexabantur. Et
cum de aqua frigidiſſima ſurgere conaren-
8. Liberatur. tur, Dæmones ſuper aquam currentes,
eos inceſſanter ſubmerſerunt. At Miles
adiutoris ſui non immemor, nomen Chri-
ſti reclamans, in alia ripa ſe ſine mora
reperit.

De puteo flammiuomo, & ponte altiſſimo, ad quem à Dæmonibus Miles deducebatur.

CAP. VIII.

52. Nec dum Dæmones, militis
Non[a] pœnalis locus. Chriſti iniuria ſatiati, acce-
dentes traxerunt eum con-
tra Auſtrum: vbi vidit ante
ſe flammam teterrimam, &
ſulphureo fœtore plenam, de puteo quo- *Nona pœna.*
dam aſcendentem, & homines nudos, &
quaſi igneos, velut ſcintillas ignis in aëra
ſurſum compellentem, & flammarum vi
deficiente, iterum in puteum & ignem re-
labi. Quò approximantes dixerunt Militi
Dæmones: puteus iſte flammiuomus, in-
ferni eſt introitus, hîc habitaculum no-
ſtrum eſt; & quoniam nobis huc uſque ſtu-
dioſè deſeruiſti, hîc nobiſcum ſine fine
manebis: omnes enim qui nobis ſeruiunt,
hîc ſemper manebunt, quò ſi ſemel intra-
ueris, anima ſimul & corpore in æternum
peribis. Sed tamen ſi adhuc nobis conſen-
tire volueris, vt reuertaris ad portam, qua
intraſti, illæſus ad propria remeare pote-
ris. Ille autem de Dei adiutorio præſumẽs,
qui eum toties liberauerat, eorum exhor-
tationes & promiſſa contempſit. Tunc
Dæmones indignati præcipitauerunt ſe in
puteum, & ſecum Militem intruſerunt. Et
quò Miles in eo profundius deſcendit, eò
latiorem puteum conſpexit, & pœnam in
eo grauiorem ſenſit. In puteo quoque illo
tantas anguſtias, ac tam intolerabiles mi-
ſerias pertulit Miles, vt diu Saluatoris
ſui oblitus ſit nominis: ſed Deo tandem *9. Liberatur.*
ſpirante, rediens ad ſe, nomen Ieſu Chri-
ſti, vt potuit, exclamauit, ſtatimque vis
flammæ, eum ſurſum in aërem leuauit.
Deſcendens itaq; iuxta puteũ aliquandiu
attonitus ſtetit, ignorans quò ſe verteret.
Sed eccè noui & quaſi incogniti Dæmo-
nes ex ore putei prorumpentes, dixerũt
ei: Et tu quid ibi ſtas? ſocij noſtri tibi di- *Ars Dæmonum mentiri.*
xerunt, quod hîc ſit infernus; mentiti
ſunt; non ita fore ſcias: nam conſuetudi-
nis noſtræ ſemper eſt mentiri, vt quos per
verum decipere non poſſumus, decipia-
mus per mendacium; hic non eſt infer-
nus, ſed nunc ad infernum te duce-
mus.

Trahentes igitur Militem hoſtes noui 53.
cum tumultu magno & horriſono, perue- *Decimus & vltimus pœnalis loc[us].*
nerunt ad flumen quoddam latiſſimum &
fœtidum, ac totum tanquam ſulphurei
incendij flamma coopertum, Dæmonum-
que multitudine repletum. Dixerunt er-
go ei, ſub iſtò flumine noueris infernum
eſſe. Pons verò protendebatur vltra flu-
men, in quo tria quaſi impoſſibilia, &
tranſeuntibus valdè formidanda videban-
tur: vnum, quòd ita lubricus erat, vt etiã

latus fuerit, nullus vel vix aliquis in eo pedē figere poſſet; alterum, quod tā ſtrictus & gracilis erat, vt nullus in eo ſtare, vel ambulare valeret; tertium, quod tam altus erat, & à flumine remotus, vt horrendum eſſet deorſum aſpicere. Oportet te (inquiunt Dæmones) per hunc pontem tranſire, nos autem ventos & turbines commouentes de ponte proijciemus te in flumen: ſocij verò noſtri, qui in eo ſunt, te captum in infernum demergent; Volumus enim probare quàm tutum tibi ſit, ſuper pontem iſtum ambulare: ſi tamen nobis adhuc aſſenſeris vt reuertaris, etiam ab hoc diſcrimine illæſus ad patriam redire poteris. Sed miles Chriſti fidelis, cogi-
10. & vltimò liberatur. tans intra ſe, de quantis liberauerit eum malis aduocatus ſuus piiſſimus Ieſus, ipſius iterato nomine, pontem audacter ingreſſus, cœpit pedetentim incedere, nihilque lubrici ſub pedibus ſentiens, firmus ſuper pontem ambulabat in Domino confidens, & quò altius aſcendit, eò ſpa-
Rhedas. tioſiorem inuenit pontem: & eccè poſt paululum tanta creuit pontis latitudo, vt publicæ viæ amplitudinem præ ſe ferret, & vndecim* carra ſibi obuiantia poſſet excipere. Porrò Dæmones, qui militem perduxerunt, tenentes manum eius fricabant ſuper pontem, & vlterius progredi non valentes, ad pedem pontis ſteterunt, quaſi lapſum Militis præſtolantes: videntes autem eum liberè tranſire, ita clamoribus ſuis horriſonis, & vocibus prophanis aërem percuſſerunt, vt illo ſtridore at-
Finis tormentorū, & certaminis. tonitus, intolerabilior ei videretur huius horror clamoris, quam præteritarum aliqua pœnarum, quas ab aliis ſuſtinuerat. Cernens tamen eos ſubſiſtere, & vltra progredi non valere, piique ductoris ſui reminiſcens, ſecurus incedebat. Alij autem hoſtes inferius ſupra flumen diſcurrentes, vncos ſuos ferreos, & ignitos in eum iaciebant, ſed militem tangere nequiuerunt. Securus tandem procedens, & nihil ſibi contrarium inueniens, vidit latitudinem pontis in tantum excreſcere, vt vix ex vtraque parte eius fines poſſet aſpicere.

De gloria cæleſti, & Paradiſo terreſtri Militi oſtenſis, & colloquio Pontificum cum eo.

CAP. IX.

Miles itaque inuictus, iam liber factus à vexatione ſpirituum immundorum, vidit ante ſe murum altum, & in aërem euectum: erat enim murus mirabilis, in- 54. *Initium gloriæ, & requiei.*
comparandi decôris, & ſtructuræ impretiabilis; in quo portam vnam, ſed tamen clauſam cernebat, quæ metallis diuerſis, ac pretioſis exornata lapidibus, mirabili ſplendore radiabat. Ad quam cum Miles appropinquaſſet, ſed adhuc quaſi ſpatio dimidij miliaris abeſſet, porta illa contra eum aperta eſt, & tantæ ſuauitatis odor per eam exiit, vt, ſicut ei videbatur, ſi totus mundus in aromata verteretur, huius ſuauitatis abundantiam non vinceret, tantaſque vires ex ea recepit, vt æſtimaret ſe tormenta, quæ pertulerat, iam poſſe ſine moleſtia ſuſtinere: reſpiciēſq; intra portā, vidit portā, Solis ſplendorē claritate vincentē. Cum autem aliquantulum diſtaſſet, egreſſa eſt in occurſum eius, cum crucibus, cereis, & vexillis, ac velut palmarum aureárum ramis, talis ac tanta, & tam ordinata proceſſio, qualis ac quanta in hoc mundo, prout æſtimauit, nunquam viſa eſt. Sequebantur prædicta, vtriuſque ſexus, diuerſæ ætatis, & vniuſcuiuſque ordinis homines: Alij quaſi Archiepiſcopi, Alij vt Epiſcopi, alij vt Abbates, Monachi, Canonici, Presbyteri, ac ſingulorum Eccleſiæ graduum miniſtri, ſacris veſtibus ſuo ordini congruentibus induti. Omnes verò tam clerici, quam laïci, eadem forma veſtium ibi videbantur amicti, in qua Deo ſeruierunt in ſæculo. Militem verò omnes cum magna veneratione, & iucunda lætitia ſuſceperunt, eumque cum concentu harmoniæ ſæculo inauditæ, intra portam ſecum fœliciter conduxerunt.

Murus Paradiſi: porta. B. *Suauis odor.* 55. *Proceſſio incomparabilis.* *Miles introducitur in paradiſum.*

Finito itaque concentu, & ſoluta proceſſione, recedentes ſeorſim duo velut Archiepiſcopi, militem in ſuo comitatu ſuſceperunt, ſecumque duxerunt quaſi patriam, & eius amænitatem oſtenſuri: qui 56. *Pontifices militi patriam oſtendunt.*

qui cum eo loquentes; primò benedixerunt Deum, qui tanta conſtantia in tormentis, per quæ tranſiit & pertulit, eius animam roborauit.

Ingens lumen.

Ipſis igitur militem per amœna patriæ conducentibus, huc illucque pertranſiens multò plura, quàm ipſe, aut aliquis hominum peritiſſimus lingua vel calamo poſſet explicare, delectabilia iucundáque proſpexit. Tanta verò lucis erat illa patria claritate luſtrata, vt ſicut lumen lucernæ Solis obſcuratur ſplendore, ita Solis claritas meridiana poſſe videbatur obtenebrari, lucis illius patriæ mirabili fulgore: nox illam nunquam obnubilat, quia ſplendor eam puriſsimi cœli perenni claritate perluſtrat. *Prata amœna.* Erat autem tota patria, quaſi prata amœna, atque virentia, diuerſis floribus, fructibúſque, herbarum & arborum multiformium decorata: quorum ait, odore ſine fine vixiſſet, ſi ibidem ei viuere licuiſſet. *Longitudo patriæ.* Finem verò patriæ, præ nimia ipſius magnitudine ſcire non potuit, niſi tantum ex ea parte qua per portam intrauit. *Multitudo hominum.* Tantam in ea hominum vtriuſque ſexus vidit multitudinem, quantam in hac vita neminem æſtimabat vidiſſe, aut reſiduum ſæculi credidit continere poſſe: quorum alij in his, alij in alijs locis per conuentus diſtincti commanebant; *Diſtinctio manſionum.* ſed tamen prout volebant, alij de iſtis in illas, alij de illis in iſtas cateruas cum lætitia tranſibant; ſicque fiebat, vt alij de aliorum viſitatione gauderent. *Laus Dei.* Chori choris per loca aſſiſtebant, dulciſque harmoniæ concentu Deo laudes reſonabant. Et ſicut ſtella differt à ſtella in claritate, ita erat quædam differentia concors in eorum veſtium, & vultuum claritatis venuſtate. Alij enim induti videbantur veſtitu aureo: alij, atque alij, viridi, purpureo, hyacinthino, cæruleo, candido; *Differentia veſtiũ.* forma tamen habitus ſingulorum, erat eadem, qua vtebantur in ſæculo, quæ proinde militi indicabat, cuius meriti quiſque fuerit, vel ordinis: quorum habitus, varius color, variæ videbatur claritatis ſplendor. Alij quaſi Reges coronati incedebant, alij palmos aureos in manibus geſtabant. Talium igitur & tantorum fuit in illa requie iuſtorum militi delectabilis aſpectus, *Delectabilis aſpectus.* nec minor eorundem harmoniæ, ſuauis & ineffabilior dulcis auditus: *Dulcis auditus.* vndique audiuit Sanctorum concentum, Dei laudes perſonantium; ſinguli verò de propria fœlicitate gaudebant, ſed & de aliorum gaudio ſinguli exultabant. Omnes verò qui militem intuebantur, de eius aduentu Dominum benedicebant, & de eius à Dæmonibus eruptione congaudebant: & videbatur ibi, de ipſius aduentu quodammodo quaſi noua exultatio fieri. Non æſtum, non frigus ibi ſentiebat, nec quod vllo modo poſſet offendere, aut nocere videbat: *Nõ æſtum aut frigus ibi ſentit quis.* omnia enim pacata, omnia placida, omnia grata; multò plura vidit in illa requie, quam aliquis hominum loqui ſufficeret, aut ſcribere.

His ita completis, dixerunt Pontifices ad militem: ecce frater, auxiliante Deo, vidiſti quæ videre deſideraſti, vidiſti enim huc veniendo tormenta peccatorum, hîc autem requiem iuſtorum; Benedictus ſit Creator, & Redemptor omnium, qui tibi dedit tale propoſitum, cuius gratia per tormenta tranſiens conſtāter egiſti. Nunc autem ſcire te volumus, quæ ſint illa quæ vidiſti tormentorum loca, ſed & quæ iſta tantæ beatitudinis patria. 57.

Incipit colloquiũ Præſulum cum milite.

Patria iſta terreſtris eſt Paradiſus, de qua propter inobedientiæ culpam eiectus eſt Adā protoplaſtus: poſt quā enim Deo inobediens ſubijci contempſit, vltrà videre quæ vides, imo longè incomparabiliter maiora gaudia, non potuit. Hîc ipſius Dei verba ſedulò audierat, cordis munditia, celſitudine viſionis internæ, & Beatorum Angelorum aſpectu perfrui poterat. Sed cùm per inobedientiam à tanta cecidiſſet beatitudine, lumen mentis, quo luſtrabatur, amiſit, quia *cum in honore eſſet non intellexit*, vndè *comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*. Huius verò vniuerſa poſteritas, ob ipſius culpam, ſicut & ipſe, mortis ſuſcepit ſententiam. O deteſtabile ſcelus inobedientiæ! 58.

Lapſus Adami. *Mortis ſententia.*

Motus tandem pietate miſericordiſſimus Deus ſuper humani generis miſeria, filium ſuum vnigenitum incarnari conſtituit Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum; cuius fidem ſuſcipientes per Baptiſmum tam ab actualibus, quam originali peccato liberi ad iſtam patriam redire nos meruimus: verum quia pallium in Baptiſmo ſuſceptum maculauimus, cùm per fragilitatem carnis peccauimus; neceſſe erat vt per pœnitentiam, actualium veniam impetraremus. Pœnitentia enim quam ante mortem, vel in extremis poſiti ſuſcepimus, nec 59.

Incarnatio. *Baptiſmus ab originali, & actualibus purgat.* *Pœnitentia.* *Satiſfactio purgatoria.*

O

in vita peregimus, poſt carnis ſolutionem, in locis quæ vidiſti pœnalibus, alij longiori, alij breuiori temporis ſpatio, iuxta modum & quantitatem culparum, tormenta patiendo, perſoluimus. Omnes enim qui hic ſumus ad hanc requiem per illa loca tranſiuimus: & omnes quos in ſingulis locis pœnalibus vidiſti, præter eos qui infra os putei infernalis deſtinentur, poſtquam purgati fuerint, ad iſtam requiem venientes ſalui fient; ſed & quotidie quidam purgati veniunt, quos ſuſcipientes ſicut & te ſuſcepimus, cum gaudio huc introducimus. Eorum verò qui in pœnis ſunt, nullus nouit quandiu inibi torquebitur: per Miſſas autem, Pſalmos, orationes, & Eleemoſynas, quoties pro eis fiunt, aut eorum tormenta mitigantur aut ad minora, & tolerabiliora transferuntur, donec tandem per talia beneficia omninò liberentur. Et ad hunc locum quietis cùm venerint, quamdiu hic manſuri ſint, pœnitus ignorant: nullus enim noſtrum de ſe hoc ſcire poteſt; ſicut enim in locis pœnalibus ſecũdum culparum quantitatem illi detinentur, ita & nos qui hîc ſumus, ſecundum merita bona plus minuſ ue morabimur in iſta requie. Ecce, vt vides, à pœnis liberi ſumus, & magna quiete perfruimur, nondum tamen ad ſupernam Sanctorum lætitiam aſcendere digni ſumus, diemque & terminum noſtræ promotionis in melius, nemo noſtrum nouit: ſed poſt terminum ſingulis conſtitutum, in maiorem requiem tranſibimus. Quotidie ſocietas noſtra quodammodo creſcit, & decreſcit, dum ſingulis diebus, & ad nos à pœnis, & à nobis in cæleſtem paradiſum quidam aſcendunt.

Incertitudo temporis purgatorij.

Miſſis, orationibus &c. liberatur anima à purgatorio.

Incertitudo temporis in paradiſo.

60. His dictis, venerandi præſules aſſumentes ſecum militem in montem vnum, iuſſerant vt ſurſum aſpiciens, diceret cuiuſmodi coloris ei videretur cœlum reſpectu loci in quo ſtetit? qui reſpondens ait; auro ardenti in fornace ſimile mihi videtur. Hoc, inquiunt, quod nunc vides, porta eſt paradiſi, hâc introeunt qui à nobis aſſumuntur in cœlum. Nec te latere debet, quòd quamdiu hic manemus, quotidiè ſemel paſcit nos cibo cæleſti Deus, & qualis ſit cibus iſte, quamque delectabilis, iam, Deo donante, nobiſcum ſenties guſtando. Vix ſermone finito, ecce quaſi flamma ignis de cœlo deſcendens, totam patriam cooperuit; & quaſi per radios diuiſa, ſuper ſingulorum capita flamma ſubſidens, tota demum in eos intrauit: ſed & ſuper militem inter alios, deſcendit, & in eum intrauit; vnde tantã delectationis dulcedinem in corde ſimul & corpore ſenſit, quod vix intellexit vtrũ viuus, an mortuus fuiſſet. Sed hora illa in momẽto tranſiuit. Hic inquiũt, eſt cibus ille, quo ſemel à Deo quotidiè paſcimur: qui autem in cœlũ à nobis aſſumũtur, eo ſine fine perfruuntur. Miles ibi libenter mãſiſſet, ſi his delicijs frui ei licuiſſet: ſed poſt talia tãtaq; iucũda, ei triſtia referũtur.

Porta cæli.

Cibus cæleſtis.

Viſio tranſiens.

61. Quoniam igitur (frater) ex parte vidiſti, quæ videre deſideraſti, requiem videlicet beatorum, & tormenta peccatorum, oportet iam, vt per eandem viam qua intraſti, reuertaris. Quod ſi amodò ſobriè & ſanctè vixeris, non ſolum de iſta requie, ſed & de cœlorum manſione ſecurus eſſe poteris: Sin autem, quod abſit, malè vixeris, & vitam tuam illecebris carnis pollueris, en ipſe vidiſti, quę te maneant tormenta. Securus ergo redeas; nam quidquid tibi huc venienti terroris incuſſerant Dæmones, ſimile quid reuertens ne formides, nam Dæmones ad te accedere non audebunt, ſed & tibi apparere pertimeſcent; nec tormenta quæ vidiſti, tibi vllatenus nocere poterunt. Ad hæc verba miles attonitus, flens & eiulans cœpit humiliter pontificibus ſupplicare, ne à tanta beatitudine ad ærumnas ſæculi redire cogeretur, dicens; hinc diſcedere non valeo, quia valdè timeo, ne per fragilitatem humanæ conuerſationis aliquid committam, quod me impediat huc redire. Non, inquiunt, vt poſtulas erit; ſed ſicut ille, qui & nos, & te fecit, diſpoſuit, ita fiet: ipſe enim ſolus agnouit quid omnibus expediat.

Pontifices iubẽt imbis vt reuertatur.

Miles ſupplicat pontificibus, ne exire cogatur.

Quomodo Miles egreſſus eſt purgatorium; Hieroſolymam adijt, & reliquum vitæ tempus inſumpſit.

CAP. X.

Miles igitur Oënus accepta benedictione volens egreditur, & triſtis admodum eadem qua venerat

Miles egreditur paradiſū.

rat, reuertitur via, à præſulibus ad portam Paradiſi reducitur, & ipſo egreſſo, porta poſt ipſum clauditur. Egreſſus itaque de Paradiſo, mœrens & lugens eò quòd alterata fœlicitate, ad huius ſæculi miſeriam reuerti coactus fuerit, via qua venerat, reuerſus, ad aulam præfatam, in qua Dæmones eum primitus inuaſerunt, peruenit. Dæmones autem in ſuo reditu vidit, ſed ad eius aſpectum, quaſi timentes per aëra diffugerunt; & tormenta per quæ tranſijt, eum lædere nequiuerunt. Cumque intrepidus aulam prædictam intraſſet: ecce quindecim viri, qui ibidem ei primò apparentes illum inſtruxerunt, confeſtim occurrunt ei, Deum glorificantes, qui tantam illi conſtantiam in tormentis contulerat. Eiuſque victoriæ congratulantes dixerunt: Eia frater noſter, ſcimus quoniam per tormenta, quæ viriliter ſuſtinuiſti, viciſti, & ab omnibus peccatis tuis purgatus es: ecce iam in patria tua, lucis aurora clareſcit; aſcende igitur quantocyus, nam ſi Prior Eccleſię, poſt Miſſarum ſolemnia, cum proceſſione veniens ad portam, te redeuntem non inuenerit, de tuo reditu deſperans, obſerata porta ad Eccleſiam redibit. Miles igitur accepta benedictione protinus aſcendit: & eadem hora, qua portam Prior aperuit, Miles de intro veniens apparuit; quem cum gaudio, & Chriſti laudibus Prior ſuſcipiens, in Eccleſiā perduxit; ibique eum diebus quindecim orationibus inſiſtere fecit. Deindè ſignaculo Dominicæ crucis in humero, ſuſcepto, & in terram Sanctam deuotus proficiſcens, ſepulchrum Domini Ieroſolymis, cum locis alijs venerabilibus, in ſancta contemplatione petiuit. Inde, expleto laudabiliter peregrinationis voto, reuerſus, Regem Anglorum Stephanum Dominum ſuum, cui prius familiaris extiterat, conſulturus adijt, vt eius tanquam induſtrij & prudentis viri conſilio, in ſanctæ Religionis ordine, reliquum vitæ ſuæ expleret, ac Regi Regum de cætero militaret. Contigit autem eo tempore, quòd Geruaſius Ludenſis cœnobij Abbas, Rege Stephano donante, locū ad Abbatiam conſtruendam in Hiberniā obtineret; qui Monachum ſuum nomine Gilbertum* cum quibuſdam alijs ad eundem Regem direxit, vt ab eo locum ſuſciperet: & monaſterium ibidem fundaret. At Gilbertus ad Regem veniens, & ab eo gratulanter ſuſceptus, conqueſtus eſt nimis, quod illius patriæ linguā ignoraret. Quod audiēs Rex, ait, optimum tibi, Deo auxiliante, interpretem inueniam: & vocato milite Oëno, iuſſit Rex, vt cum Gilberto iret, & cum eo in Hibernia remaneret. Quam iuſſionem Miles libentiſſimè ſuſcipiens ait ad Regem: gratāter Monacho ſeruire debeo; Sed & vos, ô Rex, cum gratiarum actione Monachos .... in Regno veſtro ſuſcipere debetis: quoniam, vt verum fatear, in Sanctorum requie nō vidi homines tanta gloria prædiros, quanta huius religionis viros. Tranſeuntes autem in Hiberniam, Monaſterium conſtruere cœperunt, manentes ſimul ibidem duobus annis cum dimidio: Gilbertus Monaſterij illius erat cellarius; Miles autem forinſecus erat in omnibus Procurator, & miniſter deuotus, interpreſq; fideliſſimus. Monachalem igitur habitum ſuſcipiens vixit ſanctè ac religiosè, ſicut idem Gilbertus teſtabatur. Quandocumque verò Gilbertus, ſolus alicubi cum Milite fuit; de ſtatu purgatorij, & pœnis mirabilibus, quas miles viderat, & experimento didicerat, curiosè ab eo quæſiuit. At Miles qui nunquam audire potuit de purgatorio loqui, quin prorumperet in fletum amariſſimum, cœpit ſob ſigillo ſecreti, amico ad ædificationē, ea quę audierat & viderat, & experimentis didicerat, enarrare: affirmās ſeſe corporeis oculis omnia conſpexiſſe. Huius autē Monachi induſtria, & diligentia, huius militis experientia redacta eſt in ſcripturam, ſimul cūm relatione Epiſcoporum regionis, & aliorum Religioſorum, qui cauſa iuſtitiæ, teſtimonium perhibuerunt veritati.

Ad aulā peruenit. — *Dæmones ad eius aſpectum fugiunt.* — *Suprà memorati Nuntij ex parte Dei ad eum accedunt.* — *Purgatoriū egreditur Miles.* — *peregrinaturus in terram ſanctam pergit.* — *Ad Regem Angliæ accedit.* — *Hic Gilbertus fuit Abbas de Beſmagroetrib.* — *Rex eū vt interpretē mittit in Hiberniā cū monachis Anglis.* — *Miles Monachalem habitum ſuſcipit.* — O. — *Miles flet quoties de purgatorio mētionē audit.* — *Authentiè hæc hiſtoria ſcriptis eſt primò tradita.*

Huius hiſtoriæ Examinatio, & multiplex probatio.

CAP. XI.

SVperiorem narrationē (verba ſunt Henrici Saltereïēſis) cum ſæpedictus Gilbertus coram multis, me quoque audiente, ſicut ſæpius ab ipſo milite audierat, retuliſſet: adfuit inter alios vnus, qui hæc ita contigiſſe, ſe dubi- B.

Quidam dubitat de veritate huius hiſtoriæ.

Prima probatio.

tare dixerat. Cui Gilbertus: ſunt quidam qui dicunt, quòd aulam ingreſſus, in extaſim fuerat raptus, & hæc omnia in ſpiritu viderat; quod nequaquam ſibi contigiſſe Miles certiſſimè affirmat, ſed corporeis oculis ſe omnia vidiſſe, & corporaliter pertuliſſe conſtantiſſimè teſtatur. Sed & ego præfui in monaſterio, & oculis meis harum rerum non valde diſſimile, multique mecum conſpexêre. Erat enim in monaſterio, monachus quidam valdè religioſus, cuius ſanctitati Dæmones inuidebant; dormientē verò nocte quadā de dormitorio corporaliter tulerūt, qui tribus diebus, & tribus noctibus, ab ipſis detentus eſt, fratribus interim neſcientibus quid de eo factum fuiſſet. Poſt tertium verò diem, in lectulo ſuo à fratribus inuentus eſt, pœnè vſque ad mortem flagellatus, horribiliterque à Dæmonibus verberatus. Mihi quoque confeſſus eſt, ſe horrenda vidiſſe tormenta. Vixit autem poſteà quindecim annos, ſed vulnera eius nullo poterant curari medicamine; ſemper enim aperta, & quaſi recentia videbantur, quorum quædam ad menſuram longitudinis vnius digiti, profunda fuerunt. Hic monachus cum aliquando vidiſſet iuniorem aliquem, immoderatius ridentem, vel iocantem, vel aliquo modo inordinatè ſe habentem, aiebat: ô ſi ſcires, quanta huic diſſolutioni maneat pœna, forſitā geſtus tuos incōpoſitos, & mores emendares in melius. Huius Monachi vulnera vidi, & manibus meis attrectaui, ipſumque poſt obitū ego ipſe ſepeliui. Huius itaque viri tam ſancti, tam religioſi, mihique tam familiaris relatio, ſiquid ſuperioris relationis mihi dubietatis inerat, penitus abſtulit. Hucuſque Gilbertus.

Gilbertus ſocius Militis dubiū ſoluit.

Solutionē exemplo illuſtrat & confirmat.

63\. *Saltereienſis qui vidit Gilbertum inquirit de Purgatorio.*

Ego verò (inquit Saltereienſis) poſtquā hæc omnia audierā, duo de Hibernia Abbates, vt adhuc certior fierē, ſuper his cōueni; quorum vnus, quòd omnia eſſent vera affirmauit; ſed & hoc teſtatus eſt, quod multi qui intrauerunt non ſunt reuerſi.

Secunda probatio petitur ex relatione Abbatis Hiberni.

64\. *Tertia probatio petitur ex relatione Epiſcopi, in cuius diœceſi ſitum eſt purgatorium.*

Nuper etiam Epiſcopum quendam affatus ſum, nepotem Sancti Patricij tertij, ſocij videlicet, S. Malachiæ, Florentianum nomine, in cuius Epiſcopatu (ſicut ipſe dixit) eſt idem purgatorium, de quo cùm curioſius inquirerem. Reſpondit Epiſcopus: certè, frater, verum eſt; locus autem ille in Epiſcopatu meo eſt, & multi pereunt in eodem purgatorio, & ſi fortè redeant, ob immanitatem tormentorū, quæ paſſi ſunt, languore, ſiue pallore diuturno tabeſcunt: ſed ſi poſteà ſobriè & iuſtè vixerint, certi ſunt alias pro peccatis ſuis pœnas ſe non perpeſſuros.

D. 65.

Hancce Ogéni Militis hiſtoriam, quā parte eſt Henrici Saltereienſis, ex vetuſto Bibliothecæ Sancti Victoris Pariſienſis (in qua tribus diuerſis in locis olim exarata fuit, & etiamnum in duobus habetur) manuſcripto deſumpſimus: qua verò parte eſt Matthæi Pariſienſis, ex eius operibus excuſis deſcripſimus. Quam, ſiquis (vt opinamur) magis temerè, quam ſolidè & piè credere nolit, aut impugnare velit; cōſulat ſanctiſſimos Patres [a] D. Gregorium, venerabilem [b] Bedam ac [c] Dionyſium Carthuſianum, & attentè legat varias reuelationes, viſiones, & narrationes huic non abſimiles, ab eis relatas, quibus tanquam probabilibus ipſi fidem adhibere non verentur, & negare non præſumunt.

a Lib. 4. Dialog.
b Lib. 5. hiſt. c. 19.
c De inde. partic. anim: vbi varias obiectiones in contrarium ſoluit.

De tempore, & materia purgationis, & ſubiecto purgabili in hoc Purgatorio.

CAP. XIII.

A. 66.

AD complementum huius de Purgatorio tractatus, ſupereſt iam de tēpore & materia Purgationis carptim agere, vt ſatisfiat ſubtili obiectiunculæ circa adæquatam materiam expiationis, ſiue ſubiectum expiabile in iſto Purgatorio.

Notandum igitur ſingulare eſſe in hoc Purgatorio, quod viuos adhuc & ſuperſtites; non autem defunctos propriè attingit; in quo latum eſt diſcrimen inter hoc Purgatorium priuilegiatum, ac vitalitium, & alterum illud vniuerſale, & poſthumum, ſic nuncupatum diſtinctionis cauſa; vt ſecernatur anterius quod ſuſcipitur in hac vita, à poſteriori quod non ſubitur niſi poſt obitum, & prius illud vocari poteſt viatorium, ſeu præcurſorium: iſtud verò poſterius periodale, poſt-vitale, ſiue,

Quod ſubiectū purgabile in purgatorio poſthumo, & quod in vitalitio?

ſiue, vt ſignificantius loquamur, poſthumum: plenius ita diſtinguimus, quam ſi vnum vocemus extraordinarium, nempe hoc quod viuentes concernit; & alterū ordinarium, quod ad mortuos ſpectat. Nam etiam poſt mortem datur ordinarium, & extraordinarium, prout ex aliis * ſupra produximus, nam quando in loco proprio & definito prope limbum, & marginem barathri damnatorum, iuxta vmbilicum terræ exercetur purgatio animarum, quæ corporibus ſolutæ ſunt, fieri hoc proximè dicitur in Purgatorio ordinario; quando autem extra illos limites, in balneis, cauernis, vel angulis, alijſque receſſibus, in quibus animæ, quæ expiantur, audiri poſſunt, vel adiri à mortalibus, iam dicitur illa expiatio fieri in loco extraordinario.

Duplex purgatorium poſthumum.

67. Si verò iſtos terminos ordinarij & extraordinarij non ad locum referamus, ſed ad tempus; vt purgatio illa quæ fit poſt mortem, dicatur tempore ordinato fieri, iuxta ordinarium curſum, & menſuram temporis, cuius omnes, qui moriuntur in gratia, & habent aliquid luendum poſt hanc vitam, poſſunt & debent eſſe participes: altera verò illa Purgatio, quæ extraordinariè tanquam ex priuilegio conceditur, in hac vita his, qui ſe obligant ad ſubeundam pœnitentialem illam cauernam, quæ ex prærogatiua, & precibus Sancti Patricij deſignata, & certis terminis definita eſt; quin illo ſenſu, hæc expiatio dicatur extraordinaria quoad tempus, nihil videtur abſurdi habere.

Purgatorium S. Patricij extraordinarium dicitur quoad tempus.

68. Et huius quidem Purgatorij, quoad tempus, vt dictum eſt, extraordinarij; materia Purgandi adæquata poreſt eſſe reatus omnis pœnæ, & omnes omnino ſiue næui, ſiue nexus, qui per virtutem pænitentiæ, & per actum contritionis deleri poſſunt, aut diſſolui in via. Neq; enim qui ſic extraordinariè purgantur, comprehenſores ſunt, aut in gratia vel charitate confirmati: ſed viatores in ſtadio viæ, ac vitæ mortalis conſtituti; in ſtatu etiam merendi ac demerendi abſolutè poſiti. Tametſi interceſſione Sancti illius Titularis quem diximus, eiuſque ſingulari Patrocinio freti, piam ſpem concipere poſſint, ſi ſuas expleant partes. & pœnitudinem peccatorum, qua decet ac licet ſedulitate exerceant, maioribus gratiæ auxilijs ſeſe fulciendos & corroborandos, ne vel in vita ruant in læthale peccatum, vel poſt vitam in damnationem; aut ſaltem ſi labi contingat ex humana fragilitate, non migraturos ex hac vita impœnitentes.

Materia Purgationis.

Multum verò illuſtrare poteſt hanc de Purgatorio Sancti Patricij ſententiam, opinio illa quorundam Doctorum de cæmiterio S. Andreæ per D. Gregorium conſecrato, & priuilegiato: itemque de anima Traiani, eiuſdem precibus liberata; quam D. Thomas videtur ſequi, tametſi ab alijs vtraque ſit impugnata, de qua nihil attinet impræſentiarum diſſerere. Contenti erimus noſtram & maiorum aſſertionem piè modeſtéque tueri, relinquentes interim alijs ſuum ſenſum & iudicium. Nam ſi nimium ardenter velimus altercari, rationes ac coniecturas probabiles pro demonſtrationibus (quas res ſubiecta patitur) obtrudamus, aut certè demonſtrationes *quia*, pro demonſtrationibus *propter quid*, vrgeamus, & ingeramus, ab alijs qui moderatioris ingenij ſunt, tanquam immodeſti, nimiumque nobis præfidentes, redargui periclitabimur. 69.

Illuſtratur doctrina de Purgatorio, auctoritatibus

Vide hiſtoriam Vice-Comitis Hiſpani de hoc Purgatorio apud Philippum O Sulleuanum in compendio hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Hiberniæ.

Tractatus, de Purgatorio Sancti Patricij, Finis.

REVERENDISSIMI DOMINI D. DAVIDIS ROTHI, OSSORIENSIS EPISCOPI,

& totius Hiberniæ Vice-Primatis, Præloquium de conuerſione Hibernorum; cum eiuſdem doctiſſimis, & accuratiſſimis Elucidationibus in aliquot Iocelini capita.

PRAELOQVIVM.

1. DOMINE Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra, qui gloria & honore coronaſti Sanctum tuum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. *Hæc namque ſunt opera manuum tuarum, quæ admiramur & ſuſpicimus in conuerſione vnius integræ gentis, per indefeſſum laborem & ſtudium famuli tui: namque aſſumpſiſti, & præfeciſti tam ſancto & ſalutari negotio, in quo cum antea plures deſudâſſent, & induſtriam ſuam zelumque collocaſſent, dum tamen illum, quem præ cæteris ad hoc elegiſti, mirificare dignatus es ſignis & prodigijs, vt inchoata ab alijs rudimenta ipſe perpoliret, & quæ poſuerunt fundamenta, ſuperſtruendo conſummaret. Tua ſunt, Chriſte, hæc opera, tua miracula, qui verè mirabilis es in Sanctis tuis: quos ita dignaris glorificare, vt eos de hoſte humani generis mirabiliter facias triumphare.*

2. *Arduum & difficile erat nationem Hibernicam tenebris denſiſſimis inuolutam illuſtrare; Magicis præſtigiis faſcinatam excantare; lapideis cordibus induratam emollire; innumeris erroribus implicitam extricare, erudire, conuertere ad meliorem mentem, & ad medicum ſalutis attrahere. tentauerunt iam aliqui, ſed exiguo fructu; Si Palladius ſulcauit hunc agrum, citò diſſiluit aratrum ipſius; nam perpuſillo tempore moratus in gente non morata, ſed dura & immorigera, viam ingreſſus eſt vniuerſæ carnis, paucis tantummodo ad fidem ſubactis. Quod ſi ante illum præcoluerunt aliqui ex ipſo Apoſtolorum cuneo, vt de Petro quidam autumant, de Iacobo maiore alij affirmant; reliquerunt illi quidem arua, vel ſpinis horrentia, vel petricoſa & arida, vſque ad præfinitum tempus à Patre luminum, in quo per ſeruum ſuum Sanctum Patricium ſtatuit totam terram ſentibus expurgare & eruderare ſiticuloſo ſabulo infidelitatis; quod fœliciter quando voluit, per quem voluit, & quomodo voluit ipſe perfecit.* Quis enim cognouit ſenſum Domini? Aut quis conſiliarius eius fuit? Aut quis prior dedit illi, vt retribueretur ei? Quoniam ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt omnia; ipſi gloria in ſæcula.

Quidam volunt, aut S. Petrum, aut S. Iacobũ, Euangelium in Hibernia primum prædicaſſe.

Rom. 11. v. 34.

Magnalia ſapientiæ ſuæ decorauit, qui eſt ante ſæculum, & vſque in ſæculum, neque adiectum eſt, neque minuitur, & non eget alicuius conſilio; Quàm deſiderabilia omnia opera eius, & tanquam ſcintilla, quæ eſt conſiderare! Omnia hæc viuunt, & manent in ſæculum, & in omni neceſſitate omnia obaudiunt ei, omnia duplicia vnum contra vnum, & non fecit quidquam deeſſe. Vniuſcuiuſque confirmauit bona. Et quis ſatiabitur videns gloriam eius: *inquit Eccleſiaſticus.*

Eccl. 42 v. 2. 22. 23. 24. 25.

3\. Verè magnalia ſapientiæ ſuæ decorauit omnipotens ſublimando humilem, & magnificando paruulum in oculis ſuis, vt coruſcaret ſignis & prodigiis, ac ſcintillaret lumine fidei, in ſpiſſa caligine, & cæcitate, in qua mancipia dæmonis addicta erroribus, à Principe errorum, & tenebrarum detinebantur captiua ad ipſius voluntatem: ſed miſericors Deus, cuius omnia iudicia in numero pondere & menſura ſunt, ſic ordinat ſimplicia, vt omnia etiam duplicia peruadat, & vnum vni admenſus, omniaque implens, & adimplens ex omnibus beneplacitum ſuum, nihil deeſſe, nihil redūdare faciat. Sic cōtra Magos & maleficos Pharaonis armauit & ornauit Moyſen: ſic contra Exod. 7.
Simonem Magum, Simonem Petrum Antagoniſtam dedit: ſic contra incantatores & Actor. 8.
præſtigatores in Hibernia, oppoſuit beneficum & ſalutiferum prædicatorem, qui virtute magna & poteſtate poſſet omnes munitiones contrarias euertere, & omnem altitudinem humiliare extollentem ſe aduerſus Orthodoxam veritatem.

4\. Et quia contra portentoſos tenebriones portentis & prodigiis decertandum, armiſque Dei potentibus contra ſpiritualia nequitiæ decernendum eſſe, Sapientiæ Chriſti viſum eſt, qui ipſe vincentem in ligno, è ligno quoque vincendum fuiſſe, ſtatuerat: ideo quem vita functum duxit beatificandum in gloria, eundem dum fide viueret illuſtrauit; Ita nimirum illuſtrauit ipſum, dum in vita hac fungeretur legatione pro Domino ſuo, alios ad fidem attrahendo, & reconciliando ima ſummis, vt non deeſſent ſigna præcipui amoris, locupletauit illum ſummis fauoribus, vt etiam in imo adhuc poſitum, & humi repentem domeſticum ſuum, ſed vi æternæ ordinationis deſcriptum ciuem cœli ſurſum, quamuis hoſpitem, & aduenam in terris deorſum; in laboribus eum honeſtaret, & ſignis compleret labores illius: vnde iam nemo miretur, indigne- Eſther 6.
tur nemo ſi Mardochæum ſuum Aſſuerus Rex veſtibus regiis indui iubeat, & im- 6. v. 8. 9.
poni ſuper equum, qui de ſella Regis ſit, & accipere regium diadema ſuper caput ſuum, & primus de regiis principibus ac tyrannis teneat equum eius, & per plateam ciuitatis incedens clamet, & dicat, Sic honorabitur, quemcunque voluerit rex honorare. Hinc verò eſt quòd Chriſtus Dominus ſuis, qui in eum credituri erant ſeruis, multa & præclara chariſmata à ſe præroganda promiſerit, quod de illis potiſſime verum eſſe debet quorum miniſterium in fide propaganda dignaretur adhibere, nempè qualia, ipſe dum inter homines homo degeret, diuina miracula patrauerat, talia quoque vel etiam maiora illos patraturos, dæmoniacos liberando, cæcos, claudos, debiles ſanando, mortuos reſuſcitando, & alia huius generis faciendo: neque enim mi-
nus admirabile eſt quod fecit Petrus Apoſtolus Chriſti dum voce ſua, ſed virtute Do- Actor. 9.
mini defunctam fœminam ſuſcitaret, dicens Tabitha ſurge, quam quod ipſe Chri- Luc. 7. v. 12.
ſtus appropinquans portæ ciuitatis Naim, & filius vnicus matris ſuæ ad ſepulturam efferebatur, poteſtate vocis ſuæ, non aliena virtute ſiſtens funereos portitores, & feralem loculum manu viuifica attingens, hanc vitæ ſententiam protuliſſet, Adoleſ-
cens tibi dico ſurge. Et quid minus fecit vmbra Petri perſonando languores omnes, Actor. 5.
quam fimbria Chriſti dum ſiſteret profluuium hæmorrhoiſſæ. Eadem vtrobique vir- Marc. 5.
tus operata eſt, ſed vni erat inſita à natura, & plenitudine propria: alteri ex munere, & dono ſuperno mutuata: vni ab intima origine profluens: alteri gratis data, &
ab extrinſeca ſcaturigine, Deſcendens deſurſum à Patre luminum, apud quem Iacob. 1.
non eſt tranſmutatio vel viciſſitudinis obumbratio. v. 17.

5\. Quando igitur in rebus geſtis Sanctorum mira & ſupra vires naturæ admiranda
nobis occurrunt, non illa debemus ſtatim adunco naſo irridere, aut ſubſannare addu- Sacrilegium aſfingere
cto ſupercilio, ſed magis in ſpecioſa iride laudare factorem eius; & omnipotentiam

Falſa miracula ſanctis.

conditoris omnium humilibus obſequiis venerari. Eſſet quidem illud grauiſſimum ſacrilegium & diuini nominis intoleranda blaſphemia ſanctis affingere quæ non fecerunt, quaſi Deus indigeret mendaciò noſtro; cum piaculum ſit valde enorme, inuenire falſum teſtem Dei, qui eſt fons veritatis & lucis, qui & ipſe eſt via, veritas, & vita. *Sed interim tamen ſi ſtupenda quædam reperiantur in ſacris ſcriptoribus, in Eccleſiaſticis Ritualibus, aut in approbatis & claſsicis auctoribus, quibus & fidem ipſorum integritas, & auctoritatem ſanctitas, & venerationem conciliauit antiquitas, ac recepta maiorum deuotiò neruos & robur ad pietatem addidit, non ſunt à Criticis noſtris nimium emunctæ naris hominibus regidè damnanda, quaſi illa fieri non potuerint virtute diuinitus communicata* Sanctis à Sancto Sãctorum, *cui fideliter illi deſeruierunt, & fidem quam docuit diſſeminârunt. A quo etiam vno & zelum prædicandi, & inſuper eandem confirmandi ſequentibus ſignis facultatem deſuper acceperunt: etenim* diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus; & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus; & diuiſiones operationum, idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus.

Critici miracula multa temere reijiciunt.

Et quia in illa tempora incidimus, in quibus abundat Criticorum turba, qui ſua importunitate ſatagunt faceſſere negotium temperatis ingeniis, & ſobriis mentibus eorum qui per ſe parati ſunt abſque anxietate aut ſubtili indagine amplecti deuotionem à maioribus per manus tranſmiſſam: ne illi nimium emungendo eliciant ſanguinem, aut nauſeam ingenerent his ingenuis ſectatoribus auitæ pietatis, quando ſtylo ferreo vellent in vngue adamantino, aut delendo eradere, aut carpendo erodere quæcunque ipſorum palato minus congruerent: aut certe conuiciis proſcindere auderent piè credentes, quidquid ipſi ſat ſuperque increduli Deo curſim non caperent; Idcirco viſum eſt pretium huius opellæ meæ, vt percurrendo vitam ſanctiſſimi præceptoris & Apoſtoli noſtri, elucidarem ſiquid obſcurum; ſiquid aſperum emollirem; ſiquid inuium aut inſuetum, obuijs & aſsuetis illuſtrarem; quo fieret, vt æquo Lectori appareat omnia hîc tradita poſse pia credulitate citra periculum recipi, quando illa quæ horridiuſcula, & maximè hiulca viſa ſunt, benignam admittunt interpretationem.

Horrid.

Prima Elucidatio in Cap. 27.

PRimum igitur quod de altaris tranſuectione vltra fretum Britannicum dicitur, magnam videtur habere admirationem: Et quo minor apparet miraculi neceſſitas, eo maior eſt mirandi procliuitas, vt prodigia quodammodo prodigantur, quando ſine graui cauſa, & veluti ad oſtentationem eduntur, ſed videamus quid de altaris enatatione, & leproſi in graui ac duro marmore transfretatione referat ipſe Iocelinus, qui cæterorum, quos videre mihi contigit, omnium optimè & accuratiſſimè conſcripſit, res à Sancto Patricio geſtas, in hunc modum recitat illam hiſtoriam.

Cap. 27. *Beatus Patricius iter accelerans verſus Hiberniam, cum in portu ſito in finibus Britanniæ cum ſuis transfretaturus conſcenderet, quidam leproſus littori adſtans ſe Sancto obtulit obſecrans in nomine Domini Ieſu quatenus ipſum in naui ſecum aſſumptum in Hiberniam tranſueheret. Vir Dei pietatis viſceribus affluens annuit precibus pauperis miſerandi: ſed nautæ contradicebant, & cæteri qui erant in naui, aſſerentes quòd nauis ſatis onuſta eſſet & ipſe foret omnibus oneri, & horrori. Sanctus de Dominicæ potentia clementiæ confidens, altare lapideum ſacratum à Domino Papa ſibi donatum, ſuper quod diuina myſteria celebrare conſueuerat, in pelagus proiecit, ac ſuper illud*

lud leproſum ſedere fecit. Sed horret animus, hæret ſtylus exprimere quod recidit diuinitus. Ta-
bula illa lapidea taliter farcinata ferebatur ſuper aquas regente illam lapide angulari, ac ſupra na-
turam natans, nauique collaterans cum ea concertabat pari curſu ſicque eodem momento in eodem
loco applicabatur litori. Applicatis itaque omnibus proſperè, inuentoque altari cum onere ſuo, ſo-
nat gratiarum actio, & vox laudis in ore ſancti Præſulis, exprobratque diſcipulis & ſociis incre-
dulitatem, & duritiam emollire moliens corda lapidea in carnea, ad exercenda opera charitatis.

Ad cuius tam ingentis miraculi commemorationem videns ſtupere ipſum ſcripto-
rem, animum exhorreſcere, & hebeſcere calamum: veruntamen aliud huic conſimile
prodigium ſiue de hoc ipſo, ſiue de altero aliquo altari refert in hæc verba idem Ioce-
linus. Cap. 55.

Sedit cordi Sancti Patricij Connactiam regionem viſitare, & præcipue propter oraculum ſibi 9.
quondam in ſomnus factum quo inuitaretur, ab infantibus vteris matrum illius regionis incluſis,
patriotis illis regnum Dei optabat euangelizare; propoſuit poſtea circuire totam inſulam & per-
ambulare, vt ad Chriſtum conuerteret eam. Sanctus ad iter procinctus Conallum chariſſimum
ſuum benedictione muniuit, & in ſui memoriam in ciuitate præſcripta, quaſi quoddam pignus
ſanctitatis ſuæ altare ſuum lapideum ad ſalutem languentibus conferendam ſignorum effectiuum
reliquit. Cumque iter arriperet, altare illud ſequens illum egrediebatur, nec alicuius hominis Dombnach pa-
oculis perceptibile fuit à quo portabatur, ſed (vt reor) eius potentia atque virtute lapis ille poſt draig. 1.
Patricium portabatur in via, cuius nutu de Iudæa in Chaldæam, tranſuectus, eſt Abacuc Prophe- ciuitas
ta; vt enim ille angularis, ſcilicet Chriſtus, cunctis oſtenderet Patricij ſanctitatem abſque hu- Patricij
mana manu ferri fecit illum ſanctum lapidem. Reſpiciens Antiſtes ſanctus altare modo tam mi- c. 54 Ioc.
raculoſo poſt ſe geſtari, exultabat in Domino, reuerſuſque collocauit illud in loco idoneo. Ab
illo ergo die vſque in præſens fixum perſtitit, ſed miraculis coruſcare non deſtitit, ac ſi virtus
Patricij manſiſſet in eo, aut manaſſet ex eo.

Vtraque ſanè vectura hæc, perquam miraculoſa extitit à natura vtique inſitum eſt 10.
corpori ponderoſo & graui deorſum ferri, quouſque in centro ſuo conquieſcat; eodem-
que modo leuibus innatum eſt ad natiuæ ſedis ſuperficiem eleuari: nec diſpari ratione
ingenitum eſt igni calefacere, & adurere materiam combuſtibilem de..... approxima-
tam: Et cum iſta ſit cauſarum naturalium indoles, quamuis à natura promanet, tamen
imperio & voluntati auctoris naturæ ſubeſt, & qui diſcretor eſt cogitationum cordis,
diſcerniculo ſuæ omnipotentiæ, diſcriminare poteſt à priori poſterius, cohibere poten-
tiam ab operatione, ſuſpendere, & ſeparare cauſam ab effectu, diſcludere Solem à radio,
fontem à riuulo, obiectum viſibile à ſpecie viſiua; ſicut in fornace Babylonis detinuit vi- Daniel 3.
ctricem flammam ab innato impetu, vt nihil poteſtatis habuerit in corporibus puero- v. 94.
rum, & capillus capitis eorum non eſſet aduſtus, etiam ſaraballa eorum non fuiſſent im-
mutata, & odor ignis non tranſiſſet per eos, obediuit ignis ad nutum Creatoris; quomo-
do etiam liquidum aquæ elementum, quod natura ſua fluidum eſt, ad greſſus Domina- Matt. 14.
toris omnium, ne fluitando ſubſideret, expauebat; dum Spirituum ponderator ..... am-
bulat ſuper pennas ventorũ, tametſi deorſum à natura, premente corporea mole, ambu-
laret ſuper mare, & vndarum culmina, non ſecus ac marmorea teſſellati operis pauimẽta
calcaret; pari ratione ne magnitudo dimenſiua penetrationi dimenſionum obſiſteret,
clauſtrum virginale integrum, obſignatum ſepulchri lapidem, & occluſæ domus ianuam
idem Dominus, cui ſemper cum voluerit ſubeſt poſſe, inoffensè permeauit: & quod ſuæ
virtuti proprium erat, non eſt dedignatus aliquandò alijs benigna ſui diffuſione commu-
nicare ſic D. Petro gradiendi ſuper vndoſa pelagi fluenta; ſic D. Franciſco de Paula, S.
Raimundo de Pennaforti, aliiſque Sanctis ſuis pro ſuo conceſſit beneplacito; ſic Elizæo Matt. 14.
Prophetæ datum fuit, vt ferrum è fundo ad odorem ligni faceret inſtar ſuberis
ad ſuperficiem natare; quaſi immemor natura ſui potentiæ conditoris ſubſternere ſci-
ret potentiam ſuam obedientialem; ita olim radij ſolares ſine alio fulcimine in aëre li-
brarunt perplutam chlamydem Brigidæ virginis, nec impoſito ponderi ſuccumbendo 4 Reg. 6.
cedebant, vt cederent factoris voluntati. Ita voluit ille ſanctitatem famulæ ſuæ illu-
ſtrare, quemadmodum & alibi Goarem Preſbiterũ ſanctiſſimum, & Florentium Epiſ-
copum Argentineſem ſimili miraculo condecorauit: quid verò magis ſtupendum, quàm Vide Su-
quod de petra, quæ tangente Moyſe, aquam contradictionis emiſit ſitienti populo ſa- rium in

vita cor. & Simonē Maiol. Coll 7.

tiando eundem per deſerti manſiones, & diuerticula conſequente, & liquorum quorumlibet appetitum ſedante à fide digno aſſertore D. Thoma Aquinate perhibentur in comment. 1. Corint. c. 10. lect. 1.

Ita ſentit Paraphr. Chald. c. 21. quem alij ſequũtur, vt refert. Cor. à lapide.

11. Nec iſta quantumuis prodigioſa nobis prodige, aut fruſtra ab eo fieri putanda, qui omnia ponderans in ſtatera iudicij ſui, ſcit omnibus ſe attemperare, & pro tempore, loco, & perſonis, etiam pullis coruorum ſe inuocantibus adeſt. Et ſicut in operibus naturæ non reſpuit conſortium cauſarum naturalium, ſed eas regit, mouet & accommodat ad fines ſuos, virtutemque, quam indidit, conſeruat, & adminiſtrat: ita etiam in mirabilibus ſupra naturam edendis cum ordinem & curſu ſecundarum cauſarum deſpoticè ſupergreditur miniſterio, creaturarum ſubinde vtitur, ac præſertim Angelorum. (Quippè cum ſint omnes adminiſtratorij Spiritus) & per intelligentias creatas exequitur quædã, quæ intellectu increato ſuo iuxta conditiones & circunſtantias diuinæ ſuæ prouidentiæ præordinatas decreuerat exequenda, vt cum pluribus ea modis efficere potuerit vnum præ cæteris prælegerit.

12. Atque ita cum nobis compertum ſit, vel ſe ſolo, & immediatè, vel mediante Angelo, potuiſſe illum altare iſtud S. Patricij cum onere ſuo tranſuehere per immenſum Oceani ſinum, tamen incompertum eſt, an iſto, vel illo modo id ſibi faciendum duxerit, tametſi probabilius videatur, & ſuaui diſpoſitioni Dei magis conſentaneum, ſacratam aram leproſi Vehiculum Angelo ſubuehente ad litus appuliſſe. quippe hi tutelares Spiritus cum deputentur diuino nutu, alij nationibus & populis; alij regionibus eſt regnis, vt præſideant & aſſiſtant iiſdem; alij etiam ad particularium perſonarum cuſtodiam, eodem Domino ordinante, aſſignentur, etiam locis & rebus Deo ſacratis libenter adsũt, præſertim verò ſacris altaribus ad obſequium & cultum Dei, atque ad vſum tremendi illius ſacrificij, in cuius conſpectu angelica celſitudo ſe inclinat, deſtinatis & ſanctificatis aſſiſtentiam & obſeruantiam exhibent mirabilem.

Vide etiã Lypoman tom. 5 ad c. 196. Sophron. & Maiol. Coll. 18.

13. Id quod ita eſſe colligimus ex illa Sophronij hiſtoria, quæ refertur in eius prato ſpirituali: Cum enim Abbas Barnabas iuxta Iordanem eximiæ ſanctitatis vitam degeret, etiam altare erexerat, & facultate ſibi tradita conſecrârat in ſpelunca ſua; ipſo poſtmodum inde migrante, Anachoreta quidam ſubingreſſus vidit Angelum Dei ſtantem ſuper illud: cui percunctanti quid illic ageret, ita reſpondit Angelus. Ex quo iſta conſecrata ſunt à Deo ipſo mihi credita ſunt. Vt hinc appareat loco, & lapidi ſacro diuina ordinatione adſcriptum fuiſſe cuſtodem & tutorem.

14. Cuiuſmodi cuſtodiam & tutelam fuiſſe diuinitus adhibitam altari, de quo loquimur, eò proniores ſumus, vt exiſtimemus, dum conſideramus à quo conſecratum: nempe à Cæleſtino ſanctiſſimo Pontifice Chriſti in terris vicario: cui traditum? nempe Sancto Patricio viro, ſanctitate, iuſtitia, ſignis, etiam & operibus mirifico, in quem vſum traditum & conſecratum; nempe, vt eſſet myrothecium cœleſtium odoramentorum, pro immolando iugi ſacrificio, pro ſanitatum operatione, pro manifeſtatione diuinæ virtutis, ad gentem aſperam & præfactam Chriſti iugo ſubiiciendam. Atque hæc ſuffecerint modo, ad oſtenſionem & explanationem miraculoſæ illius tranſuectionis, ne ludibrio ſit aut ſubſannationi Criticis noſtris hiſtoria fideliter ſcripta, & piè à ſimplicibus credita.

Secunda Elucidatio in Cap. 2.

15. *QVidã vir Gormas nomine ex matris vtero cæcitatis carcere dãnatus, audiuit in ſõnis vocem præcipientem ſibi, vt pueri Patricij recenter baptizati apprehenſa dextera, ſignũ crucis humo imprimeret: adijcientem, quod ad illius tactũ noui fontis ſcaturitio erumperet, cuius latice ſi oculorum orbes irrigaſſet, conſequenter viſum reciperet. Diuino itaque edoctus oraculo, ad paruulũ cæcus acceſſit, illius dextera ſignaculũ crucis humo impreſſit, & cõtinuo in eodem loco fons nouus erũpens emanauit. Ex eiuſdem itaq; aquæ ſalutari liquore funeratæ frontis orbes irrigatis, infuſum ſenſere diem, ac quaſi Siloë iteratam virtutem. Et vt multiplicius cõfiterẽtur Domino miſericordiæ eius & mirabilia eius filijs hominũ, dum exterius exterſa caligine*

cæcus

cætus illuminatur, interiores obtutus reuelati dono ſcientiæ illuſtrantur: & qui nunquam cognouit literaturam expertus potentias Domini legebat & intelligebat ſcripturam; ſicut ergo exteriori beneficio effectus fuerat videns de cæco, ſic interiori gratia literatus de laico.

16. Sacrilegium eſſet graui ſupplicio expiandum, ſi quis ſciens & prudens inſereret diuinis tractationibus vana hominum figmenta & fabulas: Nam teſtimonium dicunt aduerſus Deum qui fingunt falſa myſteria, vel affingunt adulterina miracula, etiam veritati confirmandæ. Et cum mirabiliarijs iſtis Hæreticis, quos merito redarguit D. Auguſtinus, relinquamus vana figmenta & fabulas viſionum, tametſi non ſint omnia amplectenda vt ſacra, quæ de viris etiam ſacratis vulgò circumferuntur; tamen non debemus omnia aſpernari, quæ ſuperant communem captum ceu friuola & inania, quandoquidem miraculorum operatio, propria ſit dialectus, & genuinum ipſius Dei idioma, quo arcana ſua pandit hominibus, & imprimit eorum mentibus credenda atque tenenda.

Graue crimen falſa miracula ſanctis adſcribere.

Tract. 13. in Ioan.

17. Non eſt negandum circumforaneos quoſdam cauteriatæ conſcientiæ homines, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſionem ipſorum, laruantes pietatem ad quæſtum, venditare quandoque vana ſpectra. & deuotis, ſimplicium animulis vendere inania ſimulacra deuotionis vnde turpiter & impiè cōquirāt, quod abdāt infœlicibus abſumēda hæredibus, vel ipſi indulgentes abdomini ſuo per libidinem & luxum abliguriant. Contra quorum improbitatem & nequitiam, multa meritò ſancita ſunt ſacris canonibus & Pontificum decretis, vt per Eccleſiaſticam poteſtatem debitis pœnis coërceantur.

Qui ſolēt miracula affingere.

18. Sed quemadmodum in hiſtorijs profanis, annales ſecernimus ab anilibus commentis, nec ideo omnia reſpuimus, quia quoſdam ſcimus quædam comminiſci: Ita in Eccleſiaſticis narrationibus, tametſi farinæ interſperſi ſunt furfures aliquando per quoſdam furciferos nugiuendios; non propterea tamen omnia reijcienda erunt, ſed delectus habendus, & probandi Spiritus ſi ex Deo ſint; & ſana quæ fuerint ac ſyncera grana, à ſtramine, palea & eroſis cicerculis per ventilabrum recti iudicij ſeparanda erunt; vt caſca putamina in ſterquilinium proijciantur; triticum verò in horreum Domini recondatur.

19. In capite præcitato continentur duo miracula; vnum de emanatione fontis è terra ſicca, crucis ſigno conſignata; alterum de cæco illuminato per aquam ex eodem fonte adhibitam; quibus & tertium adijcitur eundem cæcum tunc recepiſſe legendi artem, cuius antea inſcius erat. Tribus igitur miraculis nobilitatur ille dies, in quo Sanctus Patricius in Chriſto fuit regeneratus, fœlici admodum præſagio: aliquando fore vt ille quamplurimos eductus eſſet è tenebris idololatriæ, & cæcitate infidelitatis ad veram fidē & doctrinam Chriſti, & ab eo ſic illuminati ac renati fonte Baptiſmatis non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus inſcriptam digito Dei legem ipſius legerent, intelligerent & obuijs vlnis amplecterentur, antea repudiatis priſtinis erroribus, quibus ad voluntatem principis tenebrarum captiui tenebantur.

Tria miracula patrata in natiuitate S. Patricij.

Cuius rei præſagia erant iſta miracula.

20. In ſigno crucis & virtute crucifixi hoc factum eſt, & antequam fieret, ominoſis indicijs, & ſignis ſanitatum operante diuino Spiritu, præmonſtratum fuit; Vt nobis fas eſſe videatur vſurpare de manu huius Apoſtolici infantis verba quæ D. Chryſoſtomus de manu & vmbra ipſius Apoſtoli vſurpauit.

21. *Videre erat luteam manum Dæmonibus imperantem: videre erat luteam manum morbos ſanantem: imo vero non manum tantum luteam videre erat, ſed quod multo mirabilius erat, luteorum corporum vmbras, & mortem, & incorporeas poteſtates, Dæmones inquam, ſuperantes. Nam quemadmodū apparente Sole, tenebræ diſcutiuntur, feræ latibula ſua ingrediuntur, homicidæ latrones, & tumulorum prædones ad vertices montium recurrunt: Sic apparente, vocemque mittente Petro, erroris tenebræ diſcutiebantur, recedebat Diabolus, fugiebant Dæmones, corporum morbi tollebantur, animarum ægritudines ſanabantur, malitia omnis arcebatur, in terras virtus reducebatur.*

Chryſoſt. ſerm. 2. de pentec.

22. Quod ille aureus Prædicator dixerat de Principe Apoſtolorum diuinitus ordinato, liceat ſuo quodam modo accommodare ad Apoſtolicum primipilarem præordinatum à Deo viuo & vero, verbi ſui præconem, eiuſdem Principis auctoramento & ſub ijſdem ſignis militaturum.

23. Sed ex magno diſcrimine, quod inter vtrumque reperitur, difficultas naſcitur, & merito conſiderandus ſcrupulus. Nam vltra hoc quod D. Petrus eſſet in Chriſto regenitus, & virtute ex alto indutus, erat etiam anteſignanus agminis & chori Apoſtolorum Cory-

An ante baptiſmũ S. Patricij illa miracula ſint facta.

phæus; Patricius verò de grege vnus: necdum militari ſacramento ad iſtam militiam Chriſtianam videtur obſtrictus. Neque enim apparet ex Antiphona tertia veſpertina officij S. Patricij aut ex tertio reſponſorio primi nocturni adhuc initiatum aut renatum fuiſſe, cum iſta miracula contigerunt. Sic enim in Antiphona legitur. *Signo crucis edito fons per Chriſti numen manat; quo dat conciſo cæco nato lumen.* Ita etiam in dicto reſponſorio habetur. *Dum baptizandus cuidam cæco venerabilis puer traderetur, Trino miraculo futurus ſanctæ Trinitatis ſeruus declaratur: Aridamque terra manu pueri ſignata protulit fontem, quo cæcus lota facie lumen & legendi artem recepit.*

Ex quibus verbis videtur inferri poſſe nondũ puero regenerato patrata fuiſſe illa ſigna. 24.

Sed his non obſtantibus, vt antiquitati ſuam deferamus reuerentiam, ne prudentes apud noſmetipſos & noſtris maioribus ſapientiores eſſe videamur, dici fortaſſe poterit non improbabiliter, iſta non aliter tunc accidiſſe, quam quæ alibi reperimus à ſanctiſſimis & ſpectatiſſimæ fidei ſcriptoribus commemorata Dei magnalia, quæ in hoc ſacro ſignaculo ad honorem Chriſti edita ſunt, ipſis etiamnum inimicis Chriſti mediantibus.

Signo S. Crucis edito Iulianus Apoſtata Dæmones fugat.

Etenim quis vnquam ſæuior Chriſti hoſtis, & fidei Chriſtianæ inſectator, quàm Iulianus Apoſtata: Rei & nomini Chriſtiano renunciauit, eiuſdemque profeſſioni bellum denunciauit: Dæmonum cultui & inuocationi ſe deuouit, ac præſtigijs magicarum incantationum ſe totum dedidit. Dumque his maniacis ac demoniacis impoſturis operam daret, exterritus aſpectu horribilium lemurum, vbi ſe crucis ſigno muniuit, ex conſuetudine, quam inter Chriſtianos olim Chriſtianus ipſe imbiberat, aufugerunt tenebricolæ iſti ſpiritus, non ferentes memoriam trophæi de ipſis dudum reportati. 25.

Impoſtorem.

** Ironicè.*

Verba referam ipſius D. Gregorij Nazianzeni hiſtoriam hanc enarrantis in prima ſua aduerſus Iulianum oratione. *Quod à pluribus commemoratur nec à fide* (inquit) *alienum eſt, oratione perſequar: Deſcendebat in quoddam adytum pleriſque inacceſſum & horrendum (quemadmodum vtinam in infernum quoque priuſquam in huiuſmodi ſcelera proruperet) comitem eum habens, qui multis adytis dignus erat, hoc eſt hominem in huiuſmodi rebus ſapientem, vel potius * Sophiſtam, Nam hoc quoque apud iſtos diuinationis genus eſt, vt in caliginoſo quodam ſpecu ſubterraneis dæmonibus ob res futuras congrediantur, ſiue quia tenebris magis oblectantur (vt qui ipſi tenebræ quoque ſint & tenebrarum vitij artifices) ſiue quia iſtorum hominum, qui in terra ſunt, ſocietatem & congreſſum fugiunt, ex vſque infirmiores redduntur. Vt autem egregium virum progredientem terrores adoriri cœperunt, ac ſubinde plures & formidabiliores (ſonos quoſdam inſuetos aiunt, tetroſque odores, atque ignea ſpectra, & neſcio quas nugas & deliramenta) rei nouitate perculſus (harum enim rerum ſtudium ſerò amplexus fuerat) ad crucem, vetuſque remedium confugit, hocque ſe aduerſus terrores conſignat, eumque quem perſequebatur opitulatorem aſciſcit, Ac quæ ſequuntur magis tremenda; valuit ſignaculum, cadunt Dæmones, pelluntur timores; Quid deindè? Reſpirat malum: rurſus audaciam concipit, rurſus aggreditur, rurſus ijdem terrores vrgent; rurſus ſignum adhibetur, ac Dæmones cõquieſcũt. Atque conſilij inopia laborat diſcipulus: ſacrorum Antiſtes, ipſius lateri hærens, veritatem ſiniſtrè interpretatur; Abominationi illis fuimus dicens non terrori; vincit quod peius eſt. His enim verbis diſcipulum permouet, ac permotum ad exitij voraginem ducit. Nec mirum videri hoc debet. Improbus. n. promptius ac libentius malum ſequitur, quam à bono cohibetur.*] 26.

Iudæus ſignaculo crucis ſignatus à Dæmonibus non tangitur.

Eſt & aliud non abſimile miraculum de Iudæo ſe ſignante, cuius inti[...]u teſſeræ, Dæmonum caterua exhorruit, & ſe confeſtim è loco ſubduxit. Hiſtoriam f[a]cti latè commemorat. D. Gregorius Magnus l. 3. Dialogorum c. 7. quam, quia memoratu digna eſt, multiſque vſibus ſeruire poteſt, totidem verbis hîc referam. 27.

Quadam die Iudæus quidam ex Campaniæ partibus Romam veniens Appiæ carpebat iter, qui ad fundanũ cliuum perueniens, cum iam diem veſperaſcere cerneret, & quo declinare poſſet minime reperiret, iuxta Apollinis templum fuit; ibique ad manendum ſe contulit. Qui ipſum loci illius ſacrilegium pertimeſcens, quamuis fidem crucis minime haberet, ſigno tamen ſe crucis munire curauit. Nocte autem media, ipſo ſolitudinis pauore, turbatus peruigil iacebat, & repente conſpiciẽs vidit malignorum ſpirituum turbam, quaſi in obſequiũ cuiuſdam poteſtatis præire, eum vero qui cæteris præerat, in eiuſdem gremio loci conſediſſe: qui cœpit ſingulorum ſpirituum obſequentium ſibi cauſas actuſque diſcutere, quatenus vnuſquiſque quantum nequitiæ geſſiſſet, inueniret: Cumque ſinguli ſpiritus ad inquiſitionem eius exponerent, quid operati contra bonos fuiſ-

ſent

ſent vnus in medium proſilyt, qui in Andreæ Epiſcopi animum per ſpeciem ſanctimonialis fœminæ, quæ in Epiſcopio eius habitabat, quandam tentationem carnis cõmiſiſſet, aperuit. Cum vero hoc malignus, qui præerat, ſpiritus inhianter audiret, & tanto ſibi factum lucrum grande crederet, quanto ſanctioris viri animam ad lapſum perditionis inclinaret ille ſpiritus, qui hæc eadem fatebatur, adiunxit: quia vſque adhuc, quoque die præterito, veſpertina hora eius mentẽ traxerit, vt in terga ſanctimonialis fœminæ blandiens alapam daret. Tunc malignus ſpiritus atque humani generis antiquus inimicus exhortatus hunc blande eſt, vt perficeret quod cœpiſſet, quatenus ruinæ illius ſingularem inter cæteros palmam teneret; Quumque Iudæus, qui aduenerat hoc vigilans cerneret, & magna formidinis anxietate palpitaret ab eodem ſpiritu, qui cunctis illic ſequentibus præerat, iuſſum eſt, vt requirerent, quiſnam eſſet ille, qui iacere in templo eodem præſumpſiſſet. Quem maligni ſpiritus pergentes, & ſubtilius intuentes, crucis myſterio ſignatum viderunt, mirantes dixerunt, væ, væ, vas vacuum & ſignatum. Quibus hoc renunciantibus cuncta illa malignorum ſpirituum turba diſparuit. Iudæus vero, qui hæc viderat, illico ſurrexit atque ad Epiſcopum ſub feſtinatione peruenit. Quem in Eccleſia ſua reperiens, ſeorſum tulit, qua tentatione vrgeretur, inquiſiuit. Cui confiteri Epiſcopus tentationem ſuam verecundatus noluit. Cum vero ille diceret quod in illa tali Dei famula praui amoris oculos iniecisset, atque adhuc Epiſcopus negaret, adiunxit, dicens; quare negas quod inquireris, qui adhuc vſque veſpere heſterno perductus es, vt poſteriora illius alapa ferires. Ad quæ nimirũ verba, deprehenſum ſe Epiſcopus intuens, humiliter confeſſus eſt quod prius pertinaciter negauit: cuius ruinæ & verecundiæ idem Iudæus conſulens qualiter hoc cognouiſſet, vel quæ in conuentu malignorum ſpirituum de eo audiuiſſet indicauit. Quod ille agnoſcens, ſe ad terram protinus in orationem dedit. Moxque de ſuo habitaculo non ſolum eandem Dei famulam, ſed omnem quoque fœminam, quæ in eius illic obſequio habitabat expulit: in eodem vero templo Apollinis Beati Andreæ Apoſtoli repente oratoriũ fecit, atque omni illa tentatione carnis funditus caruit: Iudæum, verò cuius viſione, atque increpatione ſaluatus eſt, ad æternam ſalutem traxit. Nam Sacramentis fidei imbutum, atque aqua baptiſmatis emundatum ad ſanctæ Eccleſiæ gremium perduxit. Sicque factum eſt, vt Hebræus idem dum ſaluti alienæ conſulit, perueniret ad ſuam, & omnipotens Deus inde alterum ad bonam vitam perduceret, vnde in bona vita alterum cuſtodiſſet.

28. Huic igitur veritati & virtuti, crucis adſtipulante vtroque Gregorio, id eſt, Latina pariter & Græcanica Eccleſia, quis ibit inficias, etiam ſine opere operantis ex ipſo veluti opere operato, trophæum ſacri ſignaculi ſignis & prodigijs cæleſtibus honorari, etiam cum ab hoſte ipſo erigitur ſine vlla fidè in Chriſtum quemadmodum in adductis exemplis apparuit ſemel ab Apoſtata fidei Chriſtianæ, iterumque à Iudæo eiuſdem fidei aduerſario, factum vtraque vero vice in memoriam, & honorem Chriſti celebratum, & miraculis nobilitatum fuiſſe conſtat.

L. 83. 99. q. 79.

29. *Nec mirum eſt*, inquit D. Auguſtinus loquens ad hoc propoſitum, *quod hæc ſigna valent, cum à bonis Chriſtianis adhibentur, quando etiam tum vſurpantur ab extraneis, qui omnino ſuum nomen ad iſtam militiam non dederunt ad honorem excellentiſſimi Imperatoris valent. Cum autem non cedunt his ſignis huiuſmodi poteſtates, Deus ipſe prohibet occultis modis, cum id iuſtum, atque vtile iudicat. Nam nullo modo vlli ſpiritus audent hoc ſignũ contemnere. Contremiſcunt hæc vbicunque illa perſpexerint.*] Itaque ex inſtituto Dei, tametſi non ſemper cum æquali effectu infallibili cedunt aduerſæ poteſtates imperio ſummi Regis, & crucis tanquam ſceptro eius, vel inuiti ſe inclinant.

Quare aliquando Dæmones non cedũt ſigno crucis.

Primus effectus ſigni crucis.

30. Notant autem Theologi tres mirificos effectus huius venerandi ſceptri & admirandi ſignaculi. Primus eſt quod rebus, quibus imprimitur, vim quandam ſanctificationis infundit. Vndè idem alibi B. Auguſtinus dicit. *Quid eſt, quod omnes nouerunt ſignum Chriſti, niſi crux Chriſti? quod ſignum niſi adhibeatur ſiue frontibus credentium, ſiue ipſi aquæ, qua regenerantur, ſiue oleo, quo Chriſmate inunguntur, ſiue ſacrificio, quo aluntur, nihil eorum rite perficitur.* Atque ideo D. Baſilius inter primas traditiones ab Apoſtolis receptas ponit ſignare ſe ligno crucis, & D. Baſilio antiquior Tertullianus, *Ad omnem*, inquit, *progreſſum, atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum, ad calceatum, ad lauachra, ad menſas, ad limina, ad cubicula, ad ſedilia, quãdocunq; nos cõuerſatio exercet frontẽ crucis ſignaculo terimus.*]

Tract. 118 in Ioan.
Li. de ſpiritu ſancto c. 27.
L. de coro. mil.
Signaculo crucis ſe munire, eſt Apoſtolica traditio.

31. Secundus effectus eſt pellendi morbos & alia mala, ac ſanitatem conferendi. Ita Victor Vticenſis refert ab Eugenio Epiſcopo cæcum illuminatum ſolo crucis ſigno. Sic in

Secundus effectus.

Lib. 2. de vſun. Vvandal.

vita S. Apbraatis, S. Macedonij, & aliorum eodem ſigno varios morbos curatos ſcribit
Theodoretus, vide eundem l. 5. hiſt. c. 21. D. Athanaſiũ in vita Antonii. D. Hieronymum
in vitis Pauli primi Eremitæ, & Hilarionis. Palladium paſſim in hiſtor. Lauſiaca. Sulpi-
tium in vita B. Martini. Niſſenum in vita Greg. Thaumat. vt omittam recentiores de
ſancto Franciſco, Dominico, Bernardo, Benedicto, & aliis.

3. effectus.

Tertius effectus eſt terendi & fugandi Dæmones, idque fit tripliciter. Primò, vel ex
inſtituto Dei, & opere operato, non tamen vſquequaque infallibiliter, aut cum æquali 32.
manifeſtatione virtutis. Secundò, ex deuotione hominis & opere operantis, cum ſit ta-
cita quædam oratio & inuocatio meritorum Chriſti expreſſa ſigno crucifixi. Tertiò, ex

Cur ſigno crucis Dæmones fugantur.

apprebenſione Dæmonis, qui viſo charactere crucis confeſtim recordatur, ſe victum &
ſpoliatum fuiſſe illa armatura, atque ita non ſecus timet crucem, qua fuit debilitata eius
poteſtas, quàm canis fugit virgam, vel baculum, quo paulo ante ſe percuſſum meminit.
Atque idcirco in odium & execrationem huius ſigni Sagos & Magos, quum tartareis ſa-
cris initiantur ſibi pro tribunali ſedenti obligat Cacodæmon ſacramento damnabili co-
ram teſtibus, quod crucem Domini conculcabunt. quia ſigno crucis omnia Magica

L. de incarn. Domini & ſalut. eius aduent.

compeſcuntur, & veneficia inefficacia fiunt, teſte D. Athanaſio. *Veniat* (inquit ille) *qui
iſtorum dictorum experimentum capere velit, & in ipſis præſtigiis Dæmonum, & impoſturis
vaticiniorum, & in miraculis Magiæ, vtatur ſigno crucis ab ipſis deriſo, nomenque Chriſti in-
uocet, & videbit quomodo eius rei metu Dæmones fugiant, vaticinia conquieſcant, Magiæ &
veneficia iaceant.*]

Quæ omnia de virtute crucis eò volui referre: primùm, vt intelligeremus abſurdita- 33.
tem ſectariorum huius æui, qui characterem crucis ita execrantur, vt nec in Baptiſmo, nec
in alio quocunque ritu citra ſuperſtitionem adhiberi illum poſſe proclament. Deinde vt
tergeminum miraculum producti fontis, abſterſæ caliginis oculorum, & inditæ peritiæ
in mentem idiotæ per ablutionem aquæ, quam elicuit è terra crux ſignata manu infan-
tis, vt in capite citato commemoratur in præſagium acciperemus refulſuræ poſtmodum

Præſagiũ.

ſanctitatis, & mirificæ virtutis, qua noſter Sanctus Pater & Patronus triplicatam illam
operandi vim, qua ſolet reſplendere crux viuifica, ſiue permanenter expreſſa, ſiue im-
preſſa tranſeunter, exeruit in primo veſtibulo originis & ortus ſui auferendo inſcitiam
ex animo, conferendo ſanitatem corpori, & eruendo è ſituloſa humo liquorem ſalutife-
rum & aptum vtrique effectui conſequendo. Vt ſi illa oculorum caligo vera, & ingeni-
ta cæcitas fuerit, tunc curatio prorſus ſupra naturam fuit; ſin autem ex illo, genere mor-
borum curabilium fuerit, de quo medicorum varia eſſent placita, quomodo olim de

Veſpaſianus cæcũ & claudũ ſanat. Sueton. in Veſpaſian. Tacit. lib. 4. hiſtor.

cæco illo, quem perhibent ſanatum à Veſpaſiano Imperatore, de quo refert Tacitus Me-
dicos varie diſſeruiſſe, non exeſam vim luminis, & redituram ſi pellantur obſtantia: ſi-
cut & claudo, quem itidem ſanauit, elapſos in prauum artus, ſi ſalubris vis adhiberetur
potuiſſe integrari; non eſt negandum, quin iſta tam repentina ſanatio per nudam ablu-
tionem & applicationem frigidæ, ſi non in re, ſaltem in modo miraculoſa fuerit, atque
ipſa tam integra tam incunctanter ſecuta ſanitatis reſtitutio, & viſiuæ facultatis redinte-
gratio limites naturæ exceſſerit. Sin denique ex præſtigiis Diaboli inducta fuerit tam

Illuminatio cæci miraculoſa ſaltem in modo. Apologet. cap. 22.

denſa nebula, quæ ſuffuderit pupillam oculorum huius cæci à S. Patricio ſanati, quem-
admodum, referente Tertulliano, credibile eſt cæcum illum & claudum Veſpaſiano inſi-
dente Diabolo in oculo vnius, & alterius tibia impeditum fuiſſe ab vſu membrorum,
tunc dicendum erit neceſſe habuiſſe iſtum præſtigiatorem, vel inuitum cedere ſceptro
ſummi Imperatoris, ſiue ex terrore & apprehenſione viuifici characteris cum fluore in-
de ſecuto: ſiue ex inſtituto Dei, & opere operato, ſiue ex opere operantis, & deuotione
ipſius cæci, & interna eius fide ac fiducia, & meritorum crucifixi inuocatione, quam
ſigno crucis expreſſit, crucis, inquam, ſuo ipſius ductu, ſed infantili auſpicio impreſſæ.

Multa his ſimilia oſtenta præbet, quando & vbi vult Deus, in oſtenſionem & indicium 34.
futuræ ſanctitatis & eminentiæ ſeruorum ſuorum. Ita refertur de Sancto Suiberto Ver-

Fulgor replet locũ natiuitatis S. Suiberti.

denſi Epiſcopo, quod cum naſceretur è clariſſima genitrice & Comitiſſa Berta totam re-
galem cameram fulgor nimius repleuit, manſitque irreuerberatis radiis protenſus, do-
nec ipſe in lucem editus eſſet (Marcellinus in eius vita) quem multi exiſtimant noſtra-
tem fuiſſe, aut certè à noſtratibus ſaltem educatum. De noſtro quoque Columbano

Abbate

Abbate Ionas teſtatur, & ipſe [a] Abbas, grauidã matrem in ſomnis vidiſſe noctu rutilantem Solem, nimioque fulgore micantem procedere, & mundo ingens lumen præbere, nimirum hic Sanctus in Eccleſia Dei, quaſi ſol ſplenduit. Et Hortulana Sanctæ Claræ mater, partui vicina orans coram crucifixo, audiuit vocem huiuſmodi. Ne paueas mulier, quia lumen paries, quod mundum clarius illuſtrabit, quo edocta miraculo natam infantulam in Baptiſmo [b] Claram vocari iuſſit. Et Sãctus [c] Thomas de Aquino adhuc infans chartam verſans, imo comedens ſignificabat quàm foret ſtudioſus adultior. Virorum vtique & fœminarum illuſtrium vita & facinora oſtentis & præſagiis ſæpe ſunt prænunciata. Quod de Chriſtianis & Sanctis non debet videri extraneum, quando etiam in Paganis & reprobis aliquid ſimile reperiatur. [d] Ita Socrates vidit per ſomnum oloris pullum ſibi in gremio plumeſcere, qui continuò exortis alis in altum euolans ſuauiſſimos cantus edidit. Hic ſcilicet erat Plato Socratis Diſcipulus, ſapientia & facundia pollens, quem poſtridie pater illi commendauit. Gemelli etiam [e] Iacob, & Eſau inuicem ſe trudebant & coarctabãt, dum vterque geſtit, & nititur prior exire è matris vtero, vt naſci poſſit primogenitus. Hoc autem certamen, inquit Corncliu C. non vi naturæ, ſed Dei nutu factum eſt ad præſagium, quod illi inter ſe de primogenitura & primatu colluctaturi erant: Vndè Iacob tenuit plantam Eſau, quaſi eum ſupplantare volens. De Sancto etiam [f] Benedicto Monachorũ Patriarcha referunt hiſtoriæ, exauditum fuiſſe è ventre matris ſuæ cantare Deo laudes, vt ex Chron. gener. Ordin. & Bonifacio Simoneta citat, & ſequitur frater [g] Antonius Daza Chroniſta Ordinis Frãciſcani in vita B. Ioãnæ de la Cruz. Et de Sancto Stephano Dienſi Epiſcopo, vna ſolummodo vice diebus veneris infantem lactare ſolitum ille idem ex [h] Surio commemorat. Quod etiam de Sancto Nicolao Epiſcopo perhibet Breuiarium Romanum cum reliquos dies frequens ſugeret lac nutricis quarta & ſexta feria ſemel duntaxat, idque veſperi ſugere conſueuiſſe. Non quod ratione præditi hi tunc fuiſſent, ſed in oſtenſionem & præludium futuræ ſanctitatis, qua diuinitus mirificandi erant.

a Mater S. Columbæ nondũ ipſũ vtero geſtat, videt Solem noctu ſplendeſcere.
b S. Clar.
c S. Tho. Aquinatis Doctrina ſignis prænunciatur.
d Laert. in Platone viſio Socratis.
e Gen. 25. Iacob & Eſau.
f S. Bened. ex ventre matris audiitur laudes Deo cantare.
g Chron. gen. tom. 1. Centur. 1. c. 1.
h Simon. l. 4 Epiſt. pag. 68.
i to. 5. die 7. Septẽb.
S. Nicol.

35. Idemque eſt iudicium de Sancto Patricio adhuc infantulo, qui ſi nondum Baptizatus, ſed vt reſponſorij verba præ ſe ferunt, Baptizandus ſignauit humum, ducente eius manum ipſo cæco, iam conati ſumus elucidare, quo id pacto fieri potuerit abſque vllo abſurdo vel inconuenienti.

36. Hæc tamen ipſum credibilius videri queat, ſi cum aliis, qui vitam ſancti huius conſcripſere accipiamus iſta miracula contigiſſe poſt regenerationem infantuli, hoc nimirum ſenſu, quod illo nondum renato præceſſerit reuelatio facta cæco, qua cælitus declaratum fuit, quàm eximius eſſet in ſanctitate futurus, & ſignis mox ſecuturis eius Baptiſmum, id clarius conſtitutum. quam ſententiam Iocelinus ſuprà, quem iam elucidare conamur, expreſſe tradit, his verbis.

Quidam vir Gormas nomine, ex matris vtero, cæcitatis carcere damnatus, audiuit in ſomnis vocem præcipientem ſibi, vt pueri Patricij recenter Baptizati, apprehenſa dextera, ſignum crucis humo imprimeret, &c.

37. *Sicut ergo exteriori beneficio effectus fuerat videns de cæco. ſic interiori gratia literatus de laico, &c.*] Hoc donum legendi & intelligendi ſcripturam, nullo præcedente magiſterio, aliis antehac temporibus à Deo conceſſum, ſcribunt Eccleſiaſtici tractatores, vt de S. Antonio cum ſcribat D. Athanaſius non ſe literis erudiri paſſum; tamen tanta polluiſſe eruditione & prudentia, vt quidam Dux iuſtam de eo veramque ſententiam tulerit dicens: Verè iſtum eſſe Dei famulum, nec in ruſtico homine potuiſſe tantam aliquando ineſſe ſapiẽtiam, niſi diuino amore regeretur. De quo etiam ita ſcribit Sozomenus littetas, inquit; neque nouit, neque magni æſtimauit, ſed bonam mentem, vtpote litteris antiquiorem, & earum inuentricem laudauit plurimum.] Vt verè agnoſcamus ſanctũ Antonium θεοδίδακτον fuiſſe, ſicut & noſter hic cæcus ab infante Patricio illuſtratus, & quamplurimi etiamnum hodie Syluicolæ, rudes & ignari in noſtra Hibernia, qui diuino inſtinctu audent profiteri Catholicam fidem, quam cum vix tenuiſſima auditione perceperint, tamen interrogati in iudicio non ſe patiuntur dimoueri à ſemita antiqua, & quum nullo pœnè, aut certè rariſſimo docẽte didicerint veritatem, nullo modo abjiciendam putant. De qua eorum conſtantia, quam recognoſcunt deſcendere ex interuentio-

C. 1. vita S. Anton.
C. 13. S. Anton. doctus ſine magiſterio.
L. 1. c. 13.
Hiberni in fide catholica docti, & conſtantes, nullo vel rari-

ſimo Doctore nos instruente veritatem.

ne ſui Protoapoſtoli Sancti Patricij pro hac gente apud Deum iugiter ſupplicantis, alibi
latius agendum erit.

Iſta ſunt lineamenta quædam vberrimæ illius gratiæ, quam copioſiſſimè effudit Deus 38.
in primitiuos fidei Chriſtianæ ſatores; nec eſt abbreuiata eius manus, vt ſi neceſſe eſſet
ſeriem temporum & hiſtorias diuerſorum percurrere ſæculorum, non pauca innenire-
mus huiuſce generis. Et D. ipſe Auguſtinns poſtquam retuliſſet de Sancto illo, & per-
fecto viro Ægyptio monacho, ſic Antonium indigitat, qni ſine vlla ſcientia litterarum
perhibetur Scripturas diuinas, & memoriter audiendo tenuiſſe, & prudenter cogitando
intellexiſſe; commemorat & de ſeruo qnodam Barbaro Chriſtiano, de quo à grauiſſi-
mis fideque dignis nuper accepiſſe ſe ſcribit, qui litteras quoque ipſas, nullo docente
homine, in plenam notitiam orando, vt ſibi reuelarentur accepit, triduanis precibus im-
petrans, vt etiam codicem oblatum ſtupentibus qui aderant legendo percurreret.]

In prolog. lib. 1. de doct. chriſtian. Dictũ S. Auguſt. de doctrina S. Antonij. Seruus quidam ſcientiam infuſam accipit. S. Ephrem Græcas literas diuinitus didicit.

Et de S. Ephreemo ſunt qui exiſtimant, quod ipſe cum eſſet lingua Syriacus, & neſ- 39.
ciret doctrinam Græcam, ex infuſione ſuperna accepiſſet notitiam Græcanici idioma-
tis, vndè ſpiritualis gratiæ radios emittebat, & multos Græcorum, eruditóſque redar-
guit, & totius hæreticæ prauitatis infirmitatem nudauit. Vide Caſſiodor. lib. 8. hiſt.
trip. c. 6. Vvalden. de Sacramentalibus. tit. 16. de feſtiuit. ſanct. celeb. c. 142. & Ge-
rard. Voſſium Ephremi interpretem, in ſua Latina editione operum illius Sancti.
tom. 1.

De quo & Amphilochius in vita Sancti Baſilij cap. 11. vbi habet Sancti Baſilij pre-
cibus hoc donum à Deo conceſſum fuiſſe Sancto Ephreem; habeturque in Menolo-
gio Græco M. S. Cardinalis Cremenſis, cum alijs Sanctorum vitis, quas college-
rat, & iconibus ſacris illuſtrauerat Baſilius Imperator in octaua Synodo laudatus: Cu-
ius Menologij verba ita habent. *Atque vt magis etiam mortalibus prodeſſe poſſet (Ephreem)
Cum Cæſaream veniſſet à Baſilio Magno creatus Presbyter, repente linguam Græcam (cuius erat
vt homo media Syria natus prorſus rudis & expers) callere cœpit.* Porrò de Theodoro Ab-
bate ſumma ſanctitate ac ſcientia prædito non ſolum in actuali vita, ſed etiam notitia
ſcripturarum quam ei non tam ſtudium lectionis, quam ſola puritas cõtulerat. vide Caſ-
ſeum l. 5. inſt. c. 33. l. 4. de vit. PP. c. 35. Præterea conſule F. Antonium Dazam Chroni-
ſtam Ordinis Sancti Fran. vita B. Ioannæ de la Cruz, quomodo imbuta dono lingua-
rum, Latine etiam & Arabicè ſciens, duos Mauros conuerterit linguæ Arabicæ benefi-
cio. Vide inſuper V. Bedam l. 4. hiſtor. c. 24. de quodam religioſo, qui non ab homini-
bus neque per hominem inſtitutus canendi artem diuinitus adiutus edidicit gratis ca-
nendi donum accepit.

Theodorus Abbas. *B. Iõana Arabicum callet.*

Maria Euangeliſta. Vincẽtius Ferrerius dono linguarum præditus. S. Franc. de Paula. Broniar. Roman. Philippus comines. fol. 69.

Maria quoque Euangeliſta Monaſterij de Cruce Monialis, & coalumna B. Ioannis 40.
dono legendi, ſcribendi memorandique diuinitus prædita fuit: Legatur Daza ſupra c. 15.
& ſeqq. & Ignatius Iberus Abbas de Fitero in præliminari approbatione; necnon Fran-
ciſcus Soza Epiſcopus Canarienſis in ſua præfatione ad eandem vitam.

Quidquod in memoria Patrum noſtrorum de Vincentio Ferrerio ex inſtituto Patrum 41.
Prædicatorum clariſſima ſunt teſtimonia, quam multis dotibus gratuitis & inter cæte-
ras, dono etiam linguarum præditus fuerit, & qui Vincentio hoc paulo anterior ætate
fuit D. Franciſcus de Paula Ordinis Minimorum primus inſtitutor, cum eſſet expers lit-
terarum, tamen prudentia & ſcientia cæleſti cum eloquio & facundia ſingulari, ad ſtu-
porem eminuit.

S. Brand. accipit Regulam onore Angeli dictantis. Pachom. ſuſcipit ab Angelo formã

Et ne prætereeam noſtrum Brandanum virum perfectum, & trium millium fere Mo- 42.
nachorum patrem, vt in Codice Salmantino de vita & rebus geſtis eiuſdem habetur,
cum vir ſanctus pro Domino peregrinaretur apparuit ipſi Angelus Domini in via di-
cens ei, *Scribe à me verba Religionis Domini.* Tunc Brandanus ſcripſit ex ore Angeli San-
ctam Regulam Eccleſiaſticam quæ vſque hodie manet, inquit vitæ ſcriptor. Atque vti-
nam ita maneret, vt ad noſtram ædificationem manare poſſet; vt noſtri Hiberni Bran-
dano ductore & inſtitutore non minus gloriari queant, quam Tabennenſes ſuo Pacho-
nio, cui pariter apparuit Angelus Domini deferens ei tabulam, in qua erat omnis forma
inſtitutionis adſcripta, qua docendi forent quicunque ad eius magiſterij ſtudia perue-
niſſent. Ex Dionyſio exiguo loquor, Abbate Romano, qui vitam eiuſdem conſcripſit,
&habeatur

& habetur. l. 1. de vitis Patrum in Pachomio ex editione Roſvveydi.

inſtituendi ſuos diſcipulos.

43. Et cum plures Brandani olim in Hibernia fuerint, vnus Findlogæ, qui ab Angelo inſtitutionem accepit! alter de Birra denominatus, qui Propheta in ſcholis Sanctorum Hibernienſium habebatur, maximè autem in ciuitate de *Cluainaird* ad quam pro Eccleſiaſtica inſtitutione percipienda quaſi ad quoddam totius ſapientiæ admirabile ſacrarium confluebat Doctorum & diſcipulorum multitudo; relinquo alijs indagandū vtri Brandano tribuemus illud, quod in M. S. Cod. Salmanticenſis Collegij legimus, *Sanctiſſimi viri Gildæ fama accitum per maria, terraſque ipſum aduiſſe. Qui aduentu eius præſcito, ſuis inquit, parate cœnam, prope enim alterum videbitis Petrum. Septem ferreis vectibus iuſſit portam ciuitatis firmari. Talmacho autem eius diſcipulo oſtium tangente ipſe vectibus imperat. Iubetur miſſam celebrare, ſed Miſſale Græcè ſcriptū erat. Diuina virtus aperuit ei ſenſum; & legit Græcum ſicut Latinum. S. Gildas B. Brandano ciuitatem ſuam obtulit, & ſe ſubditum. Cui Brandanus ait, quid mihi & mundo, inquit, & profectus eſt.*]

Duo Brādani Hiberni. *Vita S. Finniani, cluaninird ſapientia ſacrariū. fol. 102.* *Miracula à S. Brandano patratâ.*

Tertia Elucidatio in Cap. 5. & 10.

COngeſsit (Sanctus Patricius) *ad inſtar titionum, ſtruem glacierum, & orauit, factoque crucis ſignaculo inſufflauit ſtatimque ignis egreſſus glaciem accendens, flammarum comam longius produxit, &c.* *cap. 5.*

44.

Audiens hoc (nutricem ſcilicet ſuam, ægritudine depreſſam, conquerentem, neminem eſſe ſui memorem, in inueniendo melle) cuius deſiderio ardebat) *almificus adoleſcens* (Patricius) *illi condoluit, & confidens in Domino, vas de recenti aqua fontis repleri, ac ſibi afferri præcepit. Ipſe verò in oratione genua flexit, & ſurgens crucis ſignaculo illud benedixit, ac mulieri, mel deſideranti porrexit. Res mira! ſtatim aqua illa in mel optimum eſt conuerſa, &c.* *cap. 10.*

45. Multas & miras conuerſiones legimus in vtroque teſtamento quibus recencendis ſi vellemus immorari, multas haberemus paginas implendas, ex his quæ vtraque pagina abundè nobis ſuppeditat & Eccleſiaſtici annales copioſè complectuntur. Neque enim de aqua in vinum conuerſa à Domino: Neque de colocynthidarum amaritudine per farinæ inſperſionem commutata in mellifluam dulcedinem à Propheta Domini: neque de aliis huiuſmodi pluribus cum primitiuæ Eccleſiæ, tum etiam propinquorum temporum mirificis mutationibus obſcura ſunt vel apocrypha, quæ prohibentur. *Io. 2.* *4. Reg. 4.*

In ſe enim elementa dum conuertuntur, ſicut in organo qualitatis ſonus immutatur, & omnia ſuum ſonum cuſtodiunt; vnde æſtimari ex ipſo viſu certo poteſt. Agreſtia enim in aquatica conuertebantur, & quæcunque erant natantia in terram tranſibant. Ignis in aqua valebat ſupra virtutem, & aqua extinguentis naturæ obliuiſcebatur, flammæ è contrario corruptibilium animalium non vexauerunt carnes coambulantium nec diſſoluebant illam, quæ facile diſſoluebatur, ſicut glacies bonam eſcam. In omnibus enim manificaſti populum tuum Domine, & honoraſti, & non deſpexiſti in omni tempore, & in omni loco aſſiſtens eis. *Sapient. 19. v. 17. 18. &c.*

46. Verè magnificaſti populum Hiberniæ, aſſiſtens eis per mirificam virtutem, quam in ſignorum exhibitione communicaſti ſeruo tuo, elementorum ſymbolam combinationem in aſymbolam tranſponenda, & vnius mixti naturam in alteram diuerſamque ſpeciem protinus immutando; ſic ex dono tuo Thaumaturgus Patricius.

Aquam ſuis precibus in mel commutauit,
Quo nutricem languidam ſatians ſanauit. *Officium S. Patricij.*

Et quod maiorem admirationem nobis ingenerare queat.

Collectis fragminibus multis glacierum
Ignem ſuis precibus accendebat verum.

47. De eodem quippe Domino, de quo vno loco ſcriptum eſt, *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis*; alibi etiam dicitur, *Mirabilia teſtimonia tua, ideo ſerutata eſt ea anima mea.* Sunt igitur mirabilia ſimul & credibilia teſtimonia Dei, quæ fidelium ſuorum mentibus obſignat, & eò fere ſunt credibilia magis, quò magis ſunt mirabilia. Quantò enim *Pſal. 92.* *Pſal. 118*

magis confirmata fuerint diuinæ auctoritatis atteſtatione, quæ maxime eluceſcit in miraculorum ſupra naturæ vires operatione, tantò maiorem merentur fidem, reuerentiam, & obedientiam apud homines, vt ſuum captiuent intellectum in obſequium Dei & fidei eius. In his enim, quæ potentiam creaturæ ſuperant, tota ratio facti eſt omnipotentia Creatoris.

Pſal. 147. Qui verò *dat niuem ſicut lanam* ad calefaciendum *& nebulam ſicut cinerem ſpargit* ad exſiccandum; *qui mittit Chryſtallum ſicut buccellam* ad nutriendum, & *qui præparat coruo eſcam ſuam quando pulli eius clamant, ad eum vagantes, eò quod non habeant cibos*: quid mirum, ſi multa præterea faciat mirabilia vbi voluerit, quoties voluerit, per quos voluerit, & ad quos voluerit. Spiritus enim vbi vult ſpirat, & neſcis vnde venit, aut quo vadit. Quid inquam, mirum, ſi is qui elementa condidit è nihilo, eadem ſubdiderit voluntati ſuæ, vt ex illis faciat quæcunque voluerit? Quidni cœli cœlorum obediant ei, qui in cœlo poſuit ſolium ſuum, & in ſole tabernaculum ſuum? quidni terra vocem eius audiat, qui fundauit terram ſuper nihilum: pluit è cœlo manna ad manducandum; eduxit de petra, aquam, oleumque de ſaxo duriſſimo? quare igitur ex vtero aquæ non fingat fauum, & de torrido latice mellificium?

Etenim omnia quæ facta ſunt, obediunt factori, *ignis, grando, nix, glacies, & Spiritus procellarum faciunt verbum eius*. Apparuit Dominus Moyſi, quem deſignauit facere ductorem populi ſui è ſeruitute Pharaonis, & in flamma ignis de medio rubi apparuit illi, & videbat quod rubus arderet, & non combureretur. Apparuit etiam magnificentia illius magno ſeruo ſuo Sancto Patricio, quem conſtituit Doctorem populi Hibernici, vt è faucibus inferorum, è ſeruitute Dæmonis eos eriperet; magi & malefici obſtabant liberationi; venenum antidoto, maleficium beneficio, tartareæ poteſtates ſydereis virtutibus ſuperandæ erant, vorago vitiorum, caligo præſtigiorum, faſcinatio incantatorum & magorum, ſolida pietate cæleſti lumine, & veritatis erant dimouenda vaticinio. 48.

Exod. 3.

Comparatio Patricij cum Moyſe.

Quæ igitur apparitio illi Duci & Ductori facta fuit, in rubo, huic Duci & Doctori noſtro facta eſt in glacie; Nam vt ille deſtruxit ſentes & ſpinas Ægyptiacæ ſeruitutis: ita hic diſſoluit frigus & pruinam nequitiæ, qua pectora Hibernorum ante eius aduentum conglaciebant: Ille per deſertum deduxit populum ad fines & conſpectum terræ promiſſionis: hic verò ſua prædicatione in atria Domini perduxit Hibernos, vt ex tabernaculis Eccleſiæ militantis ad triumphantem vltro perueniant.

Quomodo rubus ardebat, & non conſumebatur? Sed quemadmodum de rubo ardente & incombuſto magna interpretibus difficultas naſcitur, qua id ratione fieri queat, vt rubus ardeat, nec conſumatur: ita fortaſſe de ignita glacie eadem erit dubitandi ratio: quî fieri poſſit, vt glacies ſit, & tamen igneſcat, vt aquea & frigida materies, flammantes ex ſe ſpargat igniculos.

Commentatores exponunt viſionem rubi, quod non laruatus ignis, aut ſimulatus, ſed verus à Deo, vel Angelo productus fuerit, ſiue id ex aëre factum eſſet, ſiue ex alia materia rubo vicina, cui ſubiectiuè inhærebat, cum ipſi rubo nonniſi contiguè adhęreſceret: Angelus itaque ignem illum producere potuit, ſiue applicando actiua paſſiuis, ſiue aliunde aduehendo alimentum ignis, eumque appoſito ſulphure, alióue fomite nutriendo, ſimulque impediendo, ne in rubũ ageret, inducendo illi liquorem ſuccumue aliquẽ viſcoſum & frigidum, qui flammæ reſiſteret. qua ratione (inquit doctiſſimus Cornelius in illum Exodi locum) circumforanei quidam putantur naturaliter manus ſuas mittere in plumbum liquefactum, eaſque liquore tali imbutas ſeruare illæſas. Aut id fecit Angelus alio modo, & cauſa naturali, vel Deus ſuſpendit actionem ignis; vel ſubducebat concurſum ſuum quo ſine, totum inferni incendium ſtuppam vnam non conſumeret. Propriè autem non ardebat rubus (quia ardere eſt de ſe ſpargere flammam, cum hoc ſit ignis ſolius, qui rubum non peruaſerat vt vere in ſe ipſo ignitus eſſet) ſed ramos & folia eius ambiebat, & ita lambebat, vt ignis flammas vomere videretur, cùm tamen in rubum ipſum non ageret, nec virentia eius folia minimum afflaret aut deſiccaret. 49.

Modi quibus rubus potuit ardere, & non conſumi.

Explicatur quomodo glacies ardebat. Hæc quæ eruditi interpretes de rubo commentantur, doctéque explicant: Pro vera illius viſionis intelligentia, non erit abſonum forſitan ſi, accommodato quodam ſenſu, applicentur ad explicandum verum illum ignem, quem è collectis glacierum fragminibus accendebat patronus nationis noſtræ, vt in gelidiſſimis eorum mentibus illum poſtea 50.

ſtea ignem ſuccenderet, quem vt Filius Dei mitteret in terram, deſignatus eſt de cœlo deſcendere.

51. Siue igitur ex aëre vicino per applicationem actiuorum ad paſſiua: ſiue adducto aliúde nutrimento ignis, ſiue alia qualibet tranſmutatione cauſalitatis, additione, ſuſpenſione vel ſubtractione concurſus,& complemento cauſarum contigerit, ſatis eſt nec impoſſibile eſſe,nec incredibile quod dicitur: rationem autem facti è potentia facientis deducimus.

Nam & hoc quam illud eò facilius intellectu eſt quod iſta glacialis materia qualitercunque adhibita, ſiue ſubiectum inhæſionis fuerit, ſiue adiectum & contiguum tantúmodo, cui flamma adhæreſceret, non dicatur inconſumpta vel indiſſoluta remanſiſſe, quemadmodum rubus manſit incombuſtus, ſed ita potuit immutari, vt ignis formam ſuſciperet,abiecta,quam in ſubiecto communi prius habebat propriam.

Iamque potuit ſimili modo confici quo legimus in hiſtoria Machabæorum ignem ſacrum in aquam craſſam fuiſſe conuerſum: & ex ea denuò inſperſa ſacrificio,verum ignem reaccenſum fuiſſe. Verba ipſius ſcriptoris hagiographi digniſſima ſunt quæ referantur.

52. *Cum in Perſidem,inquit,ducerentur Patres noſtri Sacerdotes,qui tūc cultores Dei erant,acceptum ignem de altari occulte abſconderunt in valle vbi erat puteus altus & ſiccus, & in eo contutati ſunt eum,ita vt omnibus ignotus eſſet locus: Cum autem præteriſſent anni multi, & placuit Deo, vt mitteretur Nehemias à Rege Perſidis: nepotes Sacerdotum illorum qui abſconderant, miſit ad requirendum ignem: & ſicut narrauerunt nobis,non inuenerunt ignem,ſed aquam craſſam, & iuſſit eos haurire & afferre ſibi; & ſacrificia quæ impoſita erant, iuſſit Sacerdos Nehemias aſpergi ipſa aqua, & ligna,& quæ erant ſuperpoſita. Vtque hoc factum eſt,& tempus affuit,quo Sol refulſit,qui prius erat in nubilo,accenſus eſt ignis magnus,ita vt omnes mirarentur.*] 2. Machab. c. 1. v. 19. &c.

Nehemias aſpergit holocauſtum aqua & ignis accenſus eſt.

Quando igitur aqua craſſa potuit præbere fomentum igni, quare minus, ſi ita incraſſata fuerit vt etiam cum in glaciem induruiſſet? & ita eſt iudicium de aqua liquida, vt conſtat ex Eliæ prophetæ facto,cum mendacij,& fraudis conuinceret prophetas Baal.

53. *Ædificauit de lapidibus altare in nomine Domini,fecitque aquæductum, quaſi per duas aratiunculas in circuitu altaris, & compoſuit ligna, diuiſitque per membra bouem, & poſuit ſuper ligna, & ait implete quatuor hydrias aqua, & fundite ſuper holocauſtum, & ſuper ligna. Rurſumque dixit, etiam ſecundo,hoc facite. Qui cum feciſſent ſecundò,ait. Etiam tertiò id ipſum facite, feceruntque tertiò, & currebant aquæ circum altare, & foſſa aquæductus repleta eſt. Cumque iam tempus eſſet,vt offerretur holocauſtum,accedens Elias Propheta ait, Domine Deus Abraham, & Iſaac & Iſrael, oſtende hodie,quia tu es Deus Iſrael, & ego ſeruus tuus, & iuxta præceptum tuum feci omnia verba hæc. Exaudi me Domine, exaudi me: vt diſcat populus iſte, quia tu es Dominus Deus, & tu conuertiſti cor eorum iterum. Cecidit autem ignis Domini; & vorauit holocauſtum, & ligna, & lapides, puluerem quoque, & aquam quæ erat in aquæductu lambens. Quod cum vidiſſet omnis populus, cecidit in faciem ſuam, & ait, Dominus ipſe eſt Deus, Dominus ipſe eſt Deus.* 3. Reg c. 18. v. 32. &c.

Orante Elia ignis de cœlo cecidit, qui vorauit holocauſta aqua reſperſa.

Atque his duabus irrefragabilibus hiſtorijs, tertiam licebit adiungere ex S. Epiphanio probatiſſimo auctore, quam eo lubentius adduco, quia ex ea confirmātur illa, quæ paulo ante attulimus in ſecunda elucidatione ad Cap. 2. de mirifica virtute ſacroſancti ſignaculi Dominicæ crucis, quam manus infantis Patricij humo impreſſit.

Hiſtoria inſignis eſt de Ioſepho comite Chriſtiano, ex Iudaïſmo ad Fidem orthodoxam conuerſo, verba afferam ipſius Epiphanij. Nam poſtquam multa de eo commemoraſſet & quidem præclare ab eodem geſta, tandem hæc ait.

56. *Ioſeph aſcendit ad comitatum, & Conſtantini Imperatoris amicus euadit, & obtulit, atque expoſuit ipſi omnem ſuarum rerum ſtatum, quomodo eminentiſſimam apud Iudæos dignitatem habuiſſet, & quomodo viſiones Dei ipſi penitus apparuiſſent, Chriſto ipſum vocante ad ſanctam vocationem & ſalutem fidei ac cognitionis ſuę. At bonus illę Rex cum Chriſti ſeruus eſſet in veritate & zelum Dei inter Reges poſt Dauidem, & Ezechiam, & Ioſiam haberet, honorem dat ipſi, velut iam dixi. dignitatis in Regno ſuo: Comitem enim ipſum conſtituit, iuſſitque inſuper petere quicquid vellet. Ioſephus autem nihil petijt, præterquam vt maximum hoc beneficium à Rege conſequeretur, vt permitteretur ipſi per mandatum Regium, quò Chriſto Eccleſias ædificaret in* Epiphan. hæreſ. 30.

ciuitatibus, ac vicis Iudæorum, vbi nunquam potuit quiſquam Eccleſias extruere, propterea quod neque Græcus, neque Samarita, neque Chriſtianus inter ipſos eſſet; & hoc maxime in Tiberiade, & in Diocæſarea, quæ & Supphurim appellatur, & in Nazareth, & in Capharnaum. Obſeruatur enim apud ipſos, vt non ſit aliquis alterius gentis. Ioſephus itaque acceptis literis & poteſtate vna cum dignitate, in Tiberiadem venit, habens etiam Epiſtolas, vt de regiis expenſis ſumptum faceret: imò etiam ipſe ſtipendiis à Rege honoratus erat. Incipit itaque in Tiberiade ædificare. Templum autem maximum prius in vrbe fecit, & puto Adrianum hoc ſeciſſe vocatum. Quum vero hoc Adrianum imperfectum permanſiſſet, ciues ad publicum Balneum id inſtaurare conabantur; quo comperto Ioſephus ex hoc occaſionem habebat. Et vbi inueniſſet id per lapides quatuor cubitorum, ac quatuor pedum ad aliquam altitudinem euectum, hinc incipit facere Eccleſiæ ſtructuram: Erat autem opus calce, & alia materia: caminos itaque extra vrbem multos facere iuſsit, forte ſeptem numero: fornaces autem vernacula lingua vocant. Ac vero callidi, & omnia facere audentes Iudæi, à præſtigiis apud ipſos fieri ſolitis non abſtinuerunt. Incantationibus enim quibuſdam, ac curioſa ſedulitate ignem ligare, ac diſperdere generoſi illi aggreſsi ſunt, ſed non perfectè potuerunt. Ceſſabat itaque ignis, & non operabatur, ſed extra propriam, vt ita dicam, naturam conſtitutus erat. Vbi autem hi qui combuſtibilem materiam igni addere iuſsi erant, ligna videlicet, ſiue ſarmenta nihil effeciſſent, Ioſepho rem ipſam ſignificauerunt. Commotus igitur vir ipſe, & zelo erga Dominum correptus, extra ciuitatem currit: & vbi aquam in vaſe afferri iuſsiſſet, accepto vaſe aquæ, coram omnibus (multitudo. n. ingens Iudæorum confluxerat ad ſpectaculum, euentum videre cupidi, & quid Ioſephus facturus eſſet)
Ioſephus Comes roſperſit fornaces aqua, & ignis emorſit.
magna voce Crucis ſignaculum proprio ſuo digito vaſi impoſuit inuocato nomine Ieſu, ſic dixit. In nomine Ieſu Nazaræi quem crucifixerunt Patres mei, & omnium horum circumſtantium, fiat virtus in hac aqua ad reprobationem omnis incantationis, ac Magiæ quam hi fecerunt, & ad efficaciam potentiæ ignis ad perficiendam domum Domini: Et ſic accepit aquam in manum, & de aqua ſingulas fornaces reſperſit, & diſſoluta ſunt incantamenta, & ignis coram omnibus emerſit. Turba vero præſentes clamore edito, vnus Deus, qui auxiliatur Chriſtianis, receſſerunt.

Superiori ſanè miraculo de conuerſione aquæ in mel, qui fidem negaret, nunquam 57.
puto aſſenſum accommodaret alteri miraculo, de conuerſione aquæ in vinum, à Chriſto Domino in Cana Galilææ, patrato, aut tertio quæ magno, aut maiori quod de Sancto
** apud lochra.*
Ruadano legitur, nempe, *ipſi dediſſe Deum gratiam ſpiritualem, vt arbor quædam Tylia nomine, quæ in cella ſua* erat ab vna hora occaſus Solis vſque ad horam nonam alterius diei ſtillabat liquorem, qui ſaporem quendam priuatum habebat, ſicut de manna legitur, quod in omnem ſaporem, quem homo deſideraret, vertebatur.* Et addit auctor meus.
Codex MS Salmanticus fol. 85.
De hoc liquore plenum vas in hora prædicta inueniebatur, de quo omnes fratres ſufficienter in prandio paſcebantur. Ab hora vero nona vſque ad horam occaſus Solis, vaſis dimidietas de præfato liquore inueniebatur, de quo hoſpites ſatiabantur.

Fuit hic Sanctus Ruadanus Sancti Finniani diſcipulus, & apud Loghra locum ſuæ 58.
habitationis elegit, cuius idcirco mentionem feci, vt raritatem miraculi a Sancto Patricio editi, alterius rarioris adductione illuſtrarem.

Glacie igitur, per merita pueri Patricij, flammarum comam longius reſpergente, expellitur frigus, nutricis ira compeſcitur, ſedatur indignatio, quieſcit tumultus, ſilet ſtrepitus, glorificatur Deus, qui talem poteſtatem dedit hominibus etiam puero, quem
Luc. 1.
præparabat iam tum Altiſſimus, *præire ante faciem ſuam, parare vias eius; Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius, in remiſſionem peccatorum eorum; per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos Oriens ex alto; illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.*

Diu ſedebamus & in fæcibus infidelitatis deſidebamus conglaciati fortitérque conſtricti, quovſque ille Thaumaturgus noſter glaciem diſſoluit, tenebras amouit, frigus diſpulit, ignem ſuccendit. Nam ignem venit mittere in terram noſtram, & quid aliud voluit, niſi vt arderet. Cuius tam vaſti incendij, quod inſecutum eſt, Deo proſperante, & fœliciter prouehente eius zelum, & induſtriam, prænunciæ debebant à teneris vnguiculis emicare ſcintillæ virtutum, & igniculi chariſmatum, ac miraculorum, quibus ipſe totus collucebat ab exordio vitæ vſque ad exitum & ſepulchrum.

Hinc namque in ſua infantia, viſum cæco reſtituit, & illiterato idiotæ ſcientiam li-

terarum

terarum ſacratum infudit, & ſentinam excreſcentem ab inundante alluuione deſiccauit ſola immerſione ſuorum digitorum; deinde in pueritia, vt iam videmus humeſcentem glaciem in flammantem focum conuertit; poſtea in adoleſcentia ſororem à medicis deſperatam, priſtinæ valetudini ſola ſua præſentia reddidit: & mortuam alibi aliam reuocauit ad vitam.

60. Quid de virili ætate, de ſenectute, de toto vitæ eius curſu fuit, niſi ingens emanatio virtutum, operatio magnalium, patratio miraculorum, quibus nec ipſa mors eius, limitem poſuit: vt non immerito videatur B. Notkerus in ſuo Martyrologio ſcripſiſſe: *ſi Apoſtolorum cuneum, & poſt Apoſtolos Beatum Martinum Epiſcopum Turonenſem demas, alium non reperiri, qui ab exordio fidei Chriſtianæ pluribus in Eccleſia Dei miraculis, quam Sanctus Patricius coruſcauerit.* Fallor: de Sancto enim Columba loquitur; ſi tamen vitam vtriuſque Sancti contuleris, alterum alteri in hoc genere non inuenies imparem: niſi in multis ſuperet Columbam Patricius. Sed abſit odioſa comparatio quæ nobis non conducit, & Sanctis non poteſt non diſplicere; cum nos potius ad eorum vitam componere & vnanimi patrocinio nos & noſtra vnanimiter commendare debeamus, Deumque inuocare vt reſpiciens in faciem Chriſti ſui; & Sanctorum ſuorum pro nobis interceſſioni, miſericorditer ipſe intendens, auertat indignationem ſuam à gente noſtra, & abſtergat lacrymas ab oculis eorum, qui iam à plurimis annis commaduerunt vndis perſecutionis. *Exaudi nos Deus ſalutaris noſter, ſpes omnium finium terræ, & in mari longè.* *Pſal. 64.*

Quarta Elucidatio in cap. 171.
De quadrageſimali ieiunio.

Præcellentiſſimus Paſtor Patricius, vt nullum in Hibernia, aut cæteris Inſulis à ſe benedictis relinqueretur alicuius reptilis venenati veſtigium, aut rediuiuum oriretur ſeminarium; ſeu conſueta concederetur commoratio cæteruis Dæmonum; abſque victuali terreno quadragenarium tranſegit ieiunium. Deſiderabat enim dilectus Domini, imitari ieiunio myſtico Moyſen adhuc naturali tantum lege conſtrictum: vel potius Eliam Prophetam ſub lege conſtitutum, ſed potiſſimum placere gliſcens conditori naturæ, legis largitori & gratiæ, Chriſto Ieſu, qui in ſe ſacrauit tale ieiunium. Subijt ergo in montem excelſum Cruachan-Ailge vocatum, in Connactia conſtitutum, quadrageſimali tempore ante Paſcha, commodius illis ſalutiferis diebus ducens deſideranti Domino, & deliberanti, ieiunij immolare hoſtiam, &c.

Scitè illud dictum eſt, & ſapienter notatum ab Epiſcopo Canarienſi; Credulitatem *Canus lib. 11. de locis c. 5. an. 10 mediū.*
61. etiam in optimi cuiuſque mentem facillime irrepere: At viros quoſdam excellentes cum
» à vulgi facilitate & credulitate declinant, in aduerſum quandoque vitium incurrere, eſ-
» ſe que etiam incredulos, cum in fide nihil eſt vitij in incredulitate vitij nonnihil eſt.
» Quod ne nobis contingat in his credendis, quæ circumferuntur de magno magiſtro & Apoſtolo noſtrarum animarum, hac regula & diſcriminis nota vtendum arbitramur, vt nec omnibus aſſenſum leuiter præbeamus, quæ vulgò traduntur, nec nimium ſeueri aut ſupercilioſi, ceu noui quidam Ariſtarchi detrahamus fidem & auctoritatem his, quæ priſco Eccleſiæ noſtræ vſu celebrari, & in officio Eccleſiaſtico publice decantari ſolita, & communi piorum doctorumque hominum ſuffragio recepta ſunt, & approbata. *Miracula ficta à veris diſcernenda, nō omnia reijcienda.*

62. Talia verò ſunt, quæ apud Hibernos paſſim creduntur de ieiunio continuo quadraginta dierum abſque terreno victu, quod in monte Algæo Sanctus confecerat, vndè in hodiernum diem cumulus, ſeu collis Sancti Patricij nominatur, & editiori ſitu imminens mari deuotè à peregrinis frequentatur: idque vt fieret cum maiori pietatis fructu, conceſſæ ſunt à paucis retro annis ampliſſimæ indulgentiæ à ſede Apoſtolica, his qui illam peregrinationem piè obirent. *Cruach phadruig. i. collis S. Patricij.*

Eſtque eo maior loci illius reuerentia apud populum, quod ex illo cacumine credant omnia venenata animantia in ſubiectum mare præcipitata fuiſſe; cum expleto prius

Indulgẽtia conceſſa peregrinantibus in iſto collo.

quadrageſimali ieiunio ex vniuerſa Hibernia in vnum omnia coegiſſet Sanctus, & ſua dexterâ eleuato baculo Ieſu, quem in Tyrrheni maris inſula à grãdæuo Iuſto dono acceperat, exterminauit ex ſacræ Inſulæ finibus execrabilem illam progeniem, quæ terram hanc antea nimium infeſtabant.

Homilia 15.

Quidam Heluetius 20. annis abſque cibo viuit.

Et ſanè quod de ieiunio dicitur, ſi cui minus id credibile videatur, legat Trithemium 63.
de abſtinentia & ieiunio monachorum, vbi mirabilem recenſet hiſtoriam de quodam Heluetio Eremita. *Eſt*, inquit, *apud Heluetios homo, Nicolaus nomine, cuius abſtinentia totius Germaniæ homines conuertit in admirationem, & hodiè in ore omnium cum ſanctitatis titulo nominatur. Is quondam ruricola in quodam Heluetiorum vico exiſtens, more Paganorum inter quatuordecim, ius dicere conſueuit. Altercantibus villanis contigit eum quodam tempore ſententiam ſociorum non poſſe reuocare, quam putabat iniquam, metuenſque ſalutis animæ ſuæ periculum, relictis domo, vxore, filijs, & cunctis mundi negotijs ac rebus, ſolus in vicinum nemus ſeceſſit pro Dei amore, in quo vitam ſolitarius agit. Et ecce annus hodie viceſſimus eſt, ex quo ſolitudinem ingreſſus, cibum non ſumpſit humanum. Omnibus notiſſima loquor, nec hominem in Germania viuere puto, qui famam huius miraculi non audierit. Et ne quis forſitan impoſterum ſimulatione deceptus non credat, Heluetios vna cum Præſule Conſtantienſis Eccleſiæ in teſtimonium citamus, qui mores & vitam eius curioſiſſime obſeruat. Acutiſſimus ingenio vir eſt, qui cum ſit literarum pœnitus ignarus, tamen quaſi alter Eremita quondam Antonius ſenſum optimè callet ſcripturarum. Vidimus, quæ diſertiſſimè cum quodam diſputauit magiſtro de Sacramento altaris.* Hucuſque Trithemius.

Vide Martin. Bocanum tom. 3. opuſculorum de plaga regia.

Senex ſemel in hebdomada panẽ, & aquam ſumit.

**Synod. 7. Act 4. & 5. Damaſ. l. 1. de fide Diacon. l 1. c. 45. vita Greg. Niceph. l. 8. c. 41.*

Sunt & alia etiam ſtupendiſſima exempla Sanctorum ieiunantium, quæ videri poſſunt 64.
in vitis patrum. Vti eſt illud de Conone ſene, qui hanc vitæ normam per triginta annos cuſtodiens, ſemel comedebat in hebdomada panem & aquam, & ſine intermiſſione operans, nuſquam de Eccleſia egrediebatur, vt refert Ioannes Moſchus in Sophronij Limonario, ſeu prato ſpirituali, cuius auctoritas in ſecunda Nicæna ſynodo, in Ioanne Damaſceno, Ioanne Diacono, Nicephoro Calixto & alijs citatur & approbatur.

De Simeonis Stylitæ quadrageſimali ieiunio; De Marana item & Cyra fœminis aſce- 65.
trijs portentoſæ auſteritatis & abſtinentiæ mira ſcribit Theodoretus in Philotheo, vt præ his ne nominari quidem debeat hebdomadarium Eliæ Abbatis in iuuentute ieiunium, quod habetur in hiſtoria Lauſiaca, nec triduanũ, vel quatriduanum Hilarionis, de quo Sanctus Hieronymus in vita eiuſdem ſancti; neque vero quod noſtris diebus in Hibernia noſtra exploratum compertumque ſatis Marcij Gracij ieiunium celebratum plurimorum atteſtatione, qui grandæuus annis, vegeto tamen corpore, & ſpiritu excitato tranſigebat magnam ſenectutis partem in pœnitentialibus exercitijs, in oratione, ieiunio, cilicio, ſolitudine, peregrinatione ad loca ſancta, citra omnem humanam cibationem, niſi quod Dominica, & feria quinta cuiuſlibet ſeptimanæ modicè veſceretur ad vires reparandas. Cuius tam inſolitam hoc æuo abſtinentiam cum traduceret quidam hæreticus, & totum ex ſimulatione factum calumniaretur, vt rei veritas innoteſceret, vltro ille obtulit calumniatori, vt ſine victu ipſum includeret in quod vellet cubiculum, & oſtio obſerato, ipſoque prius excuſſo, & tentato dũ includeretur, aduigilaret ne quid eſculenti, vel poculenti inferretur, & niſi peracto ieiunio quatriduano, curſu vincat exploratorem ſuum per arduum vicini montis iugum, pro ſimulatore & hyprocrita damnari contentus erat. Facta eſt probatio, inuentus eſt vegetus & alacris, & præpeti curſu in ſenili ætate ſuperauit tentatorem florentem annis & viribus.

Pallad. hiſt. Lauſiac. c. 51.

Marcus Gracius bis tantũ in hebdomada reficitur.

Idem ſenex iuuenem, hæreticum calũniatorẽ curſu vincit.

Sed in his alijſque huiuſmodi lubet vſurpare Theodoreti verba, qui cum Symeonem 66.
illum inſignem, magnum illud orbis terrarum miraculum cogitaret ſtylo celebrare, ſciretque multos fidem detracturos, initio deſcriptionis; *Ego*, inquit, *vereor narrare certamina, quæ omnem ſuperant orationem, ne poſteris videatur fabula nuda ab omni veritate. Quæ enim fiunt, humana ſunt natura ſuperiora: ſolent autem homines natura metiri ea, quæ dicuntur. Si quid autem dicatur quod eius excedat limites, falſa videtur oratio ijs, qui non ſunt diuinis initiati myſterijs. Quoniam autem pijs, & vera religione præditis terra & mare plena ſunt, & qui in rebus diuinis eruditi ſunt, & ſanctiſſimi ſpiritus gratiam accepêre, tantum abeſt vt non credant, vt ijs etiam magnam fidem ſint habituri: prompto & alacri animo accedam ad narrationem.*] hæc ille.

Cuius

Cuius ego imitatione quæ tracto de mirabilibus Sancti Patricij iuxta ea quæ in ipſius vita, & officio Eccleſiaſtico leguntur, non vt Criticorum quando id reſpuerent, adunco naſo, ſed vt piorum honeſto ſtudio ſatisfaciam omninò annotare decreui.

Quarta Elucidatio in Cap. 170.

De eiectione venenoſorum.

SAnctiſsimus Patricius peſtilentiæ triplici eliminandæ ſummam operam & diligẽtiam adhibuit, & tum ſalutari doctrina, tum feruentiſſimæ orationis obtentu, Hiberniã hui⁹ graſſantis veneni exſortẽ exhibuit. Ipſe nãq; paſtor præſtantiſsimus manu Domini Ieſu baculum baiulauit, eiuſque eleuatione comminatoria, omnia venenata animantia, angelico ſuffultus ſuffragio, ex vniuerſis Hiberniæ partibus in vnum congregauit. Deinde omnia vſque ad editiſsimum inſulæ promontorium in fugam compulit, quod ſcilicet Cruachan ailge dicebatur tunc, nunc vero Cruach phadruyg dicitur, ibique totam turbam peſtiferam de prærupta montis crepidine in virtute præcepti, præcipiti lapſu oceano abſorbendam depulit. O ſignum inſigne! ò miraculum magnificum à mundi exordio inexpertum, nunc tribubus, populis & linguis compertum, cunctis fere nationibus notorium, ſpecialiter Hiberniæ incolis pernéceſſarium. Huic tam miraculoſo tamque perutili ſpectaculo numeroſus populus intererat, quorum pars plurima ad ſigna videnda, quædam ad verba vitæ percipienda vndique confluxerat. Conuertit deinde faciem ſuam verſus Manniam, & cæteras inſulas, quas fide Chriſti & ſacramentis imbuit & benedixit, ac precum ſuarum obtentu, reptilium venenatorum omnes illas tantum expertes fecit & reddidit. Aliæ verò inſulæ, quæ ad eius prædicationem non crediderant, adhuc virulenta animalia procreant.

67\. Cum cæteris gratuitis dotibus, quas diuinitus Apoſtoli acceperunt, ad faciliorem fidei Chriſtianæ diſſeminationem, numeratur donum tollendi ſerpentes, & apud Euangeliſtam Marcum proximè ſubiungitur dono linguarum. Et quia ſecunda Elucidatione adduximus quædam de iſto dono, occaſione cœci ſanati, quoad oculos corporis, & dono ſcientiæ illuſtrati, quoad mentem, iam conſequenter aliquid dicendum erit de altero illo dono eijciendi ſerpentes. *C. vltim.*

Perſuaſum autem & traditum eſt à maioribus noſtris, piéque creditur paſſim ab Hibernis, non caruiſſe ſanctum Patricium iſto dono ſubijciendi ſibi ſerpentes; quin & illa communis opinio eſt non tantum vulgi, ſed etiam Sapientum, & cordatiſſimorum ex illa natione hominum, virtute & imperio illius ſancti liberatam eſſe hanc Inſulam ab omni genere venenoſorum; hoc habent Hymni, Antiphonæ, & lectiones officij Eccleſiaſtici; affirmant idem vernacula monumenta, aſſentiuntur Latini ſcriptores; exteri etiã cum domeſticis conueniunt, moderni quoque, vno fortaſsè, vel altero dempto veteribus in hoc adſtipulantur.

68\. Nec mihi è mente excidit quid mihi dixerit ſapientiſſimus quidam Antiſtes, cuius nomen eſt ab eruditione, & pietate in Eccleſia Dei celeberrimum, cuius & ingenij expolitiſſima monumenta ſpero breui in lucem proditura, cum ille pro ſua benignitate, familiari colloquio mihi communicaret quaſdam cogitationes ſuas, & egregios conceptus, de exornanda, & illuſtranda Sanctorum noſtrorum memoria, hoc inter alia de Sancto Palladio, & Sancto Patricio in vna tabella effigiando cogitauit. Vt prior ille, qui optimo quidem zelo, ſed non admodum proſpero ſucceſſu prædicauerat huic genti, depingeretur ſuſpirans, & veluti ſinum pectoris aperiens paratus in gremium cordis ſuſcipere, quos ſpiritu parturiebat, cum non niſi pauciſſimos peperiſſet in Domino, & in ipſo quaſi dolore partus expiraſſet, in finibus Pictorum. Itaque ad exprimendum vehementiam deſiderij, & laborem ac moleſtiam enitendi anhelans, & ſudans pingeretur cum iſto, ſi benè memini, vel alio ſimili elogio, *cor noſtrum patet ad vos Hiberni.* Patricium verò quẽ Deus honeſtauit in laboribus, cuius & labores compleuit, in conuerſione totius gentis, vt denotaretur ſingulare illud priuilegium eiectionis venenatorum ex toto Regno cum ſym- *Mod' pingendi SS. Palladiũ & Patriciũ in vna tabella.*

bolica hac ſententia *Ambulabis & conculcabis*, ſenſuit delineandum, qua gnomo imagini ipſius adſcripta, ipſoque amicto cum mitra, pedo paſtorali, & podêre honoris, ſubiecta eius pedibus ſerpentum aggerie, quam ſuperambulando protereret, excitare poſſet in ſpectatoribus memoria tanti beneficij, & veneratio debita Paſtori, & Pontifici noſtrarum animarum.

Vtique illam ſententiam ex Pſalmo 90. deſumptam intelligunt Græci Patres Theodoretus & Euthymius de ſubiectione verorum ſerpentum, & ferorum animalium, quæ 69.
Cap. 11. illo loco promittitur viris ſanctis in Deo confidentibus. Atque ita ſcribit D. Athanaſius in Sancto Anthonio accidiſſe. *Nam cum ille magnus Dei ſamulus ingentem auri maſſam iacentem in itinere à diabolo relictam conſpiceret, & magnitudinem admiratus radiantis metalli, rapido curſu quaſi quoddam vitaret incendium, ad montem vſque porrexit, ibique flumine trāſnadato, inuenit caſtellum deſertum plenum (ob tempus & ſolitudinem) venenatorum animalium, in quo ſe conſtituens nouus hoſpes habitauit. Statim ad eius aduentum ingens turba ſerpentum, quaſi perſecutorem paſſa profugit.*]

Certè paſſim in hiſtorijs Sanctorum: PP. quæ apud claſſicos & probatiſſimæ fidei ſcriptores reperiuntur, multa ſunt de hac ſerpentum & ſyluestrium ferarum ſubiectione, quam ſanctis hominibus exhibuerunt. 70.

Sed rarum eſt & præclarum illud exemplum, quod legimus in Actis Apoſtolorum de
C. 28. vipera, quæ inuaſit manum Sancti Pauli, dum ille ſarmenta colligebat, quæ igni imponeret. Cum autem pendentem de manu eius beſtiam Barbari Melitenſes viderent, diuinam vltionem interpretantes, & mortem eius præſentaneam expectantes, cum ille beſtiam in ignem excutiens nihil mali pateretur, in admirationem conuerſi dicebant eum
a Luca c. 10. v. 19. eſſe Deum. Huic hiſtoriæ alludens Tertullianus, & de poteſtate agens à Chriſto data calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones, quando in ſcorpiaco dicit, Paulum Melitæ
Cap. 1. eandem dedicaſſe, quando morſum viperæ ſpreuit, fortaſſe nobis inſinuat prærogatiuam à Deo communicatam propter Pauli merita, vt gleba ipſius inſulæ ſit antidotum
Melita libera à ſerpentibus. aduerſus omnia venena, atque vt omnia aliundè aduecta virulenta genimina, virus, & nocendi vires ibi amittant.

Eſtque priuilegium hoc Inſulæ Melitenſis, valde affine iſti alteri quod aſſeritur Hiberniæ tributum interueniente Sancto Patricio; niſi quod hoc ſit diſcriminis inter 71.
Priuilegiū cōmune Melitæ cum Hibernia. vtramque Inſulam, quod cum Melitam inferuntur ſerpentes, ſcorpiones, colubri, viperæ, aſpides & huiuſmodi alia venenata animalia, cum retineant viuendi facultatem & vſuram, nocendi tamen poteſtate carent: in Hibernia verò adeò lædere nequeunt,
Diſcrimē iſtorū priuilegiorū. vt nec viuere poſſint, non ſolum reptilia, ſed nec greſſilia venenoſa: vt non ipſa ſolum gleba, ſed clima quoque, & aura climatis moriendi neceſſitatem eis afferat. Cernitur apud nos aranea, ſed prorſus innoxia. Cernebatur olim rana, ſed portentoſa, & præſaga futu-
Species venenoſorū in Hibernia, ſed veneni expertes. ræ mox expugnationis, vt refertur in vaticinali hiſtoria Gyraldi de eadem expugnatione, habetur, & lacertæ ſpecies, quam vocamus Campam multipedem beſtiolam & multicolorem, ſed veneno caret.

Cum igitur experimentum ſit irrefragabile, & de re ipſa, ſeu facto nulla poſſit eſſe 72.
dubitatio, de origine rei litem mouet contra Critobulum Irenæus apud Alanum Copum, aliàs Nicolaum Harpſfeldium. Nam cum Critobulus ſe legiſſe, ac ſæpius audiſ-
Dialog. 3. c. 28. ſe affirmaret precibus beati Patricij Hiberniæ Apoſtoli, ei regioni beneficium indul-
** Epiſcopus Lugdunenſis.* tum, ne ea Inſula lethale aliquid pariat; Contrà, * Irenæus non Patricio, ſed naturæ regionis id tribuit.

Variè probatur, Hiberniam nō natura, ſed S. Patricij meritis à venenoſis eſſe liberam. Faciunt pro Critobulo quæ ſuprà pag. 91. & 92. §. 6. 7. 10. & 11. de inuentione Purgatorij retulimus. Facit & auctoritas vetuſti officij Eccleſiaſtici, quæ ſic habet ad primas Veſperas:

Per orbis ſpatia fidem diſſeminat;
Et ab Hibernia virus exterminat:
Claudis veſtigia dat, & illuminat
Cæcos: ei plebs concinat.

Facit & fides, hiſtoriæ humanæ, antiqui, moderni, & medij temporis ſcriptorum: adeò vt qui genti huic, & Sanctorum nationi non ſolet eſſe valdè propitius Syluester Gyraldus,

dus, affirmet eſſe vulgatam per orbem opinionem, quòd Sanctorum meritis, Hibernia caret venenatis. Et alibi dicit eſſe fauorabilem coniecturam, S. Patricium, alioſque Sanctos Hiberniam purgaſſe peſtiferis. Legatur totum caput 30. diſt. 1. Topog. cum tribus proximè ſequentibus, & notanter cap. 32. aſſerit ſe *Oculis ſuis corrigiam de corio illius terræ animalium vidiſſe, periculi cauſa circumpoſitam bufoni, ad quam perueniens, & tranſire volens; ſtatim tanquam capite percuſſus retrocederet, partes ad oppoſitas ſe transferens, & corrigiam vndique inueniam, tanquam peſtem fugiens, in medio tandem circuli ſpatio, terram fimoſam ſubitò pedibus effoſſam multis intuentibus ſubintraſſe.*

73. Quin & aliam experientiam à ſe viſam ibidem ſubiungit in hæc verba. *Contigit* (inquit) *in diebus noſtris, in Borealibus Angliæ partibus, iuuenis os dormientis, colubrum intraſſe, & per guttur apertum in ventrem deſcendiſſe, qui male ſuum incontinenti remunerans hoſpitem, eius inteſtina rodere dentibus, & lacerare non ceſſauit; adeò vt iuuenis illetantis anguſtijs torqueretur, quòd morte mori mallet; quàm vitam ducere mortis. Poſt cibum autem ſumptum, aliquam reſpectu temporis alterius quietem habebat, ante verò nullam. Cùm autem loca Sanctorum Domini per Angliam luſtraſſet, & in caſſum. Tandem ſaniori conſilio in Hiberniam tranſuectus, ſtatim aquis terræ illius ſalubriter hauſtis, & cibarijs ſumptis, letalem hoſtem letaliter extinctum per inferiora tranſmiſit, & lætus ſanitate reſumpta repatriauit.*

74. Huius Cambro Britanni teſtimonio ſubſcribit auctor Polychronici Radulphus Hygedem monachus Ciſtercienſis aſſerens, *Sanctum Patricium cuncta venenoſa animantia per ſuum baculum de terra* (Hiberniæ) *eieciſſe*, vtrique ſuffragantur. I. Baptiſta Fulgoſius lib. 1. exemplorum. Richardus Stanihurſtus, de vita S. Patricij lib. 2. Gulielmus Thyreus diſcurſu paneg. 4. p. 114. & communis ſententia omnium Hibernorum, qui ſine ſtomacho audire non poſſunt aſſerentem oppoſitum. Ann. 490.

75. Denique ad iſtius opinionis confirmationem, facit vetuſta pictura, quæ paſſim conſpicitur in templis, & oratoriis, tum apud exteros, tum etiam in hac ipſa Inſula, cùm mirum ſit ab aſſultu, & incendio nouorum huius æui Iconoclaſtarum, potuiſſe aliquod veſtigium ſupereſſe, tamen in ſacrario S. Saluatoris oppidi Vadipontani Ardmachanæ Diœceſis, & in ſacello domeſtico viculi de Maymordry Medenſis Diœceſis, & in parochiali Eccleſia S. Patricij Kilkenniæ, & paſſim in recentioribus ſculpturis, quas Hiſpania, Gallia, Belgica ſuppeditat, cernitur imago S. Patricij ambulantis ſuper Aſpidem & Baſiliſcum, ad denotandum, virtutem eius, & poteſtatem cœlitus acceptam in expurganda hac Inſula, & exterminandis omnibus venenatis ex toto illius ambitu.

76. Et contra tantam nubem teſtium, quid tandem producit Irenæus. Ipſum audiamus. *Eam* (inquit) *regionem* (Hiberniam) *nihil peſtiferum, aut venenatum alere, tum ex multorum ſermonibus, tum ex Beda intelligo, adeò vt terra illius regionis exportata, peſtifera atque venenata animalia extinguat: Verum, id quidquid eſt, non Patricio, ſed naturæ regionis tribuo, propterea quod longè ante Patricium natum conſtet eam fuiſſe eius regionis dotem: quam non eſt difficile alibi reperire.* Hæc ille, deinde in margine citat Iulium Solinum cap. 35. Itaque Solius ducitur auctoritate Solini, quem in multis alijs conſtat hallucinatum, multáque parum certa & ſolida ſcripſiſſe, non ſolum de regionibus his remotioribus, quorum notitiam vix aliundè, quàm leuibus rumuſculis percipere potuit? ſed etiam de vicinioribus ſibi, ad quas breuis, & facilis ei dabatur acceſſus. Nam, vt prætermittam quæ de inconditis, ſibique incognitis incolarum moribus iactat, quod aduectum inde puluerem, ſeu lapillos ſi quis ſparſerit inter aluearia examina, fauos deſerunt, quod mare inter Hiberniam, & Britanniam interluens, vndoſum, inquietumque toto in anno non niſi æſtiuis pauculis diebus eſt nauigabile. Ibi non ortæ generare, & concipere ait, ſed fabulam refutat Ariſt. l. 3. c. 6. de gener. anim. alijſque huiuſmodi nænijs. Et quid mirum ita olim locutum Solinum, quando etiam noſtro æuo quædam præcipitanter & inconſideratè ab Hortelio Caſſanæo Botero affinguntur innocuæ nationi, & neſcio qui barbari & inhumani ritus ex Solino, vel Syluestro deſumpti, quod Gens inhoſpita, quod ſine calcaribus & ephippijs equitant, quod rara ibi auis, nuſquam apis cum tamen & auibus, & apibus abundet, & hoſpitibus excipiendis ſit addictiſſima; quod lucijs perticis gobionibus, phaſianis careat: capris item damis & Ericijs, quod tritici grana tam minuta ſint, vt vix vanni beneficio purgari queant, & alia multa, quæ ſcimus veritate deſtitui.

Solinus multis in rebus hallucinatur.

Vide Ger. Mercator. in ſuo Atlāte Coſmograp.

Hortelius decipitur in deſcriptione Hibernia.

Hiberni à fide ſuſcepta in melius commutantur.

Vndè docemur non eſſe ſemper vera, quæ à quibuſlibet de quibuſuis narrantur, aut litteris mandantur, vt de Laonico Chalcondyla quiſpiam dixit. Nec tamen inficias iuero, quin, vt in alijs paſſim regionibus, ita in hac quoque Inſula progreſſu tēporis multa ſint in melius mutata, & vt vſum alueariũ, ita cultum hoſpitalitatis & elegantiam morum, aliaque plura Hiberni melius imbiberint, ex quo imbuti ſunt fide Chriſtiana.

Argumentum Irenæi refutatur.

Sed nec Solinus ipſe, quo ſolo nititur Irenæus Alani, aliud dicit, in quo ille ſe poſſet fundare, quàm quod illic nullus anguis, auis rara, apis nuſquam. Vno eodemque tenore de tribus loquitur; Itaque ſi illam velit eſſe dotem, & indolem vt anguem non ferat; nec auem aut apem ferre poterit. Quod tamen falſum eſſe deprehendimus, neque enim Vſpiam maior alitum copia pullulat, aut apum creſcit multitudo, quæ non in alueatibus ſolum, ſed & in cauernis terræ, in tectorum ſuggrundiis, in cauitatibus arborum abundè mellificant. 77.

Error, quòd Britānia nec lupos producat, nec alat. Cap. 1.

Fuerunt olim & nuper nonnulli in illo errore vt dicerent Britanniam, nec ſponte producere lupos, nec aliundè importatos ferre. Sed refutantur per recentiores ex vetuſta hiſtoria: nam præter ea, quæ refert Polidorus Virgilius, & Guilielmus Camdenus de lupis per vniuerſam Angliam deletis quum Edgarus Rex Luduallo Ordonicum Principi imperaret tricenos lupos in ſingulos annos vectigalis nomine, vt ab eorum incurſu ſecuri eſſent ouium greges, prolixè exponit eorum interneccionem ex Philippi Sydnæi ſententia Georgius Daudrius in ſuis ad Solinum Memorabilibus. 78.

Soles angues vult Solinus eiectos eſſe ex Hibernia. Medi quibus in Hibernia poſſent eſſe ſerpentes, licet tempore Solini non fuiſſent. Io. 9. Matt. c. 9. v. 8.

Quod ſi in eiectione ſerpentinæ ſobolis ex vniuerſa Hibernia voluiſſe dicamus diuinam opem, quomodo in exterminandis ex Anglia lupis venatorum operam certum eſt valuiſſe, & vtrumque ex hiſtorica fide paribus rationum momentis ſtatuatur, quid erit contra tot, & tanta teſtimonia vnius & ſolius Solini præiudicata poſitio? Tantò magis quod nec ipſe quidem tam præcisè loquitur, vt omnem ſerpentum progeniem eliminatam ex tota Inſula velit: de Solis anguibus loquitur. Nec ſequela conſtat, ſi vnam ſpeciem abneges; etiam genus abnegari cui ſpecies illa ſubijcitur. Nihil de aſpide, baſiliſco, vipera, nihil de ſcorpio, ceraſta, aliiſque innumeris ſpeciebus ſerpentini fœtus præſcribit Solinus. Quod ſi ipſo auctore vel aſſertore, nullus ibi anguis fuerit, quo tempore illa ſua memorabilia conſcribebat, hoc non affirmat ex antipathia terræ, vel occulta auræ cæleſtis influentia profectum. Potuerunt igitur poſtmodum aliundè inuehi, vel Dei immiſſione in vindictam peccati, vel hominum aduectione, ſeu alio quocunque conſilio, quod nobis ſit occultum. vt quemadmodum vitium oculorum in cœco nato ad manifeſtandam Dei gloriam: ita virulenta progenies præuiſa fuerit, quod in ſublimationem diuini honoris & famuli Dei magnificationem eſſet redundatura. Honor enim ſerui in Dominum redundat. Et quemadmodum videntes ſanatum paralyticum turbæ timuerunt, & glorificârunt Deum, qui dedit poteſtatem talem hominibus: Ita Hiberni conſpicientes Inſulam liberatam illo graui incommodo, quo colubri alijque ſerpentes eam infeſtabant magis aſſurgebant, ad Deum laudandum & colendum, eiuſque famulum Patricium impenſius amandum, & reuerendum. 79.

Ieremias venenoſa expellit. Epiph. de vita & inter. Prophetarũ. Iſidorus eidem aſſentitur, & an vtrunque Doroth. idem aſſeruit l. de vitis Prophetarũ.

Simile quidpiam de Ieremia Propheta ſcribit Epiphanius, cuius verba referam. *Ieremias Propheta Anathothites apud Taphnas in Ægypto à plebe lapidibus obrutus occubuit; Iacet verò in eo loco ſepultus, quo dudum Pharao Rex habitauerat. Quamobrem Ægyptij poſteà magna cum religione colebant, vbi pluribus ſe officiis ab illo adiuuari cognouerunt. Aſpides enim & vndarum belluæ (quas Niphod appellitant Ægyptij Græci verò τοὺς κροκοδείλους) eos interimentes, poſtulationis Ieremiæ beneficio, ex illis finibus ſunt profligati, nec tam aſpidum furor, quàm ex flumine ratione pari inſidiæ. Quique vel hodie adhuc fideles comperiuntur, qui eodem in loco ſupplicare conſueuerunt, & ſumpto puluere morſibus aſpidum medentur, feræ quoque aquarum hinc aufugerunt.*] 80.

Quam hiſtoriam cum recitet, ac pro vera, & indubitata recipiat Alani Irenæus, neque in ea recurrendum putet ad naturam ſoli, vel glebæ dotem, ſed Prophetæ precibus defugatos ab eo loco ſerpentes, & Ægyptios à tactu aſpidum ſecuros fateatur, cum D. Hieronymo, ſeu quiſquis auctor eſt præfationis in Ieremiam, non debuit nimis anxiè mouere ſcrupulum de immunitate, tum Inſulæ à nocumento venenatorum, ſitnè precibus Sancti Patricij impetrata, necnè, cum recepta fidelium incolarum opinio, nec pietati repugnet, nec veritati. 81.

82. Multò ille rectius dubitare poterat de his, qui in die conuerſionis Sancti Pauli naſcuntur, de quibus affirmat, vel affirmatam ab vno Siculo ſcriptore ſententiam approbat, quod quæcunque eos orbis pars in lucem proferat non horrent, nec formidant angues, & quod maius eſt ſolâ ſaliuâ, horum morſibus medentur, atque hanc mirificam proprietatem Diui Pauli meritis aſcribit. Qua de re ita Lorinus argutè diſſerit. *Quod de natis in die conuerſionis Sancti Pauli Fazellus aſſerebat, & Alanus Copus approbat, equidem non facile probo: nullo modo genus illud hominum, qui ſe de cognatione Pauli vanè, mendaciterque venditant, & angues contrectare ſine damno, compertum eſt iſtos contra morſum antidotis præmuniri.*]

Thom. Fazellus de rebus Siculis l. 1. decad. prior. — *Saliua natorum die Sancti Pauli valet cõtra angues.*

83. Vniuersè ſcribit Plinius, *omnibus hominibus contra ſerpentes ineſſe venenum, atque ictus ſaliua viſeruentis aqua contactum fugere. Quod ſi in fauces penetrauerit, etiam mori*; tradit etiam Crates Pergamenus in Helleſponto circu, *Parium genus hominum fuiſſe, quos Ophiogenes vocat, ſerpentum ictus contactu leuare ſolitos, & manu impoſita venena extrahere corpori.* Varro etiam refert *quoſdam ibi adhuc ſuo tempore fuiſſe, quorũ ſaliua contra ictus ſerpentum medeantur.* Quibus non obſtantibus contendit Alanus *pro miraculo habendum, quod 8. Calend. Febr. nati, qui ſe cognatos D. Pauli appellandos præferũt, ſaliua ſanẽt à ſerpente præmorſos.*

Commẽt. in Acta c. 28. — *Illa opinio tanquã falſa refutatur.*

Sed experientia coarguit vanitatis iſtius rei credulos, cum nulla ſit vel ratio firma, vel firmamentum comprobatæ, aut certæ experientiæ, quæ cogat hoc ſentire de carentia ſerpentum in Hibernia, quod illa ex inſita vi terræ proueniat.

L. 7. hiſt. c. 2.

84. Nam quod ibidem Lorinus eam narrationem ducat non ſolum à Solino, ſed etiam à Venerabili Beda: admittimus quidem authoritatem poſterioris huius ſcriptoris, cuius explorata magis, & ſpectata ſententia, minuſque ſuſpecta eſt fides in hiſtoria. Sed cum ille referendo effectum, non referat cauſam, ſed relinquat adiaphoram, ſitnè ex ingenita ſoli qualitate, an ex beneficio precibus Sancti impetrato, quis non videt ex eius atteſtatione nihil in alterutram partem ſolidè poſſe concludi? Verba ipſius afferam.

Remediũ commune cõtra venenum.

85. *Nullum ibi* (in Hibernia) *reptile videri ſolet, nullus viuere ſerpens valet. Nam ſæpè illò de Britannia allati ſerpentes, mox vt proximante terris nauigio, odore illius attacti fuerint, intereunt: quin potius omnia penè, quæ de eadem inſula ſunt, contra venenum valent. Denique vidimus quibuſdam à ſerpente percuſſis raſa folia codicum qui de Hibernia fuerunt, & ipſam raſuram aquæ miſſam, ac potui datam, talibus protinus totam vim veneni graſſantis, totum inflati corporis abſumpſiſſe ac ſedâſſe tumorem.*]

L. 1. hiſt. c. 1.

Sed & Berchorius inter alia ex Iſidoro hæc habet. *Hibernia regio eſt fertilis fructibus, & frugibus opulenta, quoad cæli ſitum temperata, nam parum aut nihil excedit in frigore vel calore; fluuijs & fontibus irrigua, pratis & ſyluis amœna, gemmis & metallis fœcunda:* & quibuſdam interiectis. *Ibi*, inquit, *nec ſerpens, nec rana, nec bufo, nec aranea, nec aliquod aliud venenoſum inuenitur, imo in tantum contrariatur venenis ipſa inſula, quod lana, & veſtimenta ouium huius terræ fugant omnia venenoſa.*]

L. 13. c. 26.

Bartholomæus etiam Anglicus. *In Hibernia*, inquit, *nullus eſt ſerpens, nulla rana, nulla aranea venenoſa, imo tota terra adeò eſt contraria venenoſis, vt terra inde delata, & ſparſa ſerpentes perimat, & bufones.*]

L. 15. c. 80. de rerum prop.

86. Ex quibus verbis elici non poteſt hanc dotem reſpuendi ſerpentes eſſe telluri innatam; quin potius, cum ex ipſius etiam aëris afflatu enecari conſtet, altiorem aliquam & diuiniorem oportet eſſe virtutem expellendi, quàm quæ ex humo peti poſſit.

87. Porrò verba ipſius Solini, cuius aſſertione maximè nititur illa in diuerſum opinantiũ ſententia, ſi accuratè expendantur, vel nihil, vel certè exiliter ſuffragantur iſti opinationi. Nam quemadmodum nullum in Hibernia anguem, ita nuſquam reperiri apem affirmat. Cum igitur nulla ſit terræ antipathia cum apibus, & eodem modo loquatur de vtriſque ille ſcriptor, ſi apes ferre poteſt, cur non poſſet angues, quando in alijs regionibus vicinis eiuſdem conditionis & naturæ par ſit vtriuſque ſpeciei genitura, & his reptilibus atque illis infectis natura ſoli non repugnet.

Arguitur contra Solinum, & Alanum.

88. Huc accedit, quod Solinus ſic potuerit hallucinari de Hibernia ſicut de Thanato ſiue Athanaro inſula in Cantio Britanniæ, vulgò Tenet, certò conſtat lapſum fuiſſe; cum aſſereret eandem nullo ſerpi angue, & terram inde aſportatã angues necare. Iam enim falſum deprehenditur, inquit Camdenus. *Proinde Etymologia illa ἀπὸ τοῦ θανάτου, i. à ſerpentium morte deducta planè labaſcit.* Ita tamen error iſte apud quoſdam inualuit, vt Panegy-

ricus Conſtantio dictus, ad totam Britanniam extenderit iſtam dotem, quam falsò adſcripſit Solinus vni ſolum angulo, vel particulæ. *O fortunata,* inquit, *& omnibus beatior terris Britannia, quæ Conſtantium Cæſarem prima vidiſti, in qua nemora ſine immanibus beſtijs, terra ſine ſerpentibus noxijs.*] Ita ille in fraudem, vt videtur à Solino inductus.

Maneat igitur *ſi non omninò certa*, ſaltem probabilis illa indigenarum opinio, à Sancto Patricio impetratum eſſe huic regioni priuilegium, quod anguibus cæteriſque ſerpentinæ fœturæ venenoſis careat; vt quod de Phoca Martyre Antiocheno ſcribitur in Marty- 89.

3. *Martij.* rologio Romano, meruiſſe à Deo, quod ſi quiſpiam à ſerpente morſus fuerit, & ianuam baſilicæ Martyris, credens attigerit, confeſtim euacuata virtute veneni ſanetur, vt illo

Memorabile de Phoca Martyre. miraculo declaretur, qualiter de antiquo ſerpente illo triumphauerit: Ita viciſſim vt mūdo appareret qualiter Spiritus Domini exornauerit ſolum Hiberniæ, & profligata infidelitate, ac Magorum præſtigiis obſtetricante manu D. Patricij eductus fuerit ſerpens tortuoſus, voluit benignus Dominus documentum mundo relinquere, ipſum Deum pacis, qui conterit Satanam ſub pedibus ſeruorum ſuorum exterruiſſe ex iſto ſolo, & ſalo Hiberniæ iſta omnia reptilia, & natatilia noxia, quibus obnoxiæ ſunt circumuicinæ regiones, (dempta vnica inſula quæ ipſius vel diſcipulorum eius opera emerſit ex tenebris Gentiliſmi) vt conſtaret à cœlo non à ſolo eſſe nobis ſalutem, vtramque incolumitatem, & corporis, & animi, ex eodem fonte cœleſtis beneficentiæ voluit nobis prouenire.

Obiectio. Sed his omnibus non obſtantibus objiciet quiſpiam, vernaculū idioma carere proprijs, & ſpecificis nominibus ſerpentum & venenatorum animantium, ergo veriſimile eſt ab initio caruiſſe ipſis ſpeciebus ſerpentinis. 90.

Reſpondeo, multifariam, multiſque modis infirmari nominalem hanc & vitream ob-

Solutio. iectionem, & quidquid ſit de origine idiomatis, cuius conditorem Gathelum vel collectorem ſtatuerat Antiquitas; certum hoc in primis eſſe debet ordine naturæ, res omnes, quæ prædicabiles ſunt aut nominabiles, prius eſſe, vel in ſe ſubſiſtentes, vel ſubiecto inexiſtentes, quàm prædicari aut nominari poſſe vel debere: alterum enim eſt neceſſarium, alterum verò contingens: alterum à natura eſt, alterum ab inſtituto. Res nominanda ab artifice increato eſt, iuxta ideas in mente diuina poſitas: nomen autem rei arbitrarium quodammodo eſt, & caſu nonnunquam, conſilio quandoque, nunc citius, nunc ſerius impoſitum.

Id ita eſſe conſtat in ipſo primordio creationis rerum & denominationis earum: prius enim condidit Deus animantia, quàm nominibus ea inſigniuit, & inter ſe diſtinxit illa Protoplaſtus, & quod ad noſtrum pertinet propoſitum, cum indidiſſet Adamus conuenientia nomina tam animalibus terræ, quam volatilibus cœli, quæ ſingulorum naturam exprimerent, poſtquam ea Dei nutu in conſpectum eius adducta conſpiceret, & ſingulorum indolem, motum, greſſum formamque conſideraret; Natatilia tamen, qualia ſunt cete grandia, piſceſque omnis generis; adde natrices, angues, multaque venenoſæ ge- 91.

Vide Cornelium in c. 1. Geneſ. v. 19. lit. C. nerationis aquatilia, nec coram allata, nec ab eo nominata perhibet hiſtoria Geneſeos, quæ ſuis tamen paulatim nominibus, ſiue ante, ſiue poſt diluuium nuncupata ſunt.

Si igitur licebit ſic argumentari. Hibernica lingua non habet nomina ſpecifica ſerpentum: ergo Hibernia nunquam habuit ipſas ſpecies; licebit viciſſim ſic arguere. Iam cōdito orbe & ornatu eius, nondum indita erant nomina iuxta diuerſitatem aquatilium: ergo in orbe non erant aquatilia. Certè pro temporis aliquo interſtitio nulla adhuc nomina à primo impoſitore indita erant aquatilibus (ſi tamen vnquam ab ipſo, & non potius à poſteris eius nomina illis impoſita ex varijs euentibus, qui ſucceſſu temporis oboriri poterant) ſed ſiue ab ipſo, ſiue à ſucceſſoribus poſt lapſum temporis aquatilia iſta in matrice lingua, omniumque primæua Hebraica denominationem acceperunt, vera cum eſſet hæc propoſitio. Nondum ſortiti ſunt piſces propriam & ſpecificam vocis aut nominationis diſtinctionem in illo idiomate, quod tunc vnicum erat in toto orbe: ergo toto illo tempore piſces non erant in vniuerſo orbe. Eodemque modo argumentemur, ſi placet, de Hibernico idiomate; admittamus defuiſſe vocabula diſtinctiua ſerpentini generis, ergo genus ipſum, aut ſpecies ei ſubiectas ab exordio defuiſſe conſtabit.

Illa argumentatio, clarum eſt quod cum veritate pugnet, quidni & iſta? Neque enim 92.

à ne-

à negatione, vel priuatione nominum, ſequitur priuatio, vel negatio rerum in aliqua gēte, vel natione; Neque contrà ex negatione rerum ſequitur negatio, vel defectus nominum. Quod ſic deduco. Nam alioqui ſi ex defecto nominum validè inferatur defectus rerum quæ nominari poſſunt; ſimili conſequentia aut fortaſſe fortioti ſequetur, in hoc idiomate apud hanc gentem reperiuntur propria & diſtincta nomina omnium ſpecierū, animantium, volatilium, reptilium, natatilium, quæ vſpiam per vniuerſum reperiri queant, igitur in hac gente, ipſa animalia, volucres, reptilia: natatilia, quantumuis peregrina, & exotica, vel reperiuntur modò, vel reperta ſunt. Atque ita non minus leones quàm lupos, non ſecus elephantos, pantheras, pardos, tygrides, quàm boues, equos, vulpes, feles Hiberniæ tribuemus, ſi nomina non deſint iſtarum ſpecierum.

Itaque lubrica eſt & labilis illatio à defectu, vel copia nominum in aliquo idiomate, ad defectum, vel copiam rerum, per voces, quæ ſunt vel eſſe poſſunt, nominabilium in aliqua natione, prouincia vel Regno.

93. Cum his tamen non admittimus linguam Hibernicam tam inopem fuiſſe, vt omni quo defuiſſent in ea voces, & nomina diuerſorum ſerpentum, & aliorum venenatorum. Tametſi enim vocabularia non ſuppetant nobis locupletiſſima, vt illa dignoſci poſſint, & promiſcuè ab omnibus etiam idiotis legi vel intelligi; quod optandum eſſet, quin tamen à peritioribus illis Antiquarijs, qui aſſidui ſunt in ſuis Syttibis, membranis, & manuſcriptis verſandis, illa pertractata ſatis, & comprehenſa ſint, non debet temerè negari à quouis neſciente, vel minus conſiderante quantum ſtudij & operæ, natio illa ponit in illis vetuſtis vocabulis rimandis, eruendis, & in ſuam priuatam notitiam ab vſu communi & multorum communicatione ſeponendis.

94. Atque inſuper ex abundanti dicimus, in materia ſubiecta, de qua nunc ſermo nobis eſt, adeò non eſſe abſtruſa vel recondita, multóque minus deficientia venenoſorum geniminum vernacula nomina, voceſque ſpecierum diuerſas, vt etiam vulgo & ab imperitis cognoſcantur. Hinc enim præter iſta, quæ linguæ gnaris decantata ſunt, & cognita ſatis, viperæ, ſcorpionis, ranæ, ſerpentis, & alia cōpluria omnibus obuia, & vſitata ſunt vocabula Hibernico conuerſa, quamuis res per voces ſignificatæ, à pleriſque vel omnibos in Hibernia nec viſæ, nec cognitæ fuerint. Vt hinc potios ſequela ſit firma, ſi velimus ad hominem argumentari, cum non deſint modo, nec defuerint ſerpentium nomina diuerſa & ſpecifica, nec defuiſſe quoque ipſas ſpecies, qoouſque ex priuilegio diuinitus conceſſo, vel ſancto Patricio ſoli, vt habet cōmunior ſententia: vel ipſi coniuncto cum alijs Sanctis, vt pauci quidā aſſerūt, terta eſſet expurgata, & tam humus ipſa, quā alia omnia ex eadem humo genita in antidotum data eſſent aduerſus omnem morſum, & virulentiam ſerpentinam. Et qui pluta legere volnerit, Diuum Bedam initio ſuæ hiſtoriæ conſulat cum his quæ ſuperius ex Giraldo produximus; quæ ſi conferamus cum alijs noſtri æui & recentioris memoriæ euentis, vt de præmorſis ore Hibernorum anguibus pro anguillis in Anglia, de araneis ibidem venenoſis, manoum alliſione compreſſis, de ſalioa in circulum ducta colubrum ne tranſiret cohibente, de laquearibus contabolatis in palatio Vveſtmonaſterienſi è ligno Hibernico, ſimiliter & in aula Hagæ Comitis in Batauia virulentas araneas reſpuente: de Raclinia denique inſula per Iacobom Regem adiudicata in dominium & poſſeſſionem Radulphi Comitis de Antrym in Vltonia litem dirimente (vt accepi) hoc indicio & argumento adminicolante, qood ſerpentes non patiatur ex priuilegio maioris Inſulæ, à qua exiguo freto abiuncta eſt, & priuilegio dotali gaudet è vicinitate ſitus, tanquam appēdix ſit, & ceſpes acceſſorius, qui debet ſeqoi naturam terræ pıiocipalis. Sic inſula Manniæ, quæ inter Hiberniam & Britanniam ſita eſt, quia fert venenoſos vermes, olim adiudicata Hiberniæ (Giraldo teſte) accenſetur Britanniæ eandem ob caoſam.

95. De loco vndè S. Patricius eiecerit collectum agmen venenatorum ex omnibus Hi- Cambr. d. c. 15. To- pogr.
beroiæ partibus, & coaceruatum in vnam molem, in exterminium abegerit, ſub iudice lis eſt. Qui ſolidius loquuntur, & ex fide codicum Ms. illi montem Algæum deſignant in Conacia, vt ſuprà diximus. Is cum immineat mari, & S. Patricio in tutelam ſit dicatus, commoditate ſui ſitus optimè deſeruire potuit ſerpentibus in ſubiectam vergiui profundum exturbandis. Nonnulli tamen autumant, vel partem eorum, vel vniuerſos ad

Orientem è vico maritimo, qui dicitur *Old Patrick*, & inter Dublinum, & Vadipontum interiacet, præcipitatos in Oceanum Hibernicum fuiſſe; In cuius præcipitij memoriam ad poſteros tranſmittendam, contendunt ſupereſſe ibidem in Latomijs, ſeu fodina lapidum, colubros, bufones, Aſpides, alioſque ſerpentes lapideos, qui in compagibus ſaxorum foſſilium affabre facta delineatione cernuntur; quæ an ludentis naturæ oſtenta, an verò rememorandi miraculi veſtigia ſint, anxiè inquirendum non duco.

Certè ad Anonum Glouerniæ, in Belgis, Britanniæ amnem cerni ſerpentes in lapides 96.
mutatos, per ſanctiſſimam virginem loci patronam Keinam Britannicam, ex æui ſuperioris fide commemorat Guil. Cãdenus, ſeque vidiſſe lapidem indè delatum effigie ſerpentis in ſpiram reuoluti, cuius caput imperfectius in circumferentia prominuit, extrema cauda centrum occupante, idque ille magis in luſum naturæ, quàm in vſum altioris Theoriæ refert. Cæterum quidquid ſit

Ludit in humanis diuina potentia rebus.

Et mira per naturam, ſupráque naturam, officio quo nouit, & voluit, & poteſtate, qua valuit, in teſtimonium ſanctitatis ſeruorum ſuorum fecit olim Dominus Deus, facitque indies, & in æuum faciet prodigia, & portenta in ſolatium bonorum, & malis in terrorem, vt diſcant omnes ſubeſſe Deo, & quod ſubeſt ei cum voluerit poſſe, ſic beatæ virginis Pharaildis indicio, panes nonnulli in lapides ſunt conuerſi, quorum adhuc in Sacello ipſius conſeruatur memoria; vt refert Molanus 4. Ian. & de nauta, cuius omne nauis onus, quod mandi potuit, in ſaxa eſt conuerſum, cum pauperi dixiſſet ſe nihil habere, niſi lapides, ex quibus & dactylos ſe vidiſſe, & oliuas lapide duriores, meminit Greg. Turonen. de glo. Confeſſ. c. 108.

Quinta Elucidatio in cap. idem.

De Baculo Ieſu.

IPſenamque Paſtor præſtantiſſimus (Patricius ſcilicet) *manu, Domini Ieſu baculum baiulauit, eiuſque eleuatione comminatoria, omnia venenata animantia, Angelico ſuffultus ſuffragio ex vniuerſis Hiberniæ partibus in vnum congregauit, &c.*

Et quia iam vtcumque à nobis conſtitutum eſt de eiectione venenatorum 97.
facta per D. Patricium: de inſtrumento, quo eiecit, pauca quædam dicenda nobis erunt. Ponitur autem ex eius vita confectam eſſe iſtam expurgationem, præmiſſa oratione, & ieiunio, in eleuatione manus, & comminatione cum baculo Ieſu, quem acceperat à Iuſto ſene in Tyrrheni maris Inſula, cum ex Hibernia Romam verſus peregrinaretur; vt refert in eius vita Iocelinus cap. 24.

Faciunt huius baculi præclaram mentionem alij etiam ſpectatæ fidei ſcriptores. D. 98.
Cap. 8. Bernardus in vita Sancti Malachiæ, vbi de Nigello incubatore pulſo ex Armacana ſede, & ſancto Pontifice, ac Metropolitano totius Hiberniæ Malachia introducto agit, hæc ibidem ſubiungit. *Porrò Nigellus videns ſibi imminere fugam, tulit ſecum inſignia quædam illius ædis* (Armacanæ) *textum ſcilicet Euangeliorum, qui fuit Beati Patricij, baculumque auro tectum, & gemmis pretioſiſſimis adornatum, quem nominant baculum Ieſu, eò quòd ipſe Dominus (vt fert opinio) eum ſuis manibus tenuerit, atque formauerit. Et hæc ſummæ dignitatis & venerationis in gente illa. Nempè notiſſima ſunt celeberrimáque in populis, atque in ea reuerentia apud omnes, vt qui illa habere viſus fuerit ipſum habeat Epiſcopum populus ſtultus & inſipiens.* Deindè proſequitur Bernardus de Nigello loquens. *Ibat homo gyrouagus, & alter Satanas circuibat terram, & perambulabat eam inſignia ſacra circumferens: Quæ vbique oſtentans, vbique eorum gratia receptabatur.*

D. Bern. mentionẽ Baculi Ieſu facit.

Vbi liquidiſſimè cernimus quanto cum honore, & veneratione culta fuerint, quantis ſumptibus exculta, quæ æſtimatio & opinio totius gentis de baculo, quod Chriſtus Dominus, ſuis ipſe manibus illum attrectauerit, & formauerit. De quo etiam ſcribit Gyraldus, *ſuo tempore tranſlatum fuiſſe ex Armachia Dublinum*, diſertéque illum nominat baculum Ieſu. Qui ſanè cum ſit Dominus vniuerſorum, cui ſubeſt cum voluerit

Topog. d. 3. c. 38.

poſſe,

poſſe, cuius attactu fimbriæ, virus egreditur, & ſequitur ſanitas, qui tanquam lignum, Baculum
quod plantatum ſecus decurſus aquarum quod fructum ſuum dat in tempore ſuo, cuius hoc ab
& folium non defluit, & omnia quæcunque facit proſperantur: quid mirum, ſi ligno à Ardmachia Du-
ſe attacto & fabrefacto aliquam virtutem addiderit aſſiſtendo, vel inſerendo indiderit, blinium
vndè eſſet veluti ἀλεξίκακον veneni & venenatorum? tranſlatū.

Refertur de ſtatua, quam Paneadæ erexit, hæmorrhoiſſa à Chriſto ſanata, in qua me-
99. dici & medicatæ, in memoriam factæ ſanitatis, ex ære ducta fuit effigies, illa ſe inclinan-
te ad eius pedes, & ad fimbrium ſe porrigente, cum ignota quædam herba propè naſcens
ad oram veſtimenti Saluatoris ſuccreuerit vim accipere ſanandi varios & incurabiles Vis ſanādi in her-
morbos. ba.

Si igitur inanimi ſtatuæ in honorem prototypi tanta à Deo collata virtus, quis mo-
100. dum aut menſuram ſtatuere audebit viuifico, & mitifico Saluatori, quin ſuo ſalutifero
contactu impreſſerit, quam potuit, quocunque modo imprimere voluit, aut exprime-
re vitalem virtutem ſignorum operatricem in baculo, quem formauerat, & famulo ſuo
tradendum deſtinauerat, quando eum præparabat ad gentem lucrandam, quæ dura ni-
mis, & præfracta erat, magorum ludibrijs dementata, & dæmonum præſtigijs lu-
dificata.

101. Mira vis, & energia fuit in baculo, & ſuperhumerali, Senuphi Anachoretæ, quàm
ſuis à Domino precibus impetrauerat in gratiam Theodoſij Imperatoris: *Cùm enim ille*
ad periculoſum nimis bellum, in quo de ſumma rerum agebatur, ſeſe pararet, & diuinum ante
omnia ſibi numen conciliare ſtuderet per deprecationem ſanctiſſimorum Anachoretarum & mo-
nachorum. Et iſtum celeberrimum patrem, vt apud ſe eſſet, euocaret; Ille animi anceps cum &
obſequi vellet Imperatori, & cella deſerere nollet, diuino inſtinctu; præclarum cōſilium iniit fi-
de plenum: nam cum ſuperhumerale & baculum in cœlum ſuſtuliſſet Dominum ſic obſecrauit. Mirà vis
Da Deus huic ſuperhumerali & baculo, vt tantùm poſſit, quantum ego ipſe ſi illic adeſſem. Illiſ- baculi &
que ad Imperatorē miſſis, mandat vt ſuperhumerali caput contectus, & baculum manu geſtans au- ſuperhu-
denter ante omnes procedat in hoſtes incruentam reportaturus victoriam. Sic egit Imperator ma- meralis
gna fide nixus, ſic victoriam obtinuit. Feſtum Imperator nominauit hunc diem, & nunc quo- S. Senu-
que poſt magnū tempus magnificè celebratur ab Alexandrinis & nominatur εἰκὼν ab imagine: phi.
ab eis enim Imperatori facta eſt ſtatua eo, quo tunc modo armata. Ita Baron. ad an. 388. ex Gly-
ca Annal. p. 4. & Metaphraſte in Actis SS. Cyri & Ioan. 31. Ianuar.

Quam hiſtoriam eo fine recito, vt conſideratis circumſtantijs, & collatis inter ſe
prodigioſis effectibus ex vno cognito & admiſſo, aliud admittatur & clareſcat, eò ma-
gis, quod narratio, quam attulimus de baculo Ieſu, non minus illuſtres, claros & pro-
batos habeat aſſertores, quam altera illa de baculo Sancti Senuphi. Sed inter vtrum-
que baculum hoc diſcriminis eſt, quòd ille noſter prehenſus & formatus ipſius Domini
manu perhibeatur, cum ille alter, quem tanti Theodoſius fecerat, non niſi manu ſerui
geſtatus, & precibus eius commendatus Deo legatur. Et inſuper hoc intereſt, quod
baculus iſte ab Anachoreta ſolummodo pro munere datus, & pro victoriæ arrha miſſus
ſit ad Imperatorem, cum ille de quo agimus ordinatione & iuſſu ipſius Chriſti dedicatus
fuerit, & deſtinatus ad ſanctum Patricium.

Scribit autem Abulenſis virgam illam portentoſam, qua Moyſes diuiſit mare ru- Q. 20. in
102. brum pro tranſitu filiorum Iſrael, in qua etiam ſigna & prodigia multa operabatur cum c. 4. Exod.
in terra Madian creuiſſet apud ſocerum eius Iethro, à nullo mortalium exſcindi potuiſ-
ſe, niſi à ſolo Moyſe, in qua inciſas habebat quatuor literas tetragrammaton. Ea vt ve- Virga
ra ſit hiſtoria, nobis exhibet materiam conſiderandi, quam longè ſe porrigat Dei pro- Moyſis
uidentia, diſponendo cauſas & inſtrumenta, quibus ſua magnalia mundo velit exhibere, Vide, Vicā, tom. 1.
& cum multa patrârit portenta in liberatione Iſraëlis è ſeruitute Pharaonis, multa etiam cōc. p. 188.
paranda duxerit, & patranda oſtenta in eruendo populo Hiberniæ è faucibus Infe-
rorum.

Nihil hoc loco occurrit, quod difficultatem moueat, niſi quod de apparitione Do-
103. mini, & exhibitione baculi vera prorſus & non imaginaria perſcribitur. Sed non eſt no-
uum, aut ſingulare Chriſtum in perſona propria quibuſdam apparere, id enim ab exor-
dio Eccleſiæ Chriſtianæ multis, & multoties accidiſſe ex Patribus & ſcriptoribus Ec-

Li. de cura pro mort. gen. c. 10.

cleſiaſticis manifeſtum eſt. Quæ ſi falſa eſſe reſponderimus (verbis Auguſtini libet vti)
contra quorundam ſcripta fidelium, & contra eorum ſenſus, qui talia ſibi accidiſſe con-
firmant impudenter venire videbimur.

Orat. contra Auxent. Egeſip. iunior. l. 3 de excid.

In ipſo fidei diluculo poſt ſuam aſcenſionem Chriſtus apparuit Petro, vt Ambroſius
auctor eſt, *Nocte*, inquit, *muro egredi cœpit, & videns ſibi in porta Chriſtum occurrere, vr-
bemque ingredi ait, Domine quo vadis? reſpondit Chriſtus venio Romam iterum crucifigi, in-
tellexit Petrus ad ſuam crucem diuinam pertinere reſponſionem.*

Septima Elucidatio in Cap. 22. 191. 196. De ætate, ſepulchro, & ordinatione Sancti Patricij.

MIra eſt inter auctores diſcrepantia de ætate, obitu, & ſepulchro Sancti Patri-
cij. Sed receptior eſt ſententia, vixiſſe eum annos 120. obijſſe anno Domini 104.
491. ſepultum verò in Eccleſia Dunenſi. Ætatis ſeriem ita deduxeris ex pro-
bationibus, qui eius vitam conſcripſerunt: Anno ætatis 16. ductus eſt in Hi-
berniam captiuus; ſexque annos in ſeruitute tranſegit. Ita ipſe ſanctus in ſua quadam
Epiſtola, cuius fragmentum extat in Codice MS. quem de eius vita ab Anonymo

Ætas S. Patricij cum in Hiberniā eſſet adductus.

conſcripta, largo pergameno pœnes me habeo, & verba ipſius ſunt. *Quando ego captus
ſum, tunc annorum ſexdecim eram, Deum verum non cognoſcens, ſicut debui; adductus ſum in
captiuitate ad Hiberniam, cum tot milibus hominum ſecundum merita noſtra mala, quia à man-
datis Dei receſſimus, & præcepta eius non cuſtodiuimus, & Sacerdotibus noſtris non obedientes
fuimus, qui noſtram ſalutem admonebant: Et ibi Dominus ſenſum incredulitatis meæ aperuit,
vt rememorarem delicta mea, & vt conuerterem ex toto corde ad Deum.* Hæc ille; Ex quo

Ætas eius quando liberatus eſt.

corriges Matthæum Florilegum, qui 24. ætatis ſuæ anno, è captiuitate in ſuam patriam
reuerſum dicit Sanctum Patricium: id enim contigit anno ætatis ſuæ 22. potuitque er-
ror ex numeris oriri, vt pro 22. ſcriberentur 14.

Quo ætatis anno S. Patricius miſſus eſt in Hiberniā à Cæleſtino papa. Quamdiu poſtea in Hibernia vixit.

Sexageſimo ætatis anno in Hiberniam veniſſe à B. Cæleſtino miſſum tradunt monu-
menta, & ſpectatioris fidei auctores. Nam cum Moyſe conueniens annorum numero vt 105.
plerique omnes adſtipulantur, quum anno 491. ſit mortuus, anno vero 431. vel ad ſum-
mū 432. inchoato, miſſus à Cæleſtino fuerit, oportebit eum anno ætatis 60. aduenilſe,
vt iuſtus annorum computus exurgat, & Moyſi in ætate adæquetur. Ita verò tradunt
membranæ veteres de eius vita in hæc verba. *Anno 60. ætatis ſuæ, miſſus eſt à Cæleſtino Pa-
pa, ad prædicandum in Hiberniam, B. Archiepiſcopus Patricius venit.* Aliis itaque 60. an-
nis in Hibernia vixit; 30. annis prædicando & baptizando per diuerſas Hiberniæ pro-
uinclas; aliis vero 30. annis in ſuis cellis & monaſteriis theoricè vixit. Iuxta quæ corri-
gendus eſt Florilegus, qui 50. annos in Hibernia eum Euangelizaſſe tradit. Corrigen-
dus & Marianus Scotus, qui cum 60. annos tribuat prædicationi eius in Hibernia, ta-
men non aſſignat ei longiorem, quàm annorum nonaginta duorum ætatem. *Nam cum
eſſet annorum 16. venditus, ſex annis vixit in ſeruitute; in Romanis partibus*, inquit ille, *ſe-
xaginta annis in Hibernia prædicauit.* Iuxta quem computum non niſi 82. eius reperiun-
tur ætatis, vt rectè Baronius obſeruauit à Mariano recedens; magiſque accedens ad
Probum, qui ex commercio eius cum S. Martino, dum eſſet annos 30. natus, deducit
eum vixiſſe, quem alij admittunt, nempe 132. annos. Quoto autem anno ætatis
ſuæ S. Patricius B. Martinum adierit nondum liquet, quoue præcisè anno ipſe S. Mar-
tinus obierit diſceptatio eſt inter Chronographos: de quo videndus eſt Baronius, tum in
ſuis Annalibus, tum etiam in Annotationibus ad Martyrologium Romanum, proin-

Tota ætas S. Patricij.

dè non putamus recedendum à communi ſententia, quæ non ſtatuit niſi 120. annos S.
Patricij.

Quamdiu cū S. Martino deguerit.

Corrigendi quoque vetuſti quidam Codices MS. qui Anno Domini 361. i. anno 1. 106.
Iuliani Apoſtatæ deductum in Hiberniam captiuum dicunt; quem computum ſi ſequa-
mur 147. anni aſſignandi erunt illius ætatis; quod nemo concedit. Alij dicunt coha-
bitaſſe cum S. Martino per quadriannum, à quo clericus ordinatus fuit, vt Baronius
refert

refert ex Probo, & Sigiberto (qui eum genitum ex ſorore Martini ponunt.) Alij, 40. tantum dies apud eum tranſegiſſe perhibent; ita Liber Ms. quem legi de rebus geſtis S. Patricij. Quidam etiam 18. annos vixiſſe ſub inſtitutione Sancti Germani (à quo Preſbiter ordinatus fuit) vt habet Henricus Antiſiodorenſis. Alij aſſignant 40. annos ſub eius diſciplinatu, vt Codex Ms. qui ſuprà.

A quo ordinatus in Epiſcopum.

107. Sunt qui Epiſcopum ab Amatore Antiſtite conſecratum referunt, vt Probus; vel vt Matthæus VVeſtmonſt corruptè legit, à Matthæo Archiepiſcopo; Et à Cæleſtino quidem Papa Archiepiſcopum factum, ſed à quodam ſeniore Sanctiſſimo Epiſcopo antequam Romam veniſſet Epiſcopalem gradum accepiſſe, ita Ms. codex Ardachadenſis. Alij & certius à Cœleſtino ipſo, non autem ab alio ordinatum Epiſcopum aſſerunt, vt & miſſio eius, & conſecratio eodem tempore, & ab eodem Pontifice fieret. Rectè vtique illud aſtruitur à Florilego, quòd nutu Dei Sacris litteris eruditus, atque tandem Romam veniens ibidem tempus ſuum protrahebat, donec eruditior haberetur, ſanctaſque percurrens ſcripturas, diuina myſteria penetraret. Quanto autem tempore Romæ vixerit incompertum nobis eſt. Solummodo illud habetur ex officio Canonicorum Regularium Lateranenſium, quod eſt approbatum à Pio V. Vixiſſe illum in Eccleſia Lateranenſi Canonicum, & cum Auxilio & Seruinio (alij legunt Auxilium & Iſerinum) pariter Lateranenſibus Canonicis ad Sacro-ſanctum legationis Hiberniæ munus à Cæleſtino Papa deſtinatum. Liber eſt impreſſus Venetijs apud Iuntas, Anno 1586.

S. Patricius fuit Canonicus Regularis.

108. In Officio Sancti Patricij recenter excuſo habetur, eum in Hiberniam iuiſſe anno ætatis 55. obiiſſe vero anno ætatis 120. quem cõputum ſic conficies. Quod 33. annos in prædicando & adminiſtrando Sacramenta expleuerit, vt habet Codex Ms. Ardachden: alios 32. in cellis & Monaſterijs theoricè viuendo, quibus ſi adijcias annos 55. compleueris numerum annorum 120.

Computatio ætatis S. Patricij.

Vtque rem paucis complectar; in ſeruitutem abductus anno ætatis 16. Liberatus autem anno ætatis 22. reliquam ætatem vſque ad 55. vel ad ſummum vſque ad ſexageſimum ætatis annum conſumpſit in cura ſui ipſius, & diuinis inſtitutionibus ſub Germano, Martino, Cæleſtino. Nam mora illa perpuſilla, quam reuerſus è ſeruitute fecit in domo parentum, non videtur annorum numerum augere. Cùm autem è ſeruitute liberatus, 38. vel ad ſummum 48. annos in ſtudijs & diuinis inſtitutionibus collocauit, ſub SS. Germano, Martino, Cæleſtino; maiorem illius temporis partem inſumebat, ſub diſciplina Sancti Germani; illa ſub Germano mora, quæ diuturnior erat, totius reliqui temporis denominationem ad ſe quodammodo traxit: Nam ab eo ad Sanctum Martinum digreſſus, & ad eum reuerſus; poſteà, pluribus annis interiectus cum Segetio Preſbitero ad Cæleſtinum ab eodem miſſus, toto illo interuallo veluti diſcipulo & alumno eo Germanus potiebatur, quouſq; ad Apoſtolatũ gentis Hibernorũ opere ipſo exercendum ſeſe ille contuliſſet; ibique perfunctus Apoſtolico munere locum ſepulturæ accepit in ciuitate Dunenſi; diuina vtique præordinatione, vt habet hiſtoria rerum ab eo geſtarum tam excuſa, quam calamo exarata: Idque habet ſeries officij Eccleſiaſtici de Sancto conſcripti; & traditio illius nationis, & Eccleſiæ; cui ſuffragantur, Cambrenſis, Camdenus, & omnis generis teſtes, vetuſque inſcriptio, quæ ſic habet.

Duni ſepultus.

In Burgo Duno tumulo tumulantur in vno; Brigida, Patricius, atque Columba pius.

109. Quorum omnium teſtimonio magis innitendum eſt, quàm vnius aut alterius, puta vel Matthæi VVeſtmonaſterienſis, qui ſepulchrum eius non inueniri dicit; vel Nennij Heluodugi, ſi contra communem ſententiam ſapere velit. quem vtrumque conuincere debet ipſa ſolemnitas Tranſlationis reliquiarum trium illorum Sanctorum, quæ celebrari ſolita eſt quartò Idus Iunij, magnoque apparatu peracta eſt prima celebritas principante tum in Vltonia Iohanne Curcæo, interueniente Iohanne Cardinale Sancti Stephani de monte Cælio, Legato Apoſtolico, cum Thoma Armachano Archiepiſco, Malachia Dunenſi Antiſtite, pluribuſque præterea Epiſcopis & Prælatis inferioribus, & continentur in Eccleſiaſticis lectionibus illius feſti, de quo agendum erit ſuo loco.

Tranſlatio SS. Patricij, Columbæ, & Brigidæ.

S

Octaua Elucidatio in Cap. 105. 165. 166. De antiquitate Chriſtianæ Religionis, & dignitatis Archiepiſcopalis in Hibernia.

Quidã ex Apoſtolis prædicauerunt Euangeliũ Hib.

SVnt nonnulli diligentiſſimi Hibernicarum antiquitatum inueſtigatores, qui 110.
referunt aliquos ex ipſo Apoſtolorum cuneo Euangelium in Hibernia prædicaſſe: vt de Diuo Petro quidam autumant. Alij, Diuum Iacobum maiorem, cum Occidentes mundi plagas peragraſſet, eò nauigaſſe, & nonnullos Inſulæ habitatores ſua prædicatione ad Chriſtum conuertiſſe affirmant: cúmque poſteri maiorum veſtigijs inſiſtere non deſiſterent, aliquos tradunt ipſius S. Patricij ætate repertos eſſe, qui impreſſam doctrinæ Chriſtianæ orbitam conſectabantur; qui tamen per totam illam continuationem, ſeriemque annorum, inter Infideles, vt perpaucæ margaritæ inter multos vmbilicos deliteſcere ſolebant. E quorum numero erat fortaſſis Albius ille Epiſcopus Hibernus, qui inter primos ſuæ regionis incolas, Patricij viſendi ac ſalutandi gratia venit.

Stãniburſtus lib. 1. de vit. S. Patricij. Oſſoriẽſis ſupra in præloquio § 2.

Vita S. Cathaldi, authentica.

Cum quibus optimè cohærent illa, quæ in vita S. Cathaldi Hiberni, Tarentinæ ciui- 111.
tatis in Italia Patroni, referuntur. Hanc autem tanquam ſatis probatam, & authenticam omnes admittere debent, quippe quæ ex Tarentinæ Eccleſiæ vetuſtiſsimis manuſcriptis codicibus, ex officio Eccleſiaſtico iuſſu ſummi Pontificis per Cardinalem Sirletum reformato, & è catalogo Sanctorum, per Bartholomeum Moronum Tarentinum fideliter collecta eſt, & oratione ſoluta conſcripta: deinde à Magiſtro ſacri Palatij Apoſtolici examinata & approbata; ac demùm Superiorum permiſſu Romæ anno 1614. typis mandata.

S. Cathaldus ſecũdo poſt Christi natum ſeculo, templum virgini Mariæ in Hibernia cõſtruxit. Improbabile eſt illum ſolum fuiſſe Chriſtianũ in illa Regione.

In illa enim vita tam exactè probata, & pro vera & authentica admiſſâ & appro- 112.
bata, pag. 168. ſic habetur: *Sanctus iuuenis* (Cathaldus ſcilicet) *ſtudio Religionis incenſus, veritusque ne inter humanas laudes, iactantiæ venenũ tacitè ſerperet, decreuit Beatiſsimæ virgini templum conſtruere: vt ij, quos ad fidei cultum, ex Idolorum ſuperſtitione, vitæ irreprehenſibilis exemplo, & aßiduis cohortationibus conuertebat, commodius ſeſe in diuinis laudibus exercerent, & erga Dei matrem maiori deuotione ac pietate afficerentur.* Nullum autem alium hoc tempore in tota illa regione veri Numinis cultorem extitiſſe, non niſi temerè dici poteſt. A quo, quæſo, baptizatus, confirmatus, & fidei dotibus muneratus fuiſſet? Et comminiſci, hæc omnia aut miniſterio Angelorum, aut alio miraculoſo modo fuiſſe patrata, eſt citra neceſſitatem miracula multiplicare, quod omninò vitandum Theologi communiter docent. Nulla ſiquidem conuincens afferri poteſt ratio, quæ firmiter perſuadeat aliquos, ſaltem in Hibernia tunc temporis non fuiſſe Chriſtianos.

Hoc ſecũdo ſæculo omnes pæne Hiberni erant Chriſtiani.

Sed de hoc quidquid ſit. Piiſſimus adoleſcens Cathaldus, non ſibi ſoli, ſed partim 113.
patriæ, partim amicis & fratribus in Chriſto, natus, & in fide diuina educatus eſt: lucerna namque erat lucens omnibus, qui in Regno Hiberniæ habitabant, & lux magna populis qui ſedebant in tenebris idololatriæ, & infidelitatis; & virtute miraculorum quot animas Chriſto lucrifecit, & ad viam veritatis reduxit, oratione explicari vix poteſt. *Nullus enim* (inquit Moronus pag. 169.) *in vniuerſa pœne Hibernia relictus eſt, qui veræ Religionis cultũ non addiſceret.* Et hoc, vt idem Moronus aſſerit, & ex infra dicendis clarius elucebit, ſecundo ſæculo poſt Redemptoris aduentum. Siue igitur ante Cathaldi tempora, Hiberni fidem Chriſti ſuſcepêre, ſiue non: ab ipſius ſaltem ætate, veræ Religionis ignari non fuerant.

Hiſce temporibus Archiepiſcopi fuerunt in Hibernia

Nec hocce ſæculo, Eccleſia Hiberniæ ſola communi Chriſtianorum multitudine, ve- 114.
rum etiam miniſtris inferioribus, paſtoribus, Prælatis, Epiſcopis, & Archiepiſcopis conſtabat, vt pag. 170. Moronus indicat. *Hæc* (inquit) *cùm dixiſſet* (Rex, qui ex inuidia S. Cathaldum carcere includi fecerat; & poſteà in ſomnis de Cathaldi liberatione erat ab Angelo admonitus) *Cathaldum adduci iubet; veniam ab eo cum lachrymis petit: atque illum quamuis obſtinate renuentem, Meltridis Ducem, in demortui locum deſignat. Cathaldus tùm Diaconus, cùm Dei miniſterium Regiis inſignibus commutare nollet, in Epiſcopum eligitur. Quod non modo Rex libentiſsimo animo approbauit, ſed etiam Ducatum Meltridis, in perpetuum Eccleſiæ conceßit: quem duodecim Epiſcopis Cathaldus diſtribuens, Epiſcopalem ſuam ſedem, in Archiepiſcopalem euexit.*

115. Ex hoc certè vnico Moroni textu varia tum doctrinalia, tum hiſtorialia ad propoſitum ſpectantia elicere poſſemus. Atque imprimis, quam humiles olim fuerint Hibernorum Reges, qui ad pedes ſeruorum Chriſti ſeſe proſternentes, & cum Dauidem peccantem, magis ex ignorantia quàm malitia peccando ſint ſecuti, eundem pœnitentem ſequentes, lachrymis abundè profuſis veniam erratorum humillimè obſecrârint; quam liberales in Eccleſiam Dei, quamque deuoti erga miniſtros altaris extiterint, liquido conſtat. Deindè quam Sancti, religioſi, ac fideles fuerint ipſi miniſtri primitiuæ Eccleſiæ Hibernicæ, vtpote, qui non ſua, ſed quæ Chriſti erant auidè quærebant: qui abiecti eſſe in domo Dei magis, quàm elati in palatijs Regum, optabant: qui nõn auaritia conducti, non ſuperbia inflati, non vana gloria pellecti, non denique turpium voluptatum amore attracti, ſed puro gloriæ Patris eorum, ſalutis proximorum, & beatitudinis cæleſtis intuitu: terrena dominia abnegantes, mundi diuitias pedibus conculcantes, & carnis illecebras pœnitus rejicientes, Domino, in cuius atrijs melior eſt dies vna, quàm millia in Regum huius mundi tabernaculis, fideliter ſeruierunt. Præter iſta, & plura alia, quæ ex eo loco erui poſſent, conducentia tum ad Deum iu noſtris prædeceſſoribus glorificandum, qui tam amplè ſua dona, & gratias largitus eſt eis; tùm ad exhortandum huius æui Eccleſiaſticos, vt ad vitam, & ſanctitatem ſuorum in Chriſto progenitorum reſpicientes, ſeſe illorum moribus conformare ſtudeant.

Humilitas, liberalitas & deuotio Regum Hiberniæ.

Sanctitas & religio Sacerdotum Hibernorũ.

116. Egregium indidem habemus teſtimonium, contra Gyraldum Cambrenſem, & aliquos recentiores, de antiquitate Archiepiſcopalis dignitatis in Hibernia. Gyraldus enim aſſerit, *Archiepiſcopos in Hibernia nullos fuiſſe, donec Ioannes Papirõ Romanæ ſedis Legatus, quatuor pallia in Hiberniam portauit: quorum vnum apud Ardmachiam poſuit; alterum apud Dublinium; Tertium apud Caſſiliam; & quartum apud Tuemiam.* Ex quo teſtimonio colligitur nullum in Hibernia Archiepiſcopum extitiſſe vſque ad annum circiter. 1148. quo ſcilicet tempore prædictus Ioannes Papiro in Hiberniam venit. Vndè conſequens eſt, nec ipſum S. Patricium, multóque minus vllum alium eò antiquiorem fuiſſe in Hibernia Archiepiſcopum.

Cãbrenſis error circa Archiepiſcopos Hiberniæ.

117. Sed quantum ad D. Patricium ſpectat, Gyraldum maxime in eò hallucinatum fuiſſe, ex Iocelini (qui multò accurratius quàm Gyraldus, aut vllus alius, de geſtis S. Patricij ſcripſerat) varijs locis, apertiſſimè declaratur: Ille enim cap. 143. loquens de quodam S. Patricij Diſcipulo, Forxerno nomine, ſic habet. *Et quia S. Patricius talis diſcipuli diligebat præſentiam, prouidit illi Eccleſiam, nec à ſede Archiepiſcopali, quam in Ardmachia conſtructurus erat Angelo iubente, nimis remotam, nec eidem Metropoli, ne forte à ſecuturis Archiepiſcopis grauaretur, valde vicinam*, &c. Deinde cap. 165. de ciuitate Ardmachana ſcribens: *Cathedram* (inquit) *Archiepiſcopalem in eadem vrbe collocauit. Et vt ſedes illa totius Hiberniæ eſſet primaria Metropolis ſtatuit animo. Vt autem illius propoſitum, ratum, & inconuulſum permaneret in poſterum, pectori eius ſedit, ſedem Apoſtolicam adire, eiuſque priuilegiis authenticis illud communire.* Denique cap. 166. narrans quomodo monente Angelo Romam petiit; ſic ait. *Quò* (ſcilicet Romam) *perueniens, dum in ſummi Pontificis præſentia, ſui aduentus expoſuiſſet cauſam; in oculis eius ſummam inuenit gratiam. Imprimis ergò, illum vt Hiberniæ Apoſtolum amplexans, ac pronuntians, pallio decorauit: illique vices ſuas committens, atque legatum ſuum conſtituens, quaecunque in Hibernia geſſerat, conſtituerat, diſpoſuerat, auctoritatis ſuæ munimine confirmauit. Exenia etiam plura, & pretioſa munera. quæ ad decorem, imo robur Eccleſiæ ſpectant, ei contulit.* Et infra. *Hiſque ſacroſanctis Eulogiis Sanctus in Hiberniam reuerſus, Ardmachiam Metropolitanam Eccleſiam, ad animarum ſalutem, & vrbis patriæque tutelam, muniuit.*

S. Patriciũ fuiſſe Archiepiſcopum ex varijs Iocelini locis oſtenditur.

Et quid amplius ad intentum concludendum deſideramus? cum hic expreſſe dicatur, S. Patricium conſtructurum fuiſſe in Ardmachia ſedem Archiepiſcopalem, idque non proprio motu, ſed iuſſu Angeli diuinitus miſſi, cuius monitis Patricium non acquieuiſſe, non valdè pium eſſet cogitare, nedũ dicere; præterea S. Patricium non ineſficaciter propoſuiſſe ſedem Archiepiſcopalem in Ardmachia collocare, habemus manifeſtè: nam dicitur ibi de facto Cathedram Archiepiſcopalem poſuiſſe. Et ne quis comminiſci poſſet ei ad hoc faciendum poteſtatem defuiſſe, Chriſti in terris Vicarium Summum Pontificem, ad illud ſuum propoſitum ſtabiliendum adijt, qui Patricium titulo Apoſtoli, Pal-

Loca prædicta explanantur.

lio(& quo niſi Archiepiſcopi?) & Officio Legati Apoſtolici decorauit, qui Legatus factus,& in Hiberniam reuerſus, quod antea fecerat, autoritate Sedis Apoſtolicæ confirmauit, & muniuit.

Sed ſi ſemel tam authenticè in Ardmachia Sedes Archiepiſcopalis ſit conſtituta; dicat, obſecro, Gyraldus quo tempore hanc dignitatem ſedes Ardmachana amiſit? quis in ea tunc ſedit? quod crimen commiſit? & quis Summus Pontifex iſtud priuilegium ſemel conceſſum reuocauit? quibus cum aptè reſponderit, victas dabimus manus, interim tamen poſſeſſionem, quam legitimè accepimus, & non conſtat quando, vel quomodo eam amiſimus, firmiter tenebimus. 118.

Cum tẽpore S. Patricij in Ardmachia inceperint eſſe Archiepiſcopi, non poteſt eſſe di quãdo eos deſijt habere Ardmachia.

Duo profert Gyraldus, *& nullos in Hibernia Archiepiſcopos ante Papironis acceſſum fuiſſe, &* eundem Papironem quatuor in Hiberniam pallia, ad quatuor Regni Archiepiſcopos portaſſe. Primum fundamentis ante allatis, & alijs infra ſubijciendis innixi, audacter negamus. Secundum vltrò concedimus; ſed Gyraldus nihil inde lucri reportabit. *Nam ab aduentu Patricij in Hiberniam* (vt ipſe Gyraldus aſſerit) *vſque ad Fedhlimidij Regis tempora, triginta tres Reges ex ipſis Hibernis in Hibernia regnauerunt: quorum diebus, fides Chriſtiana illibata permanſit, & inconcuſſa. In huius verò Fedhlimidij tempore Noruagienſes Duce Turgeſio Hibernica littora appulerunt: qui & manu forti terram occupantes, at gentili furore debacchantes Eccleſias fere omnes deſtruxerunt.* Pallia igitur per Papironem ad Hiberniæ Archiepiſcopos eſſe delata fatemur. Sed tunc primò Archiepiſcopos in quatuor illis ſedibus, aut ſaltem in Ardmachia, fuiſſe conſtitutos, omnino diffitemur. Non enim quod ibi nulli anteà fuerint Archiepiſcopi, Pallia eis mittebantur; ſed quod ſinguli poſt ſuam conſecrationem, & Pacificam Archiepiſcopatus poſſeſſionem, Pallium in Symbolum plenitudinis poteſtatis accipere deberent; aut (ſi mauis,) quod principantibus in illa regione Norvvegis, tãdiu ſedes Archiepiſcopales vacârint, & vſus Pallij intermiſſus fuerit, vt quod multò ante fuerat conceſſum, tunc quaſi de nouo debuerit confirmari. Perinde ac ſi (quod Deo propitio, breui futurum ſperamus) Archiepiſcopo Cantuarienſi, alijſque Angliæ, & Scotiæ Archiepiſcopis, Pallia à Summo Pontifice mitterentur: non quòd in illis Regnis nulli antea fuerint Archiepiſcopi, ſed quod tot anni elapſi ſint, ex quo vigente Hæreticorum perſecutione, nulli Catholici Archiepiſcopi ſuas inibi ſedes poſſederint, & vſus accipiendi Pallij quaſi obliuioni traditus fuerit. 119.

Quare fuerunt quatuor pallia per Papironẽ Miſſa in Hiberniã.

Exemplũ.

Quod etiam multo ante S. Patricium tempore, fuerint in Hibernia Archiepiſcopi, manifeſtè aſſerit Moronus ſuprà citatus, Dum de S. Cathaldo loquens, ait. *Epiſcopalem ſuam ſedem in Archiepiſcopalem euexit:* Et ſanè probabile non eſt, S. Cathaldum in illa Archiepiſcopali ſede nullum habuiſſe ſucceſſorem, aut alios tunc temporis, vel ante ipſum non fuiſſe in Hibernia Archiepiſcopos. Sanctus autem Cathaldus ducentis circiter annis S. Patricium anteceſſit, nam iuxta veriſimiliorem ſententiam. *S. Patricius vixit* 120. *annis, & obijt Anno ſalutis* 491. vt præcedenti elucidatione oſtenſum eſt. Sanctus verò Cathaldus, relictâ ſuâ Archiepiſcopali ſede in Hibernia, & finita peregrinatione Hieroſolymitana, *Tarentum ingreſſus eſt, Anno à partu Virginis ſeptuageſimo circiter ſupra centeſimum,* vt habet idem Moronus pag. 172. 120.

Ante S. Patriciũ fuiſſe in Hibernia Archiepiſcopos probatur.

Cum ergo ex his liquidò conſtet, Sacerdotes, Epiſcopos & Archiepiſcopos diu ante S. Patricium in Hibernia fuiſſe, dici poteſt, calices illos, de quibus cap. 105. Iocelinus loquitur, ab aliquibus ex iſtis Eccleſiaſticis Palladio longè antiquioribus, in illo ſpecu fuiſſe reconditos, dum diuina myſteria palam celebrare non potuiſſent, Paganis Principibus Regnum illud infeſtantibus, & omnia ad veri Numinis cultum ſpectantia, deſtruentibus. Vtrum autem ab his, an à Palladio eiuſque ſocijs calices illi fuêre relicti, non definio, ſed alijs diſcutiendum relinquo. 121.

A quibus relicti calices, inuẽti tempore S. Patricij.

Has elucidationes, non in Iocelinum, ſed in officium D. Patricij, nuper repurgatum, & ad ritum Breuiarij Romani redactum, Reuerendiſsimus Oſſorienſis Epiſcopus edidit. Sed dùm Iocelinum imprimi curarem, in manus meas inciderunt: quas illis Iocelini capitibus, in quibus de eodem miraculo, aut ſubiecto, de quo in aliqua officij Eccleſiaſtici parte fiebat mentio, accommodaui: ordinem tamen capitum Iocelini, in Elucidationibus eis accommodandis non obſeruaui, ſed eum, quem auctor ſibi propoſuit: idque idcirco feci, quod vel rei dignitas ita poſtulârat, vel quod omnes ſimul penes me non habuerim; nullamque prætermittere volens, ordine quo reperi, hîc omnes appoſui. 122.

Ratio tranſpoſitionis Elucidationum ſuperiorum.

Finis vitæ S. Patricij.

VITA

VITA
SANCTI COLVMBÆ
PRESBYTERI ET CONFESSORIS.

AVCTORE

SANCTO ADAMNANO ABBATE.

Ex tomo 4. antiquæ lectionis Henrici Caniſij, qui eam ex membranis manuſcriptis Monaſterij Windbergenſis in Bauaria, deſumptam primò in lucem edidit.



S. COLVMBA HIBERNVS,
PICTORVM APOSTOLVS.

Quis dabit mihi pennas ſicut Columbæ, & volabo, & requieſcam?
Pſalm. 54. v. 7.

NOTÆ DE S. ADAMNANO EX varijs Scriptoribus collectæ.

Trithemius de ſcriptoribus Eccleſiaſticis.

ADAMNANVS Preſbyter, & Abbas Monaſterij Huenſis, quod Sanctus Columbanus quondam conſtruxit in Inſula Scotiæ: vir in diuinis ſcripturis valdè ſtudioſus & eruditus; ſæcularium quoque literarum non ignarus, ingenio cautus, & dulcis eloquio, vita & conuerſatione præclarus, non ſine opinione ſanctitatis, Pater multorum Monachorum fuit. Scripſit inter cætera ſatis compoſito ſermone volumen de locis terræ ſanctæ librum vnum; & quaſdam Epiſtolas. Claruit ſub Iuſtiniano iuniore Auguſto: Anno Domini 690.

Idem lib. 3 de viris illuſtribus Ordinis S. Benedicti c. 124.

Adamnanus Monachus & Preſbyter, Monaſterij Sanctimonialium in Anglia, quod Colodi vrbs dicitur, præpoſitus, natione Scotus, vir auſteræ conuerſationis, & ſanctæ vitæ: ita vt præter Dominicam & quintam feriam, nihil in Hebdomada pœnitus comederet, ſæpe etiam noctes integras peruigil in oratione tranſigeret; magnis effulſit virtutibus: claruit Anno Domini 670.

Idem ibidem cap. 133.

Adamnanus Abbas Monaſterij, quod B. Columbanus olim in Inſula Hu fundauit in Hibernia, vir Doctus, & Sanctus, & Pater multorum Monachorum; ſua Prædicatione ſanctiſſima plurimam partem Scotorum in Hibernia, & etiam Britones in Britannia, ad debitum Paſchalis celebritatis tempus reduxit: claruit Anno Domini 700.

Poſſeuin in Apparatu ſacro.

Adamnanus Scotus, Coludius Monachus, & Abbas Monaſterij Inſulæ Huenſis in Scotia, quod S. Columbanus conſtruxit, congregationis Benchorenſis; Floruit anno 690. ſcripſitque de locis terræ Sanctæ librum vnũ; de Paſchate epiſtolas; de vitæ S. Columbæ (fortaſſis Columbani) Monachi & confeſſoris lib. 1. cuius initium eſt: Beati Patris noſtri, Chriſto ſuffragante vitam deſcripturus. Extat ad S. Giſlenum. Arnold & ante illum Tritem. qui non omnia eius ſcripta cognouerat.

Epitome Biblioth. Geſneri.

Adamnanus Coludius, Scotus, Monachus Ordinis Apoſtolici, & cænobij Huenſis moderator, ſcripſit de locis terræ Sanctæ librũ vnum; de ſitu Hieruſalem librum vnum: de Paſchate legitimo librum vnum. Epiſtolas quoque edidit. Ab hoc Bedam multa ſumpſiſſe, & ſuis libris inſeruiſſe tradunt. Claruit anno 699.

Molanus in appendice ad Vſuardi Martyrologium.

Adamnanus Abbas, plurimam partem Scotorum in Hibernia, & nonnullam etiam de Britonibus, ad Catholicam Paſchalis temporis obſeruantiam ſua Prædicatione correxit. Scripſit idem librum de locis Sanctis; Beda lib. 5. hiſtoriæ cap. 16. & 22.

Porrò (inquit Henricus Caniſius, qui de Eccleſia Hiberniæ optimè meruit) de nomine Adamnani obſeruandum, variè à varijs appellari. Aliqui, vt etiam Baronius, vocant Adamandum. Alij plerique Adamannum. Codex MS. Rebdorfenſis vbique vocat Adamnanum, vel Adomnanum.

Ego verò, omnéſque ſimul Hiberni cum illo codice eum Adamnanum, vel Adomnanum debere vocari cõſtanter affirmamus: alioſque omnes qui illum aliter appellant, in nomine deceptos fuiſſe: nec mirum ſanè, nam vix reperire eſt vllum, qui nomina hominum, locorum, aut rerum alterius gentis, in qua nunquam fuit, cuiuſque linguam non callet, apprimè pronunciare, aut rectè ſcribere poteſt, aut ſolet: & quanquam ſcriptores ſatis bene nomina aliquando ſcribant, negligentia tamen Typographorum, & incuria correctorum nomina corrumpuntur. Quæ omnia, quotidiana experientia, ſatis compertã habemus; cum enim vitas Sanctorum noſtratũm ab externis Scriptoribus editas, & Typographis excuſas legimus, nomina illa, quæ nobis alioqui optimè ſunt cognita, vix aut ne vix quidem vlla ex parte, niſi opinari velimus, intelligere poſſumus. Sed, Deo propitio, huic vitio remedium adhibere, conabimur prædictas vitas cum alijs à noſtræ gentis Scriptoribus Latinè aut Hibernicè compoſitas conferendo, & veram orthographiam, ac genuinum huiuſmodi vocabulorum ſenſum, à noſtris antiquarijs, & chronographis accipiendo.

AD LECTOREM.

VNIVS te admonitum volo (Candide Lector) in ſequentibus Sanctorum vitis, nimirum Scotiæ nomen non eam Britanniæ partem quæ nunc Scotia dicitur intelligendam venire, ſed Hiberniam, quæ omnium authorum conſenſu antiquis Scotia nuncupari conſueuit, eaque ſola hoc nomine per multa ſæcula gaudebat olim, vt ex irrefragabilibus innumerorum fermè authorum, Sanctorumque authoritatibus ſuperius demonſtratum eſt, in quod & ipſi etiam Scoti Albini, Angli, ac reliqui domeſtici, externique Scriptores vnanimiter conſentiunt; & vel ex his ipſis vitis ſat luculenter percipi poteſt, vt in margine annotauimus Non deeſt tamen ex modernis Scotis quidam (ter demens) qui ſuis commentis hanc tam manifeſtam veritatem obnubilare conatur, aſſerens hanc denominationem cum Venerabili Beda natam & extinctam fuiſſe, cuius impudentiam aut inſcitiam admirari ſatis non poſſum, præſertim cum multi Bedæ anteriores, vt Iſidorus, Paulus Oroſius, Adamnanus, Cogitoſus, & alij plurimi de quibus ſupra, Scotiam pro Hibernia accipiant. Quod autem extincta non fuerat cum Venerabili Beda, conſulere licet Diuum Bernardum qui Bedam quatuor vt minimum ſæculis ſecutus eſt, quique Scotiam & Scotos pro Hibernia & Hibernis in vita S. Malachiæ accipere non dubitauit.

Buchanus.

INCIPIT

PRIMA PRÆFATIO

APOLOGIAQVE ADOMNANI ABBATIS SANCTI SCRIPTORIS IN VITAM S. COLVMBÆ CONFESSORIS & Abbatis.

BEATI noſtri Patroni, Chriſto ſuffragante, vitam deſcripturus, fratrum flagitationibus obſecundare volens: imprimis eandem lecturos quoſque admonere procurabo, vt fidem dictis adhibeant compertis, & res magis quàm verba perpendant, quæ (vt æſtimo) inculta, & vilia eſſe videntur; memineríntque Regnum Dei non eloquentiæ exuberantia, ſed in fidei florulentia conſtare, & nec ob aliqua * Scoticæ, vilis videlicet linguæ, aut humana onomata, aut gentium diuerſas * vileſcant linguas; vtilium, & non ſine diuina opitulatione, geſtarum deſpiciant rerum pronuntiationem.

* Hibernica.
* f. vilefaciant.

Sed & hoc Lectorem admonendum putauimus; quòd de beatæ memoriæ viro, plura ſtudio breuitatis, etiam memoriæ digna à nobis ſunt prætermiſſa: & quaſi pauca de plurimis, ob euitandum faſtidium lectorum, ſint * caraxata. Et hoc (vt arbitror) quiſque hæc lecturus forte annotabit, quòd minima de maximis, per populos fama de eodem Beato viro diuulgata, diſperſerit, ad horum paucorum comparationem, quæ nunc breuiter * caraxare diſponimus. Hinc poſt hanc primam præfatiunculam de noſtri * vocamine Præſulis, in exordio ſecundæ, Deo auxiliante, intimare exordiar.

* f. exarata.
* f. exarare.
* f. nomine.

INCIPIT PRÆFATIO SECVNDA.

VIR erat vitæ venerabilis, & beatæ memoriæ, Monaſteriorum Pater, & Fundator: cum Iona Propheta homonymum ſortitus eſt nomen. Nam licet diuerſo trium diuerſarum ſono linguarum; vnam tamen eandemque rem ſignificat: hoc quod Hebraicè dicitur *Iona*, Græcitas verò ΝΗΠΙΟΤΗΤΑ periſtera vocitat: & Latina lingua *Columba* nuncupatur. Tale tantúmque vocabulum homini Dei, non ſine diuina prouidentia inditum eſſe credimus. Nam & iuxta Euangeliorum fidem Spiritus ſanctus ſuper vnigenitum æterni Patris Filium deſcendiſſe monſtratur in forma illius auiculæ, quæ Columba dicitur: vnde plerunque in Sacro-Sanctis libris myſticè Spiritum ſanctum ſignificare dignoſcitur. Proinde & Saluator in Euangelio ſuis præcepit Diſcipulis, vt Columbarum in corde puro inſertam ſimplicitatem continerent. Columba etenim & ſimplex innocénſque nuncupari debuit, qui in ſe Columbinis moribus Spiritui Sancto hoſpitium præbuit.

lego περιστε-ραν.

Cui nomini non inconuenienter congruit illud, quod in Prouerbijs ſcriptum eſt: *Melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ.*

Hic igitur noſter Præſul non immeritò, non ſolum à diebus infantiæ, hoc vocabulo, Deo donante, adornatus proprio ditatus eſt; ſed etiam præmiſſis multorum Cyclis annorum, ante ſuæ natiuitatis diem, cuidam Chriſti militi Spiritu Sancto reuelante, quaſi filius repromiſſionis, mirabili prophetatione nominatus eſt. Nam quidam proſelytus Brito, homo Sanctus, Sancti Patricij Epiſcopi Diſcipulus: *Maneceus* nomine ita de noſtro prophetizauit Patrono; ſicuti nobis ab antiquis traditum expertis compertum habetur. *In nouiſſimis* (inquit) *temporibus ſæculi, filius naſciturus eſt, cuius nomen Columba, per omnes Inſularum Oceani Prouincias diuulgabitur notum: nouiſſimaque orbis tempora clarè illuſtrabit. Mei, & ipſius duorum Monaſteriorum agelluli, vnius * ſepiſculæ interuallo diſterminabuntur: homo valdè Deo charus, & grandis coram ipſo meritis.*

** Manetti de S. Colūba prophetia vide cap 89. vitæ S. Patricij, ſuprà.*

** pro ſepiſcula.*

Huius igitur noſtri Columbæ vitam, & mores deſcribens: imprimis breuis ſermonis textu, in quantum valuero ſtrictim comprehendam; & ante lectoris oculos ſanctam eius conuerſationem pariter exponam. Sed & de miraculis eius, ſuccinctè quædam quaſi legentibus auidè prægustanda ponam: quæ tamen inferius per tres diuiſa libros pleniùs explicabuntur. Quorum primus Propheticas reuelationes: ſecundus verò diuinas per ipſum virtutes effectas; tertius Angelicas apparitiones, & quaſdam ſuper hominem Dei cæleſtis claritudinis manifeſtationes continebit. Nemo itaque me de hoc tam prædicabili viro, aut mentitum æſtimet, aut quaſi quædam dubia, vel incerta ſcripturum: ſed ea, quæ maiorum, fideliùmque virorum tradita expertorum cognoui relatione narrantium, & ſine vlla ambiguitate, *carraxaturum ſciat. Et vel ex his, quæ ante nos inſerta paginis reperire potuimus; vt ex his, quæ audiui ab expertis quibuſdam fidelibus antiquis, ſine vlla dubitatione narrantibus, diligentius ſciſcitantes didicimus.

*f. * exaraturum.*

HYMNVS DE SANCTO COLVMBA

Ex Officio Eccleſiaſtico eiuſdem ſancti.

Columba penna niuea, collo reſplendens roſeo:
Loca petit ſyderea de clauſtro mundi luteo.
Hic nidum ſibi poſuit, in petra pœnitentiæ:
Deuotos Chriſto genuit pullos per verbum gratiæ.
Pro dulci cantu, querulis intendebat gemitibus;
Crebros adiungens ſedulis fletus orationibus.
Sit Deo ſoli gloria, qui nos poſt curſus ſtadia,
Columbæ per ſuffragia, ducat ad cæli gaudia. Amen.

Alius Hymnus.

IEſu redemptor omnium, ſeruos benignos reſpice.
Per Columbæ ſuffragia, mites, & caſtos effice.
Hic pietatis moribus, refulſit in Eccleſia,
Columbinis operibus, cum ſumma pudicitia.
Vitæ horrens mollitiem, peccati pro diluuio,
Quæſiuit ſibi requiem, in arcis ſacræ ſolio.
Felle carens, & ſimplicem habens mentis intuitum:
Fraudem cauit multiplicem, ſuper aquarum tranſitum.
Mundum calcans ſub pedibus, ſuſpirat ad cæleſtia.
Sacris plenis operibus, lætus gaudet in patria.
Sit Deo ſoli gloria, qui nos poſt curſus ſtadia,
Columbæ per ſuffragia, ducat ad cœli gaudia. Amen.

Nono Iunij celebratur depoſitio S. Columbæ Abbatis.

INCIPIT LIBER PRIMVS

DE PROPHETICIS REVELATIONIBVS

DE S. COLVMBÆ PARENTIBVS, eiuſque ex Scotia, ſiue Hibernia in Britanniam nauigatione.

CAPVT PRIMVM.

SANCTVS igitur Columba Nobilibus fuerat oriundus genitalibus; patrem habens *Fedblimidium*, filium Ferguſij, matrem *Aethneam* nomine, cuius Pater Latinè filius Nauis dici poteſt: Scotica verò lingua Macanaua. Hic anno ſecundo poſt *Culedreibbne* bellum, ætatis vero ſuæ 42. de * Scotia ad Britanniam pro Chriſto peregrinari volens enauigauit. Qui etiã à puero deditus Chriſtiano tyrocinio, & ſapientiæ ſtudijs, integritatem corporis, & animæ puritatẽ, Deo donante, cuſtodiens; quamuis in terra poſitus, cæleſtibus ſe aptum moribus oſtendebat. Erat enim aſpectu Angelicus, ſermone nitidus, opere Sanctus, ingenio optimus, conſilio magnus, per annos 34. Inſulanus miles eſt verſatus. Nullum etiam vnius horæ interuallum tranſire poterat, quo non aut orationi, aut lectioni, vel ſcriptioni, vel etiam alicui operationi incumberet. Ieiunationum quoque, & Vigiliarum indefeſſus laborationibus, ſine vlla intermiſſione diu noctúque occupatus, ita vt ſupra humanam poſſibilitatem vniuſcuiuſque pondus ſpecialis operis videretur. Et inter hæc, omnibus charus, hilarem ſemper faciem oſtendens, Sanctorum ſpecie Sancti Spiritus gaudio in intimis lætificabatur præcordijs.

** Hibernia.*

Pueritia S. Colũba.

Labor cõtinuus.

Mortificationes extraordinaria.

De Finteni ex Hibernia in Iouam Inſulam profectione à S. Columba prædicta.

CAP. II.

SAnctus Fintenus, qui poſtea per vniuerſas * Scotorũ Eccleſias valdè noſcibilis habitus eſt, à puerili ætate integritatem carnis & animæ, Deo adiuuante, cuſtodiens, ſtudijs dialecticalis ſophiæ deditus. Hoc propoſitum in annis iuuẽtutis conuerſatus in corde habuit, vt noſtrum Sanctum Columbam, *Hiberniam* deſerens, peregrinaturus adiret.

** Hibernorum.*

Eodem æſtuans deſiderio ad quendam vadit ſeniorem ſibi amicum, in ſua gente prudentiſſimum, venerandumque clericum, qui Scoticè vocitabatur Columbus, vt ab eo prudentiæ quaſi aliquod audiret conſilium. Cui cum ſuos tales denudaret cogitatus, hoc ab eo reſponſum accepit: Tuum vt æſtimo, à Deo inſpiratum, deuotumque deſiderium quis prohibere poteſt, ne ad Sanctum Columbam tranſnauigare debeas?

His Columbus alius erat à Columba.

Eadem hora caſu adueniunt duo Monachi Sancti Columbæ qui de ſua interrogati ambulatione; Nuper, aiunt de * Britannia remigantes hodie à *Roboreto* venimus: ſoſpeſ-ne eſt, ait Columbus, veſter Columba Sanctus Pater? qui valdè illachrimati, cum magno dixerunt mœrore; verè ſaluus eſt noſter ille patronus, qui his diebus nuper migrauit ad Chriſtum. quibus auditis *Fintenus*, & Columbus, &

** Quæ hic Britannia iam Scotia nũcupatur.*

omnes qui ibidem inerant, proſtratis in terram vultibus amarè fleuêre: *Fintenus* conſequenter percontatur, dicens: Quem poſt ſe ſucceſſorem reliquit? *Battheneum*, aiunt, ſuum alumnū. Omnibuſque clamitantibus, Dignum & debitum: *Columbus* ad *Fintenum* ait: Quid ad hæc *Fintene* facies? Qui reſpondens, ait: Si Dominus permiſerit, ad *Battheneum* virum ſanctum & ſapientem enauigabo: Et ſi me ſuſceperit, ipſum Abbatem habebo.

Mortuo S. Columba accedit ſucceſſori eius & petit fieri monachus

Tum deindè ſupra memoratum *Columbum* oſculatus, & valedicens, nauigationem præparabat, & ſine vlla morula tranſnauigans *Iônam* deuenit inſulam. Et nec dum in id temporis vſque nomen eius in his locis erat notum. Vndè & imprimis quaſi quidam ignotus hoſpes hoſpitaliter ſuſceptus, alia die internuncium ad *Battheneum* mittit, eius allocutionem facie ad faciem habere volens, qui vt erat affabilis, & peregrinis appetibilis, iubet ad ſe adduci. Qui ſtatim adductus, primò vt veniebat flexis genibus in terram ſe proſtrauit, viſuſque à ſeniore Sancto ſurgit, & reſidens interrogatur à *Battheneo* adhuc inſcio de gente, & Prouincia, nominéque & conuerſatione, & pro qua cauſa inierit nauigationis laborem. Qui ita interrogatus omnia per ordinem enarrans, vt ſuſciperetur, humiliter expoſtulat.

Cui Sanctus Senior his ab hoſpite auditis, ſimulque hunc eſſe virum cognoſcens, de quo pridem aliquando Sanctus Columba Propheticè vaticinatus eſt, Gratias, ait, Deo meo agere debeo quidem in tuo aduentu fili: Sed & hoc indubitanter ſcito, quod noſter monachus non eris.

Hoc audiens valdè contriſtatus infit: Forſitan ego indignus tuus non mereor fieri monachus? Senior conſequenter, inquit; Non quod, vt dicis, indignus eſſes hoc dixi; ſed quamuis maluiſſem te apud me retinere, mandatum tamen Sancti Columbæ mei defenſoris profanare non poſſum, per quem Spiritus Sanctus de te prophetauit. Aliaque die mihi ſoli ſeorſum prophetico ſic profatus ore, inter cætera dixit; *Hæc mea, ô Batthenee, intentius debes audire verba, ſtatim namque poſt meum de hoc ad Chriſtum ſæculo expectatum, & valde deſideratum tranſitum, quidam de * Scotia frater, qui nunc benè iuuenilem bonis moribus agens ætatem, ſacræ lectionis ſatis ſtudijs imbutus, nomine, Fintenus, ad te, inquam, perueniens humiliter expoſtulabit, vt ipſum ſuſcipiens inter cæteros adnumeres Monachos. Sed hoc ei in Dei præſcientia prædeſtinatum non eſt, vt ipſe alicuius fieret Monachus, ſed vt Monachorum Abbas, & animarum dux ad cæleſte regnum olim electus à Deo eſt,* * Nobis itaque hunc memoratum virum in his noſtris apud te retinere Inſulis, ne & Dei voluntati contraire videaris. Sed hæc ei intimans verba ad * Scotiã in pace remittas, vt in * Lagineſium vicinis mari finibus Monaſterium conſtruat; & ibidem Chriſti ouium paſcens gregem, innumeras ad patriam animas cæleſtem perducat.

** Hibernia.*

Prophetia S. Columba de Finteno.

** ſ Noli.*

** Hiberniam.*

** Lagenia prouincia eſt Hibernia.*

Hæc audiens Sanctus Iunior, Chriſto, lachrymas fundens, agit gratias, inquiens: Secundum Sancti Columbæ Propheticam fiat mihi, & mirabilem præſcientiam. His denique verbis Sanctorum obtemperans, & à *Battheneo* accipiens benedictionem, in pace ad * Scotiam tranſnauigauit.

** Hiberniam.*

De S. Columba receptione in Monaſterio Cloenſi, eiuſque de pueto Erenco Prophetia.

CAP. III.

ALio in tempore vir beatus in Mediterranea * Hiberniæ parte Monaſterium, quod * Scoticè dicitur, * *Dairmagh* diuino fundans nutu, per aliquot demoratur menſes. Libuit animo viſitare fratres, qui in Cloenſi Sancti Cerani Cœnobio commanebant.

** Hibernicè.*

** Campus roboris.*

Audito itaque eius acceſſu vniuerſi vndique ab agellulis Monaſterio vicinis, cum his qui ibidem inuenti ſunt, congregati, cum omni alacritate ſuum conſequentes Abbatem *Alitherum*, quaſi Angelo Domini obuiam egreſſi vallum Monaſterij, vnanimes pergunt, humiliatiſque in terram vultibus, eo viſo cum omni reuerentia exoſculatus eſt ab eis, hymniſque & laudibus reſonantes, honorificè ad Eccleſiam perducebant: quandamque de lignis pyramidem erga ſanctum deambulantem conſtringentes à quatuor viris æquè ambulantibus ſupportari fecerunt: ne videlicet Sanctus Senior *Columba* eiuſdem fratrum multitudinis conſtipatione moleſtaretur.

Fratrum obſeruantia erga S. columbam.

Eadem hora quidam valdè deſpectus vultu & habitu, puer familiaris, & nec dum ſenioribus placens, retro in quantum valuit,

lult, ſe occultans acceſſit: vt videlicet vel illius amphibali fimbriam, quo vir beatus induebatur, occultè, & ſi fieri poſſet, ipſo neſciente, & non ſentiente tangeret, ſed hoc tamen Sanctũ non latuit. Nam quod corporalibus oculis retrò ſe actum intueri non potuit, ſpiritualibus perſpexit. Vndè ſubitò reſtitit, & poſt ſe extendens manum, ceruicem pueri tenet, ipſumque trahens ante faciem ſuam ſtatuit, omnibuſque qui ibidem circiter aſtabant, dicentibus: Dimittite, dimittite, quare hunc infelicem & iniurioſum retines puerũ? Sanctus è contra hæc puro pectore verba depromit Prophetica: *Sinite fratres: finite modo.* Ad puerum verò valdè tremefactum dicit, *O fili, aperi os tuum, & porrige linguam.* Iuſſus tum puer cum ingenti tremore aperiens os ſuum, linguam porrexit: quam Sanctus, Sanctam manum extendens, & diligenter benedicens, ita Propheticè profatur, dicens: *Hic puer quamuis vobis nunc deſpicabilis, & valdè vilis videatur, nemo tamen ipſum ob id deſpiciat, ab hac enim hora non ſolum vobis non diſplicebit, ſed valdè placebit, boniſque moribus, & animæ virtutibus paulatim de die in diem creſcet: ſapientia quoque & prudentia magis ac magis in eo ab hac die adaugebitur, & in hac noſtra congregatione grandis eſt futurus prouectus. Lingua quoque eius ſalubri & doctrina, & eloquentia à Deo donabitur.*

Ex vultu nemo iudicandus.

** Hibernia.*

Hic erat *Erenens*, poſtea per omnes * Scotiæ Eccleſias famoſus & valdè notiſſimus. Qui hæc omnia ſupra ſcripta verba *Segeneo* Abbati de ſe Prophetata enarrauerat, meo deceſſore *Failbeo* intentius audiente, qui & ipſe cum *Segeneo* præſens inerat: cuius relatione, & ego ipſe cognoui hæc eadem quæ narraui. Sed & multa alia iiſdem diebus, quibus in Cloenſi cænobio Sanctus hoſpitabatur, reuelante Spiritu Sancto Prophetauit, hoc eſt de illa quæ poſt dies multos ob diuerſitatem Paſchalis feſti orta eſt inter Scotiæ Eccleſias diſcordia, & de quibuſdam Angelicis frequentationibus ſibi manifeſtatis: quibus quædam intra eiuſdem cœnobij ſepta ab Angelis tunc temporis frequentabantur loca.

Diſcordia inter Eccleſias Scotiæ ſiue Hib. ob celebrationem Paſchatis.

Quomodo S. Columba prædicit aduentum Chamnechi, & Columbani, eorumque pericula in mari.

CAP. IV.

Alio in tempore, cum in Ioua Inſula die fragoſæ tēpeſtatis, & intolerabilis vndarum magnitudinis, ſedens in domo Sanctus, & fratribus præcipiens, diceret: Præparate ócyus hoſpitium, aquamque ad lauandos hoſpitum pedes haurite. Quidam ex ipſis, frater conſequenter? Quis, ait, hac die valdè ventoſa, & nimis ventoſa, & nimis periculoſa, licet breue fretum, proſperè tranſnauigare poteſt? Quo audito, Sanctus ſic profatur: Cuidam Sancto & electo homini, qui ad nos ante Veſperam perueniet, omnipotens tranquillitatem quamlibet in tempeſtate donabit. Et ecce eadem die aliquandiu à fratribus expectata nauis, in qua Sanctus inerat * *Chamnechus*, iuxta Sancti Prophetationem peruenit. Cui Sanctus cum fratribus obuiam venit, & ab eo honorificè, & hoſpitaliter ſuſceptus eſt. Illi verò nautæ, qui cum *Chamnecho* inerant, interrogati à fratribus de qualitate nauigationis ſic retulerunt, ſicut Sanctus Columba prius de tempeſtate, & tranquillitate pariter Deo donante, in eodem mari, & iiſdem horis mirabili diuiſione prædixerat. & tempeſtatem eminùs viſam, non ſenſiſſe profeſsi ſunt.

Alio itidem die Sanctus Columba in ſua commanens matrice Eccleſia, repente in hanc ſubridens vocem erupit, dicens: Columbanus ad nos tranſnauigare incipiens nunc in vndoſis charybdis æſtibus valdè periclitatur. Abbaſque ad cœlum in prora ſedens, palmas eleuat; turbatum quoque, & tam formidabile pelagus benedicit, quem tamen Dominus ſic terret, non vt nauis naufragio, in qua ipſe reſedit, vndis obruatur. Sed potius ad orandum intentius ſuſcitetur, vt ad nos, Deo propitio, poſt tranſuadatum perueniat periculum.

De Cormaco eremum in Oceano quærente: de Aldani Regis pugna, & victoria, & de ſucceſſore Aldani.

CAP. V.

In tempore quoque alio de Cormacco, viro vtique Sancto, qui tribus non minus vicibus Eremum in Oceano laborioſe quæſiuit, nec tamen inuenit, *S. Columba* ita Prophetizans ait: Hodie iterum

Cormachus deſertum cupiens reperire, enauigare incipit ab illa regione, quæ vltra *Modam* fluuium ſita eſt, & *Cirros* dicitur: nec tamen etiam hac vice, quod quærit, inueniet: & non ob aliam eius culpam, niſi quod alicuius Religioſi Abbatis Monachũ, ipſo non permittente, diſceſſorem ſecum non rectè comitari nauigio ſuſceperit.

In tempore alio, hoc eſt, poſt multos annorum tranſcurſus, cùm eſſet vir Sãctus in Ioua inſula, ſubitò dicit ad ſuum adminiſtratorem, * Cloccam pulſa: cuius ſonitũ Fratres incitati, ad Eccleſiam ipſo Sancto Præſule præeunte ocyus currunt, ad quos ibidem flexis genibus infit. Nunc intente pro hoc populo, & *Aldano* rege Dominum oremus, hac enim hora ineunt bellum. Et poſt modicum interuallum egreſſus oratorium, reſpiciens in cœlum, inquit: Nunc barbari in fugam vertuntur: *Aldanoque* quamlibet infœlici, tamen conceſſa eſt victoria. Sed & de numero, de exercitu Aldani interfectorum trecẽtorum & trium virorum vir beatus Propheticè narrauit.

i. Campanãque Hiberniće Clog dicitur.

Alio quoque in tempore antè ſuprà dictum bellum Sanctus *Aldanum* Regem interrogat de regni ſucceſſore. Illo reſpondente, neſcire quis eſſet de tribus filijs regnaturus: Sanctus conſequenter hoc profatur modo: Nullus ex his tribus erit regnaturus, nam in bellis cadent ab inimicis trucidandi. Sed nunc ſi alios iuniores habeas, ad me veniant, & quem ex eis elegerit Dominus Regem, ſubitò ſuper meum irruet gremium. Quibus accitis ſecundum verbum Sancti, *Euchodius* adueniens, in ſinu eius recubuit, ſtatimque Sanctus eum oſculatus benedixit, & ad patrem ait: Hic eſt ſuperſtes, & Rex poſt te regnaturus, & filij eius poſt eum regnabunt. Sic omnia poſt ſuis temporibus plenè adimpleta ſunt, & *Euchodius* poſt patrem in regnum ſucceſſit.

De Dombnallo, & Scandalano regibus, & de duobus pueris Vaticinium.

CAP. VI.

Dombnallus filius Aido adhuc puer, ad Sanctum Columbam per nutritores adductus eſt, quem intuens percontatur, inquiens: cuius eſt filius hic, quem adduxiſtis? Illis reſpondentibus, Hic eſt *Dombnallus*, qui ad te ideò perductus eſt, vt tua redeat benedictione ditatus. Quem cùm Sanctus benedixiſſet, continuò ait: Hic ſuper omnes fratres ſuos ſuperſtes erit, & rex valdè famoſus, nec vnquam in manus inimicorum tradetur, ſed morte placida in ſenectute, & intra domum ſuam coram amicorum familiarium turba ſuper ſuum morietur lectum. Quæ omnia ſecundum beati Vaticinium viri de eo verè adimpleta ſunt.

Vaticiniũ de Dombnallo rege.

Eodem tempore Sanctus, & in eodem loco ad *Scãdalanum* filium *Colmanni* apud *Aidum* Regem in vinculis retentum viſitare eum cupiens pergit; ipſumque cùm benedixiſſet, confortans ait: Fili, noli contriſtari, ſed potius lætare & confortare. *Aidus*.n. Rex, apud quem vinculatus es, de hoc mundo te præcedet, & poſt aliqua exilij tempora, triginta annis in gente tua Rex regnaturus eris, iterumque de regno effugaberis, & per aliquos * eiulabis dies; poſt quos à populo renunciatus per tria regnabis breuia tempora. Quæ cuncta iuxta vaticinationem Sancti plenè expleta sũt: Nam poſt annos triginta de regno expulſus per aliquod exulauit ſpatium temporis, ſed poſt à populo reinuitatus; non vt putabat, tribus annis, ſed ternis regnauit menſibus, poſt quos continuò obijt.

Scandalanum captiuum viſitat S. Columba.

** forte exulabis.*

In tempore alio duo plebei ad Sanctum in Ioua commorantem inſula deueniunt, quorum vnus *Meldanus* de filio ſuo, qui præſens erat, Sanctum interrogat, quid eſſet ei futurum. Cui Sanctus ſic profatur, Nonnè ſabbathi dies hodierna eſt? Filius tuus ſexta feria in fine morietur ſeptimanæ, octauaque die, hoc eſt ſabbatho, hîc ſepelietur.

Mortem duobus pueris prædicit.

Alter proinde plebeius, & ipſe de filio, quem ibidem ſecum habuit, nihilominus interrogans, talem Sancti audit reſponſionem; filius tuus ſuos videbit nepotes, & in hac inſula ſenex ſepelietur. Quæ omnia ſecundum verbum Sancti de pueris ambobus ſuis temporibus plenè ſunt expleta.

Quomodo S. Columba Fratrem quendam nauigaturum monet vt cetum caueat.

CAP. VII.

Quadam die, cum vir venerabilis in Ioua demoraretur Inſula, quidam Frater *Berachus* nomine, ad *Ethicam* proponens Inſulam nauigare, ad Sanctum manè accedens, ab eo benedici

benedici poſtulat, quem Sanctus intuitus, inquit: O fili hodie intentius præcaueto, ne *Ethicam* curſu ad terram directo per latius coneris tranſmeare pelagus? Sed potius circuiens minores ſecus nauiges inſulas, ne videlicet, alio monſtruoſo perterritus prodigio, vix indè poſſis euadere. Qui acceptâ à Sancto benedictione ſeceſſit, & nauem aſcendens Sancti verbum quaſi paruipendens tranſgreditur. Maiora proinde *Ethici* tranſmeans ſpatia pelagi, ipſe, & qui ibi inerant nautæ, vident, & ecce cetus miræ & immenſæ magnitudinis ſe inſtar mōtis erigens, ora aperit patula, nimis dentoſa, ſupernatans. Tum proindè remiges depoſito velo valde perterriti, retroueiſi illam obortam ex belluino motu fluctuationem vix euadere potuerunt, Sanctique verbum recognoſcentes propheticum admirabantur.

Eodem quoque die Sanctus *Baitheneo*, ad ſupra memoratam inſulam nauigaturo manè de eodem intimauit ceto inquiens: Hac præterita nocte media cetus magnus de profundo maris ſe ſubleuauit, & inter Iouam & Ethicam inſulam ſe hodie in ſuperficiem eriget æquoris. Cui Baitheneus reſpondens inſit: Ego; & illa bellua ſub Dei poteſtate ſumus. Sanctus, vade, ait, in pace: Fides tua in Chriſto te ab hoc defendet periculo. *Baithenens* tum deinde à Sancto benedictione acceptâ, à portu enauigauit, tranſcurſiſque non paruis ponti ſpatijs ipſe & ſocij cetum aſpiciunt: perterritiſque omnibus, ipſe ſolus æquor & cetum ambabus manibus eleuatis benedicit intrepidus: eodemque momento bellua magna ſe ſub fluctibus immergens, nuſquam deinceps eis apparuit.

Idem cetus Baitheneo apparet.

De Fratricida cum matre ſua mœchato S. Columba prædicit.

CAP. VIII.

ALio quoque in tempore Fratres intempeſta nocte ſuſcitat Sanctus, ad quos in Eccleſia congregaros dicit: Nunc intentius Dominum precemur: Nam in hac hora aliquod inauditum peccatum perpetratum eſt, pro quo valdè eſt tremenda iudicialis vindicta. De quo peccato craſtino die aliquibus paucis percontantibus intimauit, dicens: poſt paucos menſes cum *Lugaido* neſciente infelix ille homuncio ad Iouam peruenier Inſulam.

Alio itaque die Sanctus ad * *Iormitium*, interiectis quibuſdam menſibus, præcipiens præfatur, Surge citius: ecce *Lugaidus* appropinquat. Dicitque ei, vt miſerum, quem ſecum in naui habet, in *Maleam* propellat Inſulam, ne huius inſulæ ceſpitem calcet. Qui præcepto Sancti obſecutus ad mare pergit, *Lugaidoque* aduentanti omnia Sancti proſequitur de infelici viro verba. Quibus auditis, ille infelix iurauit, nunquam ſe cibum cum alijs accepturum, niſi prius Sanctum videret Columbam, eumque alloqueretur. Quæ infelicis verba Diormitius ad Sanctum reuerſus retulit. Quibus compertis Sanctus ad portum perrexir, Baitheneoque prolatis Sacræ Scripturæ teſtimonijs, ſuggerenti, vt miſeri pænitudo ſuſciperetur, Sanctus conſequenter inquit: O *Baithenee*, hic homo Fratricidinm in modum Cain perpetrauit, & cum ſua matre mœchatus eſt. Tum demum miſer in litrore flexis genibus leges pœnitentiæ expleturum ſe promiſit, iuxta Sancti indicationem. Cui Sanctus ait: ſi duodecim annis inter Britones cū fletu & lacrymis pœnitētiam egeris, nec ad * Scotiam vſque ad mortem reuerſus fueris, forſan Deus peccato ignoſcet tuo.

Hæc dicens Sanctus ad ſuos conuerſus dicit: Hic homo filius eſt perditionis, qui quam promiſit pœnitentiam, non explebit: ſed mox ad Scotiam reuertetur, ibique in breui ab inimicis interficiendus peribit. Quæ omnia ſecundum Sancti Prophetiam ita contigerunt. Nam miſer iiſdem diebus ad Hiberniam reuerſus in regionem, quæ vocitatur *Lea*, in manus incidens inimicorum trucidatus eſt.

* *Diormitium.*

* *Hiberniam.*

* *Quam hic Scotiā, inferius Hiberniā vocat.*

Quomodo S. Columba ciuitatem in Italia fulgure tactam videt; & pro Monachis ſuis in Roboreto moleſtia affectis contriſtatur.

CAP. IX.

ALio itidem in tempore *Lugbeus*, cuius ſuprà mentionem fecimus, quadam die ad Sanctum poſt frugum veniens triturationem, nullo modo eius faciem intueri potuit, miro ſuperfuſam rubore; valdéque pertimeſ-

cens citò aufugit; quem Sanctus complo-ſis paululum manibus reuocat. Qui reuerſus à Sancto ſtatim interrogatus, cur ocyus aufugiſſet, hoc dedit reſponſum: Ideo fugi, quia nimis pertimui. Et poſt aliquod modicum interuallum fiducialius agens, audet Sanctum interrogare, inquiens; nunquid in hac hora aliqua tibi formidabilis oſtenſa viſio erat? Cui Sanctus tale dedit reſponſum. Tam terrifica vltio nunc in remota orbis parte peracta eſt. Qualis, ait, Iuuenis, vindicta, & in qua regione facta? Sanctus tum ſic profatur: Sulphurea de cœlo flamma ſuper Romani iuris ciuitatem, intra Italiæ terminos ſitam hac hora effuſa eſt; triaque millia fermè virorum excepto matrũ, puerorumq; numero, diſperierunt: & antequã finietur præſens annus, Gallici nautæ de Galliarum Prouincijs aduentantes, hæc eadem tibi enarrabunt. Quæ verba poſt aliquot menſes veridica fuiſſe ſunt comprobata: Nam idem *Lugbeus* ſimul cum ſancto viro ad * Cap̃ Regionis pergens, naucleram & nautas aduentantes parcè interrogans, ſic omnia illa de ciuitate cum ciuibus ab eis audit enarrata, quemadmodum à prædicabili viro ſunt prædicta.

* Capno.

Quadam brumali & valde frigida die S. magno moleſtatus mœrore fleuit, quem ſuus miniſtrator *Diormitius* de cauſa interrogans mœſtitiæ, hoc ab eo reſponſum accepit: Non immerito, ô filiole, ego in hac hora contriſtor; meos videns Monachos, quos *Laiſranus* nunc graui fatigatos labore in alicuius maioris domus fabrica moleſtat, quod mihi valdè diſplicet. Mirum dictu, eodem momento horæ, *Laiſranus* habitans in Monaſterio *Roboreti campi*, quodammodo coactus, & quaſi quadam pira intrinſecus ſuccenſus iubet Monachos à labore ceſſare, aliquamque cibationum conſolationem præparari; & non ſolum in eadem die otiari, ſed & in cæteris aſperæ tempeſtatis diebus requieſcere. Quæ verba ad fratres cõſolatoria à *Laiſrano* dicta Sanctus in Spiritu audiens flere ceſſauit, & mirabiliter gauiſus ipſe in Ioua Inſula commanens, fratribus, qui ad præſens inerant, per omnia enarrauit, & *Laiſranum* Monachum benedixit conſolatorem.

Quomodo S. Columba prævidet nauem venturam, in qua vehebatur Fechnans pœnitens, & Cailtanum ad ſe accerſit, & monet de inſtanti morte.

CAP. X.

Alio in tempore Sanctus in cacumine ſedens Montis, qui huic Monaſterio eminus ſupereminet, ad ſuum Miniſtratorem *Diormitium* conuerſus profatus eſt, dicens, Miror quare tardius adpropinquat quædam de * Scotia nauis, quæ quendam aduehit ſapientem virum, qui in quodam facinore lapſus lachrymoſam gerens pœnitudinem mox adueniet. Poſt proindè haud grande interuallum ad Auſtrum proſpiciens miniſter, velum nauis vidit ad portum appropinquantis, quam cum Sancto aduentantem demonſtraret, Citò ſurgito, inquiens. Eamus proſelyto obuiam, cuius veram Chriſtus ſuſcepit pœnitentiam. Atverò *Fechnans*, de naui deſcendens Sancto ad portum peruenienti obuius occurrit, cum fletu & lamento ante pedes eius ingeniculans flexis genibus amariſſimè ingemuit; & coram omnibus, qui ibidem inerant, peccantias confitetur ſuas.

* Hibernia.

Sanctus cum eo pariter illachrymatus ad eum ait: Surge fili; & conſolare, dimiſſa ſunt tua, quæ commiſiſti, peccamina, quia ſicut ſcriptum eſt, *Cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit.* Qui ſurgens gaudenter à Sancto ſuſceptus ad *Baithenenum*, tunc temporis in campo *Lunge* præpoſitum commorantem, poſt aliquot eſt emiſſus dies in pace commigrans.

Alio in tempore binos mittens Monachos ad ſuum alium Monachum, nomine *Cailtanum*, qui eodem tempore præpoſitus erat in cella, hæc per eoſdem nuncios ſanctus commendat verba; Citò euntes, ad *Cailtanum* properate, dicitéq; illi vt ad me ſine vlla veniat morula. Qui verbo Sancti obſecuti, exeuntes, & ad cellam peruenientes ſuæ legatiunculæ qualitatem *Cailtano*, intimauerunt. Qui eadem hora nullo demoratus modo, Sancti proſecutus Legatos ad eum in Ioua Inſula commorantem, eorum itineris comes celeriter peruenit. Quo viſo Sanctus ad eum taliter locutus, his compellat verbis: *O Cailtane*, bene feciſti

ciſti ad me obedienter feſtinando, requieſce pauliſper, idcirco ad te inuitandum miſi; amans amicum, vt hîc mecum in vera finias obedientia vitæ curſum tuæ. Nam ante huius hebdomadis finem ad Deum in pace tranſibis. Quibus auditis gratias agens Deo, Sanctum lacrymans exoſculatus eſt, & ad hoſpitium, accepta ab eo benedictione, pergit: eademque ſubſecuta nocte infirmatus iuxta verbũ ſancti in eadẽ ſeptimana ad Chriſtum Dominum emigrauit.

Quomodo S. Columba hoſpites hortatur vt votum Monachicum emittant, & de morte eorum prædicit.

CAP. XI.

Qvadam Dominica die vltra ſæpe memoratum clamatum eſt fretum; quem audiens Sanctus clamorem, ad fratres qui ibidem inerant: Ite, ait, celeriter, peregrinoſque de longinqua veniẽtes regione, ad nos ocyus adducite. Qui cõtinuò obſecuti trãſfretantes adduxerunt hoſpites. Quos Sanctus exoſculatus conſequenter de cauſa percontatur itineris: Qui reſpondentes aiunt, Vt hoc etiam anno apud te peregrinemur, venimus. Quibus Sanctus hanc dedit reſponſionem. Apud me, vt dicitis, anni vnius ſpatio peregrinari non poteritis, niſi prius Monachicum promiſeritis votum. Quod qui inerant præſentes valdè mirati ſunt, ad hoſpites eadem hora aduentantes dici. Ad quæ ſancti verba Senior reſpondens frater ait, Hoc in mente propoſitum licet in hanc horam vſque nullatenus habuerimus, tamen tuum ſequemur conſilium, diuinitus, vt credimus, inſpiratum. Quid plura? eodem horæ momento oratorium cum Sancto ingreſſi deuotè, flexis genibus votum Monachile vouerunt. Sanctus tum deinde ad fratres conuerſus ait, Hi duo proſelyti, viuam Deo ſeipſos exhibentes hoſtiam, longaque in breui Chriſtianæ tempora militiæ complentes, hoc mox eodem mẽſe ad Chriſtum Dominum in pace tranſibunt. Quibus auditis ambo fratres gratias Deo agentes, ad hoſpitium deducti ſunt, interiectiſque diebus ſeptem, ſenior frater cœpit infirmari, & eadem peracta ſeptimana, ad Dominum emigrauit. Similiter & alter poſt ſeptem alios dies infirmatus eiuſdem in fine hebdomadis ad Dominum fæliciter migrauit. Et ſic ſecundum Sancti veridicam Prophetiam intra eiuſdem menſis terminum ambo præſentem finiunt vitam.

Quomodo S. Columba prædicit quendam Gentilem eodem loco baptizandum, moriturum, & ſepeliendum, & Presbyterum ſacrificantem, graui peccato obnoxium eſſe dicit.

CAP. XII.

Cvm per aliquot dies in Inſula demoraretur * Scotia vir beatus, aliquius loci terrulam, mari vicinam baculo percutiẽs, ad comites ait, Mirum dictu, ô Filioli, hodie in hac huius loci terrula quidam Gentilis ſenex naturale per totam bonum cuſtodiens vitam, & baptizabitur, & morietur, & ſepelietur. Et ecce quaſi poſt vnius interuallum horæ nauicula ad eundem ſuperuenit portum, cuius in prora quidẽ aduectus eſt decrepitus ſenex *Geone* primarius cohortis, quam bini iuuenes de naui ſubleuantes, ante beati viri conſpectum deponunt. Qui ſtatim verbo Dei à Sancto per interpretem recepto credens, ab eodem baptizatus eſt, & poſt expleta baptizationis myſteria, ſicut Sanctus prophetizauit, eodem in loco conſequenter obijt, ibidemque ſocij congeſto lapidum aceruo ſepeliunt. Qui hodieque in hac hora cernitur: maritima, fluuiuſque eiuſdem loci, in quo idem baptiſma acceperat ex nomine eius vſque in hodiernum diem nominatus & ab accolis vocitatus.

* *Moderna Scotia nõ eſt Inſula per ſe ſed pars Inſulæ Britãnia.*

Alio in tempore Sanctus cum in * Scotienſium paulò ſuperius moraretur memorata regione, caſu Dominica die ad quoddam deuenit vicinum Monaſterium, quod Scotice *Trioint* vocitatur. Eadem die proinde quendam audiens Preſbyterum Sacræ Euchariſtiæ myſteria conficientem, quem ideo fratres qui ibidem commanebant, ad Miſſarum elegerant peragenda ſolemnia, quia valdè religioſum æſtimabant, repentè hanc formidabilem de ore profert vocem: Munda & immunda pariter nunc permiſceri cernuntur, hoc eſt, munda ſacræ oblationis myſteria per immundum hominem miniſtrata, qui in ſua interim conſcientia aliquod grande occultat facinus. Hæc qui inerant audientes, tremefacti nimis obſtupuere. Ille verò, de

* *Hibernienſium.*

quo dicebantur hæc verba, coram omnibus peccantiam compulſus eſt confiteri ſuam, Chriſtique commilitones, qui in Eccleſia, Sanctum circumſtantes, occulta cordis audierant manifeſtantem, diuinam in eo ſcientiam cum magna admiratione glorificârunt.

Quomodo S. Columba furem prodit, & Poetam Hibernicum interficiendum præuidet.

CAP. XIII.

ALio tempore Sanctus in Ioua commanens inſula accitis ad ſe binis de Fratribus viris, quorum vocabula *Lugbeus* & *Silnanus* eiſdem præcipiens dicit, Hinc ad *Maleam* transfretate inſulam, & in Campulis mari vicinis *Ertum* quærite furacem, qui nocte præterita ſolus occultè de Inſula *Coloſo* perueniens, ſub ſuo fæno tecta nauicula inter arenarum cumulos, per diem ſe occultare conatur, vt noctu ad paruam tranſnauiget Inſulam, vbi marini, noſtri iuris vituli generantur & generant, vt de illis furtim occiſis edax valdè furax ſuam replens nauiculam ad ſuum repetet habitaculum.

Qui hæc audientes obſecuti emigrant, furemque in locis à Sancto præſignatis abſconſum reperiunt; Et ad Sanctum, ſicuti illis præceperat, perduxerunt. quo viſo Sanctus ad eum dicit: Quare tu res alienas, diuinum tranſgreſſus mandatum ſæpè furaris? quando neceſſe habueris ad nos veniens neceſſaria accipies poſtulata. Et hæc dicens præcepit veruecες occidi, & pro furtis dari miſero furaci, ne vacuus ad ſua remearet. Et poſt aliquantum tempus Sanctus in Spiritu præuidens vicinam furis mortem, ad *Battheneum* eo tempore præpoſitum, commorantem in campo *Lunge* mittit, vt eidem furi quoddam pingue pecus, & ſeptem * modias nouiſſima mittat munera. quibus à Batheneo, ſicut Sanctus commendauerat, transmiſſis, ea die inuentus eſt morte ſubita præuentus furax miſellus, & in exequijs eius tranſmiſſa expenſa ſunt xenia.

* *modios.*

Alio tēpore Sanctus cùm iuxta ſtagnum *Cei* propè oſtium fluminis, quod Latine *bos* dicitur, die aliqua cum Fratribus ſederet, quidam ad eos * Scoticus Poeta deuenit, qui cum poſt aliquam receſſiſſet ſermocinationem: Fratres ad Sanctum, Cur, aiunt, à nobis regrediente *Coronano* aliquod ex more ſuæ artis Canticum non poſtulaſti modulabiliter decantari? Quibus Sanctus, quare & vos nunc inutilia profertis verba? quomodo ab illo miſero homuncione poſtularem carmen lætitiæ, qui nunc ab inimicis trucidat*, vſque ad finem ocyus peruenit vitæ? His à Sancto dictis, & ecce vltra flumen aliquis clamitat homo, dicens: Ille Poeta, qui vobis nuper ſoſpes redijt, hora in hac ab inimicis in via interfectus eſt. Omnes tum, qui præſentes inerant, valdè mirati, ſe inuicem intuentes obſtupuêre.

* *Hyloenicus.*

De pugna, & interitu duorum nobilium longe diſtantium, reuelatio.

CAP. XIIII.

ALio itidem tempore Sanctus in Ioua conuerſans Inſula, repente inter legendum ſummo cum ingeti admiratione, gemitu ingemuit mœſto: quod videns qui præſens inerat *Lugbeus*, cœpit ab eo percontari ſubiti cauſam mœroris. Cui Sanctus valde mœſtificatus hanc dedit reſponſionem: Duo quidam nunc regij generis viri in * Scotia mutuis inter ſe vulneribus transfixi diſperierunt, haud procul à Monaſterio, quod dicitur *Cellarois* in Prouincia *Magdenorum* octaua de hac peracta hebdomada, vltra fretum aliquis clamitabit, qui hæc de Hibernia veniens ita taliter facta enarrabit. Sed hoc ô Filiole, quamdiu vixero, nemini indices. Octaua proinde vltra fretum clamatum eſt die. Sanctus tum ſuprà memoratum ad ſe *Lugbeum* vocans ſilenter ad eum ait: qui nunc clamitat vltra fretum ipſe eſt, de quo tibi prius dixeram longæuus viator; vade, & educ eum ad nos. Qui celeriter adductus inter cætera hoc etiam retulit. Duo, inquiens, nobiles viri ſe mutuò vulnerantes mortui ſunt, hoc eſt *Colmancanus* & *Romanus*.

* *Hic author Hiberniam & Scotiā pro Synonima ſumit.*

Poſt hæc illius verba narratoris, idem *Lugbeus* Chriſti miles Sanctum ſeorſim cœpit interrogare, dicens: quæſo mihi de his talibus narres Propheticis reuelationibus, quomodo ſi per viſum tibi, an auditum, an alio hominibus incognito manifeſtantur modo? Ad hæc Sanctus: De qua nunc, ait, inquiris, valde ſubtili re, nullatenus tibi quamlibet aliquam particulam intimare potero,

potero; niſi prius flexis genibus per nomē excelſi Dei mihi firmiter promittas, hoc te obſcuriſſimum Sacramentū nulli vnquam hominum cunctis diebus vitæ meæ enarraturum. Qui hæc audiens, flexit continuò genua, & proſtrato in terram vultu, iuxta Sancti præceptionem plenè omnia promiſit. Qua ſtatim perfecta promiſſione Sanctus ad ſurgentem ſic locutus inquit, Sunt nonnulli quamlibet pauci admodum, quibus diuina hoc contulit gratia, vt etiam totius terræ orbem cum ambitu oceani & cœli vno eodemque momento, quaſi ſub vno ſolis radio, mirabiliter laxato mentis ſinu, clarè & manifeſtiſſimè ſpeculentur.

Quomodo S. Columba res omnes præuideat.

Hoc miraculum Sanctus quamuis de alijs electis dicere videatur, vanam vtique fugiens gloriam, de ſe ipſo tamen dixiſſe per obliquum licet nullus dubitare debet, qui Paulum legit Apoſtolum vas electionis de talibus narrantem ſibi reuelatis viſionibus. Non enim ita ſcripſit: Scio me, *Sed ſcio hominem raptum vſque ad tertium cœlum.* Quod quamlibet de alio dicere videretur, nemo tamen dubitat ſic de propria, humilitatem cuſtodientem, enarrare perſona. Quem etiam & noſter Columba in Spiritualium viſionum narratione ſecutus eſt, ſuperius memorata, quam ab eo ſupra dictus vir quem plurimum Sanctus amabat, magnis precibus præmiſſis vix potuit extorquere, ſicut ipſe coram aliorum perſonis Sanctorum poſt S. Columbæ tranſitum teſtatus eſt, à quibus hæc, quæ de Sancto ſuprà narrauimus, indubitanter didicimus.

2. ad Cor. 12.

De ferro à S. Columba benedicto, & de curatione Diormitij.

CAP. XV.

Alio in tempore quidam Frater ad Sanctum eadem ſcribentem hora veniens dicit ad eum, Hoc ferrum, quod in manu habeo, quæſo benedicas. Qui paululum extenſa manu Sancta, cum calamo ſignans, benedixit; ad librum, de quo ſcribebat facie conuerſa. Quo videlicet ſupradicto Fratre cum ferro benedicto recedente, Sāctus percōtatur dicēs: Quod Fratri ferrum benedixi? Diormitius pius eius miniſtrator, Pugionē, ait, ad iugulandos tauros vel boues benedixiſti. Qui è contra reſpondens infit; Ferrum quod benedixi confido in Domino meo, quod nec homini, nec pecori nocebit. Quod Sanctiſſimum eadem hora comprobatum eſt verbum Nam idē Frater vallum egreſſus Monaſterij bouem iugulare volens tribus firmis vicibus, & forti impulſione conatus, nec tamen poterat etiam eius transfigere pellem. Quod Monachi ſcientes experti, eiuſdem pugionis ignis reſolutum calore, per omnia Monaſterij ferramenta liquefactum diuiſerūt inlinitum, nec poſtea vllam potuere carnem vulnerare, illius Sancti manente benedictionis fortitudine.

Alio in tempore Diormitius Sancti Pius miniſtrator vſque ad mortem ægrotauit, ad quem in extremis conſtitutum Sanctus viſitans acceſſit, Chriſtique inuocato nomine infirmi ad lectulum ſtans, & pro eo exorans dixit: Exorabilis mihi fias precor Domine, & animam mei miniſtratoris pij de huius carnis habitaculo me non auferas ſuperſtite. Et hoc dicto aliquantiſper conticuit. Tum proinde hanc de ſacro ore profert vocem, dicens: Hic meus non ſolum hac vice nunc non morietur puer, ſed etiam poſt meum obitum annis multis viuet. Cuius hæc oratio eſt exaudita. Nam Diormitius ſtatim poſt Sancti exaudibilem precem, plenā recuperauit ſalutem. Per multos quoque annos poſt Sancti ad Dominum emigrationem ſuperuixit.

Quomodo S. Columba Epiſcopum alium ſe ſimulantem prodit, & de Ernao à ſe abeuntem prædicit.

CAP. XVI.

Alio in tempore quidam de *Numinenſium* Prouincia proſelytus ad Sanctum venit, qui ſe in quantum potuit humiliter, quod nullus ſciret, quod Epiſcopus eſſet, ſed tamen hoc Sanctum non poterat latere Nam alia die Dominica à Sancto iuſſus Chriſti corpus ex more conficere, Sanctum aduocat, vt ſimul quaſi duo Presbyteri Dominicum panem frangerent. Sanctus proindè ad altarium accedens, repente intuitus faciem eius ſic eum compellat: Benedicat te Chriſtus, Frater. Hunc ſolus Epiſcopus Epiſcopali ritu frange panem. Nunc ſcimus quod ſis Epiſcopus. Quare hucuſque te occulta-

ſ Momonienſium.

re conatus es, vt tibi à nobis debita nō redderetur veneratio. quo audito ſancti verbo, humilis peregrinus valdè ſtupefactus Chriſtum in Sancto veneratus eſt, & qui inerant præſentes nimis admirati glorificauerunt Deum.

Alio itidem in tempore vir venerandus *Ernanum* Preſbyterum, ſenem, ſuum auunculum ad præpoſituram illius* monaſterij tranſmiſit, quod in *Himba* Inſula ante plures fundauerat annos. Itaque cum ipſum Sanctum emigrantem exoſculatus benediceret, hoc de eo intulit vaticinium dicens: Hunc meum nunc ingredientem amicum non me ſpero iterum in hoc ſæculo viuentem viſurum.

Itaque idem *Ernanus*, poſt non multos dies quadā molestatus ægrimonia ad ſanctum volens reportatus eſt; cuius in peruentione valdè gauiſus ire obuius ad portum cœpit. Ipſe vero *Ernanus* quamlibet infirmus, proprijs tamen veſtigiis à portu obuiare ſancto conabatur valde alacer. Sed cùm eſſet inter ambos quaſi viginti. I V. M. viæ paſſuum interuallum, ſubita morte præuentus priuſquam Sanctus faciem eius videret viuentis, expirans in terram cecidit, ne verbum Sancti vllo modo fruſtraretur. Vnde in eodem loco ante ianuam *Canabe* crux infixa eſt, & altera vbi Sanctus reſtitit illo expirante ſimiliter crux hodieque infixa ſtat.

Quomodo S. Columba plebeio cuidam prædicit, familiam eius ex vaſtatorum manibus euaſiſſe, & alteri genus mortis, quo moriturus erat, prænunciat.

CAP. XVII.

Alio quoque in tempore quidam inter cæteros ad Sanctum plebeius venit, quem cum Sāctus ad ſe veſperè venientem vidiſſet, vbi, ait, habitas? Ille inquit, in regione, quæ littoribus ſtagni contermina eſt, ego inhabito. Illam, quam dicis Prouinciolam, ait Sanctus, nunc barbari populantur vaſtatores. quo audito, miſer plebeius maritā & filios deplangere cœpit. quē Sanctus valdè mœrentem videns, conſolans inquit: vade homuncule, vade, tua Familiola tota in montem fugiēs euaſit, tua verò omnia pecuſcula ſecū inuaſores abegerūt, omnemq; domus ſuppellectilem ſimiliter ſæui raptores cum præda rapuēre. Hæc audiens plebeius ad patriam regreſſus, cuncta ſicut à ſancto prædicta ſunt, inuenit exempla.

Alio itidem in tempore omnium illius ætatis in populo fortiſſimus virorum, Sanctum percontatus eſt virum, qua morte eſſet præueniendus: Cui ſanctus, Nec in bello, ait, nec in mari morieris, comes tui itineris, à quo non ſuſpicaris, cauſa erit tuę mortis. Fortaſſis, inquit, *Gorens* aliquis de meis comitantibus amicis* me trucidare cogitet, aut marita ob alicuius iunioris viri amorem me maleficio mortificare. Sanctus non ita ait, continget. quare *Gorens*, inquit, de meo interfectore mihi nunc intimare non vis? Sanctus, idcirco, ait, Nolo tibi de illo tuo comite nocuo, nunc manifeſtius aliquid edicere, ne eius crebra recordatio nimis te mœſtificet, donec veniet dies, qua eiuſdem rei veritatem probabis. Quid immoramur verbis? poſt aliquot annorum excurſus idem ſuprà memoratus *Gorens* caſu aliqua die ſub naui reſidens, cultello proprio chriſtiliam de caſtili eradebat: tum deinde alios prope inter ſe belligerantes audiens citius ſurgit, vt eos à belligeratione ſepararet. Eodemque cultello illa ſubitatione negligentius in terra demiſſo, eius genicula offenſo grauiter vulnerata eſt; & tali faciente comite cauſa ei mortificationis oborta eſt: quam ipſe continuò ſecundum Sancti vaticinationem viri mente perculſus recognouit; poſtque aliquantos menſes eodem aggrauatus dolore moritur.

Quomodo S. Columba prædicit aduentum gruis de patria ſua Hibernia, & fontem ſanguine inficiendum.

CAP. XVIII.

Alio namque in tempore cum Sanctus in Ioua inhabitaret Inſula, vnum de fratribus aduocans ſic compellat: Tertia ab hac inluceſcente die, debebis in occidentali huius Inſulæ parte expectare ſuper maris oram ſedens. Nam de Aquilonari Hiberniæ regione quædam hoſpita grus, ventis per longos aëris agitata circuitus, poſt nonam diei horam valdè feſſa & fatigata ſuperueniet, & penè conſumptis viribus coram te in littore cadens recumbet. quam miſericorditer

ſubleuare

Hic planè conſtat Scotiā pro Hibernia ſumi.

ſubleuare curabis, & ad propinquam deportabis domum; ibidem hoſpitaliter receptam per tres dies, & noctes ei miniſtrās ſollicitè cibabis, & pòſt expleto recreata triduo nolens vltra apud nos peregrinari ad priorem Scotiæ dulcem, vnde orta eſt, remeabit regionem, plenè reſumptis viribus. Quam ideò tibi diligentèr commendo; quia de noſtræ paternitatis regione eſt oriunda. Obſecundat Frater, tertiaque die poſt horam nonam, vt iuſſus fuerat, præſcitæ aduentum præſtolatur hoſpitæ; aduentantemque de littore leuat lapſam, ad hoſpitium portat infirmam, eſurientem cibat. Cui ad Monaſterium veſpere reuerſo Sanctus, non interrogans, ſed narrans, ait; Benedicat te Deus, mi Fili, qui peregrinæ benè miniſtraſti hoſpitæ, quæ in peregrinatione non demorabitur, ſed poſt ternos Soles ad patriam repedabit. Quod ita vt Sanctus prædixit, res etiam probauit. Nam trinalibus hoſpitata diebus coram hoſpite miniſtro de terra ſe primum volando eleuans in ſublime, pauliſperque in aëre viam ſpeculata Oceani tranſuadato æquore ad * Hiberniam recto volatus curſu, die repedauit tranquillo.

Phraſis Hybernica paternitas, ſeu paternitatis regio ſignificat natale ſolum.

** Superiores Scotiā eā vocat.*

ALio in tempore vir beatus cùm ad campos reuerteretur æquoreos ipſe & *Congellus* Abbas, quadam ſecreta æſtiui temporis die, haud procul à ſupra memorata munitione reſident. Tum proindè aqua de quodam proximo ad manus lauandas fonticulo ad Sanctos in æneo defertur vaſculo; quam cum Sanctus *Columba* accepiſſet, ad Abbatem *Congellum*, à latere ſedentem, ſic profatur; Ille fonticulus, ô *Congelle*, de quo hæc effuſa nobis allata eſt aqua, & veniet dies quando nullis vſibus humanis aptus erit. Qua cauſa, ait *Congellus*, eius fontana corrumpitur vnda? Sanctus tum *Columba*, quia humano, inquit, cruore replebitur. Nam mei cognationales amici, & tui ſecundum carnem cognati in hac vicina munitione belligerantes committent bellum; vnde in ſuprà memorato fonte aliquis de mea cognatione trucidabitur homuncio, cuius cum cæteris interfecti ſanguine eiuſdem fonticuli locus replebitur. Quæ eius veridica ſuo tempore poſt multos vaticinatio expleta eſt annos; in quo bello vt multi norunt populi, *Domnallus Aidi* filius victor ſublimatus eſt; & in eodem ſecundum Sancti Vaticinium viri fonticulo quidam de parentela eius interfectus homo.

Alius, mihi Adomnano, Chriſti miles *Finanus* nomine, qui vitam multis Anachoreticam annis iuxta *Roboreti* Monaſterium Campi irreprehenſibiliter ducebat, de eodem bello ſe præſente commiſſo aliqua enarrans proteſtatus eſt In ſupra dicto fonte truncum cadauerinum vidiſſe, eademque die ad Monaſterium Sancti *Congelli*, quod * Scoticè dicitur *Cambas*, commiſſo reuerſus bello, quia inde prius venerat. Ibi denique duos Sancti Congelli ſenes Monachos reperiſſe, quibus cum de bello coram ſe acto, & de fonticulo humano cruore corrupto aliquanta enarraret; illi conſequenter, verus eſt Propheta *Columbanus*, aiunt, qui hæc omnia, quæ hodie de bello & Fonticulo expleta enarras; ante multos annos futura nobis audientibus coram Sancto Congello iuxta *Cæthirni* ſedens munitionem prænunciauerat.

** Hibernicè*

alias Columba.

Quomodo S. Columba ex Xenijs ad benedicendum oblatis, offerentium peccata agnoſcit, & ijdem ab eo increpati emendantur.

CAP. XIX.

EOdem in tempore Conallus Epiſcopus penè innumerabilibus Xenijs beato viro hoſpitium præparauit poſt * condictum ſupra memoratorum Regum, turba proſequente multa, reuertenti. Proinde Sancto aduenienti viro Xenia populi multa in platea Monaſterij ſtrata benedicenda aſſignātur, quæ cum benedicēs aſpiceret Xenium alicuius opulenti viri, ſpecialiter demonſtrans virum ait: Cuius eſt hoc Xenium pro miſericordijs pauperum, & eius largitione Dei comitatur miſericordia. Itemq; aliud diſcernit, inter alia multa, Xeniū, inquiens: De hoc ego Xenio viri ſapientis & auari, nullo modo guſtare poſſum; niſi prius veram de peccato auaritiæ pœnitudinem egerit. Quod verbum citò in turba diuulgatum audiens, accurrit *Columbus*, filius *Aidi*, conſcius & veram Sancto flexis genibus pœnitentiam agit, & de cætero auaritiæ abrenuntiaturum ſe promittit; & largitatem cum morum emendatione conſecuturum. Et iuſſus à Sancto ſurgere, ex illa hora eſt ſanatus de vitio tenacitatis Erat enim vir ſapiens, ſicuti Sancto in eius reuelatum erat Xenio. Ille verò diues, largus Brendenus nomine, de cuius Xenio paulò

** conſilium*

ſuperius dictum eſt, audiens & ipſe Sancti verba de ſe dicta, ingeniculans ad pedes Sancti precatur, vt pro eo ad Dominum Sanctus fundat precem, qui ab eo primum pro quibuſdam ſuis obiurgatus peccatis; pœnitudinem gerens, de cætero ſe emendaturum promiſit, & ſic vterque de proprijs emendatus, & ſanatus eſt vitijs.

Huic primo libro hîc imponitur terminus. Nunc ſequens orditur liber de virtutum miraculis, quæ plerumque etiam Prophetalis præſcientia comitatur.

INCIPIT LIBER SECVNDVS

DE VIRTVTVM MIRACVLIS.

QVOMODO S. COLVMBA AQVAM IN vinum conuertit, & arborem pomorum ex amara reddit dulcem.

CAPVT PRIMVM.

ALio in tempore cùm vir venerádus in * Scotia apud Sanctum *Findbarrum.* Epiſcopum adhuc iuuenis, ſapientiam Sacræ ſcripturæ addiſcês, commaneret, quadam ſolemni die vinum ad ſacrificale myſterium caſu aliquo minimè inueniebatur. de cuius defectu cum miniſtros altaris inter ſe conquirentes audiret, ad fontem ſumpto pergit vrceo, vt ad Sacræ Euchariſtiæ miniſteria aquam quaſi Diaconus fontanam hauriret. Ipſe quippe illis in diebus erat in Diaconatus gradu adminiſtrans.

* *Hibernia.*

Vir itaque beatus aquaticum quod de latice hauſit, elementum, inuocato nomine Ieſu Chriſti, fideliter benedixit, qui in Cana Galilææ aquam conuertit in vinum: quo etiam operante miraculo inferior, hoc eſt, aquatica natura in gratiorem, videlicet vinalem, per manus prædicabilis viri conuerſa eſt ſpeciem. Vir itaque Sanctus à fonte reuerſus, & Eccleſiam intrans talem iuxta altare vrceum intra ſe habentem deponit liquorem, & ad miniſtros: Habetis, ait, vinum quod Dominus Chriſtus ad ſua miſit peragenda myſteria. Quo cognito, Sanctus cum Miniſtris Epiſcopus eximias Deo referunt gratias. Sanctus verò iuuenis hoc non ſibimet, ſed Sancto *Vinniano* aſcribebat Epiſcopo. Hoc itaque primum virtutis documentum Chriſtus Dominus per ſuum declarauit diſcipulum, quod in eadem re initium ponens ſignorum. in Chana Galilææ operatus eſt per ſemetipſum.

Ioan. 2.

Quædam erat arbor valdè pomoſa prope Monaſterium *Roboris Campi*, in auſtrali eius parte, de qua cum incolæ loci quondam haberent pro nimia fructus amaritudine querimoniam; quadam die Sanctus ad eam acceſſit Autumnali tempore, videſque lignum incaſſum abundos habere fructus, qui ex eis guſtantes plus læderent, quàm delectarent, Sanctus eleuata manu benedicens, ait: In nomine omnipotentis Dei omnis tua amaritudo, ô arbor amara, à te recedat, tuaque hucuſque amariſſima, nunc in dulciſſima vertantur poma. Mirum dictu, dicto citius eodemque momento eiuſdem arboris omnia poma, amiſſa amaritudine, in miram, ſecundum verbum ſancti, verſa ſunt dulcedinem.

Quomodo

Quomodo ſeges in Iunio ſeminata, in principio Auguſti metitur.

CAP. II.

Alio in tempore Sanctus ſuos miſit Monachos, vt de alicuius plebei agellulo virgarum faſciculos ad hoſpitium afferrent conſtruendum, qui cum ad Sanctum oneraria repleta naui de ſuprà dictis virgularum materijs, reuerſi venirent, dicerentque plebeium cauſa eiuſdem valdè diſpendij contriſtatum; Sanctus conſequenter præcipiens dicit: Ne ergo ſcandalizemus virum ad ipſum à nobis bis terni deferantur hordei modij, eoſdemque his in diebus arata ipſe ſeminet in terra. Quibus ad plebeium, *Frindebanum* nomine, iuxta Sancti iuſſionem miſſis, & coram eo cum tali commendatione adſignatis, gratanter accipiens, ait: Quomodo poſt medium æſtiuum tempus ſeges ſeminata contra huius terræ naturam proficiet? Marita è contra: Facait, ſecundum Sancti mandatum. Cui Dominus donabit quodcunque ab eo poſtulauerit. Sed & qui miſſi ſunt ſimul hoc addiderunt dicendo; Sanctus Columba, qui nos ad te cum hoc miſit munere, hoc mandatum per nos de tua cōmendauit ſegete, dicens homo ille in omnipotentia Dei confidat quamuis de menſe Iunio xij. præmiſſis diebus, ſeminata in principijs Auguſti menſis metetur. Obſequitur plebeius arando, & ſeminando, & meſſem, quam ſupra dicto in tempore contra ſpem ſeminauit, cum omnium admiratione vicinorum in exordio Auguſti menſis maturam, iuxta Sancti verbum, meſſuit.

Quomodo S. Columba de nube prædicit peſtiſera, & ægrotos, miſſo ad eos Siluano, ſanat.

CAP. III.

Alio itidem in tempore cum Sanctus in Ioua commoraretur inſula, ſedens in monticulo, qui Latinè *Munitio magna* dicitur, videt ab Aquilone nubem denſam, & pluuialem de meridie ſerena obortam. qua aſcendente viſa, Sanctus ad quendam de ſuis iuxta ſe Monachum ſedentem, nomine *Siluanum*, Hæc nubes, ait, valdè nocua hominibus, & pecoribus erit; hacque die velocius tranſuolans ſuper aliquantam * Scotiæ partem, pluuiam veſpere diſtillabit morbiferam quæ grauia, & purulenta humanis in corporibus, & in pecorum vberibus naſci faciet vlcera: quibus homines morbidi, & pecudes illa venenoſa grauitudine vſque ad mortem moleſtati laborabunt. Sed nos eorum miſerati ſubuenire lāguoribus Domino miſerante debemus. Tu ergo Siluane, nunc mecum deſcendens de monte nauigationem præpara. Craſtina die vita comite, & Deo volente, à me pane accepto, Dei inuocato nomine, benedicto; quo in aquam intincto, homines ea conſperſi & pecora celerem recuperabunt ſalutem.

* *Hibernia.*

Quid moramur? die craſtina his, quæ neceſſaria erant, citius præparatis, *Siluanus* accepto de manu Sancti pane benedicto, in pace enauigauit. Cui Sanctus à ſe eadem emigranti hora addit, hoc etiam conſolatorium verbum, dicens: Confide fili, ventos habebis ſecundos, & proſperos diu noctuque vſque dum ad illam peruenias regionem, vt languentibus ibidem celerius cum ſalubri ſubuenias pane. Quid plura? *Siluanus* verbo obſecutus Sancti proſpera & celeri nauigatione, auxiliante Domino, ad ſuprà memoratā perueniens partē, illius regionis plebem, de qua Sāctus prædixerat, deuaſtatā nobis prædictæ morbifera reperit pluuia ſuperfluente citius præcurrentis, imprimiſque bis terni viri in eadem mari vicina domo reperti in extremis morte poſiti adpropinquante, ab eodem *Siluano* aqua benedictionis aſperſi, in eadem præſenti die oportunius ſanati ſunt. Cuius ſubitæ ſanationis rumor per totam illam morbo peſtilentiore vaſtatam regionem citò diuulgatus, omnē morbidum ad S. Columbæ legatum inuitauit populum. Qui iuxta S. mādatum homines, & pecora, pane intincto benedicto, aqua conſperſit, & continuò plenam recuperantes ſalutem, homines cum pecudibus ſaluati Chriſtum in S. Columba cum eximia gratiarū actione laudārūt. In hac enim ſupraſcripta narratione, vt æſtimo, duo hæc manifeſtè pariter comitantur, hoc eſt, gratia prophetationis de nube, & virtutis miraculum in ægrotantium ſanitate. Hæc per omnia eſſe veriſſima ſupradictus *Siluanus* Chriſti miles Sancti legatus Colūbæ corā *Segeno* Abbate, & cæteris teſtatus eſt ſenioribus.

Quomodo S. Columba Mauginam fracta coxa ſe inuocantem videt, & miſſo Lugaido curat.

CAP. IV.

Alio in tempore cùm Sanctus in Ioua demoraretur inſula, prima diei hora, quēdam aduocans Fratrem *Lugaidum* nomine, & taliter eum compellat, dicens: Præpara citò ad * Scotiam celerem nauigationem. Nam mihi valdè eſt neceſſe te vſque ad *Chilocherum* deſtinare legatum. In hac enim præterita nocte caſu aliquo *Maugina* Sancta Virgo ab Oratorio poſt Miſſam domū reuerſa titubauit, coxaque eius in duas cōfracta eſt partes. Hæc ſæpius meum inclamitans nomen commemorat, à Domino ſperans ſe accepturam per me conſolationem.

* Hibernia.

Quid plura? *Lugaido* obſecundanti, & conſequenter emigranti Sanctus Pineam tradit cum benedictione capſellam, dicens: benedictio, quæ in hac capſellula continetur, quando ad *Mauginam* peruenies viſitandam, in aqua vaſculum intingatur, eademque benedictionis aqua ſuper eius infundatur coxam, & ſtatim inuocato Dei nomine coxale coniungetur os, & denſabitur; & Sancta Virgo plenam recuperabit ſalutem. Et hoc Sanctus addit: En ego ponam in huius capſulæ operculo numerum viginti trium annorum, quibus Sacra Virgo in hac præſenti poſt eandem ſalutem victura eſt vita. quæ omnia ſic plenè expleta ſunt, ſicuti à Sancto prædicta: nam ſtatim vt *Lugaidus* ad Sanctam peruenit Virginem, aqua benedicta, ſicut Sāctus commendauit, perfuſa coxa ſine vlla morula condenſato oſſe, plenè ſanata eſt; & in aduentu Sancti Columbæ, cum ingenti gratiarum actione, gauiſa, viginti tribus annis ſecundum Sancti Prophetiam poſt ſanitatem in bonis actibus parmanens vixit.

Quomodo S. Columba variè varios morbos curat: pars domus, in qua petra ſalis ab eo benedicta, à combuſtione ſeruatur, & folium eius manu ſcriptum ſub aqua incorruptum remanſit.

CAP. V.

Vir vitæ prædicabilis, ſicuti nobis ab expertis traditum eſt, diuerſorum languores infirmorum, inuocato Chriſti nomine illis in diebus ſanauit. quibus ad Regū pergens condictum, in *Dorſo* cetæ breui commoratus eſt tempore. Nam aut Sanctę manus protenſione, aut aqua ab eo benedicta, ægroti plures aſperſi, aut etiam fimbriæ eius tactu amphibali, aut alicuius rei, ſalis videlicet, vel panis benedictione accepta, & lymphis intincta plenam credentes recuperārunt ſalutem.

Alio itidem in tempore quidam à Sācto petram ſalis benedictam accepit, ſorori, & ſuæ nutrici profuturam oculorum dolori, quæ ophthalmiæ laborabat. Valdè graui languore, id eſt, oculorum dolore. Talem Eulogiam eadem ſoror, & nutricia de manu Fratris accipiens, in pariete ſuper lectum ſuſpendit, caſuque poſt aliquantos contigit dies, vt idem viculus, cum ſupradictæ domuncula fœminæ flamma vaſtante, totus concremaretur. Mirum dictu illius parietis particula, ne beati viri in ea deperiret ſuſpenſa benedictio, poſt totam ambuſtam domum ſtans illæſa permanſit; nec ignis auſus eſt attingere binales, in quibus talis pendebat ſalis petra ſudes.

Aliud miraculum æſtimo non tacendum, quod aliquando factum eſt per contrarium elementum. Multorum namque tranſcurſis annorū circulis poſt beati ad Dominum tranſitum viri, quidam Iuuenis de equo lapſus in flumine merſus, & mortuus, viginti ſub aqua diebus permanſit, qui ſicuti ſub aſella, cadens, libros in pellicio reconditos ſacculo habebat, ita etiam poſt ſupra memoratum dierum numerum eſt repertus ſacculum cū libris inter brachium & latus continens. Cuius & ad aridam reportato cadauere, & aperto ſacculo, folium Sancti Columbæ Sanctis ſcriptum digitulis, inter aliorum folia librorum non tantum corrupta, ſed & putrefacta, inuentum eſt nullo modo corruptum, ac ſi in ſcrinio eſſet reconditum.

Quomodo S. Columba ad infantem baptizādum fontem de petra produxit: eiuſdemque pueri vitæ curſum prædixit, & fontem à diabolica infectione purgauit.

CAP. VI.

Alio namque tempore cùm Sanctus in ſua verſaretur peregrinatione, Infans ei per parentes ad baptizandum offertur iter agenti. Et quia

in vicinis aqua non inueniebatur locis, Sãctus ad proximam declinans rupem, flexis genibus paulisper orauit. Et poſt orationem ſurgens, eiuſdem rupis fontem benedixit, de qua conſequenter aqua ebulliens abundanter fluxit, in qua continuò infantulum baptizauit. De quo & baptizato hæc vaticinans intulit verba, inquiens: Hic puerulus vſque ad extremam longæuus viuet ætatem; in annis iuuenilibus carnalibus deſiderijs ſatis ſeruiturus, & deinceps Chriſtianæ vſque in exitum militiæ mancipandus; in bona ſenectute ad Dominum emigrabit. Quæ omnia eidem viro iuxta Sancti contigerunt vaticinium. Et qui fonticulus adhuc Sancti nomine Columbæ ibidem pollens cernitur.

Alio in tempore vir beatus cùm in Pictorum Prouincia per aliquot demoratetur dies, audiens in plebe gentili de aliquo fonte diuulgari famam, quem quaſi diuinum ſtolidi homines diabolo eorum obcæcante ſenſus, venerabantur. Nam de eodem fonticulo bibentes, aut in eo manus, vel pedes de induſtria lauantes, dæmoniaca, Deo permittente, percuſſi arte, aut leproſi, aut luſci, aut etiam debiles, aut quibuſcumque alijs infeſtati infirmitatibus reuertebantur. Ob quæ omnia seducti Gẽtiles, diuinum fonti deferebant honorem. Quibus compertis Sanctus alia die intrepidus acceſſit ad fontem. Quod videntes Magi, quos ipſe ſæpe confuſos, & victos à ſe repellebat, & valdè gauiſi ſunt, ſcilicet putantes, eum ſimilia illius noeuæ tactu aquæ paſſurum.

Ille verò imprimis eleuata manu ſancta, cum inuocatione Chriſti nominis, manus lauat, & pedes; tum deindè cum ſocijs de eadem à ſe benedicta bibit. Ex illaque die dæmones ab eodem receſſerunt fonte. Et non ſolum nulli nocere permiſſus eſt, ſed etiam poſt Sancti benedictionem, & in eo lauationem, multæ in populo infirmitates per eundem ſanatæ ſunt fontem.

Quomodo S. Columba maris tempeſtatem ſedauit, & ſimile quid S. Cabinnechus præſtitit.

CAP. VII.

ALio in tempore vir Sanctus in mari periclitari cœpit: totum namque vas nauis valdè concuſſum magnis vndarũ cumulis fortiter feriebatur, grandi vndique inſiſtente ventorum tẽpeſtate. Nautæ tum fortè Sancto cũ illis exhaurire conanti, aiunt: Quod nunc agis, non magnopere nobis proficit periclitantibus. Exorare potius debes pro pereuntibus. Quo audito, aquam ceſſat amaram exinanire, dulcem verò & intentam precem cœpit ad Dominum fundere. Mirum dictu eodem horæ momento, quo Sanctus in prora ſtans extenſis ad cælum palmis omnipotentem exorabit; tota aëris tempeſtas, & maris ſæuitia dicto citius ſedata ceſſauit; & ſtatim sereniſſima tranquillitas ſuperſecuta eſt. Qui verò erant in naui obſtupefacti, cum magna admiratione referentes gratias glorificauerunt Dominum in Sancto & prædicabili viro.

Alio quoque in tempore ſæua nimis inſiſtente, & periculoſa tempeſtate; ſocijs, vt pro eis Dominum Sanctus exoraret, inclamantibus, hoc eis dedit reſponſum, dicens: Hac in die non eſt meum pro vobis in hoc periculo conſtitutis orare; ſed eſt Abbatis Cahinnichi Sancti viri. Mira dicturus ſum. Eadem hora S. Cahinnichus in ſuo conuerſans Monaſterio, quod Latine *Campulus bouis* dicitur, Spiritu reuelante Sancto ſupradictam S. Columbæ interiore cordis aure vocem audierat. Et cum fortè poſt nonam cœpiſſet horam in Oratorio Eulogiam frangere, ocius deſerit menſulam, vnoque in pede inhærente calceo, & altero præ nimia feſtinatione relicto, feſtinanter pergit hac cum voce ad Eccleſiam: Non eſt nobis nunc tempus prandere, quando in mari periclitatur nauis S. Columbæ. Hoc enim momento ipſe nomen Cahinnichi ingeminans commemorat, vt pro eo, & ſocijs periclitantibus exoret. Poſt hæc illius verba oratorium ingreſſus flexis genibus pauliſper orauit, eiuſque orationem exaudiente Domino illico tempeſtas ceſſauit, & mare valdè tranquillum factum eſt. Tum dein Sanctus Columba *Cabinnichi* ad Eccleſiam præparationem in ſpiritu videns, quamlibet longè conuerſantis, mirabiliter hoc de puro pectore profert verbum, dicens: Nunc cognoui, ô *Cabinniche*, quod Deus tuam exaudierit precem; nunc valdè nobis proficit tuus ad Eccleſiam velox cum vno calceamento curſus. In hoc itaque tali miraculo amborum, vt credimus, oratio cooperata eſt Sanctorum.

Quomodo S. Columba contrarios ventus contraria via ituris eodem die impetrauit: & Columbanum nunquam in ſe hac vita viſurum prædixit.

CAP. VIII.

ALio quoque in tempore Superius memorati viri Sancti ad Sanctum venientes ab eo ſimul vnanimes poſtulant, vt ipſe à Domino poſtulans impetraret proſperum craſtina die ventum ſibi dari, diuerſa emigraturis via. Quibus Sanctus reſpondens hoc dedit reſponſum: Mane craſtina die *Battheneus* à portu *Ionæ* enauigans Inſulæ flatum habebit ſecundum, vſquequo ad portum perueniat *Campi lunge.* quod ita iuxta Sancti verbum Dominus donauit. Nam *Battheneus* plenis eadem die velis magnum totum pelagus vſque ad *Ethicam* tranſmeauit terram. Hora verò diei eiuſdem tertia, vir venerandus *Columbanum* aduocat Preſbyterum, dicens: Nunc *Battheneus* proſperè optatum peruenit ad portum. Ad nauigandum te hodie præpara; mox Dominus ventum conuertet Aquilonem. Cui ſic prolato beati viri verbo, eadē hora Auſter obſecundans ventus ſe in Aquiloneum conuertit flatum, & ita in eadem die vterque vir Sāctus alter ab altero in pace auerſus. *Battheneus* manè ad *Ethicam* terram, *Columbanus* poſt meridiem Hiberniam incipiens appetere, plenis enauigauit velis, & flatibus ſecundis. Hoc illuſtris viri virtute orationum Domino donante, effectum eſt miraculum, quia ſicut ſcriptum
Marci 9. eſt: *Omnia poſſibilia ſunt credenti.*

Poſt illa in die Sancti Columbani egreſſum, Sanctus hoc de illo Propheticum Columba protulit verbum: vir Sanctus *Columbanus*, cui emigranti benediximus, nuſquam in hoc ſæculo faciem videbit meam. Quod ita poſt expletum eſt. Nam eodem anno S. Columba ad Dominum tranſiuit.

Quomodo S. Columba ſigno S. crucis Dæmonem ex vaſculo lactis fugauit: lac effuſum multiplicauit, lac magicum in ſanguinem conuertit, & bouem ſanauit.

CAP. IX.

ALio quoque in tempore quidam iuuenis *Columbanus* nomine, qui ad ianuam tugurioli ſubitò perueniens teſtitit, in quo vir beatus ſcribebat. Hic idem poſt vaccarum reuerſus mulſionem in dorſo portans vaſculum nouo plenum lacte, dicens ad Sanctum, vt iuxta morem tale benediceret onus. Sanctus tum ex aduerſo eminus in aere ſignum, manū eleuatā, ſalutare depinxit. Quod illicò valdè concuſſum eſt, gergennaque operculi per ſua bina foramina retruſa, longius proiecta eſt; operculum terra tenus cecidit; lac ex maiori menſura in ſolum defuſum eſt. Iuuenculus vas cum paruo quod remanſerat lactis, ſuper fundum in terra deponit, genua flectit ſuppliciter. Ad quem; Surge, ait, Columba, hodie in tua operatione negligenter egiſti. Dęmonem enim in fundo vacui latitantem vaſculi impreſſo Dominicæ crucis ſigno ante infuſionem lactis non effugaſti, cuius videlicet ſigni nunc virtutem non ſuſtinens tremefactus toto pariter turbato vaſe, velociter cum lactis effuſione aufugit. Hoc ergo ad me propius vaſculum, vt illud benedicam, approxima. Quo facto, Sanctus ſemiuacuum benedixerat vas, eodemque momento diuinitus repletum repertum eſt, paruumque quod prius in fundo remanſerat vaſis, ſub ſanctæ manus benedictione vſque ad ſummum citius excreuerat. *Virtus ſigni crucis.*

Hoc factum ſubſequens in domo alicuius plebei diuitis; vbi cum Sanctus hoſpitaretur, intra ruſticanos cōtendentes duos, quorum prius aduentum præſciuit, recta iudicatione iudicauit. Vnuſque ex eis, qui maleficus erat, à Sancto iuſſus de boue maſculo, qui prope erat, lac arte diabolica expreſſit. quod Sanctus non vt illa confirmaret maleficia, fieri iuſſit, quod abſit; ſed vt ea coram multitudine deſtrueret. Vir itaque beatus vas, vt videbatur tali plenum lacte ſibi ocyus dari popoſcit, & hac cum ſententia benedixit, dicens: modo probabitur non eſſe verum quod putabatis lac, ſed Dæmonum fraude ad decipiendos homines decoloratus ſanguis. Et continuò lacteus ille color in naturam propriam, hoc eſt, in ſanguinem verſus eſt. Bos quoque qui per vnius horæ momentum turpi macie tabidus & maceratus erat, morti proximus, benedicta à Sancto aqua ſuperfuſus, mira ſub celeritate ſanatus eſt. *Lac magicum demonſtrat & bouem ſanat.*

Quomodo

Quomodo Columbani pauperis vaccæ quinque benedictione S. Columbæ ad 105. multiplicantur, & prædatorem ſubmergi impetrat.

CAP. X.

ALio quoque in tempore vir beatus quadam nocte cum apud *Columbanum* tunc temporis inopem benè hoſpitaret, mane primo Sanctus de quantitate & qualitate ſubſtantiæ plebeium hoſpitem interrogat. Qui interrogatus, quinque tantummodo, ait, vacculas habeo; quæ ſi eas benedixeris, in maius creſcent. quas ilico à Sancto iuſſus adduxit, & huius Columbani buculas quinales æqualiter benedicens, inquit, Centenas & quinque Deo donante habebis vaccas; & erit in filiis & nepotibus tuis florida benedictio. Quæ omnia iuxta Sancti viri Propherationem in agris & pecoribus eius, & prole pleniſſimè adimpleta ſunt. Mirumque in modum numerus à Sancto præfinitus ſupra memorato viro in centenario, & quinario vaccarum expletus numero, nullo modo ſuperaddi potuit. Nam illa quæ ſupra præfinitum numerum excedebant diuerſis prærepta caſibus nuſquam comparuerant. Excepto eo, quod aut in vſus proprios familiæ, aut in opus eleemoſynæ expendi poterat. In hac itaque narratione, vt in cæteris virtutibus, miraculum & Prophetia ſimul apertè oſtenditur. Nam in magna vaccarum ampliatione benedictionis pariter & orationis virtus apparet; & in præfinitione numeri prophetalis præſcientia.

Vir venerandus ſupra memoratum Columbanum, quem de paupere, virtus benedictionis eius, diuitem fecit, valdè diligebat; quia ei multa pietatis officia præbebat. Erat autem illo in tempore quidam malefactor homo bonorum perſecutor, de regio ortus genere. Hic ſupra dictum Columbanum Sancti amicum Columbæ perſequebatur, domumque eius omnibus in ea inuentis deuaſtauerat ereptis, non ſemel, ſed bis inimiciter agens. Vndè fortè non immeritò eidem maligno accidit viro, vt tertia vice poſt eiuſdem domus tertiam deprædationem, beatum virum, quem quaſi longius deſpexerat, propius adpropinquantem ad nauim reuertens præda onuſtus cum ſociis obuium haberet. Quem cum Sanctus de ſuis corriperet malis, prædamque deponere rogans ſuaderet: ille immitis inſuadibiliter permanens Sanctum deſpexit, nauimque cum præda aſcendens beatum virum ſubſannabat & deridebat. Quem Sanctus vſque ad mare proſecutus eſt, vitreaſque intrans aquas vſque ad genua æquoreas, leuatis ad cœlum ambabus manibus, Chriſtum intentè præcatur, qui ſuos glorificantes ſe glorificat electos. Tum deinde Sanctus expleta oratione ad aridam reuerſus, in eminentiore cum comitibus ſedet loco; ad quos illa in hora formidabilia valdè profert verba, dicens, Hic meſerabiliter homuncio, qui Chriſtum in ſuis deſpexit ſeruis, ad portum, à quo nuper coram vobis emigrauit, nunquam reuertetur: ſed neç ad alias, quas appetit terras ſubita præuentus morte, cum ſuis perueniet malis cooperatoribus. Hodie quam mox videbitis, de nube Borea orta immitis immiſſa procella eum cum ſocijs ſubmerget; nec de eis etiam vnus remeabit fabulator. Poſt aliquantum paucularum interuentum morarum, die ſereniſſima, ecce de mari oborta, ſicut Sanctus dixerat, nubes cum magno fragore venti emiſſa raprorem cum præda inter *Maleam* & *Coloſum* Inſulā inueniens ſubito turbato ſubmerſit medio mari: nec ex eis, iuxta verbum Sancti, qui naui inerant, vel vnus euaſit: mirumque in modum toto circumquaque manente tranquillo æquore. Talis vna rapaces ad inferna ſubmerſos proſtrauit procella: miſerè quidem ſed dignè.

Eiuſdem Colūbani prædatorē ſubmergi impetrat.

Quomodo S. Columba mortem, & damnationem homicidæ prædicit.

CAP. XI.

ALio quoque in tempore vir Sanctus quendam de nobili Pictorum genere exulem in manum alicuius ditis viri diligenter aſſignās commendauit, vt in eius comitatu, quaſi vnus de amicis, per aliquot menſes conuerſaretur. Quem cum tali commendatione de Sancti manu viri ſuſcepiſſet commendatum; poſt paucos dies doloſè agens crudeli eum iuſſione trucidauit. Quod immane ſcelus cum Sancto à commeantibus eſſet nunciatum, ſic

reſpōdens profatus eſt, Non mihi, ſed Deo infelix ille homunculus mentitus eſt. Eius nomen de libro vitæ delebitur. Hæc verba æſtiuo nunc mediante proloquimur tempòre; ſed Autumnali, antequam de ſuilla guſtet carne, arboreo ſaginata fructu, ſubita præuentus morte, ad infernalia rapietur loca.

Hæc Sancti Prophetia viri cum miſello nunciaretur homuncioni, deſpiciens irriſit Sanctum. Et poſt dies aliquot Autumnalium menſium, eo iubente, Scrofa nucum impinguata nucleis iugulatur: nec dum aliis eiuſdem viri iugulatis ſuibus. De qua celeriter exenterata partem ſibi in veru celerius aſſari præcepit, vt de ea impatiens prægustans beati viri Prophetationem deſtrueret. Qua videlicet aſſata, dari ſibi popoſcit aliquam prægustandam morſus particulam, ad quam percipiendam, extenſam manum, priuſquam ad os conuerteret expirans mortuus retrò in dorſum cecidit. Et qui viderant & audierant valdè tremefacti, admirantes, Chriſtum in Sancto Propheta honorificantes glorificauerunt.

Quomodo S. Columba belluæ marinæ imperat, & puerum mortuum ſuſcitat.

CAP. XII.

ALio quoque in tempore cum vir beatus in Pictorum Prouincia per aliquot moraretur dies, neceſſe habuit fluuium tranſire *Neſam*. Ad cuius cū acceſſiſſet ripam, alios ex accolis aſpicit miſellum humantes homunculum, quem vt ipſius ſepultores ferebant, quædam paulo ante nantem aquatilis præripiens beſtia morſu momordit ſæuiſſimo: cuius miſerum cadauer, ſerò licet, quidam in alno ſubuenientes porrectis proripuêre vncinis. Vir è contra hæc audiens, præcepit, vt aliquis è comitibus enatans *Caupulum* in altera ſtantem ripa ad ſe nauigando reducat. Quo audito Sancti prędicabilis viri præcepto, *Lugneus* nihil moratus, obſecundans depoſitis excepta veſtimentis tunica, immittit ſe in aquas. Sed bellua, quæ prius non tam ſatiata, quam in præda accenſa in profundo fluminis latitabat, ſentiens, eo nante, turbatam ſupra aquam, ſubitò emergens natalis ad hominem in medio natantem alueo cum ingenti fremitu aperto occurrit ore. Vir tum beatus videns, omnibus, qui inerant, tam barbaris, quàm etiam Fratribus, nimio terrore perculſis, cum ſalutare deuota manu in vacuo & in aëre crucis pinxiſſet ſignum, inuocato Dei nomine, feroci imperauit beſtiæ, dicens: Noli vltra progredi, nec hominem tangas, retro citius reuertere. Tum beſtia, hâc Sācti auditâ voce, retrorsū ac ſi funibus retraheretur, velociore curſu fugit tremefacta; quæ prius *Lugneo* nam iā eò vſque appropinquauit, vt inter hominem & beſtiam non amplius eſſet, quam vnius contuli longitudo. Fratres tum receſſiſſe videntes beſtiam *Lugneumque* commilitonem ad eos intactum & incolumem in nauicula reuerſum, cum ingenti admiratione glorificauerunt Deum in beato viro. Sed & gentiles barbari, qui ad præſens inerant, eiuſdem miraculi magnitudine, quod & ipſi viderant, compulſi Deum magnificauerunt Chriſtianorum.

Illo in tempore quo Sanctus Columba in Pictorum Prouincia per aliquot demorabatur dies, quidam cum tota plebeius familia verbum vitæ per interpretatorem Sancto prædicante viro audiens credidit, credenſque baptizatus eſt, maritus cum marita, liberiſque & familiaribus. Et poſt aliquantum dieculaurm interuallum paucarum vnus filiorum Patris-familias graui correptus ægritudine, vſque ad confinia mortis, & vitæ perductus eſt. Quem cum Magi morientem vidiſſent, parentibus cum magna exprobratione cœperunt illudere, ſuoſque quaſi fortiores Deos magnificare, Chriſtianorum verò tanquam infirmiori derogare. Quæ omnia cum intimarētur beato viro, zelo ſuſcitatus Dei, ad domum cum ſuis comitibus amici pergit plebei, vbi parentes nuper defunctæ prolis mœſtas celebrant exequias. Quos Sanctus valdè triſtificatos videns confirmat, dictis compellat conſolatoriis, vt nullo modo de diuina omnipotentia dubitarent. Conſequēter percontatur, dicens, in quo hoſpitiolo corpus defuncti iacet pueri? Pater tum orbatus Sanctum ſub mœſtum deducit culmen. qui ſtatim omnem foris excluſam relinquens cateruam, ſolus mœſtificatus intrat habitaculum. Vbi illico flexis genibus faciem vbertim lachrymis irrigans, Chriſtum præcatur Dominum. Et poſt ingeniculationem ſurgens oculos conuertit ad mortuum dicens: *In nomine Domini Ieſu*

Chriſti

Chriſti reſuſcitare, & ſta ſuper pedes tuos. Cum hac Sancti honorabili voce anima ad corpus redijt, defunctuſque apertis reuixit oculis, cuius manum tenens Apoſtolicus homo erexit, & in ſtationem ſtabiliens ſecum domum egreſſus deducit, & parentibus rediuiuum aſſignauit. Clamor tum populi attollitur, plangor in lætitiam conuertitur, Deus Chriſtianorum glorificatur.

Comparatio Columba cũ Helia, Heliſeo, &c.

Hoc, noſter Columba cum Helia & Heliſeo Prophetis habeat ſibi commune virtutis miraculum, & cum Petro & Paulo, & Ioanne Apoſtolis partem honoris ſimilem in defunctorum reſuſcitatione, & inter vtroſque, hoc eſt, Prophetarum & Apoſtolorum cœtus honorificam cœleſtis patriæ ſedem, homo Propheticus & Apoſtolicus æternalem cum Chriſto, qui regnat cum Patre in vnitate Spiritus Sancti per omnia ſæcula.

Quomodo S. Columba Broichanum per lapidem benedictum ſanat, & ſeruam liberat.

CAP. XIII.

EOdem in tempore vir venerandus quandam à *Broichano* Mago * Scoticam poſtulauit ſeruam, humanitatis miſeratione liberandam: quam cum ille duro valdè & ſtolido retentaret animo, Sanctus ad eum locutus, hoc profatur, Modo ſcito *Broichane*, ſcito, quia ſi mihi hanc peregrinam liberare captiuam nolueris, priuſquam de hac reuertar Prouincia, citius morieris. Et hoc coram *Brudeo* Rege dicens, domum egreſſus regiam, ad *Neſam* venit fluuium; de quo videlicet fluuio lapidem attollens candidũ ad comites, Signate, ait, hunc candidum lapidem, per quem Dominus in hoc Gentili populo multas ægrotorum perficiet ſanitates. Et hoc effatus verbum conſequẽter intulit, inquiens, Nunc *Broichanus* fortiter concuſſus eſt. Nam Angelus de cœlo miſſus grauiter illum percutiens, vitream in manu eius, de qua bibebat, confregit in multa fragmenta: ipſum verò anhelantem ægra reliquit ſuſpiria, morti vicinum. Hoc in loco paululum expectemus binos Regis nuntios ad nos celeriter miſſos, vt *Broichano* morienti citius ſubueniamus. Nunc *Broichanus* formidabiliter correptus ancillam liberare eſt paratus.

** Hibernicam.*

Adhuc Sancto hæc loquente verba, ecce ſicuti prædixerat, duo à Rege miſſi equites adueniunt, omnia quæ in Regis * motione de *Broichano* iuxta Sancti vaticinium ſunt acta, enarrantes, & de poculi confractione, de *Broichano* iuxta, & de Magi correptione, de ſeruulæ parata abſolutione: hocque intulerunt, dicentes: Rex, & eius familiares nos ad te miſerunt, vt nutritio eius *Broichano* ſubuenias mox morituro. Quibus auditis Legatorum verbis Sanctus binos de comitum numero ad Regem cum lapide à ſe benedicto mittit, dicens, ſi in primis promiſerit ſe *Broichanus* famulam liberaturum, tum deinde hic lapillus intinguatur in aqua: & ſic de eo bibat, & continuò ſalutem recuperabit. Si verò renuerit refragans abſolui ſeruam, ſtatim morietur.

** Notione.*

Per lapidem à S. Columba benedictũ multi ſanantur.

Duo miſſi verbo Sancti obſequentes ad aulam deueniunt regiam, verba viri venerabiliter enarrantes Regi: quibus intimatis Regi, & nutritio eius *Broichano*, valdè expauerunt. Eadem hora liberata famula Sancti Legatis viri aſſignatur, lapis in aquam intingitur, mirumque in modum lapis contra naturam in aquis ſupernatat, quaſi pomum, vel nux: nec potuit Sancti benedictio viri ſubmergi: de quo *Broichanus* natante bibens lapide, ſtatim à vicina redijt morte, integramque carnis recuperauit ſalutem. Talis verò lapis poſtea in theſauris Regis reconditus, multas in populo ægritudinum ſanitates ſimiliter in aqua natans intinctus, Domino miſerante, effecit. Mirum dictu, ab his ægrotis, quorum vitæ terminus ſuperuenerat, requiſitus idem lapis nullo modo reperiri poterat, ſic & in die obitus Brudei Regis quærebatur, nec tamen in eodem loco vbi fuerat reconditus prius inueniebatur.

Statutum eſt omnibus hominibus ſemel mori.

Quomodo S. Columba contra tempeſtatem à Magis excitatam ſecurè nauigat, & portas ſibi à Rege clauſas aperit.

CAP. XIIII.

POſt ſuprà memorata peracta quadam die *Broichanus* ad Sanctum proloquens virum, infit: Dicito mihi Columba, quo tempore cupis enauigare. Sanctus, Tertia, ait, die, Deo volente, & vita comite, nauigationem proponimus in-

cipere. *Broichanus* è contra, non poteris; ait, nam ego ventum tibi contrarium facere, caliginemque vmbroſam ſuperinducere poſſum, Sanctus, omnipotentia Dei, ait, omnium dominatur, in cuius nomine omnes noſtri motus ipſo gubernante diriguntur. Quid plura? Sanctus eadem die, ſicut propoſuit, ad lacum fluminis Niſæ longum multa proſequente caterua, venit: Magi verò gaudere tum cœpere, magnam videntes ſuperinductam caliginem, & contrarium cum tempeſtate flatum. Nec mirum hæc interdum arte Dæmonum poſſe fieri, Deo permittente, vt etiam venti, & æquora in aſperius concitentur. Sic enim aliquando Dæmoniorum legiones Sancto Germano Epiſcopo de ſinu Gallico cauſa humanæ ſalutis ad *Britanniam* nauiganti medio in æquore occurrerant, & opponentes pericula procellas concitabant, cœlumque, diemque tenebrarum caligine obducebant. Quæ tamen omnia, Sãcto orante Germano, dicto citius. Sedata deterſâ ceſſarunt caligine. Noſter itaque Columba videns contra ſe elementa concitari furentia, Chriſtum inuocat Dominum, cimbulamque aſcendens, nautis hæſitantibus, ipſe conſtantior factus velum contra ventum iubet ſubrigi. Quo facto, omni inſpectante turba, nauigium contra flatus mira vectum occurrit velocitate. Et poſt haud grande interuallum venti contrarij ad itineris miniſteria cum omnium admiratione reuertuntur. Et ſic per totam illam diem flabris lenibus ſecundi flantibus beati cimba viri optatum prouecta ad portum pulſa eſt. Perpendat itaque lector, quantus & qualis idem vir venerãdus fuerit; in quo Deus omnipotens talibus præſcriptis miraculorum virtutibus coram plebe gentilica illuſtre ſuum manifeſtauit nomen.

Dæmones S. Germano eunte in Angliã tempeſtatem excitârunt.

Alio in tempore, hoc eſt, in prima Sancti fatigatione itineris ad Regem *Brudeum*, caſu cõtigit, vt idem Rex faſtu elatus regio ſuæ munitionis ſuperbè agens, in primo beati aduentu viri, non aperiret portas. Quod vt cognouit homo Dei cum comitibus ad valuas portarum accedens, primum Dominicæ crucis imprimẽs ſignum; tum deinde manum pulſans contra oſtia ponit: quæ continuò ſpontè retro retruſis fortiter ſeris cum omni celeritate aperta ſunt. quibus ſtatim apertis, Sanctus conſequenter cum ſuis ſocijs intrauit. Quo cognito, Rex cum ſenatu valdè pertimeſcens, domum egreſſus obuiam cum veneratione beato pergit viro, pacificiſque verbis blandè admodum compellat, & ex ea in poſterum die Sanctum & venerabilem virum idem regnator ſuæ omnibus vitæ reliquis diebus valdè magna honorauit, vt decuit, honorificentia.

Alio itidem in tempore vir beatus aliquãtis in * Scotia verſatus ad viſitãdos fratres, qui in Monaſterio *Diuini Rhiris* commanebant *Ritualorum* ab eis inuitatus perrexit; ſed caſu aliquo accidit, vt eo ad Eccleſiam accedente claues non reperirentur Oratorij. Cum verò Sanctus de non repertis adhuc clauibus, & obſeratis foribus inter ſe conquirentes alios audiſſet, ipſe ad oſtium appropinquans, potens eſt Dominus, ait, domum ſuam etiam ſine clauibus ſeruis ſuis aperire. Cum hac tum voce ſubitò retrò retruſis forti motu peſſulis, ſpõtè aperta ianua Sanctus cum omnium admiratione ad Eccleſiam ante omnes ingreditur, & hoſpitaliter a fratribus ſuſceptus honorabiliter ab omnibus veneratur.

** Hibernia.*

Item ianuã oratory apertũ.

Quomodo S. Columba pauperis inopiam veru benedicto leuat, & eo combuſto is ad priſtinam inopiam redit.

CAP. XV.

ALio in tempore quidam ad Sanctum plebeius venit pauperrimus, qui in ea habitabat regione, quæ ſtagni littoribus aporici eſt contermina. Huic ergo miſerabili viro, qui vnde maritam, & paruulos cibaret, non habebat: vir beatus petenti miſeratus, vt potuit quandam largitus eleemoſynam, ait; Miſelle homuncio, tolle de Sylua contulum vicina, & ad me citius defer. Obſecundans miſer iuxta Sancti iuſſionem detulit materiam; quam Sanctus excipiens in veru exacuit, quodque propria exacuminans manu benedicens. & illi adſignans inopi dixit: Hoc veru diligenter cuſtodi, quod, vt credo, nec homini, néc alicui pecori nocere poterit, exceptis feris beſtijs quoque & piſcibus. Et quamdiu talem habueris ſudem, nunquam in domo tua ceruinæ carnis cibatio abundans deerit. Quod audiens miſer mendiculus valdè gauiſus, domum reuertitur, veruque in remotis terræ infixo locis,

locis, quæ Syluestres frequentabant, feræ, & vicina tranſacta nocte mane primo pergit reuiſitare volens veru, in quo miræ magnitudinis ceruum cecidiſſe reperit, transmiſſum. Quid plura? Nulla, vt nobis traditum eſt, tranſire poterat dies, qua non aut ceruum, aut ceruam, aut aliquam reperiret in veru infixo cecidiſſe beſtiam: repleta quoque tota de ferinis carnibus domo, vicinis ſuperflua vendebat, quæ hoſpitium ſuæ domus capere non poterant.

Sed tamen Diaboli inuidia per ſociam, vt Adam, & hunc etiam miſerum inuenit; quæ non quaſi prudens, ſed fatua taliter ad maritum locuta eſt: Tolle de terra veru. Nam ſi in eo homines, aut etiam pecora perierint, tu & ipſe, & ego cum liberis noſtris, aut occidemur, aut captiui ducemur. Ad hæc maritus, inquit: Non ita fiet. Nam Sanctus vir mihi benedicens ſudem dixit; quod nunquam hominibus, aut etiam pecoribus nocebit. Poſt hæc verba mendicus vxori conſentiens, pergit, & tollit de terra veru intra domum, quaſi amans illud ſecus parietem poſuit, in quo mox domeſticus eius incidens canis diſperijt. Quo pereunte rurſum marita: Vnus, ait, filiorum tuorum incidet in ſudem, & peribit. Quo audito, eius verbo maritus veru de pariete remouens ad ſyluam reportat, & in denſioribus infixit dumis, vt putabat, vbi à nullo poſſet animante offendi: ſed poſtera reuerſus die capream in eo cecidiſſe & perijſſe reperit. Inde quoque illud remouens in fluuio, qui latinè poteſt dici *Nigra Dea*, iuxta ripam ſub aquis abſcondens infixit. Quod alia reuiſitans die *Esocem* in eo miræ magnitudinis transfixum, & retentum inuenit, quem de flumine eleuans vix ſolus ad domum reportare poterat: Veruque ſecum de aqua ſimul reportans extrinſecus in ſuperiore tecti affixit loco, in quo & coruus de volatus impetu lapſus diſperijt iugulatus. Quo facto, miſer fatuæ conſilio coniugis deprauatus veru tollens de tecto aſſumpta ſecuri in plures concidens particulas, in ignem proiecit, & poſtea quaſi ſuæ paupertatis amiſſo non mediocri ſolatio, remendicare, vt meritus, cœpit. Quod videlicet penuriæ rerum ſolamen ſæpè ſuperius in veru memorato depēdebat, quod pro pedicis, & retibus, & omni venationis & piſcationis genere ſeruatum poſſet ſufficere, beati viri donatum benedictione, quodque amiſſum miſer plebeius eo diratus pro tempore ipſe cum tota familiola ſerò licet omnibus de cætero deplanxit reliquis diebus vitæ.

Quomodo Sanctus vtrem lactarium perdendum prædicit, & cognatæ ſuæ parturienti ſubuenit.

CAP. XVI.

ALio in tempore beati legatus viri *Lugaidus* nomine, ad * Scotiā iuſſus nauigare proponens, inter naualia nauis Sancti inſtrumenta vtrem lactarium quæſitum inueniens ſub mari, congeſtis ſuper eum non paruis lapidibus madefaciendum poſuit, venienſque ad Sanctum quod de vtre fecit, intimauit. Qui ſubridens, inquit, Vter quem, vt dicis, ſub vndis poſuiſti, hac vice, vt æſtimo, non te ad Hiberniam comirabitur. Cur, ait, non mecum in naui comitem eum habere potero? Sanctus, Altera, inquit, die, quod res probabit ſcies. Itaque Lugaidus mane poſtera die ad retrahendum de mari vtrem pergit, quem tamen ſalacia noctu ſubtraxit vnda. Quo non reperto, ad Sanctum reuerſus triſtis, flexis in terram genibus, ſuam confeſſus eſt negligentiam. Cui Sanctus, illum cōſolatus, ait, Noli, Frater, pro fragilibus contriſtari rebus. Vter quem ſalaria ſuſtulit ad ſuum locum poſt tuum egreſſum reportabit venalia.

* *Quæ hic Scotia, inferius Hibernia dicitur.*

Eadem die poſt *Lugaidi* de Ioua Inſulà emigrationem, hora tranſacta nona, Sanctus ex circumſtantibus ſic profatus, ait: Nūc ex vobis vnus ad æquor pergat, vtrem de quo Lugaidus quærebatur, & quem ſalatia ſuſtulerat vnda, nunc venilia retrahens, in loco vnde ſubtractus eſt, repræſentauit. Quo Sancti audito verbo, quidam alacer iuuenis ad oram cucurrit maris, repertumque vtrem, ſicut prædixerat Sanctus, curſu reuerſus concito, reportans valdè gauiſus coram Sancto, cùm omnium qui ibidem erant, admiratione aſſignauit. In his vt ſæpe dictum eſt, binis narrationibus ſuperius deſcriptis, quamlibet in paruis rebus, ſude videlicet & vtre, Propheticæ ſimul & virtutis miraculum comitari cernuntur. Nunc ad alia tendamus.

Quadam die Sanctus in Ioua commanens inſula citò à lectione ſurgens & ſubridens dicit: Nunc ad orationem mihi pro-

perandum, vt pro quadam miſellula deprecer Deum fœmina, quæ nunc in Hibernia nomen huius inclamitans commemorat *Columbæ* in magnis parturitionis difficillimæ torta punitionibus, & ideo per me à Domino de anguſtia abſolutionem dari ſibi ſperat: quia & mihi eſt cognationalis, de meæ matris parentela genitorem habēs progenitum. Hæc dicens Sanctus illius mulierculæ motus miſeratione ad Eccleſiam currit, flexiſque genibus pro ea Chriſtum de homine natum exorat. Et poſt precationem Oratorium egreſſus ad Fratres profatur occurrentes, inquiens: Nunc propitius Dominus Ieſus de muliere progenitus opportunè miſeræ ſubueniens eam de anguſtijs liberauit, & proſperè prolem peperit; nec hac morietur vice. Eadem hora ſicuti Sanctus Prophetizauit miſella fœmina nomen eius inuocans abſoluta ſalutem recuperauit. Ita ab aliquibus poſtea de * Scotia, & de eadem regione, vbi mulier inhabitabat, tranſmeantibus intimatum eſt.

** Hybernia ibiq; n.habitauit mulier.*

Quomodo Sanctus coniuges placat, & Cormacum in incertum nauigantem ad Orcades peruenturum prædicit.

CAP. XVII.

ALio in tempore cum vir Sāctus in *Rechrea* hoſpitaretur inſula, quidam plebeius ad eum veniens, de ſua querebatur vxore, quæ, vt ipſe dicebat, odio habens eum ad maritalem nullo modo admittebat concubitum accedere. quibus auditis Sanctus maritam aduocans, in quantum potuit eam hac de cauſa corripere cœpit, inquiens: Quare nulier tuam à te carnem abdicare conaris? Domino dicente: Erunt duo in carne vna. Itaque caro tui coniugis tua caro eſt. Quæ reſpondens, omnia, inquit, quæcumque mihi præceperis, ſum parata, quamlibet ſint valdè laborioſa, adimplere; excepto vno, vt me nullo compellas modo in vno lecto dormire cum *Lugneo*. Omnem domus curam exercere non recuſo, aut ſi iubeas vel maria tranſire, & in aliquo puellarum Monaſterio permanere. Sanctus tum ait: Non poteſt rectè fieri, quod dicis. Nam adhuc viro viuente alligata es lege viri. Quod enim Deus licitè coniunxit, nefas eſt ſeparari. Et his dictis conſequenter intulit: Hac in die tres, hoc eſt, ego, & maritus cum coniuge ieiunantes Dominū precemur. Illa dehinc, Scio, ait, quia tibi impoſſibile nō erit, vt ea, quæ, vel difficilia, vel etiā impoſſibilia videntur, à Deo impetrata donentur. Quid plura? marita eadē die cum Sancto ieiunare conſentit, & maritus ſimiliter. Nocteque ſubſequente Sanctus in ſomnis pro eis deprecatus eſt. Poſteraque die Sanctus maritam præſenre ſic compellat marito: ô fœminà, ſi, vt heſterna dicebas die, parata hodie es ad fœminarum emigrare Monaſteriolum? Illa, nunc, inquit, cognoui, quia tua à Deo de me eſt exaudita oratio. Nam quem heri oderam, hodie amo. Cor enim meum hac nocte præterita, quonam modo ignoro, in me immutatum eſt de odio in amorem. Quid moramur? ab eadem die vſque ad diem obitus anima eiuſdem maritæ indiſſociabiliter in amore conglutinata eſt mariti, vt illa maritalis concubitus debita, quæ prius reddere renuebat, nullo modo deinceps recuſaret.

Alio in tempore Cormacus Chriſti miles, de quo in primo huius opuſculi libello breuiter aliqua commemorauimus, pauca etiam ſecunda vice, conatus eſt eremum in Oceano quærere, qui poſtquam à terris infinitum Oceanum plenis enauigauit velis. Iiſdem diebus Sanctus *Columba* cùm vltra dorſum moraretur Britanniæ, Brudeo rege præſente Orcadum Regulo commendauit dicens: Aliqui ex noſtris nuper emigrauerunt, deſertum in Pelago intranſmeabili inuenire optantes, qui ſi fortè poſt longos circuitus Orcadas deuenerint inſulas, huic Regulo, cuius obſides in manu tua ſunt, diligenter commenda; ne aliquid aduerſi intra terminos eius contra eos fiat. Hoc verò Sanctus ita dicebat: quia in Spiritu præcognouit, quod poſt aliquot menſes idem Cormacus eſſet ad Orcadas vēturus. quod ita poſtea euenit, & propter ſupra dictam ſancti viri commendationem de morte in Orcadibus liberatus eſt vicina.

Is erat Rex Pictorum qui Orcadum reguli obſides habebat.

Poſt aliquantum paucorum interuallum menſium, cum Sanctus in Ioua commoraretur Inſula, quadam die coram eo eiuſdem Cormaci mentio ab aliquibus ſubito oboritur ſermocinantibus, & taliter dicentibus: Quomodo Cormaci nauigatio proſperè an non prouenit, adhuc neſcitur. quo audito verbo, Sanctus hac profatur

voce dicens: Cormacum, de quo nunc loquimur, hodie mox peruenientem videbitis. Et poſt quaſi vnius horæ interuentũ, mirum dictu, & ecce inopinato Cormacus ſuperueniens Oratorium, cum omnium admiratione & gratiarum ingreditur actione. Et quia de huius Cormaci ſecunda nauigatione beati Prophetationem breuiter intulimus viri, nunc & tertia æque Prophetica eius ſcientia aliqua deſcribenda ſunt verba.

Cormacũ in mari periclitantem precibus iuuat.

Dum idem Cormacus tertia in Oceano mari fatigaretur vice, vſque ad mortem periclitari cœpit. Nam cum nauis eius à terris per quatuordecim æſtiui temporis dies totidemq; noctes plenis velis, Auſtro flante vento ad Septentrionalem plagam cæli directo excurreret curſu, eiuſmodi nauigatio vltra humani excurſus modum, & irremeabilis videbatur. Vndè contigit, vt poſt decimam eiuſdem quarti & decimi horam diei, quidam penè inſuſtentabiles vndique, & valde formidabiles conſurgerent terrores. Quædam quippe in id temporis inuiſæ mare obtegentes occurrerant tetræ, & infeſtæ nimis beſtiolæ, quæ horribili impetu carinam & latera, pupimque & proram ita fortiter feriebant percuſſura, vt pellicium tectum nauis putarentur penetrare poſſe; quæ vt hi, qui inerant ibidem poſtea narrarunt, prope magnitudine ranarum, aculeis permoleſtæ, non tamen volatiles, ſed natatiles erant. Sed & remorum infeſtabant palmulas. Quibus viſis inter cætera monſtra, quæ non huius eſt temporis enarrare, *Cormacus* cum nautis comitibus valde turbati, & pertimeſcentes, Deum, qui eſt in anguſtijs pius, & opportunus auxiliator, inlachrymati precantur.

Corpore abſens ſpiritu præſens.

Eadem hora & Sanctus noſter Columba, quamlibet longè abſens corpore, ſpiritu tamen præſens in naui cum *Cormaco* erat. Vndè eodem momento perſonante ſigno fratres ad Oratorium conuocans, & Eccleſiam intrans, adſtantibus ſic more ſibi conſueto prophetizans, profatur, dicens: Fratres, tota intentione pro *Cormaco* orate, qui nunc humanæ diſcurſionis limitem immoderatè nauigando exceſſit, nunc quaſdam monſtruoſas antè non viſas penè indicibiles patitur horrificas perturbationes. Itaque noſtris commembribus in periculo intolerabili cõſtitutis mente compati debemus fratribus, & Dominum exorare cum eis. Ecce enim nunc *Cormacus* cum ſuis nautis faciem lachrymis irrigans vbertim Chriſtum intentius precatur. Nos ipſum orando adiuuemus, vt Auſtrum flantem ventum vſque hodie per quatuordecim dies noſtri miſeratus in Aquilonem conuertat; qui videlicet Aquiloneus ventus nauem *Cormaci* de periculis retrahebat. Et hęc dicens flexis genibus flebili cum voce ante altarium omnipotentiam Domini ventorum, & cunctarum gubernatricem precatur rerum. Et poſt orationem citò ſurgit, & abſtinens lachrymas gaudenter grates Deo agit, dicens: Nunc fratres, noſtris congratulemur, pro quibus oramus charis; quia Dominus nunc Auſtrum in Aquilonarem conuertit flatum noſtros de periculis commembres retrahentem, quos huc ad nos iterum reducet. Et continuò cum eius voce Auſter ceſſauit ventus, & ſpirauit Aquiloneus.

Per multos poſt dies & nauis *Cormaci* ad terras reducta eſt, & peruenit *Cormacus* ad Sanctum Columbam, & ſe, donante Deo, facie ad faciem cum ingenti omnium admiratione repræſentauit, & non mediocri lætatione. Perpendat itaque Lector quantus & qualis idem vir beatus fuerit, qui talem Propheticam habens ſcientiam ventis & Oceano, Chriſti inuocato nomine, potuit imperare.

Quomodo in curru non benè præparato feliciter vehitur.

CAP. XVIII.

Alio in tempore cum in * Scotia per aliquot dies Sãctus conuerſaretur, aliquibus Eccleſiaſticis vtilitatibus coactus, currum, ab eo prius benedictum, aſcendit iunctum, ſed non inſertis primò, qua neſcio negligentia accedente, neceſſarijs obicibus per * axionum extrema foramina. Eadem autem erat diecula *Columbanus* filius *Echudi*; vir ſanctus, illius Monaſterij fundator, quod * Scotica vocitatur lingua *Snamluthir*, qui operã aurigæ in eodem curriculo cum Sancto exercebat Columba. Fuit itaque talis eiuſdem agitatio diei per longa viarum ſpatia ſine vlla totarum humerulorumque ſeparatione, ſiue labefactatione; nulla, vt ſupra dictum eſt, obicum retentione, vel communitione retinente, ſed

** Hiberniæ.*

** ſ. axiũ*

** Hibernica.*

ſola diali, ſic venerando præſtante gratia viro, vt currus, cui inſederat, ſalubriter abſque vlla impeditione recta incederet orbita.

Hucuſque de virtutum miraculis, quæ per prædicabilem virum in præſenti conuerſante diuina vita operata eſt omnipotentia, ſcripſiſſe ſufficiat. Hic ſecundus de virtutum miraculis finiendus eſt liber, in quo animaduertere Lector debet, quod & de compertis in eo multa propter legentium prætermiſſa ſunt faſtidium.

Explicit Liber ſecundus.

INCIPIT LIBER TERTIVS

DE ANGELICIS APPARITIONIBVS, ET DE TRANSITV S. COLVMBÆ.

DE APPARITIONE MATRI COLVMBÆ facta ante natiuitatem eius.

CAPVT PRIMVM.

IN primo, ex his tribus libellis, libro, vt ſuperius commemoratum eſt, de Propheticis reuelationibus quædam breuiter ſuccinctéque, Domino iuuante, deſcripta ſunt. In ſecundo ſuperiore de virtutum miraculis, quæ per beatum declarata ſunt virum, & quæ, vt ſæpe dictum eſt, plerunque Prophetationis comitatur gratia. In hoc verò tertio de Angelicis apparitionibus, quæ vel ab ijs de beato viro, vel ipſis de alijs reuelatæ ſunt. Et de his, quæ vtroque, quamlibet diſparili modo, hoc eſt, ipſi propriè & plenius, alijs verò impropriè, & ex quadam parte ſunt manifeſtatæ, hoc eſt extrinſecus & exploratiuè; in ijſdem tamen vel Angelorum, vel cœleſtis viſionis locis, quæ vtique talium deſcriptarum viſionum ſuis cataxatæ locis inferius clarebunt.

Sed nunc à primordijs beati natiuitatis viri eaſdem deſcribere angelicas apparitiones incipiamus. Angelus Domini in ſomnis genitrici venerabilis viri quadam inter conceptum eius & partum apparuit, eique quaſi quoddam miræ pulchritudinis peplum aſſiſtens detulit, in quo veluti vniuerſorum decoloroſi colores florum depicti videbantur, quodque poſt aliquod breue interuallum eius de manibus repoſcens abſtulit, eleuanſque & expandens in aere dimiſit vacuo. Illa verò de illo triſtificata ſublato, ſic ad illum venerandi habitus virum: Cur à me, ait, hoc lætificum tam citò abſtrahis pallium? Ille conſequenter; Idcirco, inquit: quia hoc ſagum tam magnifici honoris alicuius eſt, quod apud te diutius retinere non poteris. His dictis ſupra memoratum peplum mulier paulatim à ſe elongari volando videbat, camporumque latitudinem in maius creſcendo excedere, monteſque & ſaltus maiore ſui menſura ſuperare; vocémque huiuſcemodi ſubſecutam audierat; Mulier, noli triſtificari. Viro enim, cui matrimoniali es iuncta fœdere, talem filium editura es floridum, qui quaſi vnus Prophetarum Dei, inter ipſos connumerabitur, innumerabiliumque animarum dux ad cęleſtem à Deo patriam eſt prædeſtinatus. In hac audita voce mulier expergiſcitur. *S. Columba inter Prophetas numeratur.*

Alia in nocte eiuſdem beati pueri nutritor

tor, ſpectabilis vir vitæ, Presbyter, poſt Miſſam ab Eccleſia ad hoſpitiolum reuertens, totam inuenit domum clara irradiatam luce. Globum quippe igneum ſuper pueruli dormientis faciem vidit ſtantem; qui viſo ſtatim intremuit, & proſtrato in terram vultu, valdè miratus, Spiritus Sancti gratiam ſuper ſuum intellexit alumnum cœlitus effuſum.

Viſiones S. Brendani & Finnionis de Sancto Columba.

CAP. II.

Poſt multorum interualla temporum, cùm à quadam Synodo pro quibuſdam venialibus & excuſabilibus cauſis, non rectè, vt poſt in fine claruit, Sanctus excommunicaretur Columba, ad eandem contra ipſum collectam venit congregationem, quem cum eminùs appropinquantem Sanctus vidiſſet *Brendenus*, illius Monaſterij fundator, quod Scoticè *Birra* nuncupatur, citius ſurgit, & inclinata facie eùm veneratus exoſculatur. quem cum aliqui illius ſeniores cœtus ſeorſum cæteris redarguerent ſemotim dicentes, Quare coram excommunicato ſurgere, & eum oſculari non reuereris? Taliter ad eos inquiens, Si vos, ait, videretis ea, quæ mihi Dominus hac in die de hoc ſuo, quem dehonoratis, electo manifeſtare non dedignatus eſt, nunquam excõmunicaſſetis, quem Dominus non ſolum ſecundum veſtram non rectam ſententiam nullo modo excommunicat, ſed & magis, & magis magnificat. Illi è contra, Quomodo, aiunt, vt dicis, ipſum glorificat Deus, quem nos non ſine cauſa excommunicauimus, ſcire cupimus. Igneicomam, vel valde luminoſam, ait Brendenus, columnam vidi, eundem quem vos deſpicitis, antecedentem Dei hominem, Angelos quoque Sanctos per campum eius itineris comites. Hunc itaque ſpernere non audeo, quem populorum Ducem ad vitam à Deo præordinatũ video. His ab eo dictis nòn tantum vltra Sanctum excommunicare non auſi, ceſſarunt; ſed & valdè venerati honorârunt.

Ob celebrationẽ Paſchatis

* Hibernice

Alio in tempore vir Sanctus venerãdum Epiſcopum *Finniõnem*, ſuum videlicet magiſtrum iuuenis ſenem adijt. Quem cum Sanctus *Finnio* ad ſe adpropinquantem vidiſſet, Angelum Domini pariter eius comitem itineris vidit. Et, vt nobis ab expertis traditur, quibuſdam adſtantibus intimauit Fratribus, dicens: ecce nunc videtis Sanctum aduenientem Columbam, qui ſui commeatus meruit habere ſocium Angelum cœlicolam. Iiſdem diebus Sanctus cum duodecim commilitonibus diſcipulis * Britanniam tranſnauigauit.

* nũc Scotiam.

S. Columba Aidanum, iuxta viſionem habitam, in Regem ordinat, & futura de filijs eius prædicit.

CAP. III.

Alio in tempore cum vir prædicabilis in *Himbria* commoraretur Inſula, quadam nocte in extaſi mentis Angelum Domini ad ſe miſſum vidit, qui in manu *Vitreum ordinationis Regum habebat librum*. quem cum vir venerandus de manu Angeli accepiſſet ab eo iuſſus legere cœpit. Qui cum ſecundum, quod ei in libro erat commendatum Aidanum in Regem ordinare recuſaret; quia magis *Iogenanum* Fratrem eius diligeret; ſubitò Angelus extendens manum, Sanctum percuſſit flagello: cuius liuoroſum in eius latere veſtigium omnibus ſuæ diebus permanſit vitæ; hocque intulit verbum: Pro certo ſcias, inquiens, quia ad te à Deo miſſus ſum, cum Vitreo libro, vt iuxtà verba, quæ in eo legiſti, *Aidanum* in regnum ordines. Quòd ſi obſecundare huic nolueris iuſſioni, percutiam te iteratò.

Hic itaque Angelus Domini cùm per tres continuas noctes eundem in manu Vitreum habens codicem appàruiſſet, eademque Domini iuſſa de Regis eiuſdem ordinatione commendaſſet; Sanctus verbo obſecutus Domini, ad Iouam transnauigauit Inſulam, ibidemque *Aidanum* iiſdem aduentantem diebus in Regem, ſicut iuſſus erat, ordinauit, & inter ordinationis verba de filijs & nepotibus, pronepotibuſque eius futura prophetizauit: imponenſque manum ſuper caput eius ordinans benedixit.

Cummeneus Albus in libro quem de virtutibus Sancti Columbæ ſcripſit, ſic dixit, Quod Sanctus Columba de Aidano, & de poſteris eius, & de regno ſuo Prophetare cœpit dicens: Indubitanter credo, ô *Aidane*, quod nullus aduerſariorum tuorum tibi

Cõmeneus Albus ſcripſit librũ de S. Columba.

poterit reſiſtere; donec prius fraudulentiam agas in me, & in poſteros meos. Propterea ergo tu filijs commenda, vt & ipſi filijs, & nepotibus, & poſteris ſuis commendẽt, ne per conſilia mala eorum ſceptrum regni huius de manibus ſuis perdant. In quocumque enim tempore malum aduerſum me, aut aduerſus cognatos meos, qui ſunt in *Hibernia* fecerint, flagellum, quod cauſa tui ab Angelo ſuſtinui, per manum Dei ſuper eos in magnum flagitium vertetur, & cor virorum auferetur ab eis, & inimici eorum vehementer ſuper eos confortabũtur. Hoc autem Vaticinium temporibus noſtris completum eſt in *Belloroth Domnaldo Brecco* nepote Aidani, ſine cauſa vaſtante Prouinciam Domnaill nepotis Amureq. Et à die illa vſque hodie adhuc in procliuo ſunt ab extraneis, quod ſuſpiria doloris pectori incutit.

Quomodo Sanctus Monachi animam ſaluari videt, & latronem verbo interficit, item & aprum.

CAP. IV.

Alio in tempore cum vir Sanctus in Ioua conuerſaretur Inſula, quidam de ſuis Monachus Britto, bonis actibus intentus, moleſtia correptus corporis, ad extrema perductus eſt, quem cum vir venerandus in hora ſui viſitaret exitus, pauliſper ad eius lectum aſſidens, & ei benedicens, ocius domum egreditur, nolens videre morientem, qui eodem momento poſt Sancti de domo receſſum viri, præſentem finiuit vitam.

Tum vir prædicabilis in plateola ſui deambulans Monaſterij, porrectis ad cœlum oculis, diutius valdè obſtupeſcens admirabatur. Quidam verò Frater Aidanus nomine, bonæ indolis, & religioſus homo, qui ſolus de Fratribus eadem affuit hora, flexis genibus rogare cœpit, vt Sanctus eidem tantæ admirationis cauſam intimaret. Cui Sanctus, Nunc Sanctos Angelos in aëre contra aduerſarias poteſtates belligerare vidi, Chriſtóque Agonothetæ gratias ago, quia victores Angeli animam huius peregrini, qui primus apud nos in hac inſula mortuus eſt, ad cæleſtis patriæ gaudia euexerunt. Sed hoc, quæſo, Sacramentum nemini in vita mea reueles.

Cum vir beatus adhuc Iuuenis Diaconus in parte Lagenenſium diuinam addiſcens ſapientiam conuerſaretur, quadam accidit die, vt bono quidam innocuorum immitis perſecutor crudelis quandam in campi planitie filiolam fugientem perſequeretur. Quæ cum fortè germanum ſenem ſupra memorati Iuuenis Diaconi Magiſtrum in campo legentem vidiſſet, ad eum recto curſu, quanta valuit velocitate confugit; qui tali perturbatus ſubitatione Columbam eminus legentem aduocat, vt ambo, in quantum valuiſſent, filiam à perſequente defenderent. Qui ſtatim ſuperueniens, nulla eis ab eo data reuerentia, filiam ſub veſtimentis eorum lancea iugulauit; & relinquens iacẽtem mortuam ſuper pedes eorum auerſus abire cœpit. Senex tum valde triſtificatur conuerſus ad Columbam quanto, ait, Sancte puer Columba, hoc ſcelus cum noſtra dehonoratione temporis ſpatio inultum fieri Iudex iuſtus patietur Deus? Sanctus conſequenter hanc in ipſum ſceleratorem protulit ſententiam, dicens: Eadem hora, qua interfectæ ab eo filiæ anima aſcendit ad cælos, anima ipſius interfectoris deſcendet ad inferos. Et dicto citius cum verbo, ſicut Ananias coram Petro, ſic & ille innocentium iugulator corã oculis Sancti Iuuenis in eadẽ mortuus cecidit terrula, cuius rumor ſubitæ & formidabilis vindictæ continuò per multas Scotiæ Prouincias cum mira Sancti Diaconi fama diuulgatus eſt. *Hibernia cuius prouincia eſt prædicta lagenſa.*

Alio in tempore vir beatus cum in *Sceia* Inſula aliquantis demoraretur diebus, paulo longius ſolus orationis intuitu ſeparatus à Fratribus, ſyluam ingreſſus denſam, miræ magnitudinis aprum, quem fortè venatici canes perſequebantur obuiũ habuit. Quo viſo eminus Sanctus aſpiciens eum reſtitit. Tum deinde inuocato Dei nomine, Sancta eleuata manu, cum intenta dicit ad eum oratione, vlterius huc procedere nolis: in loco, ad quem nunc deueniſti, morere. Quo Sancti in ſyluis perſonante verbo, non ſolum vltra accedere non valuit, ſed ante faciem ipſius terribilis ferus verbi eius virtute mortificatus citò corruit.

Quomodo Sanctus Piſcem capiendum prædicit, ſanguinis fluxum ſedat, & animam defuncti ab Angelis in cælum portari videt.

CAP. V.

CAP. V.

ALio in tempore cum prædicabilis viri * Scotiales ſtrenui piſcatores, quinos in rete piſces cepiſſent in fluuio *Sale* piſcoſo; Sanctus ad eos iterato ait, Rete in flumen inijcite, & ſtatim inuenietis grandem, quem mihi Dominus præparauit piſcem. Qui verbo, Sancti obtemperantes, miræ magnitudinis traxerunt in retiaculo *Chocem* à Deo ſibi præparatum.

* Hybernialis.

Quadam die quidam bonæ indolis Iuuenis *Lugneus* nomine, qui poſtea ſenex in Monaſterio Inſulæ *Helenæ* præpoſitus erat, ad Sanctum veniens queritur de fluuio ſanguinis, qui crebro per multos menſes de naribus eius immoderatè profluebat: quo propius accito Sanctus ambas ipſius nares binis manus dexteræ digitis conſtringens benedixit; ex qua hora benedictionis, nunquam ſanguis de naſo eius vſque ad extremum diſtillauit diem.

Alio in tempore quidam *Enernienſis* peregrinus ad Sanctum perueniens per aliquot apud eum menſes in Ioua commanebat Inſula. Cui vir beatus alia die, nunc ait. Quidam de Prouincialibus tuis Clericus ad cœlum ab Angelis portatur, cuius adhuc ignoro nomen. Frater verò hoc audiens, cœpit ſecum de Prouincia perſcrutari anteriorum, & de illius beati hominis vocabulo, hocque conſequenter intulit verbum inquiens: Alium Chriſti commilitonem ſcio, qui ſibi in eodem territorio, in quo, & ego commanebam, Monaſteriolum conſtruxit, nomine Diormitium. Cui Sanctus ait, ipſe eſt, de quo dicis, qui nunc ab Angelis Dei in paradiſum deductus eſt.

Sed hoc etiam non negligenter adnotandum eſt, quod idem vir venerabilis multa ſibi à Deo arcana ab alijs celata ſacramenta, nullo modo in hominum notitiam prodi paſſus eſt; duabus, vt ipſe aliquando paucis intimauerat fratribus, cauſis exiſtentibus; hoc eſt, vt iactantiam deuitaret, & ad ſemetipſum interrogandum inſuſtentabiles turbas de ſe aliqua interrogare volentes diuulgata reuelationum fama non inuitaret.

Quomodo S. cum dæmonibus pugnat, & eos ope Angelorum à ſuo monaſterio fugat.

CAP. VI.

ALia die vir Sanctus in Ioua conuerſans Inſula remotiorem ab hominibus locum aptumque ad orationem in ſaltibus quæſiuit, ibidemque cum orare cœpiſſet, ſubitò, vt ipſe poſtea paucis intimauerat fratribus, videt contra ſe tetram & nigerimam Dæmonum cum ferreis verubus aciem præliari: qui, ſicuti Sancto viro per Spiritum reuelatum erat, Monaſterium eius inuadere, & multos, & ex fratribus iiſdem volebant iugulare ſudibus. Ipſe verò contra tales æmulos vnus homo innumeros, accepta Pauli armatura Apoſtoli, forti conflictu dimicabat, & ita ex maiore diei parte vtrinque dimicatum eſt, nec innumerabiles vnum vincere poterant. Nec eos vnus de ſua valebat Inſula repellere; donec Angeli Dei, vt Sanctus poſt quibuſdam non multis retulerat, in adminiculum adfuêre, quorum timore perturbati Dæmones loco ceſsêre.

Eadémque die Sanctus ad Monaſterium poſt Dæmoniorum reuerſus de ſua Inſula effugationem, hoc de eiſdem turmis hoſtilibus verbũ profatur, inquiens, Illi exitiabiles æmuli, qui hac die de huius terrulæ, Deo propitio, regione Angelis nobis ſubuenientibus, ad *Æthicam* fugati ſunt terram, ibidem ſæui inuaſores fratrum Monaſteria inuadent, & peſtilentes inferent morbos, quorum moleſtia infeſtati multi morientur. Quod iiſdem diebus iuxta beati præſcientiam viri, ita & factũ eſt. Et poſt interueniente biduo, ei reuelante Spiritu, Bene, ait, *Baitheneus* auxiliante Deo, diſpenſauit, vt eiuſdem Eccleſiæ, cui Deo auctore præeſt in *Campo Lunge*, ieiunijs & orationibus collectio à Dæmonum defendatur inuaſione; vbi nemo, excepto vno, qui mortuus eſt, hac vice morietur. Quod ita iuxta vaticinium eius expletum eſt. Nam cum multi in cæteris eiuſdem Inſulæ Monaſterijs eodem morbo morerentur, nemo niſi vnus, de quo Sanctus dixit apud *Baitheneum* in ſua eſt mortuus congregatione.

Quomodo Sanctus fabri ferrarij animam in cœlum deferri, & ambos coniuges ſaluari videt.

CAP. VII.

QVidam faber ferrarius in Mediterranea * Scotiæ habitabat parte, eleemoſynarum operibus ſatis intentus, & cæteris iuſtitiæ actibus plenus, hic cum ad extrema in bona ſenectute perduceretur, ſupra memoratus *Columbus*, eadem hora, qua de corpore eductus eſt Sanctus Columba, in Ioua commanens Inſula, paucis ſe circumſtantibus ſic profatus ſenioribus *Columbus*, ait: Faber ferrarius, non incaſſum laborauit, qui de propria manuum laboratione ſuarum prœmia emax fœlix comparauit æternа. Ecce enim nunc anima eius à Sanctis vehitur Angelis ad cœleſtis patriæ gaudia. Nam quodcumque de ſuæ artis negotiatione acquirere potuit, in egenorum eleemoſynas expendit.

* *Hibernia.*

Vtrum de S Colũba, an de Columbo hic loquatur ambiguũ videtur.

Alio itidem tempore vir Sanctus in Ioua conuerſans Inſula, quadam die ſubito oculos ad cœlum dirigens hæc profatus eſt verba: Fœlix mulier, fœlix, bene morata, cuius animam nunc Angeli Dei ad Paradiſum euehunt. Erat autem quidam Religioſus frater *Genereus* nomine, Saxo piſtor, opus piſtorum exercens, qui hoc audierat verbum ex ore Sancti prolatum; eadémque die menſis eodem terminato anno Sanctus eidem *Genereo* Saxoni: Miram rem video, ait. Ecce mulier de qua, te præſente, præterito dixeram anno, nunc mariti ſui religioſi cuiuſdam plebei in aëre obuiauit animæ, & cum Sanctis Angelis contra æmulas pro ea belligerat poteſtates, quorum adminiculo, eiuſdem homuncionis iuſtitia ſuffragante, à Dæmonum belligerationibus erepta ad æternæ refrigerationis locum anima ipſius eſt perducta.

S. Columba, reuelata ſibi morte SS. Brendini, & Columbani Lagenienſis Epiſcopi, Miſſam ob eorum venerationem celebrat.

F. Brendani.

CAP. VIII.

ALIA itidem die dum vir venerandus in Ioua conuerſaretur Inſula, mane primo ſuum aduocat ſæpe memoratum miniſtratorem *Diormitium* nomine, eique præcepit, inquiens, Sacra celeriter Euchariſtiæ miniſteria præparentur. Hodie enim Natalis beati Brendini eſt dies. Quare ait Miniſter, talia Miſſarum ſolemnia, hodierna præparari præcipis die? Nullus enim ad nos de * Scotia Sancti illius viri obitus peruenit nuntius. Vade tu, ait Sanctus, meæ obſecundare iuſſioni debes. Hac enim nocte præterita vidi ſubitò apertum cœlum, Angelorumque choros Sancti Brendini animæ obuios deſcendere, quorum luminoſa & incomparabili claritudine totus eadem hora illuſtratus eſt mundi orbis.

F. Brendani.

* *Hibernia.*

Quadam itidem die cum fratres ſe calciantes mane ad diuerſa Monaſterij opera ire præpararent, Sanctus è contra ea die otiari præcepit, *Sacræque oblationis obſequia* præparari, & aliquam quaſi in Dominico prandioli adiectionem fieri. Meque, ait, hodie quamlibet indignus ſim, ob venerationem illius animæ, quæ hac in nocte inter Sanctos Angelorum choros vecta vltra ſyderea cœlorum ſpatia ad paradiſum aſcendit, *Sacra* oportet *Euchariſtiæ* celebrare *myſteria*. Et his dictis, fratres obſequuntur, & iuxta Sancti iuſſionem eadem die otiantur, præparatiſque *Sacris* ad Eccleſiam *miniſteriis*, quaſi die ſolemni, Abbati cum ſancto pergũt. Sed forte cum inter alia cum modulatione officia illa conſueta decantarent, deprecatio, in qua Sancti Martini commemoraretur nomen; ſubitò Sanctus ad cantores eiuſdem onomatis ad locum peruenientes, Hodie, ait, pro S. *Columbano* Epiſcopo decantare debetis. Tunc omnes, qui inerant fratres intellexêre, quod *Columbanus* Epiſcopus Lagirienſis carus Columbæ amicus ad Dominum emigrauit. Et poſt alicuius temporis interuallum aliqui de *Lagenea* commeantes Prouincia, ea nocte eundem obijſſe nunciant Epiſcopum, qua Sancto ita reuelatum eſt.

S Columbanus Epiſcopus Lagenienſis.

De Monachis S. Congelli ſubmerſis, & de Baptiſmo Gentilis ſenis.

CAP. IX.

ALio in tempore vir Sanctus cum in Ioua conuerſaretur Inſula quadam ſubitatione incitatus, ſigno perſonãte, collectis fratribus, Nunc, ait, oratione Monachis Abbatis *Congelli* auxiliemur, hac in hora in *Stagno* demerſis, *Vituli*. Ecce enim hoc momento in aëre contra aduerſarias belligerant poteſtates,

animam

animam alicuius hoſpitis cum eis dimerſi eripere conantes. Tum poſt lachrymoſam & intentam orationem cito ante altarium ſurgens inter Fratres pariter in oratione proſtratos, lætificato vultu, Chriſto, ait, gratias agite; nunc enim Sancti Angeli Sãctis obuiantes animabus, & ipſum hoſpitem ereptum à Dæmonum belligerationibus, quaſi victoriales liberârunt belligeratores.

Alio in tempore vir Sanctus vltra Britanniæ dorſum iter agens ſecus *Niſæ* fluminis lacum ſubitò inſpiratus Spiritu Sancto, ad Fratres pariter commeantes, Properemus, ait, Sanctis obuiam Angelis, qui de ſummis cæli regionibus ad perferendam alicuius gentilici animam emiſſi. Nos illuc vſque peruenientes exſpectant, vt ipſum naturale bonum, per totam vitam vſque ad extremam ſenectutẽ conſeruantem, priuſquam moriatur opportunè baptizemus. Et hæc dicens Sanctus ſenex in quantum potuit comites feſtinus præcedebat, donec in illum agrum deuenit, ibidemque quidam repertus ſenex *Emchatus* nomine, audiens à Sancto verbum Dei prædicatum; & credens eſt baptizatus.

Qui iuxta legem naturæ viuit, neceſſariò ſaluabitur.

Quomodo Sanctus in Ioua manens Fratri in Hibernia de culmine domus labenti ope Angeli ſubuenit.

CAP. X.

Alio in tempore vir Sanctus cum in tuguriolo ſuo ſcribens ſederet, ſubitò eius immutata facies, & hanc puro de pectore promit vocem, dicens: Auxiliare, auxiliare. Duo verò Fratres ad ianuam ſtantes; videlicet *Colgus* & *Lugneus*, cauſam talis ſubitæ interrogant vocis, quibus vir venerabilis hoc reſponſum dedit, inquiens: Angelo Domini, qui nunc inter vos ſtabat, iuſſi, vt alicui ex Fratribus de ſummo culmine magnæ domus lapſo tam citò ſubueniret, quę his in diebus *Roboreti campo* fabricatur. Hocque Sanctus conſequenter intulit famen, inquiens. Valde admirabilis & penè indiciabilis eſt angelica volatus pernicitas, fulgureæ, vt æſtimo, celeritati parilis. Nam ille cœlicola, qui hinc à nobis nunc illo viro labi incipiente auolauit, quaſi in ictu oculi priuſquam terram tangeret ſubueniens, eum ſubleuauit; nec vllam fracturam, aut læſuram ille qui cecidit ſentire potuit. Quàm ſtupenda hæc inquam velociſſima & opportuna ſubuentio, quæ dicto citius tantis Maris & terræ interiacentibus ſpatijs tam celetrimè effici potuit.

Angelici volatus velocitas.

Quomodo Monachus quidam S. Columbam cum Angelis conuerſantem videt.

CAP. XI.

Alio item in tempore quadam die vir beatus in Ioua conuerſans Inſula Fratribus cõgregatis cum ingenti animi aduerſione denunciauit ad eos dicens: Hodie in occidentalem noſtræ campulum Inſulæ ſolus exire cupio. Nemo itaque ex vobis me ſequatur. Quibus obſecundantibus ſolus quidem, vt voluit, egreditur, ſed Frater quidam callidus explorator, alia means via in cuiuſdam monticelli cacumine, qui eidem ſupereminet Campulo ſe occultè collocat, videlicet eius cauſam ſolitariæ beati egreſſionis viri explorare cupiens. Quem cum idem explorator de mõticelli vertice illius in quodam Campuli colliculo ſtantem, & expanſis manibus ad cœlum orantem oculoſque ad cœlum eleuantem conſpiceret, mirum dictu; & ecce ſubitò res miranda apparuit. Quam idem ſupra memoratus homo, vt æſtimo, nõ ſine permiſſu Dei de prioris Monticelli loco oculis etiam corporalibus aſpexerat, vt nomen Sancti & eius honorificentia, quamuis ipſo nolente, ob hanc manifeſtatam viſionem poſtea magis in populis diuulgaretur. Nam Sancti Angeli cœleſtis patriæ ciues mira aduolantes ſubitatione, Sanctum virum orantem circumſtare cœperunt induti albis veſtibus. Et poſt aliquam cum beato ſermocinationem viro, illa cœleſtis caterua quaſi ſe exploratam ſẽtiens, ad ſumma citius repedauit cœlorum. Beatus & ipſe vir poſt Angelicum conditum reuerſus ad Monaſterium iterum collectis Fratribus cum quadam non mediocri obiurgatione inquirit; quis de illis eſſet tranſgreſſionis obnoxius. Quibus conſequenter ſe neſciſſe proteſtantibus, ille cõſcius ſui inexcuſabilis tranſgreſſor vltra non ſuſtinens delictum celare ſuum, flexis genibus in medio Fratrum choro coram Sancto veniam ſupplex precatur. Quem Sanctus ſeorſum ducens ingeniculanti cum grandi commendat comminatione, vt nul-

S. Columba imperat Monachis, ne se viuo quicquam de illa visione dicat. O quanta humilitas!

li hominum de illa Angelica viſione in diebus eiuſdem beati viri aliquid, etiam parũ, occultumque aperiret. Poſt egreſſum verò de corpore Sancti viri illam cœleſtis cętus apparitionem Fratribus cum grandi intimauit proteſtatione. Vnde hodieque & locus illius Angelici condicti, rem in eo geſtam ſuo proprio proteſtatur vocabulo, qui latinè poteſt dici colliculus Angelorum, * Scoticè verò *Cnoc-Angel*.

** Hibernicè.*

Plures Angelicæ apparitiones S. Columbæ facta incognita, quã cognita.

Hinc itaque animaduertendum eſt, vel non negligenter perſcrutandum, quantæ & quales ad beatum virum hyemalibus plerunque noctibus inſomnem, & in locis remotioribus, alijs quieſcentibus, orantem, Angelicæ fuerint & ſuaues frequentationes, quæ nullo modo venire in hominum notitiam potuêre; quæ proculdubiò valdè numeroſæ fuerunt; ſi etiam quædam ex ipſis quoquo modo ab hominibus vel in die, vel nocte explorari potuerint, quę abſque dubitatione paucæ ad earum comparationem, Angelicarum frequentationum, quæ videlicet à nemine ſciri poterant. Hoc idem ſimiliter de quibuſdam luminoſis manifeſtationibus adnotandum, quæ à paucis exploratæ inferius *caraxabuntur.

*al. * exarabantur.*

Quomodo S. Brendenus igneum globum de verticè S. Columbæ Miſſam celebrantis, aſcendentem videt. Tribus diebus cæleſtes viſiones habet S. Columba.

CAP. XII.

** Hibernia.*

ALio in tempore quatuor ad Sanctum viſitandum Columbã Monaſteriorum Sãcti Fundatores de * Scotia tranſmeãtes in *Hymba* eum inuenerunt inſula, quorum illuſtria vocabula *Congellus*, *Cabinnechus*, *Brendenus*, *Cormacus*. Hi vno eodemque conſenſu elegerunt, vt Sanctus Columba coram ipſis in Eccleſia, Sacra Euchariſtiæ conſecraret Myſteria. Qui eorum obſecũdans iuſſioni ſimul cum eis die Dominica ex more poſt Euangelij Lectionem, Eccleſiam ingreditur, ibidemque, dum Miſſarũ ſolemnia celebrarentur, Sanctus *Brendenus*, ſicut poſt Congello, & Cachinnechõ intimauit, quendam crinioſum igneum globum, & valdè luminoſum de verticè Sancti Columbæ ante altare ſtantis, & Sa-

Miſſam celebrat S. Columba.

ctam oblationem conſecrantis, tam diu ardentem, & inſtar alicuius columnæ ſurſum aſcendentem vidit, donec eadem perficerentur Sacro-ſancta Myſteria.

Alio in tempore cum Sanctus vir in *Hymba* commaneret Inſula, gratia Sancti ſpiraminis ſuper eum abundè & incomparabiliter effuſa, per triduum mirabiliter manſit, ita vt per tres dies totidemque noctes intra obſeratam, & repletam cœleſti claritudine domum manens, nullum ad ſe accedere permitteret; neque manducans, neque bibẽs. De qua videlicet domo immẽſæ claritatis radij per rimulas valuarum, & clauium foramina erumpentes noctu viſebãtur. Carmina quoque quædã ſpiritualia, & ante inaudita decantari ab eo audiebantur. Sed & multa quædam, vt ipſe poſt coram paucis ad * domum profeſſus eſt, occulta ab exordio mundi arcana apertè manifeſtata videbat.

f. admodũ

multa arcana, & ſcripturarum ſenſus S. Colũba manifeſtãtur.

Scripturarum quoque ſacrarum obſcura quæque, & difficillima plena & luce clarius aperto mundiſſimi cordis oculis patebant, *Baithenẽumque* alumnum non adeſſe querebatur. Qui ſi fortè adeſſet illo in triduo vel de præteritis, vel de futuris deinceps ſæculis ab ore viri beati quædam plurima ab alijs ignorata hominibus myſteria deſcriberet; aliquantas quoque ſacrorum explanationes voluminum. Qui tamen *Baitheneus* in *Egea* Inſula venti contrarietate detentus vſquequo illi trinales illius incomparabilis, & honorificæ viſitationis dies, & totidem noctes terminarentur, adeſſe non potuit.

Quomodo Virgnous, Colgus & Berchanus S. Columbam orantem, & cæleſti luce coruſcantem conſpexerunt.

CAP. XIII.

QVadam hyemali nocte ſupra memoratus *Virgnous* in Dei amore feruens, Eccleſiam orationis ſtudio alijs quieſcentibus ſolus intrat, ibidemque in quadam exedra, quæ Oratorij adhærebat parieti, deuotus orabat. Et poſt aliquantum quaſi horæ vnius interuallum vir venerandus Columba eandem ſacram ingreditur domum ſimulque cum eo aurea lux de ſumma cœli altitudine deſcendens totum illud Eccleſiæ ſpatium repleuit, ſed

& illius exedriolæ ſeparatum conclaue, vbi ſe Virgnous, in quantum potuit, latitare conabatur, eiuſdem cæleſtis claritas luminis per interiorem illius cubiculi ianuam, quæ ex minore patebat parte erumpens, non ſine aliquo formidabili repleuerat terrore. Et ſicut nullus æſtiuum & meridionalem ſolem rectis & irreuerberatis poteſt intueri oculis, ſic & illam cœleſtem claritudinem ille *Virgnous*, qui viderat, ſuſtinere nullo poterat modo, quia valde oculorum reuerberat aciem illa luminoſa & incomparabilis effuſio. Quo fulminali & incomparabili ſplendore viſo in tantum idem ſupra memoratus Frater exterritus erat, vt nulla in eo virtus remaneret. Sanctus verò Columba poſt non prolixam orationem egreditur Eccleſiam, *Virgnoumque* valdè timoratum ad ſe craſtina aduocat die, hiſque breuibus compellat verbis conſolatorijs: Bene ô Filiole, ingeminans hac præterita nocte in conſpectu Dei placuiſti, oculos ad terram deprimendo, claritatis timore perterritus eius. Nam ſi non ita feciſſes, illa inæſtimabili obcæcarentur tui luce viſa oculi. Sed hoc non negligenter obſeruare debes, & vt talem hanc lucis manifeſtationem nemini vnquam in mea denudes vita. *Humilitas.*

Hæc itaque prædicabilis & admirabilis res poſt beati viri tranſitum multis eodem Virgnoo narrante innotuit. Cuius ſcilicet *Virgnoi* ſororis filius *Commanus* honorabilis Preſbyter mihi *Adomnano* de hac ſupra viſione* caraxata aliquãdo ſub teſtificatione enarrauerat, qui eam enarratam ab ore ipſius Virgnoi Abbatis & Auunculi ſui ab eo, in quantum potuit viſam audierat. ** exarata*

Illa itidẽ nocte quidã de Fratribus *Colgus* nomine, cuius in primo fecimus mẽtionem caſu, ad ianuam Eccleſiæ, alijs dormientibus, deuenit; ibidemque aliquandiu ſtans orabat, tum proinde ſubitò totam videt Eccleſiam cœleſti luce repleri; quæ ſcilicet fulguralis lux dicto citius ab eius receſſit oculis. Sanctum verò Columbam hora eadem intra Eccleſiam orantem ignorabat, poſtque talem ſubitam luminis apparitionem valdè pertimeſcens, domum reuertitur. Poſtera die Sanctus illum aduocans aſperius obiurgauit, inquiens: De cætero præcauere debes fili, ne quaſi explorator cæleſte lumen, quod tibi non eſt donatum inſpicere coneris; quia te effugiet. Et ne alicui in meis diebus quod vidiſti enarres. *Humilitas*

Alio itidem in tempore vir beatus cuidam ſuo ſapientiam diſcenti alumno nomine *Berchano* non mediocriter quadam denunciauit die inquiens, Caueto fili ne hac ſequente nocte iuxta tuam ſemper conſuetudinem ad meum adpropinques hoſpitiolum. Qui hoc audiens contra interdictum ad domum beati viri in noctis ſilentio alijs acquieſcentibus acceſſit, callidéque explorans oculos è regione ad clauium foramina poſuit, æſtimans ſcilicet, vt res probauit, aliquam intus viſionem cæleſtem Sancto manifeſtari. Nam eadem hora beati viri illud hoſpitiolum cœleſtis ſplendore claritudinis erat impletum: quam non ſuſtinẽs intueri tranſgreſſor iuuenis illico aufugit. Quem die craſtina Sanctus ſeorſum ducẽs, cum magna ſeueritate obiurgans, hæc ad eum profatur verba dicens: hac in nocte fili coram Deo peccaſti, nam tuæ infitialis explorationem calliditatis à Spiritu Sãcto celari vel abſcondi poſſe inaniter putaſti. Nonne ad mei oſtium hoſpitioli te illa hora appropinquantem, & inde redeuntem vidi? Et niſi ego eodem momento pro te orarem, ibidem ante ianuam aut cadens morereris, aut tui de ſuis foraminibus oculi eruerentur. Sed tibi hac vice propter me Dominus pepercit. Et hoc ſcito, quòd in tua Hibernali patria luxurioſè viuens exprobrationem facies tua omnibus patietur diebus vitæ tuæ. Hoc tamen à Domino orans impetraui, vt quia noſter ſis alumnus lachrymoſam ante exitum agas pænitudinem, & à Deo miſericordiam conſequens. Quæ omnia ſecundum verbum beati viri ita ei poſtea contigerunt, ſicuti de eo Prophetata ſunt. *Berchanus.* *S. Colũba curſum vitæ Berchani Hiberni prædicit.*

Quomodo S. Columbæ ob Eccleſiarum preces prolongatur vita.

CAP. XIIII.

ALio in tempore dum vir beatus in Ioua commaneret Inſula, quadam die Sancta facies eius ſubita mirifica & lætifica hilaritate effloruit, oculoſque ad cælum eleuans incõparabili repletus gaudio valdè lætificabatur. Tum poſt modicum alicuius momenti interual-

lum illa ſapida & ſuauis lætificatio in mœſtam conuertitur triſtificationem. Duo verò viri, qui eadem hora eius tugurioli ad ianuam ſtabant, quod in eminentiori loco erat fabricatum, & ipſi cum eo valdè triſtificati, quorum *Lugneus* vnus erat, alter verò *Pilu* nuncupabatur, Saxo, cauſam ipſius ſubitæ lætificationis inquirunt, & illius ſubſequentis mœſtitiæ. Ad quos Sanctus ſic profatur: Ite in pace; ne illius lætaminis cauſam nec & triſtificationis à me nunc inquiratis manifeſtari. Quo audito illachrymati, & ingeniculantes, proſtratis in terram vultibus, ſuppliciter rogant, ſcire volentes aliquid de illa re, quæ hora eadem Sancto erat reuelata. Quos valdè triſtificatos videns; Quia vos amo, ait, triſtificari nolo, promittere prius debetis, ne vlli hominum Sacramentum, quod inquiritis, in vita mea prodatis. Qui continuò Sanctam eius commendationem promptè promiſerunt, & poſt talem promiſſionem vir venerandus ſic ad eos proloquitur: Vſque in hunc præſentem diem, inquiens, meæ in * *Britannia* peregrinationis ter deni completi ſunt anni. Interea multis ante diebus à Domino meo deuotè poſtulaui, vt in fine huius triceſimi anni præſentis, me de meo abſolueret incolatu, & ad cœleſtem illico Patriam aduocaret. Et hæc fuit mea cauſa lætaminis, de qua vos me mœſti interrogatis. Angelos enim Sanctos de excelſo vidi miſſos throno ad meam de carne animam obuios educendam. Sed ecce nunc ſubitò retardati vltra noſtræ fretum Inſulæ ſtant in rupe, ſcilicet volentes ad me de corpore aduocandum adpropiare; ſed propius accedere non permittuntur; mox ad cœlorum ſumma repedaturi, quia Dominus quod mihi totis viribus roganti donauit, vt hac in die ad ipſum de mundo tranſirem, multarum Magis Eccleſiarum pro me orationes exaudiens dicto citius immutauit. Quibus ſcilicet Eccleſiis exorantibus ſicut à Domino donatum eſt, vt quamlibet contra meam voluntatem, quatuor ab hac die mihi in carne manenti ſuperaddantur anni. Hæc talis mihi mœſta retardatio hodiernæ triſtificationis non immeritò cauſa fuit, quibus videlicet quatuor futuris Deo propitio terminatis in hac vita annis, ſubita emigratione, nulla præcedente corporis moleſtia, cum Sanctis mihi obuiaturis illo in tempore Angelis, ad Dominum lætus emigrabo. Secundum hæc verba viri venerabilis, quæ non ſine magno gemitu & mœrore, vt traditur, nec non & ingenti lachrymabilitate prolocutus, quatuor poſtea annis in carne manſit.

**S. Colũba in Ioua manẽs dicit ſe in Britãnia peregrinari: ergo Scotia moderna, in qua eſt Ioua, tunc dicta eſt Britãnia, & non erat patria S. Columbæ.*

S. Columba ob prolongatam vitam cõtriſtatur.

Quomodo S. Columba mortis ſuæ horam prædicit.

CAP. XV.

Annorum ſupra quatuor memoratorum termino iam appropinquante, poſt quorum completionem finem præſentis vitæ veridicus præſagator ſibi futurum fore multo ante præſciebat tempore, quadam die menſe Maio ſicut in priore ſecundo ſcripſimus libro, ad viſitandos operarios fratres, Sanctus ſenex ſenio feſſus plauſtro vectus pergit, ad quos in occidua inſula Iouæ laborantes parte, ſic ea die exorſus eſt loqui, dicens: In Paſchali ſolemnitate nuper Aprili peracta menſe deſiderio deſideraui ad Chriſtum Dominum, ſicut & mihi ab eo conceſſum erat, ſi maluiſſem emigrare; ſed ne vobis lætitia feſtiuitatis in triſtitiam verteretur, diem meæ de mundo emigrationis paulo diutius protelari malui. His ab eo mœſti Monachi familiares auditis interim dictis valdè triſtificati ſunt. Quos in quantum poterat verbis cœpit conſolatorijs lætificare. Quibus finitis, vt erat in vehiculo ſedens ad Orientem ſuam conuertens faciem, Inſulam cum Inſulanis benedixit habitatoribus. Ex qua die, vt in ſupra memorato caraxatum eſt libello viperarum venena triſulcarum linguarum vſque in hodiernum diem nullo modo aut homini, aut pecori nocere potuêre. Poſt eiuſdem benedictionis verba Sanctus ad ſuum reuehitur Monaſterium.

Triginta duobus annis in Britãnia tantum vixiſſe S. Columbã teſtatur Beda. lib. 2 hiſt. Angl.

Iouam benedixit.

Viperas tollit.

Tunc proindè paucis diebus tranſactis dum *Miſſarum* ſolemnia ex more Dominica celebrarentur die, ſubitò ſurſum eleuatis oculis facies venerabilis viri florido reſperſa rubore videtur. Quia, ſicut ſcriptum eſt, *Corde lætante vultus floret.* Eadem namque hora Angelum Domini ſupra volitantem ſolus vidit intra ipſius Oratorij parietes: & quia Sanctorum Angelorum amabilis & tranquillus aſpectus gaudium & exultationem electorum pectoribus infundit; hæc fuit illius ſubitæ cauſa lætitiæ beato infuſa viro. De qua ſcilicet cauſa in-

Angelum videt.

ſperatæ lætationis cùm qui inerant ibidem præſentes inquirerent, hoc eis Sanctus reſponſum ſurſum reſpiciens dedit, Mira & incomparabilis eſt Angelicæ ſubtilitas naturæ. Ecce enim Angelus Domini ad repetendum aliquod Deo charum miſſus depoſitum, nos deſuper intra Eccleſiam aſpiciens & benedicens, rurſum per paraſticiam Eccleſiæ reuerſus, nulla talis veſtigia exitus reliquit. Hæc Sanctus. Sed tunc de qualitate illius depoſiti, ad quod miſſus eſt Angelus requirendum, nemo de circumſtantibus recognoſcere potuit. Noſter verò Patronus Sanctam propriam à Deo ſibi commendatam animam, depoſitum nuncupauit; quæ ſicuti, inferius narrabitur, alia * ſenis interuenientibus continuis diebus, Dominica nocte ad Dominum emigrauit. *ſex.

S. Columba tempus ſuæ mortis miniſtro ſuo Diormitio reuelat: equus mortem Sancti futuram deflet.

CAP. XVI.

VIr itaque venerabilis in fine eiuſdem hebdomadis, hoc eſt, die Sabbathi, ipſe & pius miniſter Diormitius, ad proximum pergunt benedicendum horreum, quod intrans Sanctus cùm benedixiſſet, & duos in eo frugum ſequeſtratos vidiſſet aceruos, hoc intulit verbum cum gratiarum actione, inquiens: Valde congratulor meis familiaribus Monachis, quia hoc etiam anno, ſi quodá à vobis emigrare me oportuerit, annonam ſufficientem habebitis. Quo audito verbo *Diormitius* miniſter triſtificari cœpit, & ſic dixit, Huius anni tempore ſæpius nos cōtriſtas, quia de tuo tranſitu crebro commemoras. Cui Sanctus hoc dedit reſponſum: aliquem arcanum habeo ſermuſculum, quem ſi mihi firmiter promiſeris, nemini ante meum denudare obitum, de meo egreſſu tibi aliquid manifeſtius intimare potero. Quam cum talem promiſſionem miniſter iuxta Sancti voluntatem flexis genibus terminaſſet; Vir venerandus conſequenter ſic profatur, Hæc in ſacris voluminibus dies Sabbatum nuncupatur, quod interpretatur, requies; & verè mihi hæc eſt Sabbatum hodierna: quia huius præſentis laborioſæ vitæ mihi vltima eſt; in qua poſt meas laborationum moleſtias Sabbatizo; & hac ſequēti media nocte venerabili Dominica ſecundum eloquia ſcripturarum Patrum ingrediar viam; iam enim Dominus meus Ieſus Chriſtus me inuitare dignatur, ad quem, inquam, hac mediante nocte, ipſo me inuitante emigrabo. Sic enim mihi ab ipſo Domino eſt reuelatum. Hæc mœſta miniſter audiens verba cœpit amarè flere; quem Sanctus in quantum potuit conſolari conabatur.

Poſt hæc Sanctus horreum egreditur, & ad Monaſterium reuertens media reſidet via, in quo loco crux molari poſtea infixa lapidi, hodieque ſtans in margine cernitur viæ. Dumque ibidem Sanctus, vt præfatus ſum, ſenio feſſus paulum ſedens requieſceret, ecce albus occurrit caballus, obediens ſeruitor, qui ſcilicet lactaria intra bocetum Monaſteriom vaſcula geſtare conſueuerat. Hic ad ſanctum accedens, mirum dictu, caput in ſinu eius ponens, vt credo, inſpirante Deo, cui omne animal brutum ſapit, ſenſu quo ipſe iuſſerit creator, Dominum à ſe ſuum mox emigraturum, & ipſum vltra non viſurum ſciens, cœpit plangere, vbertimque quaſi homo lachrymas in gremium Sancti fundere, & valde ſpumans flere. *Equus flet.* Quod videns miniſter cœpit illum flebilem repellere lamentatorē. Sed Sanctus prohibuit eum dicēs, * ſine hunc ſi noſtri ne amator eſt, vt in hunc ſinum fletus effundat amariſſimi plangoris. *F. ſine hūc, ſine noſtri amatorem: vel, ſine hunc, ſi noſtri amator eſt.* Ecce tu homo cum ſis, & rationabilem animam habeas, nullo modo ſcire de meo exitu potuiſti, niſi quod tibi ego ipſe nuper manifeſtaui. Huic verò bruto & irrationabili animanti quoquo modo ipſe conditor voluit, egreſſurum à ſe Dominum, manifeſtè * reuelauit. *F reuelare.* Et hæc dicens, mœſtum à ſe reuertentem equum benedixit miniſtratorem. Et inde egrediens & monticellum Monaſterio ſupereminentem aſcendens in vertice paululum ſtetit, & ſtans ambas eleuans palmas, ſuum benedixit Cœnobium inquiens. Huic loco quamlibet anguſto, & vili non tantū * Scotorum Reges cum populis, ſed & barbararum & exterarum gentium regnatores cum plebibus ſibi ſubiectis grandem & non mediocrem conferent honorem. *Hibernorum.* A ſanctis quoque & aliarum Eccleſiarum non mediocris veneratio conferetur.

Quomodo Sanctus Columba hora mortis inſtante myſticam Pſalmi diuiſionem fecit: & Monachos ad mutuam charitatem hortatur.

CAP. XVII.

POſt hæc verba de illo deſcendens monticellulo, & ad Monaſterium reuertens ſedebat in tugurio Pſalterium ſcribens & ad illum trigeſimi tertij Pſalmi verſiculum perueniens, vbi ſcribitur; *Inquirentes autem Dominum non deficient omni bono.* Hic, ait, in fine ceſſandum eſt paginæ. Quæ verò ſequuntur Baitheneus ſcribat.

Sancto congruenter conuenit deceſſuro nouiſſimus verſiculus, quem ſcripſerat, cui nunquam bona deficient æterna, ſucceſſori verò ſequens patri ſpiritualium Doctori filiorum, *venite fili audite me, timorem Domini docebo vos*, congruenter conuenit. Qui ſicut deceſſor commendauit non ſolum ei docendo, ſed etiam ſcribendo ſucceſſit. Poſt talem ſuperius memoratum terminatæ verſum perſcriptum paginæ Sãctus ad Veſpertinalem Dominicæ noctis *Miſſam* ingreditur Eccleſiam, qua continuò conſummata, ad hoſpitiolum reuertens in lectulo reſidet per nox, vbi pro ſtramine nudam habeat petram, & pro puluillo lapidem, qui hodieque quaſi quidam iuxta ſepulchrum eius ſtat titulus monumenti.

Qualis erat lectus & puluillus S. Columbæ morientis.

Ibidem itaque reſidens vltima ad fratres mandata, ſolo audiente miniſtro, commendat, inquiens: Hæc vobis, ô Filioli, nouiſſima commendo verba, vt inter vos mutuam & non fictam habeatis charitatem cum pace. Et ſi ita iuxta Sanctorum exempla obſeruaueritis, Deus confortator bonorum vobis auxiliabitur; & ego cum ipſo manens pro vobis interpellabo, & non tantum præſentis vitæ neceſſaria vobis ab eo adminiſtrabuntur, ſed etiam æternalium bonorum præmia diuinorum obſeruatoribus præparata præceptorum tribuētur. Hucuſque extrema venerabilis patroni verba, quaſi de hac tædiali peregrinatione ad cæleſtem patriam transmeantis breui textu narrata deducta ſunt.

De Morte & ſepultura Sancti Columbæ.

CAP. XVIII.

POſt fœlicia, appropinquante nouiſſima pauliſper hora Sanctus conticuit, tum proinde media nocte pulſata perſonante cloeca, feſtinus ſurgens ad Eccleſiam pergit, citiorque cæteris currens ſolus introgreſſus iuxta altare flexis in oratione genibus recumbit. *Diormitius* miniſter tardius proſecutus, eodem momento eminus totam intrinſecus Eccleſiam angelica luce erga Sanctum repleri videt, quo ad ianuam appropinquante eadem lux viſa ocius receſſit: quam & alij de fratribus pauci, & ipſi eminus aſtantes viderant.

Iuxta altare orãs genibus flexis cæleſti luce perfuſus moritur.

Diormitius ergo Eccleſiam ingrediens flebili voce ingeminat, vbi es Pater? Et nec dum allatis fratrum lucernis per tenebras palpans Sanctum ante altare recubantem inuenit. Quem paulùlum erigens, & iuxta ſedens Sanctum in ſuo gremio poſuit caput; & inter hæc cœtus Monachorum cum luminaribus adcurrens Patre viſo morien-te cœpit plangere. Et vt ab aliquibus, qui præſentes aderant, didicimus Sanctus nec dum egrediente anima apertis ſurſum oculis ad vtrumque latus cum viua vultus hilaritate & lætitia circumſpiciebat; Sanctos ſcilicet Angelos obuios intuens. Diormitius tum ſanctam ſubleuat ad benedicēdū Monachos Sancti dexteram manum. Sed & ipſe venerabilis pater in quantum poterat, ſimul ſuam mouebat manum, vt videlicet quod voce in egreſſu non valebat animæ, vel motu manus fratres videretur benedicere. Et poſt Sanctam benedictionem taliter ſignificatam continuò ſpiritum exhalauit.

Adamnanus ab oculatis teſtibus accepit de B. Columba morte.

Sanctus benedicit moriens.

Expirat.

Quo tabernaculum corporis egreſſo, facies rubens, & mirum in modum angelica viſione exhilarata in tantum remanſit, vt non quaſi mortui, ſed dormientis videretur viuentis. Tota interim perſonabat mæſtis plangoribus Eccleſia.

Facies hilaris.

Sed non prætereundum videtur, quod eadem hora beatæ tranſitus animæ cuidam * *Eberneinſi* ſancto reuelatum eſt. In quodam namque Monaſterio * Scotorum quidam homo erat Sanctus & ſenex Christi miles, qui *Lugudius* vocitabatur, iuſtus & ſa-

*Al. * Hib. * Hibernorum. Reuelatio.*

& ſapiens. Hic itaque primo mane cuidam æque Chriſtiano militi ſuam enarrauit viſionem cum ingenti gemitu dicens: Hac præterita nocte media Sanctus Columba multarum columna Eccleſiarum ad Dominum tranſit, & in hora beati exitus eius *Iouam* Inſulam, ad quam corpore nunquam perueni, totam Angelorum claritudine in Spiritu vidi irradiatam, totaq; ſpatia aëris vſque ad æthera cœlorum, eorundem Angelorum claritate illuſtrata; quia ad Sanctam ipſius animam perferendam de cœlis miſſi deſcenderant innumeri, altiſona quoque carminalia, & valde ſuauia audiui Angelicorum cantica, eodem momento egreſſionis, inter Angelicos Sanctæ ipſius animæ aſcendentes choros. Hanc Angelicam manifeſtationem *Virgnous*, vt prædictum eſt, qui ab ore illius Sancti ſenis, cui reuelata erat, indubitanter didicerat.

Viſio de morte S. Columbæ.

Iiſdem diebus de * Scotica remigans *Hymba* in inſula reliquis diebus vitæ ſuæ permanens Sancti *Columbæ* Monachis ſæpius enarrabat, qui videlicet *Virgnous* poſt multos in ſubiectatione inter fratres irreprehẽſibiliter expletos annos, alios duodecim in loco *Anachoretarum* in *Miurbulmar* vitam deducens anachoreticam Chriſti victor miles expleuit.

** Hibernico, quia monachis Hibernis a Pictis erat tradita.*

Hanc prædictam viſionem non ſolum paginis inſcriptam reperimus, ſed & aliquibus expertis ſenioribus, quibus ipſe *Virgnous* retulerat, ſine vllo didicimus cunctamine.

Eadem quoque hora aliam viſionẽ aliter reuelatam vnus ex eis qui viderant, Chriſti miles valde ſenex, cui nomen etiam poteſt dici *Ferreolus*, qui inter aliorum Sancti Columbæ Monachorum reliquias, & ipſe Sanctus Monachus in *Dorſo Thomæ* ſepultus cum Sanctis reſurrectionẽ expectat, mihi *Adamnano* illo iuuene in tempore cum grandi retulerat teſtificatione dicens: Illa in nocte, qua S. *Columba* de terris ad cœlos felici & beato fine tranſiit, ego & alij mecum viri laborantes in captura piſcium in valle piſcoſi fluminis *Fende*, ſubitò totum aërei illuſtratum cœli ſpatium vidimus, cuius miraculi ſubitatione permoti, oculos ad Orientem eleuatos conuertimus; & ecce quaſi quædam pergrandis ignea apparuit columna, quæ in illa nocte media ſurſum aſcendens, ita nobis videbatur mundum illuſtrare totum ſicut dies æſtiuus & meridianus ſol. Et poſtquam illa penetrauit columna cœlum, quaſi poſt occaſum ſolis tenebræ ſuccedunt. Huius itaque claritudinem luminoſæ & prædicabilis columnæ non tantum nos, qui ſimul in eodem loco ineramus, cum ingenti admiratione vidimus, ſed & alij multi piſcatores, qui ſparſim per diuerſas fluminales piſcinas eiuſdem fluminis piſcabantur, ſicut nobis poſtea retulerant, ſimili apparitione viſa, magno pauore ſunt perculſi. Harum igitur trium miracula viſionum eadem tranſitus hora venerandi apparentium patroni æternos ei à Deo collatos proteſtantur honores. Ad propoſitum reuertamur.

Alia viſio.

Interea poſt Sanctæ egreſſum animæ hymnis matutinalibus terminatis ſacrum corpus de Eccleſia ad hoſpitium, vndè paulo ante viuens venerat, cum canora fratrum reportatur Pſalmodia, honeſteque ternis diebus, & totidem noctibus honorabiles ritè explentur exequiæ. Quibus in Dei ſapiendis laudibus terminatis, Sancti, & beati Patroni venerabile corpus mundis inuolutum ſindonibus, & præparata poſitum intra buſta debita humatur cum veneratione in luminoſa & æternali reſurrecturum claritudine. De ſupra memoratis ergo tribus illis exequiarum diebus, more peractis Eccleſiaſtico, quod nobis ab expertis traditum eſt, huius prope finem enarrabitur libri.

Quidam namque aliquando vnus de fratribus coram venerabili viro ſimpliciter loquens, ad celebrandas, ait ad Sanctum, tuas poſt tuum obitum exequias, vt putatur, totus harum Prouinciarum populus hanc Iouam remigans replebit Inſulam. Quod verbum audiens Sanctus cõſequenter ait, ô mi filiole, non vt loqueris, ſic res probabitur, nam promiſcuum populi vulgus nullo modo ad meas poterit exequias venire. Mei ſoli familiares Monachi mea ſepulchralia complebunt, & exequialia honeſtabunt officia. Quod verbum eius propheticum ſtatim poſt tranſitum ipſius omnipotentia Dei adimpleri fecit. Nam per tres illas exequiales dies & noctes grandis ſine pluuia facta eſt ventoſa tempeſtas, qua fortiter prohibente nullus hinc & inde nauicella vectus transfretare poterat. Et poſt conſummatam ſepultionem viri continuò

Prædixit tempeſtatem futuram tempore ſuarum exequiarum.

tempeſtate ſedata, & ceſſante vento totum tranquillatum eſt æquor.

Perpendat itaque lector, quanti, & qualis apud Deum prædicabilis Patronus honoris habeatur, cui aliquando in carne mortali conuerſante, Deo dignante, oranti tempeſtates ſedatæ ſunt, & maria tranquillata, & rurſus quando neceſſe habuit ſupra memorata occaſione orto flamine ventorum, & ventoſa, cum voluit concitata ſunt æquora; quæ ſubſequenter, vt ſuperius dictum eſt, expletis eius ſepulturæ miniſterijs, in magnam conuerſa ſunt tranquillitatem.

Hic itaque Prædicabili noſtro Patrono vitæ terminus fuit, ita meritorum exordia, qui ſecundum ſententias ſcripturarum æternis comes triumphis patribus additus, Apoſtolis & Prophetis conſertus, numero aggregatus albatorum milliũ, agnino in ſanguine ſuas Sanctorum, qui lauerunt ſtolas agnum ductorem comitatur, Virgo immaculatus, ab omni integer labe, ipſo Domino noſtro Ieſu Chriſto dignante, cui eſt cum Patre honor, virtus, laus & gloria, & Imperium ſempiternum in vnitate Spiritus Sancti: Per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Explicit vita Sancti Columbæ Fratris Chriſti.

S. NOTKERVS BALBVLVS IN *Martyrologio de S. Columba hæc habet.*

Nota Scotiam & Hiberniã pro Synonimis accipi.

IN Scotia Inſula Hibernia depoſitio Sancti Columbæ, cognomento apud ſuos * *Columbkilli*, eò quod multarũ cellarum, id eſt, Monaſteriorum, vel Eccleſiarum inſtitutor, Fundator & rector exſtiterit, adeo vt Abba, Monaſterij, cui nouiſſimè præfuit, & vbi requieſcit, cõtra morem Eccleſiaſticum * primas omnium Hiberniẽſium habeatur Epiſcoporum: nec immerito, quia idem Sanctus per inhabitationem Sancti Spiritus, * nulli poſt Apoſtolos, & mirabilem Martinum in Prophetia, doctrina & miraculorũ oſtenſione, atque Angelica frequentatione videatur ſecundus: Quod vel ex his pauciſſimis ſentiſcere licet. Cum ſederit in quadã inſula ſcribẽs, & in alia domus altiſſima ædificaretur, & quidam de culmine eiuſdem enormis fabricæ ad terram corruere cœpiſſet, in ipſo ſubitanei caſus periculo, dixit Angelo Dei ſibi aſſiſtenti, Auxiliare, auxiliare: Et ecce in ipſius momenti atomo, ita ruenti homini ſubuentum eſt ab Angelo, quaſi non ſcriptori, ſed fabro ſemper adeſſet. Cum grauis infirmitas, imo lues, & peſtilentia intolerabilis vniuerſum pene populum deuaſtaret, benedixit lapidem de littoreis ſaxis, & vbicunque præcepit in aquam mittere, atque ipſa aqua infirmantes potari vel aſpergi: Qui in aquam miſſus, & contra naturam ſuam in modum ſpumæ ſupernatans, & hoc modo diuinam ſe benedictionem percepiſſe conteſtans, & omnes morbos medicando ſanificans, ſuper aurum & omnes gemmas pretioſus, ac ſuper omnia medicamenta fuit ſaluberrimus. Et ad augmentum miraculi, à nullo per id temporis morituro, licet diligentiſſimè cuſtoditus, & cautiſſimè requiſitus, vnquam poterat inueniri. Hoc vno de multimoda ſanatione commemorato, alterum de multiplici in penuria ſubuentione libet ad memoriam reuocare, vt prudens lector ex his duobus, & tacita diſcat æſtimare. Cuidam pauperculo omnibus rebus indigo, contulum in veru Sanctus exacuit. Quod ab eo ſyluis, & aquis iuſſit infigi. Quod cum faceret, ita diues effectus eſt, vt & domus eius eandem abundantiam non caperet, & vxor eius terreſtres delitias cum marinis faſtidiens, idem veru in pernitiem ſui à viro ſuo feciſſet incidi. Doctrina verò beatus Columba, cum omnes anteriores adæquaret, in hoc tranſcendere non iniuria cenſetur quod per tres dies vltimos commorationis in terra, cuncta ei reuelata ſunt Sacræ Scripturæ Sacramenta, omnibus retro mortalibus, aut penitus occulta, aut certè iuxta Apoſtolum,
1. Cor. 13. *Per ſpeculum & in ænigmate* comperta, imo requirenda, atque enucleanda propoſita. Quæ propter abſentiam *Baithenei*, familiariſsimi videlicet illius diſcipuli, imo propter indignitatem generis humani, litteris non ſunt attitulata. Porrò Prophetiæ dono ita mortales

* Nomen.
* Nota.
* Laus S. Columbæ.

omnes

omnes præponderauit, vt & præſentia cæteris abſcondita, & abſentia non ſolùm vicina, ſed & lõge poſita, ſed & præterita & futura, in vno ineuitabilis oculi ictu deprehenderet. Vas ante eum pro ſolemni benedictione, lacte plenum, oblatum eſt. Quod cum benedixiſſet, & vaſculum illico crepuiſcet, increpuit miniſtrum, cur non ante infuſionem, per ſignum Sanctæ Crucis, antiquo hoſti locum in eo permanendi interdixiſſet: item lactis ſimilitudinem ex tauri teſticulis expreſſam, in propriam, id eſt, ſanguinis, eminus benedicendo, conuertit naturam. Regum vicinorum, bella & præſciuit, & aliquando compeſcuit, aliquando verò iuſtiores cauſas habentibus fauit, iniuſtiores verò diuinæ iuſtitiæ coniunctus non adiuuando deſpexit. Subuerſionẽ quoque ciuitatis, quæ nunc Noua dicitur in Italia, in ſubitaneo ſtupore, terræ hiatu imo cœleſtis iræ reſpectu ſubuerſam conſpexit & alijs extaſin eius mirantibus id ipſum nũciauit: ſed & hoc prædixit, quod Gallici nautæ ſicut & factũ eſt, eandẽ rem ipſo anno in Scotia relaturi eſſent. Die quoq; vltimo vitæ mortalis, id eſt, Sabbato, cum Pſalmũ 33. vſq; ad eum verſum perduxiſſet in ſcribẽdo: *Inquirentes autem Dominum, non deficient in omni bono*, aſtãtibus, inquit: Quod reliquum eſt, Baitheneus ſcribat. Vt videlicet, qui in regimine fratrum ei ſucceſſurus erat, non ſolum docendo, ſed & ſcribendo, diſcipulos ad ſe vocare deberet: *Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos*: Et addit, hæc dies in ſcriptura ſacra ſabbatum, id eſt requies appellatur, in qua mihi requies æterna paratur. Ecce enim hac nocte reſurrectionis Dominicæ vado ad Dominum Ieſum Chriſtum magnæ reſurrectionis authorem: & hoc ſcitote, quia per tres continuos dies mare clauſum nimia tempeſtate, tenebitur, vt exequiæ meæ non à vulgaribus turbis ſuperſtitioſe, ſed à Sanctis fratribus meis Religiosè celebrentur. Qui cum plurimos diſcipulos, vel ſocios ſanctitatis ſuæ pares habuiſſet, vnum tamen Congellum ſcilicet latine Fauſti nomine illuſtrem præceptorem Beatiſſimi Columbani, magiſtri Domini, & patris noſtri Galli, virtutum ac meritorum ſuorum, quaſi vnicum exemplo Iſaac reliquit hæredem.

V. Beda lib. 3. hiſt. Angl. cap. 4.

Anno incarnationis Dominicæ 565. (quo tempore gubernaculum Romani Imperij poſt Iuſtinianum Iuſtinus Minor accepit) venit de Hibernia preſbyter & Abbas habitu, & vita monachi inſignis, nomine Columbanus, in Britanniam prædicaturus verbum Dei Prouincijs Septentrionalium Pictorum, hoc eſt eis qui arduis & horrentibus montium iugis ab auſtralibus eorum ſunt regionibus ſequeſtrati.

Idem lib. 5. cap. 10.

Erat autem Columba primus Doctor fidei Chriſtianæ Tranſmontanis Pictis ad Aquilonem, primuſque fundator Monaſterij quod in * Hu Inſula multis diu Scotorum Pictorúmque populis venerabile manſit. Qui videlicet Columba nunc à nonnullis compoſito à cella & columba nomine, Columcille vocatur.

Al Hy, Iona, Iona, Hiberniæ lib; vide vitam S. Aidani

Hermannus Contractus in Chronicis ſic habet.

Sanctus Columba preſbyter & Abbas de Hibernia veniens Britannis verbum Dei prædicat.

Idem alibi.

Sanctus Columba preſbyter & Abbas poſt multa miracula in inſula Hy iuxta Hiberniam migrauit ad Dominum anno ætatis 73.

Cardinalis Baronius ad ix. Iunij in annotationibus ad Martyrologium Romanum, hæc notat.

De eo (*Columba videlicet*) hac die Beda, (*in martyrologio*) & alij recentiores. Pluribus de eo idem Beda hiſt. de geſt. Angl. l. 3. c. 4. & 25. vbi eundem appellat Columbanum; Columbam autem in epitome anno Domini 565. quo anno ex Hibernia ſe contulit in Britanniam, vixitque ibi annis triginta duobus, vt idem teſtatur auctor; ſicque perueniſſe videtur ad annum Domini 597. de quo & Sigebertus in Chronico, anno 596. & 598. vbi ſemper Columbanum appellat. Scripſit eius vitam * Adamandus eidem æqualis, de quo Sigebertus de vir. illuſt. c. 64. Nec moueat quenquã, quod Columba hic præter morem Eccleſiæ Paſcha celebrabat decima quarta luna; Excuſat enim eum Beda hiſt. Angl. l. 3. c. 4. in fine; & Vvalfridus apud eundem eodem lib. 3. c. 25.

** Adamnanus.*

Spondanus in Compendio Anno 565.

Hoc item anno Domini 565. Iuſtini primo, Beda conſignat Pictorum in inſulæ Britan-

VITA

SANCTÆ BRIGIDÆ VIRGINIS.

AVCTORE COGITOSO SANCTÆ BRIGIDÆ (VT IPSE inſinuat) nepote, & coæuo.

Quæ habetur tomo 5. antiquæ Lectionis Henrici Caniſij, qui eam ex Manuſcriptis codicibus Monaſterij ordinis Prædicatorum Aichſtadij in lucem edidit.



S. BRIGIDA VIRGO KILDARIENSIS, HIBERNIÆ PATRONA.

Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.
CANTIC. 2.

DE PATRIA S. BRIGIDAE
ANIMADVERSIO.

*F*ERRARIVS *in ſua noua ad Martyrologium Romanum Topographia, ſe mirari ait, quod cùm Brigida Virgo in Hibernia vixerit & obierit, Scotiæ tribuatur. Rectè equidem miratur, ſed multo magis miraretur, ſi rem penitius intueretur, & cauſam tantæ admirationis diligentius perſcrutaretur.*

*Ego verò miror, non quod Scotiæ tribuatur, id ſiquidem veritati optimè congruit: nam Hibernia, cui S. Brigida adſcribi debet, non modo ipſius tempore, ſed & multo pòſt Scotia abſolutè appellabatur, prout fuſius ſupra initio operis, & breuiter in admonitione ad Lectorem vitæ S. Columbæ præfixa, probatum eſt: Sed magis admiror, quòd quidam Scoto-Britannus non conſequenter loquens, eam velit Scotiæ modernæ ſeu Britannicæ attribuendam, non alio ductus argumento, quàm quòd communiter Scota nuncupetur, cùm tamen S. Columbam, qui Scotus plerùmque appellatur, Hibernum fuiße, vel inuitus fateri cogatur. Nam ſi vnquam Hibernia nomen Scotiæ ſibi vendicabat, id maximè anterioribus ſæculis, vtpote antequam Hiberni, ſeu Scoti, Britanniam inuadentes, & Pictos debellantes, Borealem Britanniæ partem, quæ modo Scotia vocatur, in memoriam ſuæ * propriæ patriæ (videlicet Hiberniæ) Scotiam appellari fecerunt; vnde cum S. Columbam, qui Brigidam ſubſecutus fuerat; Scoto-Britannum aſſerere non audeat, hanc multo minus aßerere deberet.*

* Beda li. 1. hiſt. Angl. c. 1.

INCIPIT

INCIPIT PROLOGVS.
COGITOSI IN VITAM
Sanctæ Brigidæ.

COgitis me Fratres, vt Sanctæ & beatæ memoriæ Brigidæ Virginis virtutes & opera, more doctorum, memoriæ literiſque tradere aggrediar. Quod opus impoſitum, & delicatæ materiæ arduum, paruitatis & ignorantiæ meæ, & linguæ minime conuenit. Sed potens eſt Deus de minimis magna facere; vt de exiguo oleo & farinæ pugillo domum impleuit pauperculæ viduæ.

3. Reg. 17.
4. Reg. 4.

Itaque iuſſionibus veſtris coactus, ſatis habeo, meam non defuiſſe obedientiam, & ideo pauca de pluribus, à maioribus & peritiſſimis tradita, ſine vlla ambiguitatis caligine, ne inobedientiæ crimen incurram patefacere cenſeo. Ex quibus quanta, qualiſque Virgo virtutum bonarum florida, cunctorum oculis innoteſcat. Non quod memoria, & mediocritas, & ruſticus ſermo ingenioli mei, tanti muneris officium explicare valeret; ſed fidei veſtræ beatitudo, & orationum veſtrarum diuturnitas meretur accipere, quod non valet ingenium dictantis.

Hæc ergo egregijs creſcens virtutibus; & per famam bonarum rerum ad eam de omnibus Prouincijs Hiberniæ innumerabiles populi de vtroque ſexu confluentes, vota ſibi vouentes, voluntariè ſuum Monaſterium caput penè omniũ * Hiberniensiũ Eccleſiarum, & culmen præcellens omnia Monaſteria Scotorum, cuius Parochia per totam Hiberniensem terram diffuſa, à mari vſque ad mare extenſa eſt, in campeſtribus cãpi * Liffei ſupra fundamentum fidei firmum conſtruxit; & prudenti diſpenſatione de animabus eorum regulariter in omnibus procurans, & de Eccleſijs multarum Prouinciarum ſibi adhærentibus ſollicitãs, & ſecum reuoluẽs. * Quod ſine ſummo Sacerdote, qui Eccleſias conſecraret, & Eccleſiaſticos in eis gradus ſubrogaret, eſſe non poſſet; Illuſtrem virum & ſolitarium, omnibus moribus ornatum, per quem Deus virtutes operatus eſt plurimas, conuocans eum de eremo, & de ſua vita ſolitaria, & ibi ſibi obuiam pergens, vt Eccleſiam in Epiſcopali dignitate cum ea gubernaret, atque vt nihil de ordine Sacerdotali in ſuis deeſſet Eccleſijs, accerſiuit.

** Hiberniẽſium & Scotorũ, vocibus, vt Synonimis vtitur.*
** Liffeus, fluuius eſt per Dublinũ Hiberniæ Metropolim in mare ſe exonerãs.*
** ſ. Quod cum ſine.*

Et poſtea ſic vnctum caput & principale omnium Epiſcoporum, & beatiſsima puellarum principalis, fœlici comitatu inter ſe & gubernaculis omnium virtutum ſuam erexit principalem Eccleſiam, & amborum meritis ſua Cathedra Epiſcopalis, & puellaris, ac ſi vitis frugifera diffuſa vndique ramis creſcentibus, in tota Hiberniensi inſula inoleuit.

Quam ſemper, *Archiepiſcopus Hiberniensium Epiſcoporum, & Abbatiſſa*, quam omnes *Abbatiſſæ Scotorum* venerantur, felici ſucceſsione, & ritu perpetuo dominantur. Exinde ergo, vt ſupra dixi, à Fratribus coactus beatæ huius Virginis Brigidæ virtutes tam eas, quas ante principatum, quàm alias, quas in principatu geſsit, multo ſtudio breuitatis licet præpoſtero ordine virtutum, compendioſe explicare conabor.

Hic iterũ promiſcuè Scoti pro Hibernis & è conuerſo ſumuntur.

I. FEBRVARII CELEBRATVR Feſtum S. Brigidæ Virginis.

Hymnus de S. Brigida.

ADeſt dies lætitiæ, quo Sancta Brigida,
De tenebris miſeriæ, tranſijt ad regna lucida.
A ſtatu pueritiæ, Deo ſeruire ſtuduit;
Dono pollens munditiæ, ſponſo ſuperno placuit.
Inſignum pudicitiæ, altaris quod exaruit,
Manus tactu virgineæ, lignum repente viruit.
Hæc eſt laurus Hiberniæ, cuius viror non marcuit
Plena miſericordiæ, nulli petenti defuit.
Per ſæcula ſine terminis, ſoli Deo ſit gloria,
Qui prece tantæ virginis, nos ducat ad cæleſtia.
Amen.

Alius de eadem.

CHriſto canamus gloriam, qui per beatam Brigidam
Decorauit Hiberniam, vitam donans lucidam
Hæc ſpeculum munditiæ, quæ mundo latè claruit:
Hæc roſa temperantiæ, cuius virtus non languit.
Manco manum reſtituit, leproſos mundans maculis;
Greſſum claudis exhibuit, ſanans priuatos oculis.
Cœnam facit mirabilem, multis de vno modio;
Potum præbens laudabilem toto paſchali gaudio.

INCIPIT

VITA SANCTÆ BRIGIDÆ.

DE ORTV S. BRIGIDÆ, ET QVOMODO butyrum oratione multiplicauit.

CAPVT PRIMVM.

SANCTA itaque Brigida, quam Deus præſciuit ad ſuam imaginem, & prędeſtinauit, à Chriſtianis, nobilioribuſque parentibus, de bona ac prudentiſſima *Etechb* proſapia, in* Scotia orta, patre *Dubtecho*, & matre *Brocca* genita, à ſua pueritia bonarum rerum ſtudijs inoleuit. Electa enim ex Deo puella, moribus ſobria, ætatis ac pudicitię plena, in meliora ſemper creſcebat.

** Hibernia. Sur. Dupiacum patrem; Broſech matrem, vocat.*

Et quis ſua opera, quæ etiam in hac ætate geſſit plenè poteſt enarrare? Sed hæc pauca de innumerabilibus, exempli cauſa poſita demonſtrabimus.

Exinde hæc, cum tempus maturum aduenit, in opus coaguli, vt de turbato vaccarum lacte butyrum aggregaret, à matre trãſmiſſa eſt; vt ſicut aliæ fœminę hoc opus exercere ſolebant, ipſa quoque æquali munere perageret; vt cum cæteris in tempore placido vaccarum fructum ac pódus, menſuratumque butyri ſolitum pleniſſimè in vſum redderet. Sed hæc moribus pulcherrima & hoſpitalis virgo, obaudire magis volens Deo, quàm hominibus, pauperibus & hoſpitibus lac largitur, & butyrum diſtribuit. Et cum ſecundum opportunum aduenit tempus, vt omnes rederent fructum vaccarum, ad eam peruentum eſt. Sed cum cooperatrices eius monſtrabant ſua opera completa, quæſitum eſt à beata ſupradicta virgine, vt & ipſa ſimiliter aſſignaret ſuum opus. Et ipſa matris timore pauida, cum non haberet, quod monſtraret; quia totum pauperibus erogauit; craſtinum non procurans tempus, & inextinguibili flamma fidei accenſa, ac firma, ad Dominum ſe conuertens orauit. Nec mora: Dominus vocem virginis audiens ac preces, largitate diuini Numinis, ſicut eſt adiutor in oportunitatibus affuit, & pro ſua in ſe virginis confidentia affluenter butyrum conſtituit. Mirum in modum & illa hora poſt orationem Virgo Sãctiſſima, nihil de ſuo opere deeſſe oſtendẽs; ſed ſuper omnes cooperatrices* abundaſſe mõſtrauit compleſſe ſuum officium: & cum pleniſſimè inuentum in oculis omnium tanti muneris miraculum innotuit, & laudantes Dominum, qui hoc fecit, tantam fidei virtutem virginali pectore conſtitiſſe admirati ſunt.

Mira eius erga pauperes miſericordia & largitio.

Butyrum miraculosè ad virginis preces augetur.

** F. Abũdè.*

Quomodo S. Brigida virginitatem Deo vouet: lignum altaris, manus tactu reuireſcere facit: lardum miraculosè multiplicat, & pluuiam à meſſoribus arcet.

CAP. II.

AC non multò poſt, cum eam ſui parentes, more humano, viro deſponſare vellent, illa cœlitus inſpirata, ſe virginem caſtam exhibere volens Deo, ad Epiſcopum Sanctiſſimum beatæ memoriæ * *Macca* perrexit. Qui cœleſte intuens deſiderium & pudicitiam, & tantæ caſtitatis amorem in tali virgine, pallium album, & veſtem candidam ſuper ipſius ve-

** Apud Sur. Machillus S. Patricij diſcipulus.*

nerabile caput impoſuit. Quæ coram Deo & Epiſcopo ac altari genua humiliter flectens, & ſuam virginalem coram Domino omnipotente offerens, fundamentum ligneum, quo altare fulciebatur, tetigit. Quod lignum in commemoratione priſtinæ virtutis, vſque ad præſens tempus viride, ac ſi non eſſet exciſum, & decorticatum, ſed in radicibus fixum vireſceret; & vſque hodie languores & morbos hominibus expellit fidelibus.

Velum ſacrum recipit.

Nec prætereundum mihi videtur commemorare de illa virtute, quam hæc famoſiſſima famula dicitur, ac diuino inceſſanter famulatui tradita, operata eſt. Nam cum illa aliquando in caldario lardum aduenientibus hoſpitibus coxerat, cani adulanti, ac flagitanti, miſericorditer eam tradidit, & cum lardo de caldario tracto, ac poſtea hoſpitibus eſſet diuiſa, ac ſi non eſſet dempta pleniſſimè reperta eſt. Et valdè hi, qui hoc viderunt admirantes, puellam incomparabilem virtute fidei, merito bonarum virtutum dignis laudibus diuulgauerunt.

Et eadem meſſores ac operarios conuocat in meſſem ſuam, & facta illa meſſorum conuentione, nebuloſa ac pluuialis dies illa accidit conuentionis. Et pluuijs largiter ex nubibus effuſis, per totam illam in circuitu prouinciam, ac riuulis guttarum effluentia per conualles & rimas terrarum currentibus; ſola meſſis ſua arida ſine pluuiarum impedimento & perturbatione perſtitit, & cum omnes Meſſores vndique ipſius regionis prohibiti pluuiali die; ſui ſine vlla vmbra caliginis pluuiæ, illa die tota, ab ortu vſque ad occaſum, Meſſores Dei potentia opus exercebant.

Meſſis S. Brigidæ arida manet.

Quomodo S. Brigida lac hoſpitibus auget: veſtem in aëre pendere facit: & ſeptem veruecibus abactis grex non diminuitur.

CAP. III.

Ecce inter cæteras virtutes ipſius hoc dignum admiratione videtur eſſe, & admirabile. Aduenientibus enim Epiſcopis, & cum ea hoſpitantibus, cùm non haberet vnde eos cibaret, adiuta Dei multiplici virtute, ſolito more abundanter, vt ſua poſcebat neceſſitas, vaccam vnam tribus contra conſuetudinem in vna die vicibus mulſit. Et quod ſolet de optimis tribus vaccis exprimi, ipſa mirabili euentu de vna ſua expreſſit vacca.

copioſum lac ex vna vacca expreſſit.

Ecce & hanc virtutem beatitudini veſtræ intimare cenſeo, in qua mens pura virginalis, & manus cooperatrix in vnum conuenire apparent. Nam hæc cum ſuas ope paſtorali paſceret oues in campeſtri, loco herboſo, largitate nimia pluuiarum profuſa, humidis veſtibus domum rediit, & cum vmbra ſolaris per foramina domum intrinſecus intraret, illam vmbram obtuſa oculorum acie, arborem fuiſſe tranſuerſam & fixam putans, ac deſuper complutam veſtem ponens tanquam in arbore grandi & firma, in ipſa tenui ſolari vmbra veſtis pependit. Et cum ipſius domus habitatores vicini hoc ingenti miraculo fuiſſent perculſi, hanc incomparabilem dignis laudibus extollebant.

Veſtē imbre madidam ex vmbra ſolari ſuſpendit.

Et hoc ſilentio opus non eſt prætereundum. Cum enim hæc S. Brigida in agro iuxta gregem ouium paſcendum cura paſtorali eſſet ſolicita, aliquis nequam adoleſcens callidè ſubripiens, & ipſius largitatem in pauperibus comprobans, & mutatò ſeptem ab ea Verueces in vna die detulit, & in ſecreto abſcondit. Et cum grex ad veſperum ad caulam eſſet dirigendus ex more, duabus, vel tribus vicibus diligentiſſimè adnumeratus ſine damno mirum in modum totus integro repertus eſt numero. Et admirantes, hi qui conſcij facti erant, virtutem Dei manifeſtè factam per virginem, ſeptem quos abſconderunt Verueces, ad ſuum remiſerunt gregem, & ille gregis numerus, nec plus, nec minus, ſed vt antè integer repertus eſt.

Quomodo aquam miraculosè in ceruiſiam conuertit: ſal ſubitò de lapide facit, & cæco nato viſum confert.

CAP. IIII.

His & alijs innumerabilibus virtutibus famoſiſſima Dei famula in ore omnium non immerito, ſed dignis laudibus excelſiſſima viſa eſt. Mirabili quoque euentu ab hac venerabili Brigida leproſi ceruiſiam petentes; cum non haberet illa, videns aquam ad balnea paratam, cum virtute fidei benedicens, in optimam

mam conuertit ceruiſiam, & abundanter ſitienribus exhauſit. Ille enim qui in Cana Galilææ aquam connertit in vinum, per huius quoque beatiſsimæ fœminæ fidem, aqnam mutauit in ceruiſiam.

Ioan. 2. *Deſunt aliqua.*

Et ſecundum quod omnia poſsibilia ſunt credentibus ſine vlla poſsibilitate quotidie innumera miracula operabatur.

Quadam enim die, cùm quidam, ſal petens veniret ſicut cęteri pauperes, & egeni, & in numerabiles venire ſolebant, pro ſuis neceſsitatibus; ipſa beatiſsima Brigida in illa hora ſal factum de lapide, quem benedixit, in opus poſcentis ſufficienter largita eſt. Et ſic ab ea ſal portans lætus propriam domum redijt.

Ex lapide ſal confiſtit.

Et hoc potẽtiſsimum opus diuinum eiuſdem iungendum eſſe mihi videtur inter cætera, quo Saluatoris inſtar imitatrix, diuini nominis excelſiſsimam operata eſt virtutem. Nam ſecundum exemplum Domini, & hæc oculos cæci nati aperuit, ſua enim nomina & opera membris Dominus largitus eſt ſuis, quia de ſe ipſo cum loqueretur: *Ego ſum lux mundi*, nihilominus ſuis dicit Apoſtolis: *Vos eſtis lux mundi*, & eiſdem dicens intulit: *Opera quæ ego facio, ipſi faciẽt, & maiora horum facient.* Inde quem naturalis partus cæcum protulit natum, fides eiuſdem Brigidæ grano operata ſinapis, & conſimilis eidem, oculos ſimplices & lucidos ingenti miraculo aperuit. Hæc itaque tantis virtutibus illuſtris humilitate cordis, & puritate mentis morum temperantia, & ſpirituali gratia plena, tantam auctoritatem, & celebre nomen præ omnibus coætaneis Virginibus habere meruit.

Ioan. 8. *Matth. 5.* *Ioan. 14.* *Cæco lumẽ reſtituit.*

Quomodo S. Brigida puellæ mutæ loquelam tribuit: eius virtute canis depoſitam carnem diu illæſam ſeruat: eius candida veſtis carne cruda impoſita non maculatur, & vaccam ingrato leproſo donauit.

CAP. V.

ET quadam die, cum vna ex adhærentibus ſibi extrinſecus fœmina, cum filia, xii. * annos ætatis ex naturali procreatione muta, ad eam veniret viſitandam, cũ digna veneratione, & renerentia, vt omnes ſolebant, ſe inclinans & humili collo ad eius pacificum oſculum procidens, ipſa omnibus affabilis Brigida, & felix, conditis ſale ſermonibus diuino eam ſalubriter allocuta eſt, ac Saluatoris noſtri iubentis exemplo paruulos ad ſe venire, filiæ manum retinens manu ſua; neſciente illa quod eſſet muta, & voluntatem ipſius interrogans, vtrum velato capite permanere Virgo, an nuptijs tradenda eſſe vellet, matre ipſius admonente, quod ſibi filia nulla daret reſponſa, reſpondens matri dixit, ſe non dimiſſuram filiæ manum, ni ſibi prius reſponſum redderet. Et filiam cum ſecunda vice interrogaret, reſpondit filia ſibi dicens: * Non aliud, niſi quod tu volueris, volo agere. Ac ſic poſtea aperto ore ſine linguæ impedimento, & ſoluto ipſius vinculo loquebatur ſana.

** ſ. annorum.* ** mutæ loquelam reddit.*

Et quibus hoc eiuſdem opus nullis multorum auribus inauditum ſcrupulum non moueret? Dum enim hæc animo eſſet intenta cæleſtium meditatione, vt ſemper ſolebat, ſuam de terreſtribus ad cœleſtia eleuans conuerſationem, quandam non paruam, ſed grandem lardi partem cum cane dimiſit. Et cum eſſet inquiſita, non alicubi, ſed vbi canis in eo loco ſolebat eſſe, menſe tranſacto, intacta & integra reperta eſt. Non enim canis auſus comedere depoſitum Beatæ Virginis, ſed cuſtos patiens lardi, & idoneus contra ſuum ſolitum morem diuina refrænatus virtute extitit.

Adcreſcente quotidie miraculorum numero, quæ vix enumerari poſſunt, quantum miſericordiæ & pietatis, & in pauperes eleemoſynarum opportunè & importunè poſtulãtium operata eſt.* Nam aliquis indigens cibo pauperum eam rogaret, illa ad eos, qui carnes coxerant, vt ab illis aliquid pauperi deferret, feſtinauit, & illorum vnus ſtolidiſsimus famulus, qui carnes coxerat, inſipienter partem nondum carnis coctam, in albatum ipſius ſinuatæ veſtis receptaculum tranſiecit, & ſic illa non ſuffocato mantili, & in ſuo candido colore manente portans pauperi tribuit. Nec non & hoc de geſtis fęlicibus admirari debet. Confluentibus enim ad eam vndique pauperibus & peregrinis, ingenti fama virtutis, & nimiæ largitatis tracti; accedens ad eam inter eos ingratus quidam leproſus, optimam de armento vaccam cum optimo vitulo omnium vitulorum inſimul ſibi donari poſcebat. Nec ipſa eius audiens preces diſtulit; ſed mox illam quam optimam, * & alius de omnibus vaccam * & alius

** ſ. Nam cum aliquis.* *Miſericordia eius in pauperes.* ** ſ. ex illis* ** & illius vacca.*

vaccæ vitulum elegantem & optimum roganti infirmo voluntariè donauit,& miſericorditer ſuum cum illo tranſmittens currum * pariter longum & latiſſimum campum, nec moleſtiam in vacca minanda infirmus longo feſſus itinere ſuſtentaret, vitulum poſt tergum eius in currum poni præcipiebat. Et ſic eum vacca lingua lambens, & tanquam proprium diligens, nemine eam cogente, vſque ad loca deſtinata conſecuta eſt. Chariſſimi videtis Fratres, quod & bruta contra conſuetudinem ei famulabantur animalia.

** f. per.*

Quomodo boues abacti, furibus ſubmerſis, ad armentum redeant: vehiculum Sanctæ miraculosè regitur ne præcipitetur.

CAP. VI.

Qvodam interuallo temporis alij nequiſſimi fures, qui nec Dominum nec homines verebantur de aliqua Prouincia ob latrocinium venientes, per amnem grandē facili meatu pedum * egredientes; boues ipſius furati ſunt. Sed eos eandem reuertentes viam impetus ingentis fluminis inundatione aquarum ſubito facta conturbauit. Non enim flumen instar muri erectum ſceleſtiſsimam boum fraudem beatæ Brigidæ per ſe tranſire permiſit; * ſed eoſdem fures demergens, & ſecum trahens; boues de ipſorum manibus liberati loris in cornibus pendentibus ad proprium armentorum bubulum reuerſi ſunt. Ecce & hîc virtus diuina apparet.

** tranſgreditꝰ.*

** Fures Virginis boues auferre volentes, aquis ſuffocantur.*

Cum quadam die ipſa Sanctiſsima Brigida, cogente aliqua neceſsitate vtilitatis, vt conuentionem plebis viſitaret, in curru ſedens equis binis vehebatur, & cum in ſuo vehiculo meditatione theorica cæleſtem agens in terris vitam, ſuum vt ſolebat dominatorem oraret, de alto procidens loco, alter bruto animo equus ſaliens in curru; & irrefrænatus habenis fortiter ſe excutiens, & de iugo exterritus per campeſtria cucurrit: Et ſic manus Domini iugum pendens ſine præcipitio ſuſtentauit. Et vidente turba, ob teſtimonium diuinæ virtutis, ſecuta, in ſuo orans vehiculo cum vno equo ſub curru poſito, ad plebis conuentionem, diſcurſu placabili illæſa peruenit. Et ſic ſignis & virtutibus * ſua confirmās doctrina, ſermonibus ſalutaribus, & ſale diuino conditis plebem exhortata eſt. Et hoc virtutibus eius videtur nobis eſſe deputandum.

A præcipitio miraculosè præſeruatur.

** f. ſuam confirmās doctrinā.*

Quomodo S. Brigida Aprum benedictione edomat: vulpeculam diuinitus capit, qua iram Regis placat, & captiuum liberat.

CAP. VII.

Cvm aper ferus ſingularis & Sylueſtris territus & fugitiuus eſſet, ad gregem porcorum Brigidæ feliciſsimæ concitus curſu præcipiti peruenit. Quem ipſa ventum inter ſuas cernens benedixit. Deindè impauidus, ac familiaris cum ipſius porcorum grege manſit. Ecce Fratres videtis, quòd & bruta animalia. & beſtiæ ſermonibus, & voluntati eius reſiſtere non poterant, ſed domita & ſubiecta ſibi famulabantur.

Quadam autem die, cum aliquis nulla ſuffultus ſcientia, vulpem, Regis ad Palatium, ambulantem videret; putans illam obcæcatis ſenſibus ſuis, feram eſſe beſtiam: Et quod in aula Regis familiaris & manſueta eſſet, varijs artibus edocta agilitate corporis, & ſubtilitate animi, Regi & ſuis Comitibus grande præſtans ſignaculum, ignoraret; vidente multitudine occidit eam. Et ſtatim ab his, qui viderunt factum, alligatus & diffamatus eſt, ad Regem perductus eſt. Et cum Rex iratus rem diſcens geſtam, niſi ſibi vulpes ſimilis in omnibus calliditatibus quas ſua vulpes operabatur, reſtituta eſſet, illum iuſsit occidi; & vxorem, & filios, & omnia quæ habebat, in ſeruitutem redigi præcepit.

Cumque rem geſtam Sancta & venerabilis Brigida didiciſſet, tanto miſeriarum & pietatis affectu permota, currum ſibi iungi præcepit, & ex intimo corde dolens pro ipſo infœlici, qui iniuſtè iudicatus eſt, precibus ad Dominum fuſis, & per planitiem campi equitans, perrexit in viam, quæ ad Regis palatium ducebat. Nec mora: Dominus exaudit ipſam, ſuas fundentem aſsiduas preces. Vnam de ſuis Vulpibus feris ad eam venire iuſsit. Quæ cum velociſsimo curſu ad eam veniret, & beatiſsimæ Brigidæ currui appropinquaret; leuiter ſe eleuans in curru ſedebat, & ſub receptaculum Brigidæ veſtis ſe conſtituens, ſobriè in curru cum ea ſedebat.

At

At cum ipſa ad regem veniret, vt ille miſer improuidus, qui reatu ſuæ ignorantiæ tenebatur, liber & abſolutus de vinculo egrederetur cœpit precari. Et cum Rex eius precibus conſentire noluiſſet, obteſtans, ſe non illum dimiſſurum, niſi talem vulpem tantæ manſuetudinis & calliditatis, qualis vulpes ſua fuerat, reſtituta eſſet. Ipſa ſuam in medium Vulpem protulit. Quæ coram Rege & omni multitudine, omnes mores, & ſubtilitatem docibilem varijs artibus alterius agens Vulpis, in eadem forma prioris palam omnibus luſit. Tunc Rex placatus eſt, hæc vidēs: & Optimates eius cum ingenti plauſu multitudinis admirantis mirabile factum, illum ſolui, & liberum abire, qui fuerat ante reus delicti, iuſſit.

Captiuū liberat.

Nec multo poſt, cum S. Brigida ſolutione ipſius & libertate facta, ad ſuam rediret domum, ipſa vulpes doloſa ſe inter turbas torquens, & callidè mouens, fugitiua ad loca deſerta & ſylueſtria, & ad ſuum antrum, multis equitibus & canibus ſequentibus ſe, illudens ac per patentes campos fugiens, incolumis euaſit. Et omnes admirantes, quod factum fuerat, priuilegio ſanctitatis, & prærogatiua multarum virtutum ſemper pollentem maioribus geſtis ſanctam venerati ſunt S. Brigidam.

Quomodo aues S. Brigidæ imperio parent: homicidas nouem ficto homicidio, quaſi ſatiatos ad pœnitentiam conuertit.

CAP. VIII.

Anates ſacræ virginis imperia parent.

ET cū in alia die anates pectore carnali natantes in aqua, & per aëra interdum volitantes, beata vidiſſet Brigida; eas ad ſe venire iuſſit. Quæ pennigero volatu, & toto ardore obedientiæ, eius vocibus, tanquam humana cura conſuetæ, ſine vlla formidine multitudo ad eam volitauit. Quas manu tangens, & amplectens, & per aliquantum temporis hoc idem faciens, redire ac volare ſuis in aërem alis permiſit. Collaudans creatorem omnium rerum, cui omnia ſubiecta ſunt animantia, & cui omnia viuunt, vt quidem ait, officio gerendi.

Et ex his omnibus manifeſtè colligi poteſt, quod omnis natura beſtiarum, & pecorum, & volucrum ſubiecta eius fuit imperio. Et hoc eius miraculum omnibus ſæculis celebrandum, auribus fidelium inſinuandum eſt.

Nam cùm ſemina ſalubertima verbi Dominici ex more ſuæ conſuetudinis omnibus ſeminaret, vidit nouem viros in quadam forma ſpeciali vanæ & diabolicæ ſuperſtitionis plauſum habentes, vocis ridiculæ ac inſaniam mentis maximam, in quorum vijs contritio & infælicitas, & antiquo hoſti, qui in illis regnabat votis ſceleſtiſsimis & iuramentis, ſitientes effuſionem ſanguinis, antequam Calendæ Iulij illius menſis ſuperuenirent, venturi, aliorum iugulationem & homicidia depoſuerunt. Quibus reuerendiſſima, & affabilis Brigida melliflua verborum copia prædicauit, vt mortiferis erroribus relictis, crimina per cordis compunctionem, & veram delerent pœnitentiam. Qui hebetudine mentis ſuæ, niſi prius vana ſua compleſſent vota, * illud reſiſtentes in viam perrexerūt ſuam; & pro hac re fuſis ad Deum precibus affluenter veneratæ virginis volentis, Domini exemplo, omnes ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis. * Et egredientes illi nefarij imaginem inſtar viri, quem debuiſſent iugulare, contemplantes, & continuò ſuis iugulantes lanceis, & gladijs decollantes, quaſi poſt triumphum de ſuo aduerſario armis ſanguineis reuerſi multis apparuerunt. Mirum in modum cum neminem occiderent, illis viſum eſt compleſſe ſua vota; atque cum nemo deerat de illa Prouincia de quo illi triumpharent, largitas diuini muneris per ſanctiſſimam Brigidam facta, omnibus innotuit. Et ſic illi, qui antea erant homicidæ, per pœnitentiam ad Dominum conuerſi ſunt.

** F. illi.*

** Deſideratur hic verbum, venire, vel ſimile.*

Quomodo S. Brigida voracitatem cuiuſdam ſanat: & arborem hominibus immobilem, virtute ipſius, Angeli ad locum deſtinatum detulerunt.

CAP. IX.

ET in hoc opere per S. Brigidam cultu inenarrabili ſacræ religionis diuina manifeſtata eſt potentia. Illā enim, * *Luguidinā* nomine, validus vir valde, & virorū fortiſſimus, duodecim virorum opera per ſemetipſum tota fortitudine ſui corporis, in vna, cum vellet, la-

** Illum: vnus, 12. virorum opus perficit.*

borans die; Et cibaria quibus ſufficienter, 12. viri veſci poſſent ſimul comedens (ſicut enim illorum opera ſolus, ſic & cibaria æquali modo vnus contra plures comedere poterat) deprecatus eſt, vt ipſa Dominum oraret omnipotentem, vt eius ingluuiem, qua ſuperflua deuorabat, temperaret; nec antequam virtutem ſui corporis pro hac amiſiſſet cauſa. Et ſic illa Brigida illum benedicens, & pro illo Dominum orans; ipſe poſtea victu vnius viri ſatis contentus, ac, vt antea ſolebat, laborans, ſicut duodecim operarij operabatur, in eadem antiqua permanſit virtute.

Item arbor quædam grandis & maxima, ad aliquem parãda vſum, cum his, qui artificia exercere ſolebant in ligna lignorum ſecuribus exciſa eſt. Ad quam conuentio virorum fortium propter eius moleſtiam, & ingentem molem, loca difficillima, in quibus ramorum cum fragore ſuorum vt deponerent, attraherent cum multis bobus, & artificum machinis ad locum deſtinatum, vt neceſſitas rei poſcebat, congregata eſt. Et cum nec multitudo virorum, vires boum, & variæ artificum artes, mouere, vel trahere vllo modo poſſent eam arborem; recedentibus cunctis ab ea, per fortiſſimam fidem beatæ Brigidæ grano ſinapis ſimilem (per quam fidem, vt Ma-
Matt. 17. giſter cœleſtis organo Euangelicæ vocis docet, montes mouentur; ſic poſſibilia ſunt omnia credentibus) eam grauiſſimam arborem Euangelicæ virtutis per diuina myſteria, nullo mortalium auxilio leuantes, ſine vlla difficultate ad locum, quem voluit S. Brigida, detulerunt, ac per omnes Prouincias tanta diuinæ virtutis excellentia diuulgata eſt.

Quomodo S. Brigida ſente argentea in piſce inuenta fœminam à ſeruitute, & peccato liberat: vitulum pro eius refectione mactatum, & ligna combuſta hoſpiti reproducit.

CAP. X.

ET noſtro occurrit animo, non excludere & hanc virtutem ſilentio noſtro. Quidam enim vir ſæcularis, & gente nobilis, & doloſus moribus, exardeſcens in cuiuſdam fœminæ concupiſcentiam, & quo modo eius concubitu frui poſſet callidè cogitans, ac ſentem argenteam pretioſam in depoſitum ſibi commendans, quam doloſè retraxit, illa ignorante, & iecit in mare, & cum ipſa non poſſet reddere, ſibi eſſet ancilla, & eius poſteà vteretur, vt vellet amplexibus, machinatus eſt hoc perficere malum, nulla alia re, ac redemptione placatus fieri poſſe dicens, niſi aut propria ſibi ſente argentea reddita, aut ipſa fœmina in ſeruitutem ſibi redacta pro cauſa culpabili fragilis concupiſcentiæ vteretur. Et hæc timens pudica fœmina, quaſi ad ciuitatem refugij tutiſſimam, ad ſanctam Brigidam confugit. quæ cum talem comperiſſet cauſam, vel quid pro hac re ageret, cogitaret; cum necdum verba compleſſet, ſuperuenit ad ſe quidam cum piſcibus de flumine tractis. Cumque illorum viſcera, exciſa & aperta eſſent, ſentis illa argentea, quam ille crudelis iecit in mare in medio vnius piſcis reperta eſt. Et ſic poſtea ſecura mente eandem ſentem ſecum portans; & ad conuentum multitudinis pro hac culpa cum tyrãno infami progrediens, & monſtrans ſibi eandem ſentem multis teſtãtibus, qui eam agnoſcere poterant, non aliam eſſe, ſed ipſam, de qua talis ſermo ferebatur, adhærentem ſibi fœminam pudicam de manibus tyranni crudeliſſimi liberauit. Ille verò poſtea confitens ſuam culpam, S. Brigidæ humiliter ſua ſubdidit colla. Tunc illa ab omnibus glorioſa peracto hoc ingenti miraculo gratias agens Deo, & omnia in eius gloriam faciens, domum rediјt propriam.

Et his miraculis glorioſum eius cum aliqua fideli fœmina hoſpitium iungi debet. quo proſperum iter faciens S. Brigida in Dei voluntate in ampliſſimo campo *Breg*, cùm declinaret ad veſperum dies, ad habitaculum eius veniens cum ea pernoctauit. Quæ obuijs manibus, & gratulanter a ſuſ- *a eam.*
cipiens, gratias omnipotenti b agens de *b agit.*
fœlici aduentu reuerendiſſimæ Brigidæ virginis Chriſti. Cumque non haberet propter ſuam inopiam vnde tales nutriret, & cibum, vnde tales hoſpites cibaret, incidens ligna telaria, in quibus textura telarum operabatur, in paſtu ignis, vitulum ſuum, quem occidit, ſuper ſtruem lignorum ipſorum ponens, igni aſſauit cuoi bona voluntate. Et cœna facta, & nocte aſſuetis tranſacta vigilijs, expergiſcentepoſt illam de mane noctem, vt nullum de receptione,

ptione, & refectione S. Brigidæ vllius rei ſuſtineret damnum ipſa hoſpitalis, quæ vitulum amiſerat ſuæ vaccæ, alterum in eadem forma vitulum cum ſua inuenit vacca, quem vt priorem ipſa dilexerat. Et telaria ligna ſimiliter ſibi præ cæteris reparata, in tali forma, & quantitate, in qua priora fuerant contemplata eſt. Et ſic Brigida fælici progreſſu, & mirabili facta virtute, & habitatoribus valedicens, Pontifice in ſuam viam perrexit.

Quomodo vas argenteum tribus leproſis erogandum, in tres partes æquales alliſione ad petram diuidit: veſtimenta pretioſa Epiſcopi data pauperibus, reproducta accipit.

CAP. XI.

ET ecce in tanta miraculorum magnitudine hoc eiuſdem opus præclarum admirari ſolet. Tribus enim leproſis poſtulantibus munus aliquodcumque ab ea accipere, vas largita eſt argenteum. Et ne illis eſſet cauſa diſcordiæ & contentionis, ſi illi inter ſe diuiderent, cuidam in ponderibus auri & argenti cōperto dixit, vt inter illos hoc ponderaret tribus æqualibus partibus. Cumque excuſare ſe cœpiſſet, dicens ponderare ſe æqualiter non poſſe; ipſa fæliciſſima Brigida apprehenſo vaſe argenteo, allidit contra lapidem, & confregit in tres, vt voluit, æquales partes. Mirum in modum, cum poſtea iſtæ tres partes in pondere eſſent emenſæ, nulla pars alia minor, vel alia quæ aliam ſuperaret, licet vno obulo, de his inuenta eſt tribus partibus: & ſic ipſi pauperes ſine vlla iniuriæ & inuidiæ cauſa læti receſſerunt cum ſuis donis.

Secundum enim beatiſſimi Iob exemplum nunquam inopes à ſe recedere ſinu vacuo paſſa eſt. Nam veſtimenta tranſmarina & peregrina *Epiſcopi Conleath* decorati luminis, quibus in ſolemnitatibus Domini, & vigilijs Apoſtolorum ſacra in altaribus offerens myſteria vtebatur, pauperibus largita eſt. Et cum tempus Solemnitatis aduenit, ſecundum conſuetudinem, vt ipſe ſummus populorum Pontifex ſuis indutus eſſet mutatorijs veſtibus. S. Brigida, quæ priora veſtimenta illius Epiſcopi Chriſto in forma pauperum poſito donabat; alia ſimilia per omnia, veſtimēta prioribus tam texturis, quàm coloribus, quæ in illa hora à Chriſto, quem per pauperem induebat, perlata in curru duarum acceperat rotarum, tradidit pro alijs. Voluntariè enim alia pauperibus veſtimenta obtulit, & hæc pro eis opportunè recepit. Nam cum ipſa eſſet viuum & fæliciſſimum ſummi capitis membrum, potenter omnia, quæ deſiderabat, operabatur.

Quomodo S. Brigida in fauorem cognatorum ſuorum fluuium à loco proprio, aliò transferri à Deo obtinuit.

CAP. XII.

ITem & hoc Sācta fulſit Brigida miraculo, quia cum Regis illius * patriæ, in qua ipſa fuit, per plebes & Prouincias, quæ ſub eius erant ditione, præceptum inualeſceret, vt de omnibus eius regionibus & Prouincijs conuenirent populi omnes, atque ædificarent viam latam, & firmam ramis arborum, petris in fundamento poſitis, & munitionibus quibuſdam firmiſſimis in *grunna* profunda, & penè intranſmeabili, & in locis humentibus, atque in paludibus, in quibus grandis currebat fluuius; quæ conſtructa quadrigas, & equites, & currus, & plauſtrorum rotas, & impetum populorum atque incurſum vndique hoſtium ſuſtentare poſſet.

** Hibernia, in qua eſt cāpus Bregti, de quo ſupra & Monaſterium S. Brigidæ; de quo in præfatione & extra quā, nunquam fuit Brigida.*

Conuenientibus autem vndique populis per cognationes, & familias diuiſerunt viam illam, quam ædificare debuerant, in partes proprias; vt vnaquæque cognatio & familia, ſuam ſibi creditam * conſtruxiſſet partem. Et cum illa pars fluminis difficillima, & laborioſa in ſorte alicuius ex ipſis nationibus eueniſſet: ipſa Natio, duriſſimum deuitans laborem, per ſuam fortitudinem. S. Brigidæ infirmiorem coëgit nationem, vt hanc operaretur difficilem pariter in ſtructura viæ; vt ſuam quam faciliorem habebat partem eligens, ipſa crudelis Natio ædificaret ſine vlla fluminis perturbatione.

** F. Conſtrueret. Hæc cognatio Brigidæ, nō procul à campo Breg in Media de quo ſupra habitabat. nata enim eſt in Fachairt, prope Dundalkiam.*

Atque cùm ad S. Brigidam ſui ſecundum carnem cognati fuiſſent religioſè proſtrati, ipſa illis probabiliter dixiſſe fertur: Abite, voluntatis Dei eſt & poteſtatis, vt ille fluuius tranſeat de loco, in quo eſt, & vbi vos dura opprimunt opera, in illam

quam ipſi elegerunt partem. Et cum de mane ipſius diei omnes ſurrexiſſent ad opera populi, fluuius ille, quem querebantur, viſus eſt reliquiſſe ſuum locum antiquum, & conuallem, inter ambas currere ſolebat ripas, & tranſmutaſſe de parte, vbi S. Brigidæ natio cõpulſa operabatur, in illorum fortium & ſuperborum partem, qui alios pauciores & infirmiores ſe iniuſtè & duriſſimè operari compellebant, & in teſtimonium virtutis, veſtigia fluminis, & vallis vacua, vbi inundans & emanans antiquo currebat fluuius tempore, ipſo ad alterum flumine recedente locum; ipſe locus ſiccatus ſine vllis apparet fluitantibus aquis.

Quomodo lapis molaris ex ſummo montis vertice ad S. Brigidæ innocationem facili negotio deducitur, & de diuerſis qualitatibus eiuſdem lapidis.

CAP. XIII.

NOn ſolum autem in ſua vita carnali, antequam ſarcinam deponeret carnis virtutes operata eſt plurimas, ſed largitas diuini muneris in ſuo Monaſterio, vbi eius venerabile requieſcit corpus, ſemper operari virtutes non ceſſat, quas nos virtutes non ſolum audiuimus, ſed etiam oculis noſtris vidimus. Nam Præpoſitus maximi & clariſſimi Monaſterij S. Brigidæ, de quo in eius opuſculi principio breuem fecimus mentionem, operarios & lapidum cæſores quærere lapidem & incidere molarem, per loca quæcũque ibi poſſent inuenire, tranſmiſit. Et illi ſine vlla prouidentia viarum arduam aſcendentes viam, ad cacumen petroſi montis perrexerunt, & elegerunt lapidem grandem in ipſo montis altiſſimi cacumine. Et cædentes eum de omni parte in rotundum, & perforatum molarem lapidem formauerunt. Cum verò Præpoſitus de Monaſterio inuitatus ab eis, veniſſet cum bobus ad illum montem, in quo lapis formatus fuit molaris, atque cum boues ſecum propter arduam montis aſcenſionem trahere & cogere, non poſſet: duriſſimum iter cum paucis illum ſequentibus vix aſcendere potuit.

Ille verò cum omnibus ſuis operarijs, dum cogitaret quomodo illum molarem deportaret lapidem de iugo altiſſimi montis, cùm boues in illo prærupto montis ſub oneribus & iugum eſſe nullo modo potuerint. Tunc facta deſperatione, alijs ex eis deſcendentibus, illum deſerere lapidem, & eos in vanum laboraſſe, qui illum formauerunt. Ille Præpoſitus prudenti diſpenſatione, & conſilio ſuis operarijs fideliter dixit, Nequaquam hoc ita fiat; ſed hũc leuate viriliter molarem, & ſubmittite in præcipitium de altiſſimo iſto montis cacumine, in nomine & virtute reuerẽdiſſimæ S. Brigidæ. Quia nos nullis artificijs & viribus per iſta loca petroſa hunc molarem lapidem poſſumus portare, niſi Brigida, cui nihil impoſſibile eſt, ſecundum illud quod *omnia poſſibilia ſunt credenti*, illum portauerit ad locum, ex quo vires boum trahere ipſum poſſint. Et ſic fide firma præcipitans illũ in vallem, & paulatim de monte aſcẽdens, aliquãdo petras deuitans, aliquando ſuper eas ſaliens, & in locis currens humidis in radice montis poſitis, in quibus nec homines, nec boues ſtare poterant, pro illorum funditate, mirabili comitatu vſque ad loca plana ſine vlla fractione, vbi illorum erant boues, cum eis progreſſus eſt. Et exinde cum bobus, vſque ad molendinum vectus eſt, artificioſe cum altero iunctus eſt lapide.

Lapis molaris ex ſummo montis vertice ad S. Brigidæ inuocationem deducitur.

Et vt plus iſte molaris lapis, qui in nomine Beatæ directus eſt Brigidæ, omnibus adhuc innoteſceret, addit & hoc inauditum antea & præclarum miraculum. Nam cum quidam Paganus ac molẽdino vicinus ſuo habitaculo doloſè per alium ſimplicem virum, ignorante molendinario, qui opus molituræ exercebat, ſuum granum ad hoc tranſmiſit molendinum. Et cum inter hos molares tranſiectum & fuſum fuiſſet, lapides; illum ſupradictum lapidem molarem nullus impetus fortis fluminis, & nulla aquarum violentia, nulla artificum conamina mouere potuerunt. Et dum illi, qui hoc viderunt, de hac re cogitarent, nimio perculſi ſtupore, granum illud Magi eſſe cognoſcentes, nullo modo dubitabant, quod ille molaris lapis, in quo S. Brigida virtutem operata eſt diuinam, granum gentilis hominis in farinam comprimere reſpuiſſet. Et ſtatim tollentes foras granum ipſius pagani, & ſuum granum Monaſteriale ſubter molarem illum lapidem ponentes, curſus ſolitus, & quotidianus ſine vllis impedimentis reparatus eſt molæ.

Grana pagani lapis ille molaris reſpuit, altero lapide, molendinoq; combuſtis, illæſus manet.

Et poſt interuallum temporis accidit vt molendinum ipſum igne combureretur. Nec & hoc paruum fuit miraculum, cum ignis totam domum combureret, & alterum lapidem, qui iunctus ſupradicto lapidi fuit; hunc tantum ſpecialem S. Brigidæ lapidem nullo modo tangere eſt auſus, & comburere, ſine vlla moleſtia ignis in magno molendini incendio permanſit incolumis.

Lapis molaris S. Brigidæ morbos curat. Poſteà hoc viſo miraculo ad Monaſteriũ perlatus eſt & iuxta portã interioris caſtelli, quo Eccleſia ambitur, vbi multi conueniunt ob venerationem S. Brigidæ in ipſa porta honorificè poſitus eſt, & de fidelibus hunc lapidem tangentibus morbum expellit.

De ſitu & deſcriptione Eccleſiæ Sanctæ Brigidæ.

CAP. XIIII.

Nec & de miraculo in reparatione Eccleſię tacendum eſt, in qua glorioſa amborum, hoc eſt Epiſcopi *Conleath* & huius Virginis S. Brigidæ corpora à dextris, & à ſiniſtris altaris decorati, in monumentis poſita ornatis, vario cultu auri & argenti, & gemmarum, & pretioſi lapidis, atque coronis aureis & argenteis deſuper pendentibus requieſcunt.

Eccleſia namque creſcente numero fidelium & vtroque ſexu, ſolo ſpacioſa, & in altum minaci proceritate porrecta, ac decorata pictis tabulis, tria intrinſecus habẽs oratoria ampla, & diuiſa parietibus tabulatis, ſub vno culmine maioris domus, in quo vnus paries decoratus, & imaginibus depictus, ac linteaminibus tectus, per latitudinem in Orientali Eccleſiæ parte, à pariete ad alterum parietem Eccleſiæ ſe tetendit; qui in ſuis extremitatibus duo habet in * ſua oſtia, & per vnum oſtium in dextera parte poſitum * intratur ad Sanctuarium ad altare Summus Pontifex cum ſua Regulari Schola, & * his Sacris ſunt deputati miniſterijs, ſacra ad Dominica & immolare ſacrificia. Et per alterum oſtium in ſiniſtra parte parietis ſupra dicti & tranſuerſi poſitum, Abbatiſſa cum ſuis puellis & viduis fidelibus tantum iterat, vt conuiuio corporis & ſanguinis fruantur Ieſu Chriſti, atque alius paries pauimẽtum domus in duas æquales diuidens partes; à parte Orientali vſque ad tranſuerſum in latitudine parietem extenſus eſt. Et hæc tenet Eccleſia in ſe multas feneſtras, & vnam in latere dextero ornatam portam, per quã Sacerdotes & populus fidelis maſculini generis ſexus intrat Eccleſiam, & alteram portam in ſiniſtro latere, per quam Virgines, & fidelium fœminarum congregatio intrare ſolet, & ſic in vna Baſilica maxima populus grandis in ordine, & gradibus, & ſexu, & locis diuerſis interiectis, & inter ſe * partibus diuerſo ordine, & vno animo Dominum omnipotentem orat.

** f. ſic.* ** f. intrãt* ** f. his qui.* ** f. parietibus.*

Et cum oſtium antiquum portæ ſiniſtralis, per quod ſolebat S. Brigida Eccleſiam intrare, ab artificibus in ſuis eſſet cardinibus ſitum, totam concludere portam inſtauratam & nouatam nouam non potuit. Quarta enim portæ pars aperta ſine concluſione & patefacta apparebat. Et ſi addita & iuncta ad altitudinem oſtij quarta pars fuiſſet, tunc totã concludere portã, poſſet altam & inſtauratam. Et cum artifices alterũ maius nouum facere oſtium deliberarent, quod totam concludere portam, aut tabulam facere iunctam in vetus oſtium, vt poſtea ſufficere poſſet, prædictus doctor & omnium præuius artifex *Hibernenſium* prudenti locutus eſt conſilio: In hac ſuperuentura nocte orare Dominum iuxta S. Brigidam fideliter debemus, vt ipſa nobis de mane, quid in opere hoc acturi ſumus, prouideat. Et ſic orans iuxta monimentum S. Brigidæ totam noctem tranſegit.

Valuæ Eccleſiæ precibus ad Sanctam fuſis ad quartam partẽ augentur, vt oſtio aptẽtur; & de magnificentia dictæ Eccleſiæ. Et mane ſurgens oratione præmiſſa oſtiũ antiquum trudens, ac ponens in ſuo cardine, ianuam concluſit totam: nec aliquid defuit de ipſius plenitudine, nec vlla in eius magnitudine ſuperflua pars reperta eſt. Et ſic S. Brigida illud oſtium extendit in altitudinem, vt tota porta illa ab eo ſit concluſa, nec in ea vllus locus patefactus videatur, niſi cum oſtium retruditur, vt Eccleſia intretur. Et hoc virtutis Dominicæ oculis omnium videntium miraculum, * illam ianuam & valuam manifeſtè patet.

** f. in illã*

Et quis ſermone explicare poteſt, maximum decorem huius Eccleſiæ, & innumera illius Ciuitatis quî dicemus miracula? ſi fas eſt dici Ciuitas, de qua vita in ſe multorum nomen accepit, maxima hæc Ciuitas & Metropolitana eſt, in cuius ſuburbanis, quæ Sãcta certo limite deſignauit Brigida,

quia quicquid potuit auferens, pauperibus occultè dabat; & veniens ad Regem rogauit illum, vt filiam ſuam emeret. Et ait ad illam rex. Qua de cauſa dediſti pauperi gladium patris? cui illa: ego illum dedi Chriſto: ſi teipſum & patrem meum Deus meus poſtularet à me: ſi poſſem, vos, cum omnibus quæ habetis, illi darem. Et ait Rex: Iſta filia tua, vt video, magna eſt ad emendum mihi: & maior ad vendendum tibi. Et dedit virgini gladium: vt daret illum patri ſuo.

Altero oculorum, quos in ſuperem pulchros habuit, connubia aſpernans orbatur. Lignum altaris aridum. Virginitatem Brigidæ frondibus ac viroreteſtatur, cuius mentionē facit Rom. Mart.

4. Cum grauiter ab amicis ad accipiendum maritum, arctatam ſe videret: rogauit Dominum, vt aliquam deformitatem ſuper corpus ſuum daret, vt homines eam petere & affectare ceſſarent: & ſtatim alter oculus eius crepuit, & liquefactus eſt in capite ſuo. Et aſſumptis ſecum tribus puellis perrexit ad Epiſcopum Machillam, Sancti Patricij diſcipulum. Et intuens eam Epiſcopus Sanctus, columnam ignis ſuper caput eius apparere vidit. Lectis enim orationibus: Brigida capite ſubmiſſo pedem altaris ligneum manu ſua tetigit: & ab illa hora pes ille viridis ſine putredine, & ſine defectu in æternum manet. Et accepto velamine: perfectæ ſanitati redditur oculus eius.

**1. Præparauit pro celebrādo Paſchate. *Hibernicè braith.*

5. Fecit autem * contra paſcha ceruiſiam de vno * *Brabij* modio, & decem, & octo per circuitum Eccleſijs diuiſam miſit: & per octauas paſchæ omnibus inde guſtare volentibus ſufficienter abundauit. In eodem paſcha venit quidam leproſus & à beata Brigida vaccam ſibi dari poſtulauit. Illa autem vaccam non habens: dixit ei. Vis vt rogemus Deum, vt à lepra tua ſanus fias? Et ille: hoc mihi omnibus donis melius eſt. Tunc illa aquam benedicens corpus leproſi aſperſit: & ſtatim ſanus effectus, & gratias Deo agens vſque ad mortem cum ſancta virgine manſit.

Leproſos cæcos, & paralyticos ſanat.

6. Duæ virgines paralyticæ aquam à Sancta Brigida cum ſale benedictam ſumētes, ſanitate receptā, gratias reddebāt Deo. Duo Britones cæci cum miniſtro leproſo ducatum eis præbente ad ianuas Eccleſiæ eius peregrè venientes ab ea ſalutem poſtulabant. Quæ dixit eis; expectate paulisper, & intrantes hoſpitale, comedite: nos interim pro ſalute veſtra Deum deprecabimur. Illi autem indignantes dixerunt, infirmos generis tui ſanas; nos autem quaſi aduenas negligis pro Chriſto curare. Tūc illa accepto opprobrio exijt ad eos, aqua benedicta aſperſit, & mundato leproſo, cæci illuminati ſunt.

Dæmonē à deſidioſa Virgine, prius ei oſtenſum, exterminauit.

7. Inuitata quędam virgo à Sancta Brigida cum ſederet in menſa, vidit dæmonem prope ſedentem. Si poſſibile eſt, inquit hoſpita, volo videre eum. Brigida ait. Non eſt illud impoſſibile: ſed prius ſignentur oculi tui, vt poſſis ſuſtinere, ac faciem eius aſpicere. Signatiſque oculis ſuis vidit inimicum tetra, & nigra figura; capite ingenti, & per omnes fores flammā & fumis exhalabat. Loquere, inquit Brigida, nobis Dæmō: & ille. O ſancta virgo, non poſſum tibi loqui nec tua præcepta contemnere, quia tu præcepta Dei non contemnis, & pauperibus eius & minimis affabilis es. Qua de cauſa, inquit virgo, huc veniſti? Apud virginē, ait, hic habito, & cauſa pigritudinis eius locum in ea habeo. Vide, ait Brigida, virgini, quem multis annis nutrire ſolebas. Et ex illa die liberata eſt virgo à dæmone.

Pomariū fructiferū in pœnam immiſericordiæ ſteriloſcit.

8. Quædam mulier pomorum munuſcula detulit famulæ Dei, & ſtatim venerunt leproſi ab ea eleemoſinam poſtulantes, dicit ait Sancta illis hæc poma. Hoc audiēs mulier: rapuit à ſe poma ſua dicens. Tibi & virginibus tuis hæc poma attuli non leproſis. Hoc cum diſpliceret Sanctæ Brigidę, intulit: malè agis prohibens eleemoſinam dare; idcirco ligna tua fructum nōn habebunt in æternum. Tunc mulier foras egreſſa in horto, quem pomis plenum reliquerat, nullum inuenit, & ſterilis ſemper permanſit.

Alia eius mirabilia & charitatis opera.

9. Cum in curru cum ſuis puellis ſederet; vidit virum cum ſua vxore, & familia, & pecoribus in ardore ſolis onera grauia portantes, & laſſitudine grauatos. Et miſerta illorum dedit eis equos currus ſui ad portanda onera.

10. Cum puellis ſuis iuxta viam ſedens, remanſit, dicens: fodite ſub ceſpite propinquo, vt foras aqua erumpat; vt qui ſitientes veniēt, & cæcas hinc potum ſumāt. Tunc illis fodientibus, fluuius confeſtim clarus & lucidus erumpere cœpit. Poſt paululū venit Dux quidā, & audiens quod Beata Brigida de equis fecerat, dedit ei equos indomitos: & ſtatim, quaſi ſemper ſub curru fuiſſent, domeſtici facti ſunt. Venerunt quidam leproſi ad Sanctam Brigidam petentes currum ... : quæ ſtatim

currum cum equis dedit eis.

Innocentē à falſo crimine liberat.

11. Mulier quædam dicebat infantem quemgenuit eſſe cuiuſdam diſcipuli Sancti Patricij nomine Broon. Quo negante: Sancta Brigida, vocatâ muliere, dixit: de quo concepiſti infantem hunc? Et illa: de Epiſcopo Broon. Tunc Brigida ſigno crucis, os illius fœminæ ſignauit: & ſtatim totum caput cum lingua tumuit. Tunc Brigida linguam infantis benedicens, dixit, quis eſt pater tuus? Ille ait. Non eſt Epiſcopus Broon pater meus, ſed homo ille turpis & vilis, qui in populo vltimus ſedet. Tunc omnibus Deo gratias agentibus: mulier pœnitentiam egit.

Dæmonē fugat.

12. Cum quidam dæmoniacus cognouiſſet: quod ad Sanctam Brigidam duceretur, cecidit in terram dicens: non me portabitis illuc? Nunquid inquiunt ſcis locum eius? Scio ait, & ad illam non ibo. Et cum non poſſent illum mouere, miſerunt qui Sanctam Brigidam adduceret. Et videns dæmon Brigidam de longe ad ſe venientem, ab homine fugit.

Eius cingulo ægroti ſanantur.

13. Cuidam virgini eleemoſynam quærenti: dixit Brigida. Audiui multos infirmos in Patria tua: accipe ergo zonā meam, & per illam in aqua tinctam in nomine Ieſu Chriſti ſanabis eos, & victum, & veſtitum dabunt tibi: auferens ergo zonam ſecum languores ſanauit: & lucra accipiens, & diues effecta pauperibus multa diſtribuit.

Latrones ad pœnitentiam reuocati.

14. Dum in ſolemnitate quadam, plebeius quidam cum tota familia ſua cum Sancta Brigida pernoctaret, venientes ad domum eius latrones, boues eius furati ſunt: & accedentes ad fluuium inuenerunt illum abundantia aquæ ita repletum, vt tranſire non poſſent. Armis ergo, & veſtibus ſuper capita boum alligatis, aquam boues intrare coegerunt. Sed regreſſi impetu magno hominibus nudis poſt illos currentibus, ad habitaculum Brigidæ recto curſu peruenerunt, & Domino laudem dantes in monaſterio Brigidæ pœnitentiam egerunt.

Cathena pauperi data miraculosè apparet.

15. Quædam regina, cum multis donis venit ad Brigidam, in quibus erat argentea cathena pulchra nimis. Hanc puellæ rapientes in theſauris ſuis abſconderunt: cæteris à Sancta pauperibus datis. Non multo poſt, cum pauper eleemoſynam peteret, illa nihil habens, cathenam accepit, & illam pauperi dedit: Quo viſo dixerunt puellæ: Perdidimus per te quæ nobis miſit Deus: omnia das pauperibus, & nos inopes relinquis. Et illa: quærite, ait, cathenam, vbi in Eccleſia orare conſueui; forſiran ibi inuenietis illam. Inuenta cathena, & cunctis oſtenſa: in teſtimonium virtutis illam ſemper reſeruârunt.

Tres dies quibus S. Patricius corā Brigida concionabatur, auditoribus vna tātùm hora videbantur.

16. Cum autem leproſum quendam à lepra mundaſſet; miſit ad Sanctum Patricium, vt ſibi prædicaret verbū Dei: & dum cum diſcipulis ſuis, & in vnum conuenirent prædicauit Sanctus Epiſcopus per tres dies & noctes loqui non ceſſans, nec Sol occidit eis: ſed vnam eſſe horam omnes crediderunt. Quidam autem ignarus rerum ſuperueniens Sancto Patricio dixit. Quid tanto tempore hic ſedetis? Reſpondit Sanctus. Quæ eſt hora diei? Et ille: per tres dies hîc manſiſtis. Dixit Patricius. Per quadraginta dies & noctes hîc fuiſſemus, ſi nullus huc veniſſet; nullam laſſitudinem vel eſuriem diuinâ donante gratia ſentientes. Quædam regina ad preces Sanctæ Brigidæ filium ſterilis peperit.

Dæmon coactus vera pronunciat.

17. Quidam dæmoniacus furore agitatus, multos affligens ad Sanctam Brigidam adducitur. Cui & dixit, Prædica mihi Verbum Domini noſtri Ieſu Chriſti. Ille, ait. O Brigida virgo Sancta, tua iuſſa implere inuitus cogor. *Ama Deum & amabunt te omnes: honora Deum, & honorabunt te omnes: time Deum, & timebunt te omnes.* His dictis, fugit cum clamore magno.

Charitatis vitem rependere dedignās, rediuiuâ leprâ caſtigatur.

18. Sanatis per Sanctam Brigidam multis claudis, leproſis, demoniacis, & infirmis: venerunt leproſi duo ſanitarem cum lachrimis poſtulantes. Tunc Sancta orans, & aquam benedicens, præcepit eis, vt alterutrum in aqua ſe lauarent: Quibus lotis: vnus eorum mundatus eſt. Cui dixit Sancta. Laua & tu ſocium tuum. qui videns ſe mundatum de ſalute ſua glorians: alterius lepram tangere renuit: & poſt modicum dixit. Ego ſentio ſcintillas ignis eſſe ſuper humeros meos, & ſtatim totum corpus eius altero mundato, lepra percuſſum eſt.

Alia miracula.

19. Vir quidam, aurigam & currum Brigidæ, in quo ſedebat per agrum ſuum tranſire prohibens, & equos percutiens, in terram corruit, & ſpiritum emiſit. Mundata quadam muliere à lepræ plaga. Venit

Brigida à patre ſuo rogata ad Regem lagi-nentium dicens: detur mihi, inquit, gladius tuus patri meo, & vnum de ſeruis tuis mihi dimitte liberum. Cui Rex: quid dabis mihi pro petitionibus his duabus magnis? Et illa: ſi vis, vitam æternam dabo tibi: & ſemẽ tuum Reges erunt per ſæcula. Vitam, inquit, quam non video non quæro: de filijs, qui poſt me erunt, non procuro. Alia enim duo, ſcilicet vt longæuus fiam in hac vita, quam diligo, & in omni loco & bello victor exiſtam exopto. Hæc duo, inquit Sancta tibi conceſſa erunt. Nec multo poſt cum paucis contra multos exiens ad bellum; inuocato Sanctæ Brigidæ auxilio, vidit Sanctam Brigidam cum baculo ſuo præire & columnam ignis de capite eius vſque ad cœlum ardere: deuictis vero hoſtibus, nomen Sanctæ Brigidæ extollens laudibus ad ſua lætanter rediit.

Reuelato furto, pœnitent am egit Epiſcopi miniſter.

19. Cum autem Euchariſtiam de manu Epiſcopi ſumeret, vidit in calice, quẽ puer Epiſcopi tenebat, deforme prodigium, hirci videlicet vmbram, & renuens de calice bibere, viſionem Epiſcopo dixit. Tunc Epiſcopus puero ait, Quid feciſti? Da gloriam Deo: puer autem confeſſus eſt ſe furtum feciſſe, & vnum hircorum ſuorum occidiſſe, & partem comediſſe. Et cum pœnitentiam cum lachrymis egiſſet, vocata Brigida nihil in calice de hirco vidit.

In aquis etiã glacie concretis, immerſa pernox orabat: qua conſuetudo apud Hibernos etiã Sanctos inoleuit poſtea.

20. Quadam nocte, in qua erat nix & glacies, omnibus dormientibus venit ad quoddam ſtagnum Brigida, & in illa nocte erat in ſtagno orans & flens: & ſic ſemper in omnibus noctibus facere, & in conſuetudinem vertere cogitauit: Chriſti tamen miſericordia hoc diutius fieri paſſa non eſt. Alia autem nocte ſtagnum ſiccum ſine aqua inuenit: & ad ſtagnum in craſtino veniens plenum aqua reperit. Secunda ſimiliter nocte iterum aruit ſtagnum, & die plenum inuentum fuit.

21. Cum puella quædam naufragium paſſa nomen Sanctæ Brigidæ inuocaret, ſiccis pedibus ambulans ſupra mare, mortis periculum euaſit. Puellæ Sanctæ Brigidæ multis farinæ modijs à quodam diuite acceptis, aquam quandam tranſire non valentes; inuocato Brigidæ ſuffragio, in alteram fluminis ripam cum oneribus ſuis ſubitò tranſlatæ ſunt.

Rara fortitudo Virginis turpem tentationem abigentis.

22. Quædam puella Brigidæ virum quendam illicito amore ſeducta diligens, ad ipſum in nocte exire promiſit. Dormienre autem Sancta Brigida de lecto ſurrexit: & vehementi igne amoris vrebatur: & mira cogitationum perturbatio in eam irruit. Et timens Deum & Sanctam Brigidam, orauit Dominum, vt adiuuaret illam in tali anguſtia exiſtentem. Inuento tandem conſilio, & accenſo igniculo pedes in ignem miſit: & ignis ignem extinxit, & dolorem dolore vicit. Hæc omnia Brigida diuinitus docta nouit, ſed tacuit, vt puella tentata pauliſper probari poſſet. Puella enim peccatum mane confitente, dixit Sancta. Quia viriliter in hac nocte dimicando combuſſiſti, ignis fornicationis in præſenti vita non nocebit tibi: & ignis gehennæ in futura non comburet te. Tunc Beata Brigida pedes eius ſanauit, & nullum combuſtionis ſignum in eis apparuit.

Varia Brigidæ miracula, charitatis ergo plerumque patrata.

23. Pluuiâ maximâ per prouinciam inundante, guttarum iniuria ab ortu Solis vſque ad occaſum meſſores Brigidæ non tetigit. Illuminato puero cęcitate à natiuitate percuſſo. viro per ſeptem vices eleemoſinam petenti, ſeptem arietibus erogatis, numerus in grege diminutionem paſſus non eſt. Aquam ſua benedictione in ceruiſiam conuertit: & leproſis ſitientibus abundanter porrexit. Lapidem crucis ſigno in ſal mutatum, indigenti cum hilaritate dedit. Fortiſſimum quendam virum multos in ciborum voracitate excedentem, à nimia comeſtione ſanauit: & nulla virtute virium priuata, alijs hominibus in cibo ſimilem fecit. Argentum orando diuinitus accepit, & reum ductum ad iugulandum dato Regi precio redemit. Tunicam vnam duobus pauperibus diuiſit: & vtriuſque pars integra tunica, diuina virtute facta fuit.

S. Dariæ reſtitutis diuinitus oculis, corporeã præfert cæcitatẽ, captam oculis, quã mundi laqueis captam eſſe mallens, hanc aliã ecer à S. Daria matre S. Vrſula (vt habet

24. Daria virgo cæcitate percuſſa Brigidæ Sanctæ dixit. Benedic oculos meos, vt videam mundum, ſicut ego deſidero. Cumque benedictis oculis ſtatim vidiſſet, ait. Iterum reclude oculos meos, quanto enim quis mundo abſentior fuerit; tanto Deo præſentior erit. Tunc beata Brigida iterum reclufit oculos ſuos, ſicut rogauit.

25. Mulier quædam filiam ſuam mutam ad Sanctam Brigidam duxit: quam cum vidiſſet, dixit puellæ. Vis virgo permanere? neſciebat enim quod muta eſſet. Puella ſtatim reſpondit: Quodcunque mi-

Pet. à Natal.) accõenge Mani Regis Scotia maioris ſeu Hiberniæ. Virginem cui loquelam contulit, Deo cõſecrari curauit. Inopem de manu potentis eripit.

hi præceperis ego faciam. Et ſic in virginitate permanens vſque ad mortem eloquentiſſima permanſit.

26. Cum ruſticus quidam vulpem in Regis palatio videret, & putans quod non manſueta & familiaris eſſet: (variis enim artibus docta, Regi ſolatium facere ſolebat) vidente multitudine occidit eam. Tunc alligatus & Regi adductus iubetur occidi, niſi alia vulpes, ei ſimilis in omnibus calliditatibus reſtituta eſſet: & vxorem, & filios, & omnia quæ habebat in ſeruitutem redigi. quo audito, Sancta Brigida preces ad Deum pro miſero fudit, & ſtatim vulpes alia in currum ad eam intrans, manſuetè ſedere cœpit. Quam cum Regi obtuliſſet: Rex vulpem varijs artibus & calliditatibus ludentem videns, reum liberum placatus dimiſit. Brigida autem ad ſua regreſſa, vulpes doloſa in turbas ſe callidè mouens ad loca deſerta & antrum ſuum refugit.

Alia miracula.

26. Quadam ſemel neceſſitate cogente, mel à Domino poſtulauit virgo Sancta, & in pauimento domus ſuæ quod petiit, abundanter inuenit. Flumen quoddam de ſuo loco ad alterum locum mutauit: & vſque nunc, ſicut ipſa diſpoſuit, currit. Aues & anates ad ſe ſæpe venire præcepit, & manu illas tangens, & palpans redire permiſit.

Homicidium machinatos, ſaluo, quē peremptnri erant, ad pœnitentiam precibus conuertit.

29. Nouem viris nefarijs votis, & iuramentis in Kalendis Iulij hominem interficere quemdam ſe adſtringentes, prædicatione ſanctæ Brigidæ ab errore ſuo reuocari nullo modo potuerunt. Brigida tamen pro obcæcatione cordis eorum Deum rogante, contemplatur imaginem inſtar viri, quem diſpoſuerant iugulare. Quam continuò ſuis lanceis, & gladijs confodientes: quaſi poſt triumphum ſui aduerſarij cum armis cruentatis ad Brigidam ingreſſi, veritate cognita ad pœnitentiam conuertuntur.

Miſericordia opera.

30. Mulier quædam pauper ligna ſua telaria, in quibus texebantur telæ, incidit, & vitulum occiſum coxit: & cibum parauit Sanctæ Brigidæ, & qui ſecum venerant. Mane vitulum viuum & integrum, & ligna telaria reſtaurata inuenit. Tribus leproſis eleemoſinam petentibus, vas argenteum dedit; & orta inter eos pro vaſe rixa, apprehenſum vas, contra lapidem iecit, & tres partes ponderis æqualis ſubito fecit, & pauperibus dedit.

Mortem carnis prænũit & oppetyt.

31. Appropinquante autem die obitus ſui, vocata puella alumna ſua, diem tranſitus ſui ei prædixit: & circa annum Domini, quingenteſimum octauumdecimum kalendis Februarij, migrauit ad Dominum.

FINIS.

ADITIONES AD VITAM S. BRIGIDÆ ex Varijs authoribus.

GIRALDVS CAMBRENSIS IN TOPOgraphia Hiberniæ.

De igne S. Brigidæ.

APud Kyldariam Lageniæ, quam glorioſa Brigida reddit illuſtrem, digna memorata ſunt miracula multa. Inter quæ primum occurrit ignis Brigidæ, quem inextinguibilem dicunt: non quod extingui non poſſit, ſed quia tam ſolicitè Moniales, & ſanctæ mulieres ignem, ſuppetente materia, fouent & nutriunt: vt à tempore Virginis, per tot annorum curricula, ſemper manſit inextinctus, & cum tanta lignorum ſtrues tanto in tempore ſit hîc conſumpta, nunquam tamen cinis excreuit.

Ignis inextinctus, cineres nõ augētur.

Cum tempore Brigidæ viginti Moniales hîc Domino militaſſent, (ipſa viceſima exiſtente) poſt glorioſum eius tranſitum, tantum vnde-viginti ſemper extiterunt, & numerum non auxerunt. Cum verò ſingulis noctibus ſingulæ per ordinem ignem cuſtodiant, nocte viceſima Monialis vltima lignis appoſitis, inquit, *Brigida, cuſtodi ignem iſtum tuum. Te enim nox iſta contigit.* Et ſic igne relicto, mane materia, more ſolito, conſumpta, inextinctus reperitur.

S. Brigida poſt mortem igne ſua vice [illegible]

Virgeo quodam, & orbiculari ſæpe ignis iſte circuitur, intra quem mas non intrat: & ſi forte

ſi fortè intrare præſumpſerit (quod à temerarijs quibuſdam nonnunquam attentatum) * diutinam vltionem non euadit. Item mulieribus ſolum, & his non oris flatu, ſed follibus tantum, & ventilabris ignem licet exſufflare. Item per imprecationem virginis caprarum fœtus hîc non proueniunt. Sunt & hîc campeſtria pulcherrima, quæ Brigidæ paſcua vocantur: in quæ nullus aratrum auſus eſt mittere. De quibus pro miraculo ducitur, quod licet Prouinciæ totius animalia ſolo tenus veſperi herbam corroſerint: mane facto, non minus herboſitas apparebit. Tanquam de paſcuis illis dictum fuerit.

inextinctum conſeruat.
** Al. Diuinam.*
Mirabile incrementum fœni.

Et quantum longis carpunt armenta diebus:
Exigua tantum gelidus ros nocte reponit.

Idem.

A tempore Brigidæ Falco quidam egregius locum iſtum frequentabat; qui Eccleſiaſticæ turris ſummitati inſidere conſueuerat. Vndè & à populo *auis Brigida* vocabatur, & in veneratione quadam à cunctis habebatur. Hic ad nutum ciuium, ſeu militum caſtrenſium, tanquam manſueta, & ad hoc domeſtica, anates & alias aues, tam campeſtres, quam fluuiales circa planiciem Kildariæ, cum intuentium non modica delectatione perſequi ſolebat: & ad terram ab aëre innata velocitate coercere. (Quis enim locus miſeris auiculis relinquebatur, cum homines terram & aquas, auis inimica, grauiſque tyrannus aërem obſidebat?) Mirum de hoc alite: quod circa templum quod frequentabat, parem non admittebat: ſed amoris tempore procul inde ſecedens, & apud montana de * *Glindelachan* ex conſuetudine parem inueniens naturæ indulgebat. Quo completo iterum ad Eccleſiam ſolus reuertebatur, viris Eccleſiaſticis, & tunc præcipue cum intra Eccleſiarum ſinus & ſepta diuinis deputantur officijs, ſignum præferens honeſtatis. In ipſo diſceſſu primo Domini Comitis Ioannis ab Hibernia, auem (quæ per tot durauerat ſæcula, & delectabiliter Brigidæ locum illuſtrauerat) demum prædæ, quam ceperat, minus cautè inſidentem, & humanos acceſſus parum euitantem, baculo quem geſtabat, ruſticus quidam petijt. Ex quo patet, caſum in ſecundis fore metuendum, & vitæ diuturnæ delectabili & dilectæ, parum eſſe confidendum.

De Falcone Kildariæ.
** Mira Falconis caſtitas.*
Auis reuerentiâ Eccleſiaſticis præfert.

Idem.

Inter vniuerſa Kildariæ miracula, nil mihi miraculoſius occurrit, quàm liber ille mirandus, tempore Virginis (vt aiunt) Angelo dictante conſcriptus. Continet hic liber quatuor Euangeliſtarum iuxta Hieronymum concordantiam: Vbi quot paginæ fere ſunt, tot figuræ diuerſæ, varijſque diſtinctiſſimæ. Hic maieſtatis vultum videas diuinitus impreſſum: hinc myſticas Euangeliſtarum formas: nunc ſenas, nunc quaternas, nunc binas alas habentes. Hinc aquilam, inde vitulum, hinc hominis faciem, inde leonis, aliaſque figuras pene infinitas: quas ſi ſuperficialiter, & vſuali more minus acutè conſpexeris, litura potius videbitur, quàm ligatura; nec vllam attendens prorſus ſubtilitatem: vbi nihil tamen præter ſubtilitatem. Sin autem ad perſpicacius intuendum, oculorum aciem inuitaueris, & longe penitius ad artis arcana tranſpenetraueris: tam delicatas & ſubtiles, tam actas & arctas, tam nodoſas, & vinculatim colligatas, tamque recentibus adhuc coloribus illuſtratas notare poteris intricaturas: vt verè hæc omnia Angelica potius quàm humana diligentia iam aſſeueraueris eſſe compoſita. Hæc equidem quanto frequentius & diligentius intueor, ſemper quaſi nouis obſtupeo, ſemperque magis ac magis admiranda conſpicio.

De libro miraculosè cõſcripto.
Figurarũ ſubtilitas.

Nocte prima (cuius mane librum ſcriptor inchoaturus fuerat:) aſtitit ei Angelus in ſomnis, figuram quandam tabulæ, quam manu præferebat, impreſſam ei oſtendens, & dicens: Putaſne hanc figuram, in prima libri quem ſcripturus es pagina poſſis imprimere? Cui ſcriptor, de tantæ ſubtilitatis arte, de tam ignotæ & inuſitatæ rei diffidens notitia, reſpondit? Nequaquam. Cui Angelus. In craſtino die dic Dominæ tuæ: vt ipſa pro te orationes fundat ad Dominum, quatenus ad acutius intuendum, & ſubtilius intelligendum, tibi tam mentis, quàm corporis oculos aperiat, & ad rectè protrahendum manus dirigat. quo facto, nocte ſequente iterum affuit Angelus, eandem figuram, aliáſque multas ei præſentans. quas omnes diuina opitulante gratia ſtatim aduertens, & memoriæ fideliter commendans, libro ſuo locis competentibus ad vnguem ſcriptor impreſſit. Sic igitur Angelo præſentante, Brigida orante, ſcriptore imitante, liber eſt ille conſcriptus.

Brigida orante, Angelo præſentãte, & ſcriptore imitante, liber conſcribitur.

Ex hiſtoria Sancti Gildæ cognomine ſapientis, quæ in Bibliotheca Floriacenſi habetur.

Audiens Beata Brigida, quæ ipſo tempore inſignis erat, in Hibernenſi manens Inſula, & Monaſterio virginum præerat Abbatiſſa virgo, præclara, famam beati Gildæ: miſit ad eum nuncium, cum verbis deprecatorijs, dicens. Gaude pater ſancte, ac ſemper in Domino polle. Obſecro te, vt aliquod indicium tuę ſanctitatis, mihi tranſmittere digneris, vt ſemper apud nos tua vigeat perenniter memoria. Tunc Sanctus Gildas percepta ſanctę virginis legatione proprijs manibus formulam fecit fuſili opere, & tintinabulum compoſuit ſecundum petitionem ipſius, & per nuncium quem miſerat, ei tranſmiſit. Quod illa gaudens ſuſcepit, ac velut cæleſte munus ab eo ſibi tranſmiſſum, libenter accepit.

S. Gildas nolam ſeu tintinabulum ad B. Brigidam miſit.

**Scotia & Hibernia Sinonima antiquis.*

Ex Martyrologio Rhabani.

In* Hibernia natiuitas Brigidæ Virginis, quæ natiuitas magnorum meritorum & ſanctitatis eſſe prædicatur.

Ex S. Bernardo in vita S. Malachiæ.

Venerunt aliquando tres Epiſcopi in villam * Fochart, quem dicunt locum natiuitatis Brigidæ virginis, & quartus erat Malachias.

** Fochart ſiue Fachard pagus eſt in diœceſi Ardmachana intra tertium lapidem à Dundalkia.*

Ex Sigeberto.

Virgo Dei Brigida obijt in * Scotia.

Ex Martyrologio Romano.

In * Scotia Sanctæ Brigidæ virginis, quæ cum lignum altaris tetigiſſet in teſtimonium virginitatis ſuæ, ſtatim viride factum eſt.

** Hibernia.*

** Hibernia.*

Vbi Baronius hæc notat.

De tempore obitus eius (Brigidæ ſcilicet) Marianus Scotus ſcribit in chron. clauſiſſe diem extremum, anno tertio Iuſtini ſenioris Imperatoris. Eſt is annus à Chriſto, ſecundum faſtos Ortelij 521. præclara mentio S. Brigidæ eſt apud Baronium Tom. 7. anno 521. num. 21.

TRANSLATIO SANCTORVM PATRICII, COLVMBÆ, ET BRIGIDÆ, EX officio Sanctorum Hiberniæ.

Lectio 1. Glorioſorum Hiberniæ Patronum, Patricij Archiepiſcopi, Hiberniæ Primatis, & Apoſtoli, atque Sancti Columbæ Abbatis, & S. Virginis Brigidæ, tranſlationem dignis laudibus recenſentes, piæ mentis celebremus affectu. Fertur enim quod tempore conqueſtus Hiberniæ per Anglicos, fuit quidam Malachias, vir magni meriti; & ſanctæ vitæ, ac conuerſationis, Dunenſis Epiſcopus, vbi corpora prædictorum Sanctorum tunc ſepulta fuerunt.

Lectio 2. Epiſcopus iſte ſedulò orationibus inſiſtens, Deum quaſi quotidie deprecatus eſt, vt oſtendere ſibi dignaretur, vbi tam pretioſus theſaurus reliquiarum, videlicet dictorum Sanctorum, abſconditus eſſet, & vt ſuo tempore manifeſtaretur. Et cum nocte quadam inſtantiſſimè in Eccleſia Dunenſi ſic oraret, vidit quaſi radium Solis per Eccleſiam, & vſque ad locum ſepulturæ dictorum Sanctorum corporum perluſtrantem.

Lectio 3. De viſione prædicta Epiſcopus multum exultans, intenſius orabat, ne radius ille diſcederet, quo vſque Reliquias abſconditas inueniret. Et tunc indè exurgens, adeptiſque neceſ-

neceſſarijs terram irradiatam adijt, ibique effodit, donec oſſa trium corporum prædictorum inueniret. Et ſuper quæ radius ille irradiabat, illa in tabulis ſeparatim inſerebat, & illa ſic tabulata, ibidem ſub terra reponebat.

Lectio 4. In illo tempore præſidebat in Vltonia miles magnæ probitatis Ioannes de Courcy conqueſtor illius patriæ, qui multum Deo, & eius ſeruitio deditus fuit, cui dictus Malachias per ſingula viſionem, & facta ſua narrauit. Ex cuius aſſenſu, & magno adiutorio Miſſa fuit * Romæ Summo Pontifici deuota ſupplicatio, pro tranſlatione dictarum Sanctarum Reliquiarum habenda.

** f. Romā*

Lectio 5. Ipſe vero Papa ſupplicationi prædictæ aures inclinans, Ioannem titulo S. Stephani in Cælio monte Presbyterum Cardinalem, & Apoſtolicæ Sedis Legatum in Hiberniam miſit. Qui in Eccleſia S. Patricij in Duno, quinto Idus Iunij debitis reuerentijs, & ſeruitijs præmiſſis, tranſtulit prænominatas Reliquias ex loco vbi ſepultæ, & per Malachiam repoſitæ fuerunt, vſque in honorabilem locum in Eccleſia ibidem ad hoc præparandum.

Lectio 6. Tempore vero tranſlationis eorum in dicta Eccleſia præſidebant cum dicto Legato quindecim Epiſcopi cum Abbatibus, Præpoſitis, Decanis, Archidiaconibus, Prioribus, alijſque viris orthodoxis quamplurimis. Statuentes diem tranſlationis dictorum Sanctorum ab vniuerſis Chriſti fidelibus, per Hiberniam conſtitutis, quarto Idus Iunij per ſingulos annos celebrari, & transferentes Feſtum S. Columbæ in craſtinum Octauarum reliquiarum iſtarum.

Ex lectione 8. Binos Dominus diſcipulos charitatem habẽtes mittit ante faciem ſuam ad Hiberniam, Sanctum ſcilicet Patricium, & B. Brigidam, ad prædicandum: Patricium humanam, &

Lectio 9. Brigidam fœmineam fragilitatem in ſe agnoſcentes.

Et ad maiorem charitatis perfectionem, deinde mittit B. Columbam. Ex nomine vero eius, Spiritus qui ſumma charitas eſt, dignoſcitur ſignificari. Hi tres vno loco poſt eorum mortem in charitate quieſcebant, inſimul tranſlati ſunt. Illa charitas, quam hi tres habuerunt & prædicauerunt, ſit ſemper cum omnibus nobis, præſtante ſumma Trinitate, cui eſt honor, & gloria, in ſæcula ſæculorum. Amen.

De hac tranſlatione Gyraldus Cambrenſis in Topographia Hiberniæ, ſic ſcribit.

Fuerant autem contemporanei Patricio, Sanctus Columba, & Sancta Brigida; & apud Vltoniam, in eadem ciuitate, Dunenſi ſcilicet, ipſorum trium corpora ſunt recondita. Vbi, & his noſtris temporibus, anno ſcilicet, quo Dominus Comes Ioannes primò in Hiberniam venit; quaſi in ſpelunca triplici, Patricio in medio iacente, alijs duobus hinc inde. Ioanne verò de Courci tunc ibidem Præſidente, & hoc Procurante, tres nobiles theſauri, diuina reuelatione, inuenta ſunt, & tranſlata: vnde verſus.

f. inuenti, & translati.

In burgo Duno, tumulo tumulantur in vno,
Brigida, Patricius, atque Columba pius.

FINIS.

PASSIO

SANCTORVM GVIGNERI, FINGARIS, PIALÆ, ET SOCIORVM.

SCRIPTA A BEATO ANSELMO Cantuarienſi Archiepiſcopo.

POſcis fideliter ſatis (chariſſime) Martyris ſacri Guigneri, ſociorumque eius admirabilẽ vitam, quã prius breuibus notulis retinebas, victoriæque triumphum latiori tibi explicari ſermone. Cupio ſane deuotioni tuæ parere deuotus: etſi non dignè, vt geſtorum fortium depoſcunt magnalia, tamen pro ingenij facultate Sanctorum laudibus occupabor intentus: Quoniam laus militis gloria eſt Imperatoris, & dum Sanctorum virtutes narrantur, Chriſti gloria prædicatur. Spondet ergo deuotio, quod negat ſciẽtia: & Sanctorum fides, quod non promittit facultas, totum eorum præſumam de meritis. Nec de eloquij paupertate cõfundar, quoniam pro certo non in nitore ſermonis conſiſtere regnum Dei monſtrauit, qui ad ſui gloriam prædicandam idiotas & piſcatores elegit. Glorioſus equidem & prædicandus vbique Domini Confeſſor Patricius, *cùm in Cornubiæ partibus ſanctis actibus moraretur intentus, admonitus eſt voce Angelica; vt Hiberniæ Inſulam, fidem Chriſti in ea prædicaturus, adiret. Tunc fidelis ſeruus & prudens, Domini viſione comperta, ſine mora ſurrexit, & locum ſibi præſignarum à Deo in nullo barbaræ & incredulæ gentis expaueſcens feritatem expetijt. Cuius aduentu fama vulgante præcognito, ſeptem nominatæ iam Inſulæ Reges cum Pontificibus idolorum, cum Satrapis, eiuſdẽque gentis non minima multitudine, in Sancti conuenere

S. Patricius.

** Cornubia Cornuallia, vel Cornugallia eſt Anglia præſtrata in Armoricum eluertens, veteres dixêre.*

Septem Reges.

occurſum. Hos ſanctus Domini fide integer, & deuotione plenus aggrediens cœpit eis Euangelium Chriſti cum fiducia prædicare, & in Ieſu Euangelizare ſalutem. Verùm quia vas plenum abſynthio, niſi prius amaritudine pulſa, alterius liquoris non admittit dulcedinem: illi adhuc pleni ſpiritu ſuperbo, doctrinam ſalutis recipere noluerunt. Sed cernentes humilitatem & vilitatem habitus attendentes non theſaurum latentem interius, ſanctum & vere Apoſtolicum virum penitus contempſerunt. Fuit inter iam dictos Reges nobilior vnus ac potentior omnibus nomine Clito. Huic erat filius adoleſcens bonæ indolis, vacabulo Fingar, electione diuina præcognitus, & ſancti Spiritus iam gratia perfuſus. Hic ex vniuerſis ſolus Sancto aſſurgẽs Patricio, quo potuit honore, virum Dei ſuſcipiens ceſſit, & in loco quo ſederat ipſe eum ſedere fecit. Iratus pater ſeuerus, & indignatione grandi ſuccenſus in filium, dicens, quod Deorum ſuorum intenderet euacuare culturam, & nouam Chriſtianorum per Sanctum Patricium introducere legem, regno expulit, & ſolo fecit ex hæredem paterno. Cui plures in nobilibus Hiberniæ procreati adoleſcentes dilectiſſimo amore coniuncti, pariter profecti coëxules, terra marique minorem in Britanniã peruenerunt. Quo audito, iudex Britanniæ in terram ſuam nouas accolas aduentaſſe eos ſibi exhiberi præcepit, & diligenter inquirens qui eſſent, ad quid, vel vnde veniſſent? reſponderunt, ſe de Hibernia pulſos, ſerió que proſcriptionis ſuæ ratione expoſita, petierunt, vt in prouincia ſua locum at-

Fingar filius Regis Sancto Patricio aſſurgit.

Rex eum in exilium mittit.

Hæc eſt, quã nonnulli Armoricam, ſeu Aquitanicam vocant, vtpote in Gallia Celtica conſtitutam. Gallice. Le pays de Bretagne.

que licentiam eis concederet pro ſua clementia. Ingenuitate vero adoleſcentum comperta, ſimulque exilij cauſam Dux agnoſcens, ſumma eorum petitioni liberalitate aſſentiens, tantum eis terræ ad habitandum conceſſit, quantum vnus equitando poſſet currere per diem. Præcepitque venerationi habendos, & maximè Fingarem cenſuit excolendum. Domini igitur gratiam in omnibus conſecuti diliguntur ab omnibus, ab omnibus honorantur, & cum indigenis de cætero noui hoſpites familiariter habitare cœperunt. Sed cum iam prouidentia ſummi Dei tyronem ſuum Fingarem ſuis arctius vellet applicare obſequijs, tali eum arte diſcreuit. Die quadā cum ſuis conſortibus ad venandum egreſſus, repertum canes cœperunt agere ceruū, qui cum canibus importunè infeſtantibus, ea qua illud animal ſolet ferri velocitate aufugeret, ſolus Fingar cū canibus, relictis ſocijs, proſecutus eſt fugientē. Quid plura? ceruum labarū retinuit, occidit, & detracta pelle fruſtratim concidens per artus equo impoſuit, quaſi reuerſurus ad ſocios, qui eum nebula obducente perdiderant. Sed cum reſperſam ſanguine veſtem ac cruentatas manus vellet abluere, huc illucque circumſpiciens, non inueniebat aquam: & labari cuſpide in terra defixa, improuiſi fōtis gratiſſima manus vena defluxit. Laticis noui miratur fluenta, & illius virtuti factū deputauit, qui * antiquum populum ſilice percuſſo potauit. Comparetur, ſi placet, factum cum antiquo S. Clementis miraculo. Nam quod ille pede agni fontis cognouit theſaurum, iſte acumine teli bullientē venam inuenit. Denique cum lauandus ſe ad fontem diſponeret, inclinans ſe in aquā per vmbram formoſi vultus ſui pulchritudinem attendens (erat enim ſpecioſus valde, & decorus aſpectu) cœpit laudare Deū & benedicere, qui tantam ei contulerat gratiam. Et ex illa hora ſe ei ſeruiturum tota deuotione ſpondens, ſoluto de capite equi fræno, liberum quo vellet ire permiſit. Ipſe verò inter ſaxa ſub quodam ſpecu latitans, quercuum glande aliquanto tempore vixit. Socij autem eius per loca diffuſi tota intentione quærebāt eum, & cum non inueniſſent, anxij valdè & dolentes reuerſi ſunt ad habitaculum ſuum. Dominus autem Britanniæ, cum audiſſet illum deeſſe, euocatis ad ſe ſocijs eius, requirebat eis

Dux Britanniæ minoris amplas terras Fingari cum ſocijs tribuit.

Labarum non videtur hic accipi pro vexillo militari, de quo multa Baron. Tom. 3. & 4. Sed pro haſta ad feras necandas idonea.

** Exod. 17. Num. 20. Pſal. 77. 104.*

Fontē de terra producit.

In ſpecu Deo ſeruiturus latitat.

quò deueniſſet, vel quid de eo factum fuiſſet? & alligatos in cuſtodia tradens comminabatur, iurans ſe occiſurum omnes, niſi ei veritatem indicarent; arbitrans ab eis in contentione vel litigio interemptum. Sed cur hominem occidiſſent, pro cuius amore natale ſolum reliquerant, laboreſque ſuſtinuerant infinitos, terræ mariſque diſcrimina tolerauerant multa? denique triſtitia, qua afficiebantur pro eo, non homicidas, ſed veros monſtrabat amicos, & tales, quibus credi nō de odio, ſed de amicitia debuiſſet. Expoſito tamen, qualiter inuentione cerui deceſſiſſet ab eis, ad eum iterū inquirendum ſe offerunt, loca ſe monſtraturos, vbi ſocium perdidiſſent, ſi viros, qui eum ſagacius ſcirent inquirere, deſtinaret. Itum eſt, & multo labore inuentus ad præſentiam Ducis adducitur: & cum Dux de eius inuentione lætus, facti benignè cauſam inquireret; reſpondit, ſe omnino diuinis mancipatum obſequijs, nec vlla vnquam ratione ad ſæculi deinceps poſſe redire officia: Si tamen ei locum, in quo constructo oratorio, Deo quietius poſſit ſeruire, pro ſua vellet benignitate concedere, libēter ſuſciperet. Dux vero benignus eius voluntati fauere conſentiens, locum aſſignauit; & totam inſuper terram, quam ei & ſocijs eius prius ad habitandum conceſſerat, liberam ab omni tributo perpetuam delegauit in dotem. Ingreditur igitur electus Domini Fingar locum Ducis clementia conſignatum, prædijs ac poſſeſſionibus dotatum ampliſſimè atque ditatum, ac mente tota, ac deuotione in cæleſtis ſolij habitationem intentus habitaculū ſanctificationis, in quo Deus perpetuò laudaretur, inſtituit. Accingit ſe deinceps ſeruus Dei fortius ad opera fortiora, carnem domat, roborat ſpiritum, & perſequendo ſe ipſum, ſe ipſum perficiebat in Domino. Poſt tempus aliquod ad locum natiuitatis admonitus hortatu Angelico redire iubetur. Quò cum Domini in omnibus præſidio fultus tediſſet, Hiberniam Chriſti legibus ſubditam, in confeſſione Chriſtiani nominis glorianrem, & totam lauacro ſancto perfuſam inuenit. Gaudent ſerui ſe Dominum accepiſſe, Chriſtiani fideles conſortem patronum. Rogant eum, Clitone patre defuncto, ſuſcipere regnum, cupientes defenſorem talem habere, cuius prouidentia gubernaretur regnum, & noui adhuc

Quæritur alligātur.

Inuenitur.

Cōſtructo oratorio diuinis laudibus intendit.

Reuertitur in Hiberniam hortatu Angelico.

adhuc Chriſtianitas tueretur. Tibi inquiunt, excepto quod fidei Chriſtianæ te cupimus habere fautorem, ex genere Regis honor debetur, ad te hæreditas pertinet, tibi hæreditario iure cedit poſſeſſio. Tum ipſe. parcite, inquit, Chriſtianiſſimi, ſemel dedicatus ſum Chriſto; illi ſoli me ſeruiturum deuoui, ad officia ſæculi deinceps reuerti non poſſum: quoniam *nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei*: nemo militãs Deo implicat ſe negotiꝭ ſæcularibus, vt placeat ei cui ſe deuouit. Et cum rogantes pia importunitate inſtarẽt. In vanum, ait, fratres tantis precibus laboratis: ego enim vobiſcum diutius detineri non poſſum. Sed ſi vultis agere ſecundum meum conſilium, eligite virum induſtriũ, ac fidelem, vnum ex nobilibus patriæ; cuius prouidentia moderetur regnum, & Chriſtianæ fidei tueatur religio: & illi Germanam meam Pialam in vxorem ſimul cum regno tradite. Fuerat autem clariſſima virgo Piala, nobiliſſimi Regis Clitonis filia, ſoror Sancti Guigneri, lauacro purificationis regenerata in Chriſto. Sancti igitur inſtructi conſilio virginem ſacram alloquuntur de ſponſo. Quibus illa, tota in amore Chriſti fundata, reſpondit. Sponſus meus Chriſtus eſt, qui me per ſuam gratiã regni ſui elegit conſortem: huic fidem promiſi, quam violare non debeo; & ideo aliũ ſponſum præter ipſum nõ poſſũ ſuſcipere. Regni huius gloriã cõtemno, quæ non debet dici gloria, quia non poteſt carere miſeria; & ad regnũ, quod promittit Dominus Ieſus Chriſtus, ſuſpiro: vbi non eſt dolor vel triſtitia, ſed perpetua iucunditas, & lætitia ſempiterna. Cernens autem Sanctus virginis intentionem in Chriſti ſolidatam amore, ita vt nulla poſſit ratione ad conſenſum coniugij flecti; ait: Sinite eam fratres, nolite contra Dei beneplacitum niti: ipſe ſic voluit, & ſic futurum prouidit. Regnum iſtud Dei prouidentiæ committamus; ipſe ſecundum ſuam voluntatem prouidebit tutorem ac defenſorem. Et omnibus valedicens parabat profectionem. Secuti ſunt eum 770. viri, & ſeptem Epiſcopi: quos Sanctus Patricius per aquam incorruptionis Chriſto genuerat. Pleni Deo, & diuina lege inſtructi, cupientes beatæ peregrinationis eius eſſe conſortes in Domino: inter quos fuit ſupradicta virgo Piala, ſoror

Regnum renuit.

Fingarẽ, & Guignerum, nõ diuerſos, ſed vnum eundẽque eſſe exiſtimo.

Septem Epiſcopi. Piala ſoror beatì Guigneri.

beati Guigneti. Sancto igitur conſortio omnes adunati in Domino, ſimul cum patrono ad littus vſque procedunt: repertoque pro voto nauigio, nauem omnes vnà conſcendunt. Paululum iam altius nauigando à terra diſceſſerant; cum ecce virgo quædam nomine Hya, nobili ſanguine procreata peruenit ad littus, fœlici Sanctorum cupiens adunari Collegio: cernẽſque procul à littore iam remotos, nimio anxiebatur dolore, & fixis in terra genibus manus & oculos ad ſublimia erigens, mente conſilium è cœlo efflagitabat deuota. Et modicum inferius relaxans obtutum, contemplatur ſuper aquas folium paruum; & protenſa virga, quam manu geſtabat tangens illud volebat probare an mergeretur: & ecce ſub oculis eius cœpit creſcere & dilatari, ita vt dubitare non poſſet, à Deo ſibi illud obſequium miſſum. Et fide fortis, folium audacter conſcendens, mirabiliter Dei virtute prolata, alterum ſocios præuenit ad littus. Hæſitandum non eſt de operibus Dei: nam qui tranſituro populo mare rubrum potenter diuiſit; & Heliæ Iordanem aperuit, & Petrum ſupra aquas currere fecit: ipſe quo modo voluit, virginem ſuam tranſuexit. Socij vero, datis velis, æquoreos fluctus ſecantes proſpero curſu applicuêre Cornubam, ad portum, qui vocatur Heul: vbi iam præuenerat eos ſacra virgo Hya, potentia Dei tranſuecta; & deſcendentes de naui quoddam habitaculum non longè à littore inuenerunt, in quo virgo quædam Sancta manebat incluſa; & nolens Sanctus Guignerus eam inquietare; ſalutata virgine ad alium locum tranſiêre pranſuri: vbi cum aquam deeſſe cerneret Sanctus, plena de Ieſu Chriſto fiducia præſumens, oratione præmiſſa baculum in terra fixit, & confeſtim limpidiſſima aqua Sãctorum proſiliuit in hauſtum. Poſt cibum verò proficiſcentes inde, ad villam quandam, quæ vocatur Conetconia, peruenerunt. Vbi quædam mulier fidelis & timens Dominum, nomine Coruria, non modicam eis exhibuit benignitatem. Nam cum omnes habitacula eius capere non poſſent, nec haberet ſtramen, in quo omnes poſſent pauſare, detectis domibus culmũ, quo operiebantur, in Sanctorum cubitum commodauit: Vaccam vnam eis mulier charitate plena in cibum dedit. qua occiſa, & eius carnibus, prout

Hya virgo nobilis.

Hya mare traijcit ope folij cœleſtis miſſi.

Hya ſola vecta ſolio cæteros ad littus præceſſerat.

Guignerus baculo in terram fixo, aquam deriuat.

Domos detectas cooperit, & vaccã mactatã viuã reddit.

Guillelm. Malmeſb. l. 4 de geſtis Pont. Angl. narrat idem penè egiſſe Sacram Vverburgam, cum eius Vilicus anſerẽ Sylueſtrẽ iniquè edidiſſet: Iubet, inquit, oſſa recolligi, nec mora, ſigno virgineæ manus medicante, cutis & caro oſsibus ſuper inductis cœpit plumeſcere, donec ales animata, ſaltu primo alacri, mox volatu ſe librauit in æthera.

oportuit diligenter paratis, pariter comederunt. Denique cœna in gratiarum actione completa, iubet Sanctus Fingar nudata carnibus oſſa omnia congregari in vnum, & deſuper eiuſdem vaccæ pellem deponi. Tum Confeſſores Chriſti omnes, qui cum eo erant, ad orationem inuitat, dicens: oremus, Fratres, vt Deus, pro cuius amore mulier officioſiſſimè nobis iſtam ſeruiuit vaccam, ei reſtituat. Et oratione completa, ſub omnium oculis ſtans pulchrior quàm ante fuerat vacca apparuit. Deinde de lacte eius ſibi offerri mandauit. Quo hauſto ſimpliciter deprecatus eſt Deum, vt vena lactis vberior quàm in alijs vaccis triplicaretur in illa. Quod non ſolum in ea, ſed omnibus, quæ ex ea proceſſerunt, factum eſſe narratur. Mane autem facto, cum iam iter agere vellent, reſpicientes viderunt omnia habitacula retecta & reparata, ita ac ſi nunquam diſcooperta fuiſſent. Tunc fideles, qui præuio Sancto Guignero Chriſti veſtigia ſequebantur, per ſingula loca cernentes multiplicari mirabilia Dei, magis magiſq; confortabantur, & in fide & amore Chriſti confirmabantur. Et benè Chriſtus debuit talibus conſolationibus ſuos confirmare teſtes, & conſolari, quos per palmam Martyrij in proximo diſpoſuerat coronare. Mane autem facto pergentes gradiebantur per loca quædam ſilueſtria. Sonuerat iam peruulgante fama in auribus Theodorici Regis Cornubiæ, in terra ſcilicet ſua, Chriſtianam multitudinem adueniſſe; & timens odibilis Deo tyrannus, ne populum ſuum ad fidem Chriſti vellent conuertere: conglobatis militibus ad locum vbi Sanctos eſſe cognouit, truculentior fera cucurrit. Non expectat cauſam, rationem non quærit, non vult audire ſermonem: ſed veniens improuiſus à tergo, ſubito oues Chriſti Leo cruentus aggrediens, perimit, trucidat, atque proſternit. Cæduntur Sancti, truncantur, dilaniantur, & alij amputatis capitibus, alij confoſſi gladijs inhumanè, alij trucidati, omnes vna die Chriſti Martyres effecti, ſacræ mortis cõpendio, perennis vitæ brauium perceperunt. Paululum S. Fingar tunc fortè ſeparatus à ſuis in valle quadam * reſedens operiebatur ſequentes. Vbi cùm ſolo baculũ, quem manu geſtabat, fixiſſet: mox ad ſe ſambucam retraxit, fons è terra fœcundus erupit. Qui vtrinque duplici ſaxo decenter

** f. recedens.*

Fontem de terra producit.

incluſus, vſque in hodiernum diem copioſa vena fluitare non ceſſat. Et ſubitò audiens murmur in comitatu exurgere, miratus quid eſſet, feſtinans ad Sanctos regreditur: cernenſque paſſim immolari hoſtias Chriſti, & hoſtilem gladium per Sanctorum membra diſcurrere: paucis, qui cum eo erant, ait. Ecce Fratres, hic eſt locus pauſationis noſtræ, hîc prouidit Deus finem dare noſtris laboribus. Venite ergo, Fratres, & libenter immolemur pro eo, qui animam ſuam dedit in redemptionem pro multis. Non timeamus eos, qui corpus occidunt; ſed illum potius, qui poteſtatem habet & corpus, & animam mittere in gehennam. Facis, inquit, Fili Diaboli, opera patris tui: Et tyrannus ad eum: Tu, inquit manus meas non euades, non effugies gladium. Tunc Sanctus in hilaritate offerens acceptabile ſacrificium Deo, baculo, quem manu geſtabat, ex latere fixo ceruicem prętendit, vt ictum reciperet ferientis. Immaniſſimus verò Tyrannus erepto mucrone fortiter nudam ceruicem percutiens amputato capite, Chriſti Martyrem fecit. Et confeſtim ſacri corporis truncus, caput machæra lictoris, propria de ceruice truncatum, de terra collegit; & in montem, qui nõn longè diſtat à loco, proprijs manibus poplite firmo incedens portauit. Erat villa quædam in eiuſdem latere montis ſita, in qua, cùm mulieres litigantes audiret, litem loco imprecatur æternam: vt inibi habitantes inter ſe litigantes nunquam deſiſterent. Vndè, vt fertur, terra licet fructifera manet tamen inhabitabilis: in vno fœcunditatis gratiam retinet; in altero Sancti maledictioni ſubiecta. Sanctus igitur Martyr nolens pro tumultu in loco repauſare: reſumpto iterum capite, alium vectitauit ad locum, vbi ipſum deponens caput cruentatum diligenter lauit: in quo loco gratiſſimus fons iugi riuo vſque hodie emanare non ceſſat; lauatumque diligenter reſumens portauit iterum illud in alium locum. qui locus ab eo, in quo Sancti Martyres paſſi fuerant, interiecto paruo ſpatio cuiuſdam ſaltus diſparatur. Locus, qui de corpore Sancti venam ſanguinis refluentem ſuſcepit, apertus continuò fontem edidit fœcundũ, qui vſque hodie monſtratur cernentibus. Vnus autẽ ex militibus cùm Sãcti martyris baculum ab eo loco, in quo eum proximus paſſioni defixerat, rapere vel-

Exhortatur ſocios ad martyrium.

Alloquitur Tyrãnum, eũq; reprehendit.

Occiditur.

Occiſus tanquam, alter Dionyſius caput manu geſtat.

Maledicit locorum litu.

Caput ſuum lauat.

Fons è loco martyrij erumpit.

let: cernit bifurco ramo duplicem iam erupiſſe in frondem: & tanto tremefactus miraculo, non eſt auſus eum contingere. Cernitur vſque hodie in teſtimonium ſancti excelſa (vt dicitur) arbor ex baculo, virtute Dei exaucta; ſed cuius ſit generis ignoratur. Sanctorum adhuc corpora per campum inhumata iacebant: & ecce nocte quadam teſtis Chriſti eodẽ ſchemate, quo ſuper montem in vlnis proprium caput detulerat, cuidam viro Gurnomine tertio in viſu apparens, vt ſe ſepeliret monebat. Expergefactus homo vxori viſionem per ordinem narrabat, quomodo videlicet de ſepultura eſſet perſuaſus à Sancto. Mulier autẽ diſſuadebat fieri, ne fortè Regis iram incurreret, & ob hoc mortis ſententiam mereretur. In craſtinum verò cum canibus in campum venaturus egrediens, ceruum reperit; qui canum pernicitate inſectatus fugiens, ad S. Martyris glebam procumbit, tanquam eius flagitaturus ſanctitatis præſidium. Deſinunt canes latrare, ac perſequi ceruum; & omni feritate laxata, pariter cum ceruo, quaſi Sanctum venerantes decumbunt. Contemplatur homo grande ſpectaculum; & repercuſſa mente in ſe reuerſus, quæ viderat noctu recogitans, diuino illuc nutu ſe reputauit adductum. Et accipiens corpus ſanctiſſimi Martyris, veneratione qua potuit tumulauit. Deinde ſanctorũ Martyrum corpora ſtudioſè per campum requirens, ſicuti iacebant in campo ſepeliuit. Poſt tempus aliquantulum cũ iam vinea Domini Sabaoth, id eſt, Eccleſia Cornubiæ terminos occupare cœpiſſet: inchoata eſt deuotione fidelium ſuper ſepulchrum Sancti Martyris Baſilica. Et cum artificibus, qui in opere Oratorij laborabant, neceſſaria deeſſent, nec aliquis miniſtraret: Sanctus eorum recordãs qui eius deuotione famulabantur, obſequijs prouincialibus circumquaque in viſu nocte apparens, monebat ſingulos, vt operarijs cibum, & neceſſariam opem ferrent auxilij. Venit tandem ad hominem quendam, qui taurum habebat indomitum, monens, vt ad operarios ductum eis largiretur in cibum. Mane autem facto ſollicitus homo de viſione Sancti cœpit cogitare, qualiter poſſet animal ceruicoſum, ac ſuperbum valdè ſubigere: lorisque arctatum, quò Sanctus Martyr mandauerat, ducere. Et conſcenſo equo, vt quæreret

Baculus quẽ Martyrũ paſſurus in terram fixit, in arborẽ ignoti generis excreuit.

Nocte apparet.

Ceruus ad S. Martyris corpus, tanquam ad præſidium, fugit & canes eum perſequi deſinunt.

Corpora Martyrũ ſepeliuntur.

S. Fingar operarijs, ſui templi neceſſaria prouidet.

taurum, egrediens cernit prius indomitũ, modo Dei virtute manſuetiſſimum animal aſtare pro foribus, qui ſponte ante Dominum gradiens manſuetus recto itinere pergebat ad locum, vbi artifices in opere Oratorij laborabant. Mactabatur beſtia: & cernentes Martyris ſibi adeſſe auxilium, operi de cætero deuotius inſtiterunt. Aliud quoddam memorabile, & dignum relatione in eiuſdem quoque fertur Baſilicæ conſtructione contigiſſe miraculum. Vnus quidam ex ijs artificibus, qui in opere laborabant, cum in ſecuri incideret, confracta, in duo fruſta diuiſa eſt. Turbatus homo iurare cœpit & obteſtari, ſe in opere de cætero nihil facturum. Quod cùm audiſſet operis procurator, vir quidem bonus, qui pro Deo Baſilicæ curam ſuſceperat, & deuotè ſe mancipauerat obſequijs Sancti, cœpit conſolari hominem, & blandis triſtem demulcere alloquijs: & accipiens fruſta in nomine Ieſu Chriſti, & fractionis ruinas coniungens, confeſtim meritis Martyris glorioſi compaginatum, & conſolidatum eſt ferramentum; ita vt * nullæ de cætero fracturæ veſtigium appareret. Laudatur Deus in commune & benedicitur, & homo, qui ſe de cætero nihil facturum iurauerat, tanto confortatus miraculo, fortior iam perſtitit in opere. Sed quoniam Sancti exorſus ſum enarrare virtutes, illud inſerẽdum credidi lectioni, quod & incredulis metum incutit, & vniuerſos de Sanctorum reuerẽtia monet. Cum ſuper ſaxum quoddam, quod fuerat anchora nauis eius, in contemptum Martyris ſancti, duo milites inſultando vrinarent, vtrumque confeſtim diuina vltio percuſſit. Ambo enim arrepti à Dæmone, alter eorum linguam fruſtatim conciſam dentibus maſticauit: alterius viſcera per poſtrema diffuſa ſunt omnia, & ſic vterque exitu expirauit horrendo. Ecce ex hoc poteſt ſatis perpendi, quanta Sanctos vult Deus reuerentia honorari, quorũ contemptum tam diſtricto diſponit examine expiari: Super Sarcophagum venerabilis cuiuſdam Epiſcopi, qui de contubernalibus fuerat regis Clitonis, corruptor quidam, gremia cuiuſdam mulieris inceſtare præſumpſit, qui more canum in ipſo opere turpitudinis inſeparabiliter copulati, nulla poterant ratione ab inuicem ſeparari: adducuntur tãdem ad memoriam Martyris glorioſi Gui-

Taurum indomitũ manſuetũ reddit.

Fruſta ſecuris compaginat.

** F. Nullum.*

Contemnentes S. Fingaram Dæmon accipit.

Horrendũ facinus mirabiliter punitur.

Pœnitos miſericorditer S. Fingar liberat.

gneri, vbi merito teſtis Chriſti, & interceſſione fideliũ liberantur. Habebat præterea ædituus Martyris ſacri vaccam, quam cùm ſcelerati homines quidam furati fuiſſent, ducentes, ſuper cornua eius ſubito duo luminaria ardentia conſpexerunt; & tanto

Miraculum.

tremefacti ſpectaculo, redeuntes in craſtinum vaccam Sacriſtę propriã reddiderũt. Et aliam pro ſatisfactione commiſſi ſimul, & pro indulgentia ſupplicantes dederunt.

Terra ſepulchri ſanitatẽ reſtituit.

Terra cum fide, & deuotione, ſancti de tumulo ſumpta, per meritum Martyris pellit languores, & perficit ſanitates. Hæc ego ſeruus Chriſti Ieſu Anſelmus de paſſione Sanctorum, & virtutibus Martyris præcioſi Guigneri iuxta fidem narrantium, breui ſtilo digeſſi, vt habeant fideles, qui eius ſpirituali titulo gloriantur, quibus ſe lectionibus occupant, & patroni proprij fortia geſta cognoſcant: & ob hoc nomen meum in fine ſubiunxi, vt per meritum Martyris, & orationem fidelium miſericordiam merear redemptoris Ieſu Chriſti Domini noſtri, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus, Per omnia ſæcula ſæculorum.

Subſcriptio S. Anſelmi.

Hæc deſumpta ſunt ex Tomo tertio operum Diui Anſelmi Cantuarienſis Archiepiſcopi, ſtudio & opera F. Ioannis Picardi emendatorum, & aliquot D. Anſelmi opuſculis in Victoriana Pariſienſi Bibliotheca repertis, auctorum: & Coloniæ Agrippinæ in officina Petri Cholini impreſſorum, anno Domini 1612.

VITA

S. COLVMBANI ABBATIS.

AB EIVS ÆQVALI IONA ABBATE conſcripta.

Præfatio Auctoris, quæ apud Surium habetur, & inter Bedæ opera, ex quibus ipſam vitam deſumpſimus, non refertur.

DOminis eximiis & ſacri culminis regimine decoratis, religioniſque copia fultis Vualdeberto & Boleno patribus Ionas peccator. Memini me ante hoc ferme triennium, fratrum conniuentia flagitante, vel beati Bertulphi Abbatis, imperio iubente, cum apud eos Appenninis ruribus vagans * in Bobienſi cœnobio morarer, fuiſſe pollicitum, vt almi Patris Columbani, meo ſtuderem ſtylo tenere geſta. Præſertim cum ij, qui eo fuerunt in tempore, & penes ipſum patrata viderunt, quamplurimi penes nos ſuperſtites ſint, qui nobis non audita, ſed viſa, narrent: vel quę etiam nos per venerabiles viros Attalā & * Euſtachium didiſcimus, quorū primus *Bobienſis*, ſecundus *Luxouienſis* cœnobij, quo vos præſules exiſtitis, eius ſucceſſores fuerunt: qui Magiſtri inſtituta ſuis plebibus ſeruāda tradiderunt: quorum vitam vtcumque quiuimus in poſtmodum depromſimus, ſeu plerorūque, quos eluentia memorabiles reddit. Sed qui ſupradictorum fratrum agapis vel patris prædicti præceptum conijciens rebar liquido meatu exuberari, multum me ego ad hoc opus imparem reperio. Si enim me in hoc opere nequaquam indignum iudicaſſem, olim iam ad ea tenenda temerario quamuis conatu aggreſſus fuiſſem: quamquam me & per triennium Oceani per ora vehi, & ſcarbea lintris abacta ſcalreus molles ſectanda vias, madefacit ſæpe & lenta palus Elnonis plantas, ob venerabilis Amandi pontificis ferendum ſuffragium, qui his conſtitutus in locis, veteres Sicambrorum errores, Euangelico mucrone coërcet. Erit tamen commiſſi operis, venerandi patres, veſtri arbitrij cultus, vt ſi aliqua minus ritè prompta, decore facunditatis caruerint, veſtris phaleramentis decorentur, vt legentibus apta fiantque, dum mea imperitia in eloquio exhorret, cum facta dictis non exæquantur, Sanctorum virtutes faſtidiosè ferendo non imitentur: Et cum ad partum opus ouantes manum tetenderint, mox ſentium aſperitate cruentam nitantur ſubtrahere. Quibus dicendum eſt nantes ſolere rheumate gurgitum fractis viribus ripæ redditos, cum alia defuerint ſubſidia, feſtino conamine ſentes apprehendere. Et diuitum fauces cùm aliæ dapes redundent, ſæpe aggreſtia deſiderare, & pleroſque muſicorum omnium, organi ſcilicet, Pſalterij, citharæ melis aures oppletas, mollis ſæpe auenæ modulamini auditum accommodare. Etſi me quempiam laudare repererint, qui adhuc ſuperis innoctus ſit, non me adulatorem putent, ſed rei bene geſtæ diſſertorem: nec fauere cuiquam panegyrico carmine, ſed digna memoriæ commendare: nec ideò ſi ſupereſt, tumeſcat ſi à me ſibi largita conditoris dona narrata videat, ne elationis ſtimulo ſinceræ mentis ſoliditatem corrumpat. Nulli quippe dubium eſt, quod fauor adulatorum polluat mentes decore plenas virtutum, ſicut ad Iſraël per Iſaiam Dominus loquitur: *Popule meus, qui te beatum dicunt ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant.* Sapientem etenim, vt vulgo dicitur, falſa laus increpat, vetat ad meliora tendere prouocat. Adornet ergo eos in eo quod bene geſſerint, fama laudabilis increpet, ne maculet amittendo feruorem, tepor vituperabilis, eluant alij, ſi dignum imitatione quid geſſerint, nec ſibi inpoſtmodum pernicioſæ elationis damna attrahant ex commemoratione patratæ virtutis. Inſeruerim ergo illa, quæ veris aſſertionibus experti ſumus fuiſſe patrata, vel prætermitti negligentiæ deputauimus. Multaque prætermiſſa ſunt, quæ ex toto nequaquam * meminimus, & pro parte aliquid ſcribere, nullatenus ratum duximus.

Quæ ſunt ergo poſita, duobus libellis interſcidi, vt vno volumine legentibus faſtidium amputarem. Primus S. * Columbæ geſta perſtringit. Secundus diſcipulorum eius Attalæ, Euſtachij, vel cæterorum quos memini, vitam edisſerit. Ea ergo veſtro libramine penſanda cenſemus, vt à vobis ſagaci examinatione probata, à cæteris ambiguitatem pellant. Nam ſi quædam aliquis non ritè diſtincta, ac de induſtria corrupta repererit, reijcienda iudicabit, præſertim ſi doctorum facundia fultus, affatim ſcientia oppletus abundet. Nouerit tamen nos non ad hoc veſtigia tendere, vt nos putemus doctorum greſſibus coæquari. Illi rore eloquentiæ madentes, virides campos flore pinxerunt: Nobis vix arida tellus arbuſta gignere nouit. Illi dites Balſami lachryma ex Engaddi, floreque aromatum ex Arabia: Nobis ex Hibernia vix butyrū pingueſcit. Illi Piper, Nardumque ſumunt ex India. Nobis pinifera iuga Apennina, iuga, quę Zephiris rigeſcunt frigore flabris, vix tandem ſaliunculam præbent. Illi pretioſi lapidis varietate gloriantur. Nobis temerarium videtur Galliæ ſuccino gloriari. Illi poma palmarum magnoperè in peregrina dirigunt: Nobis Auſonium iuxta poëtam, ſunt molles caſtaneæ, & mitia poma. Valete almi Patres, viri vigoris atque roboris, Deo dicati æterno.

* *in Bobienſi.*

* *Euſtachium.*

locus deprauatus.

Eſa. 3.

* *inuenimus.*

* *Columbanus dicitur etiā Columba*

PROLOGVS IN VITAM SANCTI COLVMBANI.

Rutilantem, atque eximio fulgore micantem Sanctorum Præſulum, atque Monachorum vitam, ſolertia nobilium condidit, & conſcripſit Doctorum, ſcilicet, vt & poſteris alma redolerent priſcorum exempla. Egit hoc à ſæculis rerum Sator æternus, vt ſuorum famulorum famam commendaret perennem, vtque preterita geſta linquerent futuris exempla: Et de præcedentium meritis, vel imitando exempla, vel memoriæ commendando, ventura ſoboles gloriaretur: quorum beatus Athanaſius Antonij, Hieronymus Pauli, & Hilarionis, vt cæterorum, quos cultus bonæ vitæ laudabiles reddebat, Poſthumianus verò, Seuerus & Gallus, Martini egregij præſulis, noſtris memoriam dimiſere ſæclis; pleriq; aliorum, quos aut fama, aut bonorum operum exempla, vel virtutum commendarunt monimenta, vt ſunt Columnæ Eccleſiarum Hilarius, Ambroſius, Auguſtinus, qui inter tot ſæculi turbines, fluctuante mundo, ſtatum Eccleſiæ ſuſtentarunt: nec flatu aduerſante iniquo, ac hæreticorum procella quatiente, veram fidem aduerſitas macularet. Quorum nos exempla temerario conatu ſecuti, qui nec meritorum ſupplemento, nec facundiæ flore ſuffulti, nec elucubrante ſcientiæ fonte, tanti patris noſtris ſæculis refulgenti Columbani aggredimur texere geſta. Et tamen noſtrorum arbiter dictorum, virtutum largitor immenſus, qui illi & gratiæ ſuæ munera, & vitæ perennis largitus eſt coronam.

HYMNVS. S. NOTKERI BALBVLI, de S. Columbano Abbate.

Noſtri ſolemnis ſæculi
Refulget dies inclyta,
Quo ſacer cælos Columba
Aſcendit ferens trophæa.
Sed priuſquam eum mater
In auras lucis ederet,
E ſinu ſolem proſpexit
Terris lumen diffundere,
Qui poſt altus Hibernia,
Sacro edoctus dogmate,
Gallica arua adiens
Plebi ſalutem tribuit.
Ægri ſanantur ocyus,
Nautis producit latices,
Piſcis in vſum præbetur,
Cedit imber à ſegete.
Prolem capit ſterilis,
Ales rapinam reddidit,
Fœnis horrea augentur,
Abſciſſa caro ſoſpes eſt.
Tactus vidit, nec cernitur,
Sentit damna ergaſtulum,
Fugit peſtis ab homine
Quam dæmon ſæuus miſerat.
Ligeri ſcapham retinet,
Ablato furto prodeunt,
Cæcuſque lumen recipit,
Præbendo cibus augetur.
In eſca ſalis veniunt
Feræ iuſſis obediunt,
Fides patrari conſcia
Nouit quod poſſit omnia.
Deo Patri ſit gloria,
Eiuſque ſoli Filio
Cum Spiritu Paraclyto
Et nunc & in perpetuum. Amen.

VITA

VITA
S. COLVMBANI
ABBATIS.

CAPVT PRIMVM.

** ſ Colũba.*

COlumbanus igitur, qui & Columbæ ortus eſt in Hibernia inſula, quæ eſt in extremo Oceano ſita, & ſpectat Titanis occaſum,

Patria S. Columbani.

dum vertitur orbis, & lux occiduas ponti deſcendit in vmbras: vnde denuò peracto curſu noctis irradiat totum rediuiuo lumine mundum. Inſulæ huius ſitus, vt fertur, eſt amœnus, ac aduerſantium exterarum carens bello nationum. Hanc &*Scotorũ gens incolit,gens quanquam abſque reliquarum gentium legibus, tamen in Chriſtiani vigoris dogmate florens, omnium vicinarum gentium fidem præpollet.

** Scoto.*

Fides Hibernorũ.

Natus ergo hic inter primordia fidei gentis illius eſt vir iſte beatus, vt fides, quam infœcundam ex parte gens illa habebat, ſuo ac ſodalium ſuorum munimine, cultu vberi fœcundaretur. Sed priuſquam lucem vitæ præſentis caperet, quid ante eius ortum actum ſit, non eſt ſilendum. Nam cum eius genitrix aluò grauida teneretur, ſubito per intempeſtam noctem ſopore depreſſa, vidit è ſinu ſuo rutilantem Solem, & nimio fulgore micantem procedere, & mundo magnum lumen præbere.

Somnium matris S. Columbani.

Poſtquam autem ſopor membra laxauit, & cœcas ſurgens tenebras aurora fugauit, intra ſemetipſam penſare cœpit quæ viderat: & ancipiti gaudio, tantæ viſionis vim ſagaci animo trutinans, ſolaminis ſupplementum à vicinis petit, quos doctrina ſolertes reddidit, quærens vt tantæ viſionis myſterium ſapienti corde rimarentur. Tandem peritorum libramine reſponſa recepit, ſe egregiæ indolis vtero concepiſſe virum, qui & ſuæ ſaluti vtilia, & proximorum prouideret vtilitati opportuna.

Somnij interpretatio.

Quem mater poſtquam edidit, tanta cuſtodia ſeruauit, vt vix eum vel cognatis, vel aliorũ moribus crederet, quoaduſque vita pueri ad boni cultus operis duce Chriſto, ſine quo nihil boni agitur aſpiraret. nec immerito ſolem fulgentem & ſinu ſuo mater prodire conſpexit, quia hic in matris vniuerſorum Eccleſiæ membris, inſtar Phœbi fulgore micuit, Domino dicente: *Tunc iuſti fulgebunt ſicut Sol in regno patris eorum.*

Educatio S. Columbani.

Matt. 13.

Sic Debbora ſupplici voce ad Dominum Spiritu Sancto monente, olim loquebatur, dicens, qui autem diligunt te, ſicut Sol in ortu ſuo ſplẽdet, ſic rutilabunt. Æthereus etiam axis ſiderum diſtinctione flaueſcens, ſicut de frequentia celebris lucis ſpecioſior eſt, ſicut diei lux, Phœbi aucta ſplendore mundo amœna refulget: ita corpus Eccleſiæ cum conditoris ſui ditatũ opibus, Sanctorum augmentato numero, ſcientiæ religione niteſcit: vt ex frequentia doctorum pullulent lucra ſubſequentium. Et vt ſol, vel luna, aſtraque omnia noctem & diem ſuo nitore nobilitant, ita Sanctorum merita Sacerdotum, Eccleſiæ munimenta roborant.

Comparatio S. Columbani cum Sole.

CAP. II.

PEractis itaque infantiæ annis, in pueritiæ ætate pubeſcens, liberalium literarũ Doctrinis, & Grammaticorum ſtudijs, ingenio capaci dare cœpit laborem, quem per omne pueritiæ & adoleſcentiæ tempus exercens, vſque ad virilem ætatem vberi intentione deſixit. Sed cum eum elegãtia formæ, præſertim corporis candor, & pubertas nobilis,

S. Columbanus ſtudijs incũbit.

omnibus gratum redderet, cœpit tandem contra eum antiquus hoſtis lethifera tela relaxare, vt quem tanto ingenio creſcere cerneret, ſuis habenis ſi valuiſſet, irretiret. Aggreſſus eſt igitur laſciuarum puellarum in eum ſuſcitare amorem, præcipuè quas forma corporis perfunctorio decore, horrendo deſiderio in miſerorum animos

Tētatur.

ſolet immergere. Sed cum ſe egregius miles tantis telis vndique vrgeri conſpiceret, & micantem ſicam callidi hoſtis ſe contra erigi conſpexiſſet, expertus fragilitatem humanam, citò ad proclinia labendo demergi, vt Liuius ait, nihil eſſe tam Sanctum religione, tamque cuſtodia clauſum, quo penetrare libido nequeat: Euangelicum clypeum tenens læua, enſemq; ancipitem ferens dextra, contra immanes cuneos hoſtium pugnaturus cœpit pergere, ne fru-

pugnat.

ſtrato labore, quo potiſſimo ingenio ſudauerat in Grammatica, Rhetorica, & Geometria, & diuinarum ſcripturarum ſerie, ſæculi illecebris occuparetur: datur ſcilicet adhuc ſtimulus vrgendi. Cum hæc iam penes ſe volueret, venit ad cuiuſdã religioſæ, ac Deo dicatæ cellulã fœminæ, quam cum prius humili voce ſalutaſſet, poſteà caſtigare illam iuuenili, vt poterat, hortamine eſt aggreſſus. Quæ videns in adoleſcẽte vigorem, ego, ait, vtcunq; potui, ad bellum progreſſa exiui: en duodecim tẽpora voluuntur, quo & domo carui, & hunc peregrinationis locum expetij, & nunquã deinceps Chriſto præſule manu ſtiuam tenens, retro reſpexi: & niſi fragilis ſexus obſtaret, mare tranſito, potioris peregrinationis locũ pe-

Religioſa famina ad peregrinandũ eum hortatur.

tiſſem: tu vero adoleſcentiæ flãmis æſtuans, natale ſolum incolis, & ad fragiles voces, velis nolis fragilitati aurem accõmodas, & viſitare te fœmineum ſexum liberè credis. Non reminiſceris ſuaſu Euæ Adam dilapſum? Samſonem à Dalila ſeductum? Dauid à priſtina iuſtitia pulchritudine Berſabeæ corruptum? ſapientiſſimum Salomonẽ mulierum amore deceptum? Perge, inquit, ô Iuuenis, perge, euade ruinã, per quam multos comperis corruiſſe: declina viam, quæ inferi ducit ad valuas. Huius ergo dictis ſtimulatus adoleſcens, & vltrà quàm adoleſcentem terreri crederes, grates tales increpanti refert: & ſodalibus valedicens iter arripuit, materque eius dolore ſtimulata, precatur vt ſe non relinqueret. At ille, non,

Mater obſtat.

inquit, audiſti: *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus?* obſtanti matri, & limini oſtij inhærenti, poſtulat vt ſe ire ſinat: illa autem eiulans, & pauimento proſtrata, denegat ſe permiſſuram. Ille enim limen matremque tranſiliit, poſcitq; matrem ſe lætam habeat, illum nunquam deinceps in hac vita viſuram, ſed quocunq; ſalutis viam iter pandat, ſe progreſſurum.

Ille nihilominus eam relinquit.

Relicto ergo natali ſolo quod Lagenorum terram incolæ nuncupant, ad virũ venerabilẽ nomine *Senile* perrexit, qui eo tempore ſingulari religione, & ſcripturarũ ſacrarũ ſcientiæ flore inter ſuos pollebat. Quẽ cum vir Sãctus ingenij ſagacis eſſe videret, omnium diuinarũ ſcripturarum ſtudiis imbuit: ita tamen vt fieri aſſolet, cum ludendo magiſtri diſcipulos ſciſcitari conantur, vt de illorum ingenio cognoſcant, vel flagrantem vbertate ſenſum, vel negligentiæ ſomno torpentem, cœpit ab eo ex difficilium quæſtionum materia ſenſus quærere. At ille pauido quanquam, tamen ſagaci è pectore, ne inobediens magiſtro appareret: non Xenodochiæ auctus vitio, ſed magiſtro parendo, verſa vice obiecta ſibi elucubrabat, memor illius pſalmographi præconij, *Aperi os tuum, & ego adimplebo illud.* Tantum in eius pectore diuinarũ theſauri ſcripturarum conditi tenebantur, vt intra adoleſcentiæ ætatem detentus, Pſalmorum librum elimato ſermone exponeret, multaque alia, quæ ad cantum ſunt digna, vel ad docendum vtilia, condidit dicta.

Lagenia Prouincia Hiberniæ.

Doctrina Sancti.

CAP. III.

DEdit deinde operam, vt Monachorum necteretur ſocietati, ac monaſterium, cuius vocabulũ eſt *Benchor* petijt, in quo præſul virtutum vbertate cluebat Beatus *Congellus*, egregius inter ſuos Monachorum pater, quique & religionis ſtudio, & regularis diſciplinæ cultu, præcipuus habebatur. Ibi ſolis orationibus, & ieiunijs vacare cœpit, & iugum Chriſti quod ferentibus leue eſt, ſuper ſe ferre, ſemetipſumque ſibi abnegando, ac crucem ſuam tollendo, Chriſtum ſequi: vt qui aliorum Doctor futurus erat ipſe, quod doctrina didicerat, in ſuo corpore mortificationem ferẽdo, vberius exẽplo monſtraret quod alijs implendum fore docuiſſet. Peractis itaque annorum multorum in Monaſterio circulis,

Benchor adit.

cœpit

peregrinari intendit. *Gen. 12.*

cœpit peregrinationem deſiderare, memor illius Domini Imperij ad Abraham: *Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & vade in terram, quam monſtrauero tibi.* Cõfeſſus igitur Venerabili Patri Congello cordis ardorem, & ignitum igne Domini deſiderium, de quo igne Dominus in Euangelio loquitur, *ignem veni mittere in terram,* * *quē volo vt ardeat*: ardentem patri patefaciebat affectum, ſed non ita Patris reperiebat reſponſum, vt ſua petitio anhelabat: Erat enim Venerabili Congello arduum tanti ſolaminis pati diſpendium. Tandem tamen aſpirare cœpit, & cordi anteponere, vt non plus ſuæ neceſſitati ſtuderet, quã aliorũ vtilitati opportuna pareret: nec. ſine Omnipotentis arbitrio fiebat, qui tyronem ſuum ad bella futura erudiebat, vt de eius victorijs glorioſos referret triumphos; lætámque ſupellectilem de cæſorum hoſtium reportaret phalangis: vocatóque eo triſtem licet ſibi, tamen alijs vtilem depromit ſententiam: ſe & pacis vinculum, & ſolaminis ſupplementum, comitéſque itineris, quos religio claros reddebat, largiturum. Collecto ſanè Fratrum cœtu, omnium orationum ſuffragia poſtulat, vt futuro itineri ſolamen largitor pietatis tribuat.

Luc. 12. * *et quid volo niſi vt ardeat.*

Vigeſimo ætatis anno iter arripit.

Viceſimum ergo ætatis annum agens, arrepto itinere cum duodecim comitibus, Chriſto duce ad littus maris accedunt: ibi omnipotentis miſericordiam præſtolantur; vt ſi ſuæ voluntati inhæreant, concepti conſilij effectus perficiantur, agnoſcántque ſecum clementis Iudicis voluntatem adeſſe: carinamque ingreſſi, dubias per freta ingrediuntur vias, & mite ſalum properantibus zephyrorum flabris pernici curſu ad Britannicos perueniunt ſinus.

Ad Britanniam peruenit.

Pauliſper ibidem commorantes, vires reſumunt, ancipitique animo, anxia cordis conſilia trutinantur. Placet tandem arua Gallica planta terere, & mores hominum feruenti aſtu ſciſcitari: Et ſi ſalus ibi ſerenda ſit quantiſper commorari: ſi autem obduratas caligine arrogantiæ mentes reperiant, ad vicinas regionum nationes pertranſire.

CAP. IV.

Galliam petit.

A Britannicis ergo finibus progreſſi, ad Gallicas tendunt, vbi tunc vel ob frequentiam hoſtium externorum, vel negligentiam Præſulum religionis virtus penè abolita habebatur, fides tantum remanebat Chriſtiana. Nam pœnitentiæ medicamento, & mortificationis amor, vix vel paucis in illis reperiebatur locis.

Chriſtianarum virtutum raritas in Gallia.

Agebat autem venerandus vir, vt ad quæcunque loca progrederetur, verbum Euangelicum annunciare. Erat enim gratum hominibus, quia quod facundiæ cultus adornabat, elucubrante prædicationis doctrina, ſimul & exempla virtutum confirmabant.

Prædicat vbique.

Tanta enim erat humilitatis vbertas, vt verſa vice, ſicut de honoribus homines ſæculi conantur quærere dignitates, ita iſte cum ſodalibus ſuis de humilitatis cultu alter alterum niterentur præuenire: memores præcepti illius, *qui ſe humiliat, exaltabitur:* Et illud Iſaiæ, *ad quem reſpiciam, niſi ad humilem & quietum,* & trementem ſermones meos? tanta pietas, tanta charitas omnibus inerat, vt vnum velle, & vnum nolle eſſet omnibus: modeſtia atque ſobrietas, manſuetudo & lenitas æque in omnibus redolebat.

Humilitas. *Luc. 14.* *Pietas, charitas.*

Execrabatur ab his deſidiæ atque diſcordiæ vitium, arrogantiæ aut elationis ſupercilium duris caſtigationum ictibus feriebatur, iræ ac liuoris noxa ſagaci intentione pellebatur. Tantaitaque patientiæ virtus, charitatis affectus, lenitatis cultus aderat, vt mitem in medio eorum Dominum patulè non ambigeretes habitare.

Cæteræ virtutes in ipſo & ſocijs ſuis.

Si quemquam in his labi in vitium reperiſſent, ſimul omnes æquo iure negligentem correptionibus cædere ſtudebant: communia omnia omnibus erant: Si quiſpiam aliquid proprium vſurpare rentaſſet, cæterorum conſortio ſegregatus, pœnitentiæ vltione vindicabatur: Nullus proximo contrarietatem rependere, nullus aſpetum ſermonem audebat proferre, ita vt in humana conuerſatione Angelicam vitam agi crederes.

Correptio fraterna. *Omnia communia.*

Tanta in beato viro gratia redundabat, vt in quorumcunque domibus quantiſper commoraretur, omnium animos ad religionis cultum defigeret.

Gratia S. Columbani.

CAP. V.

Peruenit ergo fama beati Columbani ad aulam Sigeberti Regis, qui eo tempore duobus regnis Auſtraſiorum, Burgundionũmque inclytus regnabat Francis, quorum eximium nomen præ cæteris gentibus, quæ Gallias incolunt, habetur. Ad

Ad Regẽ Sigebertũ accedit.

quem, cum vir Sanctus cum ſuis acceſſiſſet, gratus Regi & aulicis, ob egregiæ doctrinæ copiam redditur. Cœpit tandem ab eo Rex quærere, vt intra terminos Galliarum reſideret, nec ad alias gentes tranſiens ſe relinqueret, omnia quæ eius voluntas popoſciſſet ſe paraturum. Tunc ille

rogat Rex.

ait Regi, non ſe aliarum opum fore cupidum, ſed Euangelici præconij, in quantum

Sanctus reſpondet.

carnis fragilitas non obſtabat, ſectaturum exemplum: Qui vult, inquit, poſt me venire abneget ſemetipſum ſibi, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Cui talia obijcienti, Rex præbet reſponſum, ſi Chriſti crucem tollere, & ipſum ſequi deſideras,

Replica Regis.

potioris eremi ſectare quietem, tantùm ne noſtræ ditionis ſolo relicto, ad vicinas pertranſeas nationes: vt & tui præmij augmentum, & noſtræ ſaluti prouideas opportuna. Datâ itaque optione, obtemperans Regis perſuaſionibus eremum petit: erat enim tunc vaſta eremus *Voſagus* nomine, in qua caſtrum olim dirutum, quod antiquorum traditio *Anagrates* nuncupabat.

In eremo locum habitationis cõſtituit.

Ad quem cum vir Dei veniſſet, licet aſpera eſſent vaſtitate ſolitudines, & ſcopulorum interpoſitione loca, ibi cum ſuis reſedit, paruo alimentorum ſolamine contentus: memor illius verbi, non in ſolo pane hominem viuere, ſed verbo vitæ ſatiatos affluenti dape abundare, quâ quiſque ſumptâ, eſuriem neſciat in æuum.

CAP. VI.

Eo ergo in loco viro Dei cum ſuis commorante, ſubito vnum è fratribus, vel ob probationem, vel qualibet culpa attrahente, vis febrium cœpit flagellare: ſed cum nulla alimẽtorum ſolamina adeſſent,

Penuria alimenti.

niſi corticum & herbarum pabula præberentur tantummodo, cœpit omnium animis aſpirare, vt pro ægri Fratris ſoſpitate, ieiunio omnes & oratione vacarent. Tertio die, iam peracto ieiunio, nihil habentibus vnde feſſa corpora reficerentur, ſubito conſpiciens virum quendam cum panum ſupplemẽto, vel pulmẽtorum equos oneratos habentẽ, ante fores aſtare: qui ſe referebat ſubita cordis admonitione actum, vt

Cibus admonitione diuina eis mittitur.

eis ex ſua ſubſtantia ſubueniret, qui tantam pro Chriſto egeſtatem in eremo ſuſtinerent. Oblatis itaque viro Dei quæ detulerat, cœpit cum cordis humilitate depoſcere, vt vir Sanctus pro coniuge ſua deprecaretur Dominum, quam per anni circulum tantus ignis febrium vrebat, vt iã crederetur ſuperis reddi. Humili ergo, & anxio corde poſcẽti, noluit vir ſãctus denegare ſolamẽ, adhibitiſq; ſimul fratribus pro ea Domini miſericordiã deprecatur: cũque ille cũ ſuis orationem cõpleſſet, ſtatim ea, quæ periculum mortis in propatulo habebat, ſanitati eſt reddita. At vero cum vir

Ægrotam ſanitati reſtituit.

eius largita ſibi à viro Dei benedictione domum remeaſſet, inuenit coniugem ſuã domi ſedentem: ſciſcitatuſque qua horâ eam vis febrium reliquiſſet, reperit ea hora ſanatam fuiſſe, qua vir Dei pro ea Dominum deprecatus eſſet. Tranſacto itaque deinceps paruo temporis interuallo, quo pia capiti Chriſto placamenta ac piamina mentis, per contritionem carnis, iniuriaſque famis, mortificata Deo membra offerrent, ac inuiolatum religionis ſtatum ſeruare ſtuderent, duris acerbitatibus omnis frangeretur voluptas: vt videlicet prædo

Longum ieiunium.

virtutum omnium explorator criminum foret: nouem tranſierunt dies, quo vir Dei cum ſuis non alias dapes caperet, quàm arborum cortices, herbaſque ſaltus. Sed temperauit eſcæ ariditatem, pietas virtutis æternæ: monuit per viſum Abbatem quendam, nomine *Carantocum*, qui monaſterio, cui *Salicis* nomen eſt, præerat, vt famulo ſuo Columbæ, intra eremi vaſtitatem

Monetur diuinitus Abbas vt Sancto cibum mittat.

conſiſtenti, neceſſaria deferret. Expergefactus igitur *Carantocus*, cellarium ſuum *Marchulfum* nomine, vocat, eique admonitæ rei cauſam narrat: at ille, Fac inquit, vt imperatum eſt tibi. Iubet ergo *Carantocus Marchulfum* ire, & omnia quæ poſſet parare, & beato Columbano deferre. Oneratis ergo *Marchulfus* vehiculis, iter arripuit: Sed cum ſolitudinis ora attigit, viam ſibi pandi itineris nequaquam reperit. Fuit autem tandem conſilium, vt ſi in hoc Dei eſſet imperium præmiſſis equis imperantis potentia viam aperiret. Mira itaque virtus, antecedentes equi ignotum iter vngula callem terunt, rectoque itinere

Equi ignotã viam inueniũt.

ante fores beati Columbani ad *Anagrates* perueniũt. Mirans ergo *Marchulfus* equorum veſtigia ſubſecutus, ad virum Dei peruenit, & quæ detulerat præſentat. Ille autem grates conditori rependit, qui ſic famulis ſuis in deſerto parare menſam non diſtulit. Acceptâ ergo *Marchulfus* ab eo

benedictione,

benedictione, calle, quo venerat, repedauit, omnibuſque rei geſtæ cauſam patefecit. Cœpit namque exinde frequentia populi & infirmantium cohortes, ob ſanitatem redintegrandam eum frequentare: & omnium infirmitatum ſuffragia quærere: quorum vota cum reuocare à ſe nequiret, omnium petitionibus parens, orationum adiumento, cunctorum ad ſe venientium infirmitates, diuino fultus auxilio, curando ſubueniebat.

Infirmos ſanat.

CAP. VII.

Iiſdem in locis euenit, vt per opaca ſaltus, inter deuia idem vir Dei deambularet: & librum humero ferens, de ſcripturis ſacris ſecum diſputaret: ſubita cogitatio in mentem ruit, quid de duobus eligeret melius, in hominū iniurias incidere, quàm ferarum ſæuitiam ſuſtinere. Cumque vrgeret cogitationem innata ſeueritas, crebrò frontem ſigno crucis armans, atque orans intra ſe ait, melius eſſe ferocitatem beſtiarum abſque alieno peccato, quàm hominum rabiem ſuſtinere cum damno animarum. Dumque hæc animo volueret, conſpicit duodecim lupos aduenire, & dextrâ leuâque ſibi aſtare, manebatque immobilis, atque dicens, *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina.* Propius autem illi accedunt, atque ora veſtimentis ſuis iungunt: cumque ille conſtans aſtaret, intactum relinquunt, ſaltumque peruagantur. Hac tentatione in ſeruitutem traiecta, iter per ſaltum carpit: cumque haud procul abiſſet, audit vocem multorum Sueuorum per auia obertantium, qui eo tempore iiſdem in locis latrocinia exercebant: ſicque dæmon per conſtantiam traiecta tentatione, pepulit aduerſitatem: ſed hoc vtrum Diaboli fallacia finxerit, an rei veritas geſſerit, patulè non agnouit. Rurſumque ſeceſſit à cellula, longiorique via eremi vaſta penetrans, reperit ſaxum immane, præruptaque rupis latera, aſpera ſcopulis terga, auia hominibus, ibique conſpicit concauum in caute ſinum: aggreſſuſque abdita perſcrutari, reperit in interiore ſinu, vrſi habitaculum, ipſumque interius reſidentem. Mitis ergo feram iubet abire, nec deinceps, inquit, hos repetas calles. Abijt autem fera mitis nec prorſus eſt auſa repedare: diſtabatque ab *Anagrate* locus ille plus minuſque ſeptem milibus.

Quaſtio. Optio. Pſal. 69. Lupi eum intactum relinquūt. Vrſus ei obedit. al. miliaribus.

CAP. VIII.

Quodam in tempore cum in eadem concauitate ſcopuli ſolitariam vitam duceret, ſicut eius erat conſuetudinis, vt cum Dominici feſti, vel quorumlibet Sanctorum ſacræ ſolemnitatis appropinquaret aduentus, ab aliorum ſocietate ſegregatus, & abditis locis receptus, longioris ſpatij Eremi ſecreto tutaretur, vt ſolida mente, & abſque curarum inquietudine ſolus orationi vacaret, & religioni omni conatu intenderet: erat cibus eius attenuatus, ita vt vix eum viuere crederes, nec aliud penitus, quàm agreſtium herbarum exigua menſura, vel pomorum paruulorum, quæ eremus illa ferebat, quas etiam Bulgulas vulgò appellant: potus illius aqua erat, vt qui ſæpe in aliorū curis occupatus, hæc æquè agere nequiret, ſaltem per interualla temporum, pro parte mentis vota patraret: eratque in monaſterio eius puerulus quidam nomine *Domualis*, qui cum certa opportunitas Monaſterij eueniſſet ſolus patri renunciaret, ac fratribus obſeruanda referret. Poſitus ergo in præfato ſinu eminentis ſaxi, qui aliunde penè aditum denegabat, multis cum iam inibi diebus reſediſſet cœpit ſupradictus puerulus ſubſilenti voce conqueri, cur in promptu aquam non haberet, ſed grandi labore per montis ardua feſſis poplitibus deferret. Cui Columbanus, inquit: Fili, pauliſper ſaxi terga ſciſcitare; memento populo Iſraël Dominum de caute latices produxiſſe. At ille patri obediens, rupem cædere aggreſſus eſt. Sanctus itaque vir ſtatim genibus prouolutus, orationibus deprecatur, vt ſuæ neceſſitati tribuat opportuna. Tandem eius precibus parens, piè petenti larga ſubuenit poteſtas: moxque latice producto, fons cœpit manare perennis, qui vſque in hodiernum diem manat. Nec immeritò miſericors Dominus ſuis Sanctis tribuit poſtulata, qui ob ſuorum præceptorum imperium proprias crucifixerunt voluntates, tantum fide pollentes; vt qui eius miſericordiam poſtulauerint, impetrare non dubitent, quia ipſe promiſit dicens: *Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, tranſi, &* * *tranſiet: & nihil im-*

*Solitudinis amor. Victus tenuitas. Fontem è petra manare impetrat. Matt. 17. * Tranſibit.*

que licentiam eis concederet pro ſua clementia. Ingenuitate vero adoleſcentum comperta, ſimulque exilij cauſam Dux agnoſcens, ſumma eorum petitioni liberalitate aſſentiens, tantum eis terræ ad habitandum conceſſit, quantum vnus equitando poſſet currere per diem. Præcepitque venerationi habendos, & maximè Fingarem cenſuit excolendum. Domini igitur gratiam in omnibus conſecuti diliguntur ab omnibus, ab omnibus honorantur, & cum indigenis de cætero noui hoſpites familiariter habitare cœperunt. Sed cum iam prouidentia ſummi Dei tyronem ſuum Fingarem ſuis arctius vellet applicare obſequijs, tali eum arte diſcreuit. Die quadā cum ſuis conſortibus ad venandum egreſſus, repertum canes cœperunt agere ceruū, qui cum canibus importunè infeſtantibus, ea qua illud animal ſolet ferri velocitate aufugeret, ſolus Fingar cū canibus, relictis ſocijs, proſecutus eſt fugientē. Quid plura? ceruum labarū retinuit, occidit, & detracta pelle fruſtratim concidens per artus equo impoſuit, quaſi reuerſurus ad ſocios, qui eum nebula obducente perdiderant. Sed cum reſperſam ſanguine veſtem ac cruentatas manus vellet abluere, huc illucque circumſpiciens, non inueniebat aquam: & labari cuſpide in terra defixa, improuiſi fōtis gratiſſima manus vena defluxit. Laticis noui miratur fluenta, & illius virtuti factū deputauit, qui * antiquum populum ſilice percuſſo potauit. Comparetur, ſi placet, factum cum antiquo S. Clementis miraculo. Nam quod ille pede agni fontis cognouit theſaurum, iſte acumine teli bullientē venam inuenit. Denique cum lauandus ſe ad fontem diſponeret, inclinans ſe in aquā per vmbram formoſi vultus ſui pulchritudinem attendens (erat enim ſpecioſus valde, & decorus aſpectu) cœpit laudare Deū & benedicere, qui tantam ei contulerat gratiam. Et ex illa hora ſe ei ſeruiturum tota deuotione ſpondens, ſoluto de capite equi fræno, liberum quo vellet ire permiſit. Ipſe verò inter ſaxa ſub quodam ſpecu latitans, quercuum glande aliquanto tempore vixit. Socij autem eius per loca diffuſi tota intentione quærebāt eum, & cum non inueniſſent, anxij valdè & dolentes reuerſi ſunt ad habitaculum ſuum. Dominus autem Britanniæ, cum audiſſet illum deeſſe, euocatis ad ſe ſocijs eius, requirebat eis

Dux Britannia minoris amplas terras Fingari cum ſocys tribuit.

Labarum non videtur hic accipi pro vexillo militari, de quo multa Baron. Tom. 3. & 4. Sed pro haſta ad feras necandas idonea.

** Exod. 17 Num. 20. Pſal. 77. 104.*

Fonte de terra producit.

In ſpecu Deo ſeruiturus latitat.

quò deueniſſet, vel quid de eo factum fuiſſet? & alligatos in cuſtodia tradens comminabatur, iurans ſe occiſurum omnes, niſi ei veritatem indicarent; arbitrans ab eis in contentione vel litigio interemptum. Sed cur hominem occidiſſent, pro cuius amore natale ſolum reliquerant, laboreſque ſuſtinuerant infinitos, terræ mariſque diſcrimina tolerauerant multa? denique triſtitia, qua afficiebantur pro eo, non homicidas, ſed veros monſtrabat amicos, & tales, quibus credi nō de odio, ſed de amicitia debuiſſet. Expoſito tamen, qualiter inuentione cerui deceſſiſſet ab eis, ad eum iterū inquirendum ſe offerunt, loca ſe monſtraturos, vbi ſocium perdidiſſent, ſi viros, qui cum ſagacius ſcirent inquirere, deſtinaret. Itum eſt, & multo labore inuentus ad præſentiam Ducis adducitur: & cum Dux de eius inuentione lætus, facti benignè cauſam inquireret; reſpondit, ſe omnino diuinis mancipatum obſequijs, nec vlla vnquam ratione ad ſæculi deinceps poſſe redire officia: Si tamen ei locum, in quo conſtructo oratorio, Deo quietius poſſit ſeruire, pro ſua vellet benignitate concedere, libēter ſuſciperet. Dux vero benignus eius voluntati fauere conſentiens, locum aſſignauit; & totam inſuper terram, quam ei & ſocijs eius prius ad habitandum conceſſerat, liberam ab omni tributo perpetuam delegauit in dotem. Ingreditur igitur electus Domini Fingar locum Ducis clementia conſignatum, prędijs ac poſſeſſionibus dotatum ampliſſimè atque ditatum, ac mente tota, ac deuotione in cæleſtis ſolij habitationem intentus habitaculū ſanctificationis, in quo Deus perpetuò laudaretur, inſtituit. Accingit ſe deinceps ſeruus Dei fortius ad opera fortiora, carnem domat, roborat ſpiritum, & perſequendo ſe ipſum, ſe ipſum perficiebat in Domino. Poſt tempus aliquod ad locum natiuitatis admonitus hortatu Angelico redire iubetur. Quò cum Domini in omnibus prēſidio fultus rediſſet, Hiberniam Chriſti legibus ſubditam, in confeſſione Chriſtiani nominis glorιantem, & totam lauacro ſancto perfuſam inuenit. Gaudent ſerui ſe Dominum accepiſſe, Chriſtiani fideles conſortem patronum. Rogant eum, Clitone patre defuncto, ſuſcipere regnum, cupientes defenſorem talem habere, cuius prouidentia gubernaretur regnum, & noua adhuc

Quæritur aliqūter.

Inuenitur.

Cōſtructo oratorio diuinis laudibus intendit.

Reuertitur in Hiberniam hortatu Angelico.

adhuc Chriſtianitas tueretur. Tibi inquiunt, excepto quod fidei Chriſtianæ te cupimus habere fautorem, ex genere Regis bonor debetur, ad te hæreditas pertinet, tibi hæreditario iure cedit poſſeſſio. Tum ipſe. parcite, inquit, Chriſtianiſſimi, ſemel dedicatus ſum Chriſto; illi ſoli me ſeruiturum deuoui, ad officia ſæculi deinceps reuerti non poſſum: quoniam *nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei*: nemo militãs Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus, vt placeat ei cui ſe deuouit. Et cum rogantes pia importunitate inſtarẽt. In vanum, ait, fratres tantis precibus laboratis: ego enim vobiſcum diutius detineri non poſſum. Sed ſi vultis agere ſecundum meum conſilium, eligite virum induſtriũ, ac fidelem, vnum ex nobilibus patriæ; cuius prouidentia moderetur regnum, & Chriſtianæ fidei tueatur religio: & illi Germanam meam Pialam in vxorem ſimul cum regno tradite.

Regnum renuit.

Fuerat autem clariſſima virgo Piala, nobiliſſimi Regis Clitonis filia, ſoror Sancti Guigneri, lauacro purificationis regenerata in Chriſto. Sancti igitur inſtructi conſilio virginem ſacram alloquuntur de ſponſo. Quibus illa, tota in amore Chriſti fundata, reſpondit. Sponſus meus Chriſtus eſt, qui me per ſuam gratiã regni ſui elegit conſortem: huic fidem promiſi, quam violare non debeo; & ideo aliũ ſponſum præter ipſum nõ poſſũ ſuſcipere. Regni huius gloriã cõtemno, quæ non poteſt carere miſeria; & ad regnũ, quod promittit Dominus Ieſus Chriſtus, ſuſpiro: vbi non eſt dolor vel triſtitia, ſed perpetua iucunditas, & lætitia ſempiterna. Cernens autem Sanctus virginis intentionem in Chriſti ſolidatam amore, ita vt nulla poſſit ratione ad conſenſum coniugii flecti; ait: Sinite eam fratres, nolite contra Dei beneplacitum niti: ipſe ſic voluit, & ſic futurum prouidit. Regnum iſtud Dei prouidentiæ committamus; ipſe ſecundum ſuam voluntatem prouidebit tutorem ac defenſorem. Et omnibus valedicens parabat profectionem. Secuti ſunt eum 770. viri, & ſeptem Epiſcopi: quos Sanctus Patricius per aquam incorruptionis Chriſto genuerat. Pleni Deo, & diuina lege inſtructi, cupientes beatæ peregrinationis eius eſſe conſortes in Domino: inter quos fuit ſupradicta virgo Piala, ſoror beati Guigneri. Sancto igitur conſortio omnes adunati in Domino, ſimul cum patrono ad litus vſque procedunt: repertoque pro voto nauigio, nauem omnes vnà conſcendunt. Paululum iam altius nauigando à terra diſceſſerant; cum ecce virgo quædam nomine Hya, nobili ſanguine procreata peruenit ad litus, fœlici Sanctorum cupiens adunari Collegio: cernẽſque procul à littore iam remotos, nimio anxiebatur dolore, & fixis in terra genibus manus & oculos ad ſublimia erigens, mente conſilium è cœlo efflagitabat deuota. Et modicum inferius relaxans obtutum, contemplatur ſuper aquas folium paruum; & protenſa virga, quam manu geſtabat tangens illud volebat probare an mergeretur: & ecce ſub oculis eius cœpit creſcere & dilatari, ita vt dubitare non poſſet, à Deo ſibi illud obſequium miſſum. Et fide fortis, folium audacter conſcendens, mirabiliter Dei virtute prolata, alterum ſocios præuenit ad littus. Hæſitandum non eſt de operibus Dei: nam qui tranſituro populo mare rubrum potenter diuiſit; & Heliæ Iordanem aperuit, & Petrum ſupra aquas currere fecit: ipſe quo modo voluit, virginem ſuam tranſuexit. Socii vero, datis velis, æquoreos fluctus ſecantes proſpero curſu applicuêre Cornubam, ad portum, qui vocatur Heul: vbi iam præuenerat eos ſacra virgo Hya, potentia Dei tranſuecta; & deſcendentes de naui quoddam habitaculum non longè à littore inuenerunt, in quo virgo quædam Sancta manebat incluſa; & nolens Sanctus Guignerus eam inquietare; ſalutata virgine ad alium locum tranſiêre pranſuri: vbi cum aquam deeſſe cerneret Sanctus, plena de Ieſu Chriſto fiducia præſumens, oratione præmiſſa baculum in terra fixit, & confeſtim limpidiſſima aqua Sãctorum proſiluit in hauſtum. Poſt cibum verò proficiſcentes inde, ad villam quandam, quæ vocatur Conetconia, peruenerunt. Vbi quædam mulier fidelis & timens Dominum, nomine Coruria, non modicam eis exhibuit benignitatem. Nam cum omnes habitacula eius capere non poſſent, nec haberet ſtramen, in quo omnes poſſent pauſare, detectis domibus culmũ, quo operiebantur, in Sanctorum cubitum commodauit: Vaccam vnam eis mulier charitate plena in cibum dedit. qua occiſa, & eius carnibus, prout

Fingarũ, & Guignerum, nõ diuerſos, ſed vnum eundẽque eſſe exiſtimo.

Septem Epiſcopi. Piala ſoror beati Guigneri.

Hya virgo nobilis.

Hya mare traiicit ope folii cœliſtus miſſi.

Hya ſolo vecta folio cæteros ad littus præceſſerat.

Guignerus baculo in terram fixo, aquam deriuat.

Domos detectas cooperit, & vaccã mactatã vitæ reddit.

oportuit diligenter paratis, pariter comederunt. Denique cœna in gratiarum actione completa, iubet Sanctus Fingar nudata carnibus oſſa omnia congregari in vnum, & deſuper eiuſdem vaccæ pellem deponi. Tum Confeſſores Chriſti omnes, qui cum eo erant, ad orationem inuitat, dicens: oremus, Fratres, vt Deus, pro cuius amore mulier officioſiſſimè nobis iſtam ſeruiuit vaccam, ei reſtituat. Et oratione completa, ſub omnium oculis ſtans pulchrior quàm ante fuerat vacca apparuit. Deinde de lacte eius ſibi offerri mandauit. Quo hauſto ſimpliciter deprecatus eſt Deum, vt vena lactis vberior quàm in alijs vaccis triplicaretur in illa. Quod non ſolum in ea, ſed omnibus, quæ ex ea proceſſerunt, factum eſſe narratur. Mane autem facto, cum iam iter agere vellent, reſpicientes viderunt omnia habitacula refecta & reparata, ita ac ſi nunquam diſcooperta fuiſſent. Tunc fideles, qui præuio Sancto Guignero Chriſti veſtigia ſequebantur, per ſingula loca cernentes multiplicari mirabilia Dei, magis magiſq; confortabantur, & in fide & amore Chriſti confirmabantur. Et benè Chriſtus debuit talibus conſolationibus ſuos confirmare teſtes, & conſolari, quos per palmam Martyrij in proximo diſpoſuerat coronare. Mane autem facto pergentes gradiebantur per loca quædam ſiluestria. Sonuerat iam peruulgante fama in auribus Theodorici Regis Cornubiæ, in terra ſcilicet ſua, Chriſtianam multitudinem aduenisse; & timens odibilis Deo tyrannus, ne populum ſuum ad fidem Chriſti vellent conuertere: conglobatis militibus ad locum vbi Sanctos eſſe cognouit, truculentior fera cucurrit. Non expectat cauſam, tationem non quærit, non vult audire ſermonem: ſed veniens improuiſus à tergo, ſubito oues Chriſti Leo cruentus aggrediens, perimit, trucidat, atque proſternit. Cæduntur Sancti, truncantur, dilaniantur, & alij amputatis capitibus, alij confoſſi gladijs inhumanè, alij trucidati, omnes vna die Chriſti Martyres effecti, ſacræ mortis cōpendio, perennis vitæ brauium perceperunt. Paululum S. Fingar tunc fortè ſeparatus à ſuis in valle quadam * reſedens operiebatur ſequentes. Vbi cùm ſolo baculū, quem manu geſtabat, fixiſſet: mox ad ſe ſambucam retraxit, fons è terra fœcundus erupit. Qui vtrinque duplici ſaxo decenter

Guillelm⁹ Malmeſb. l. 4 de geſtis Pont. Angl. narrat idem penè egiſſe Sacram Vuerburgam, cum eius Villicas aucā Sylueſtrē iniquè ediſſet: Iubet, inquit, oſſa recolligi, nec mora, ſigno virgineæ manus medicante, cutis & caro oſſibus ſuper inductis cœpit plumeſcere, donec ales animata, ſalta primo alacri, mox volatu ſe librauit in æthera.

** f. recedens.*

Fontem de terra producit.

incluſus, vſque in hodiernum diem copioſa vena fluitare non ceſſat. Et ſubitò audiens murmur in comitatu exurgere, miratus quid eſſet, feſtinans ad Sanctos regreditur: cernenſque paſſim immolari hoſtias Chriſti, & hoſtilem gladium per Sanctorum membra diſcurrere: paucis, qui cum eo erant, ait. Ecce Fratres, hic eſt locus pauſationis noſtræ, hîc prouidit Deus finem dare noſtris laboribus. Venite ergo, Fratres, & libenter immolemur pro eo, qui animam ſuam dedit in redemptionem pro multis. Non timeamus eos, qui corpus occidunt; ſed illum potius, qui poteſtatem habet & corpus, & animam mittere in gehennam. Facis, inquit, Fili Diaboli, opera patris tui: Et tyrannus ad eum: Tu, inquit manus meas non euades, non effugies gladium. Tunc Sanctus in hilaritate offerens acceptabile ſacrificium Deo, baculo, quem manu geſtabat, ex latere fixo ceruicem prętendit, vt ictum reciperet ferientis. Immaniſſimus verò Tyrannus erepto mucrone fortiter nudam ceruicem percutiens amputato capite, Chriſti Martyrem fecit. Et confeſtim ſacri corporis truncus, caput machæra lictoris, propria de ceruice truncatum, de terra collegit; & in montem, qui nòn longè diſtat à loco, proprijs manibus poplite firmo incedens portauit. Erat villa quædam in eiuſdem latere montis ſita, in qua, cùm mulieres litigantes audiret, litem loco imprecatur æternam: vt inibi habitantes inter ſe litigantes nunquam deſiſterent. Vndè, vt fertur, terra licet fructifera manet tamen inhabitabilis: in vno fœcunditatis gratiam retinet, in altero Sancti maledictioni ſubiecta. Sanctus igitur Martyr nolens pro tumultu in loco requiesare: reſumpto iterum capite, alium vectitauit ad locum, vbi ipſum deponens caput cruentatum diligenter lauit: in quo loco gratiſſimus fons iugi riuo vſque hodie emanare non ceſſat; lauatumque diligenter reſumens portauit iterum illud in alium locum. qui locus ab eo, in quo Sancti Martyres paſſi fuerant, interiecto paruo ſpatio cuiuſdam ſaltus diſparatur. Locus, qui de corpore Sancti venam ſanguinis refluentem ſuſcepit, apertus continuò fontem edidit fœcundū, qui vſque hodie monſtratur cernentibus. Vnus autē ex militibus cùm Sāčti martyris baculum ab eo loco, in quo eum proximus paſſioni defixerat, rapere vel-

Exhortatur ſocios ad martyrium.

Alloquitur Tyrānum, eúq; reprehendit.

Occiditur.

Occiſus tanquam, alter Dionyſius caput manu geſtat.

Maledicit locum litu.

Caput ſuum lauat.

Fons è loco martyrij erumpit.

let: cernit biſurco ramo duplicem iam erupiſſe in frondem: & tanto tremefactus miraculo, non eſt auſus eum contingere. Cernitur vſque hodie in teſtimonium ſancti excelſa (vt dicitur) arbor ex baculo, virtute Dei exaucta; ſed cuius ſit generis ignoratur. Sanctorum adhuc corpora per campum inhumata iacebant: & ecce nocte quadam teſtis Christi eodẽ ſchemate, quo ſuper montem in vlnis proprium caput detulerat, cuidam viro, Gurnomine tertio in viſu apparens, vt ſe ſepeliret monebat. Expergefactus homo vxori viſionem per ordinem narrabat, quomodo videlicet de ſepultura eſſet perſuaſus à Sancto. Mulier autẽ diſſuadebat fieri, ne fortè Regis iram incurreret, & ob hoc mortis ſententiam mereretur. In craſtinum verò cum canibus in campum venaturus egrediens, ceruum reperit; qui canum pernicitate inſectatus fugiens, ad S. Martyris glebam procumbit, tanquam eius flagitaturus ſanctitatis præſidium. Deſinunt canes latrare, ac perſequi ceruum; & omni feritate laxata, pariter cum ceruo, quaſi Sanctum venerantes decumbunt. Contemplatur homo grande ſpectaculum; & repercuſſa mente in ſe reuerſus, quæ viderat noctu recogitans, diuino illuc nutu ſe reputauit adductum. Et accipiens corpus ſanctiſſimi Martyris, veneratione qua potuit tumulauit. Deinde ſanctorũ Martyrum corpora ſtudioſè per campum requirens, ſicuti iacebant in campo ſepeliuit. Poſt tempus aliquantulum cùm iam vinea Domini Sabaoth, id eſt, Eccleſia Cornubiæ terminos occupare cœpiſſet: inchoata eſt deuotione fidelium ſuper ſepulchrum Sancti Martyris Baſilica. Et cum artificibus, qui in opere Oratorij laborabant, neceſſaria deeſſent, nec aliquis miniſtraret: Sanctus eorum recordãs qui eius deuotione famulabantur, obſequijs prouincialibus circumquaque in viſu nocte apparens, monebat ſingulos, vt operarijs cibum, & neceſſariam opem ferrent auxilij. Venit tandem ad hominem quendam, qui taurum habebat indomitum, monens, vt ad operarios ductum eis largiretur in cibum. Mane autem facto ſollicitus homo de viſione Sancti cœpit cogitare, qualiter poſſet animal ceruicoſum, ac ſuperbum valdè ſubigere: loriſque arctatum, quò Sanctus Martyr mandauerat, ducere. Et conſcenſo equo, vt quæreret

Baculus quẽ Martyrũ paſſurus in terram fixit, in arborẽ ignoti generis excreuit.

Nocte apparet.

Ceruus ad S. Martyris corpus, tanquam ad præſidium, fugit; & canes eum perſequi deſinunt.

Corpora Martyrũ ſepeliuntur.

S. Fingar operarijs ſui templi neceſſaria prouidet.

taurum, egrediens cernit prius indomitũ, modo Dei virtute manſuetiſſimum animal aſtare pro foribus, qui ſponte ante Dominum gradiens manſuetus recto itinere pergebat ad locum, vbi artifices in opere Oratorij laborabant. Mactabatur beſtia: & cernentes Martyris ſibi adeſſe auxilium, operi de cætero deuotius inſtiterunt. Aliud quoddam memorabile, & dignum relatione in eiuſdem quoque fertur Baſilicæ conſtructione contigiſſe miraculum. Vnus quidam ex ijs artificibus, qui in opere laborabant, cum in ſecuri incideret, confracta, in duo fruſta diuiſa eſt. Turbatus homo iurare cœpit & obteſtari, ſe in opere de cætero nihil facturum. Quod cùm audiſſet operis procurator, vir quidem bonus, qui pro Deo Baſilicæ curam ſuſceperat, & deuotè ſe mancipauerat obſequijs Sancti, cœpit conſolari hominem, & blandis triſtem demulcere alloquijs: & accipiens fruſta in nomine Ieſu Chriſti, & fractionis ruinas coniungens, confeſtim meritis Martyris glorioſi compaginatum, & conſolidatum eſt ferramentum; ita vt * nullæ de cætero fracturæ veſtigium appareret. Laudatur Deus in commune & benedicitur, & homo, qui ſe de cætero nihil facturum iurauerat, tanto confortatus miraculo, fortior iam perſtitit in opere. Sed quoniam Sancti exorſus ſum enarrare virtutes, illud inſerẽdum credidi lectioni, quod & incredulis metum incutit, & vniuerſos de Sanctorum reuerẽtia monet. Cum ſuper ſaxum quoddam, quod fuerat anchora nauis eius, in contemptum Martyris ſancti, duo milites inſultando vrinarent, vtrumque confeſtim diuina vltio percuſſit. Ambo enim arrepti à Dæmone, alter eorum linguam fruſtatim conciſam dentibus maſticauit: alterius viſcera per poſtrema diffuſa ſunt omnia, & ſic vterque exitu expirauit horrendo. Ecce ex hoc poteſt ſatis perpendi, quanta Sanctos vult Deus reuerentia honorari, quorũ contemptum tam diſtricto diſponit examine expiari: Super Sarcophagum venerabilis cuiuſdam Epiſcopi, qui de contubernalibus fuerat regis Clitonis, corruptor quidam, gremia cuiuſdam mulieris inceſtare præſumpſit, qui more canum in ipſo opere turpitudinis inſeparabiliter copulati, nulla poterant ratione ab inuicem ſeparari: adducuntur tãdem ad memoriam Martyris glorioſi Gui-

Taurum indomitũ manſuetũ reddit.

Fruſta ſecuris compaginat.

** F. Nullum.*

Contemnentes S. Fingaram Dæmon accipit.

Horrendũ facinus mirabiliter punitur.

S. COLVMBANI ABBATIS.

AB EIVS ÆQVALI IONA ABBATE conſcripta.

Præfatio Auctoris, quæ apud Surium habetur, & inter Bedæ opera, ex quibus ipſam vitam deſumpſimus, non refertur.

Dominis eximiis & ſacri culminis regimine decoratis, religioniſque copia fultis Vualdeberto & Boleno patribus Ionas peccator. Memini me ante hoc ferme triennium, fratrum conniuentia flagitante, vel beati Bertulphi Abbatis, imperio iubente, cum apud eos Appenninis ruribus vagans * in Bobienſi cœnobio morarer, fuiſſe pollicitum, vt almi Patris Columbani, meo ſtuderem ſtylo texere geſta: præſertim cum ij, qui eo fuerunt in tempore, & penes ipſum patrata viderunt, quamplurimi penes nos ſuperſtites ſint, qui nobis non audita, ſed viſa, narrent: vel quę etiam nos per venerabiles viros Attalã & * Euſtachium didiſcimus, quorũ primus *Bobienſis*, ſecundus *Luxouienſis* cœnobij, quo vos præſules exiſtitis, eius ſucceſſores fuerunt: qui Magiſtri inſtituta ſuis plebibus ſeruãda tradiderunt: quorum vitam vtcumque quiuimus in poſtmodum deprompſimus, ſeu plerorũque, quos eloquentia memorabiles reddit. Sed qui ſupradictorum fratrum agapis vel patris prædicti præceptum conijciens rebar liquido meatu exuberari, multum me ego ad hoc opus imparem reperio. Si enim me in hoc opere nequaquam indignum iudicaſſem, olim iam ad ea texenda temerario quamuis conatu aggreſſus fuiſſem: quamquam me & per triennium Oceani per ora vehi, & ſcarbea lintris abacta ſcalpteus molles ſectanda vias, madefacit ſæpe & lenta palus Elnonis plantas, ob venerabilis Amandi pontificis ferendum ſuffragium, qui his conſtitutus in locis, veteres Sicambrorum errores, Euangelico mucrone enecet. Erit tamen commiſſi operis, venerandi patres, veſtri arbitrij cultus, vt ſi aliqua minus ritè prompta, decore facunditatis caruerint, veſtris phaleramentis decorentur, vt legentibus apta fiant: ne, dum mea imperitia in eloquio exhorret, cum facta dictis non exæquantur, Sanctorum virtutes faſtidio ſe ferendo non imitentur: Et cum ad partum opus nauantes manum tetenderint, mox ſentium aſperitate cruentam nitantur ſubtrahere. Quibus dicendum eſt nantes ſolere rheumate gurgitum fractis viribus ripæ redditos, cum alia defuerint ſubſidia, feſtino conamine ſentes apprehendere. Et diuitum fauces cùm aliæ dapes redundent, ſæpe agreſtia deſiderare, & pleroſque muſicorum omnium, organi ſcilicet, Pſalterij, citharæ melis aures oppletas, mollis ſæpe auenæ modulamini auditum accommodare. Etſi me quempiam laudare reperietis, qui adhuc ſuperis iunctus ſit, non me adulatorem putent, ſed rei benè geſtæ diſſertorem: nec fauere cuiquam panegyrico carmine, ſed digna memoriæ commendare: nec ideò ſi ſupereſt, tumeſcat ſi à me ſibi largita conditoris dona narrata videat, ne elationis ſtimulo ſinceræ mentis ſoliditatem corrumpat. Nulli quippe dubium eſt, quod fauor adulatorum polluat mentes decore plenas virtutum, ſicut ad Iſraël per Iſaiam Dominus loquitur: *Popule meus, qui te beatum dicunt ipſi te decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſſipant.* Sapientem etenim, vt vulgo dicitur, falſa laus increpat, verax ad meliora tendere prouocat. Adornet ergo eos in eo quod benè geſſerint, fama laudabilis: increpet, ne maculet amittendo feruorem, repor vituperabilis, eluant alij, ſi dignum imitatione quid geſſerint, nec ſibi in poſtmodum perniciosæ elationis damna attrahant ex commemoratione patratæ virtutis. Inſeruerim ergo illa, quæ veris aſſertionibus experti ſumus fuiſſe patrata, vel prætermitti negligentiæ deputauimus. Multaque prætermiſſa ſunt, quæ ex toto nequaquam * meminimus, & pro parte aliquid ſcribere, nullatenus ratum duximus.

** à Bobienſi.* — ** Euſtaſium.* — *locus deprauatus.* — *Eſa 5.* — *f* inuenimus.*

Quæ ſunt ergo poſita, duobus libellis interſcidi, vt vno volumine legentibus faſtidium amputarem. Primus S. * Columbæ geſta perſtringit. Secundus diſcipulorum eius Attalæ, Euſtachij, vel cæterorum quos memini, vitam ediſſerit. Ea ergo veſtro libramine penſanda cenſemus, vt à vobis ſagaci examinatione probata, à cæteris ambiguitatem pellant. Nam ſi quædam aliquis non ritè diſtincta, ac de induſtria corrupta reperietis, reijcienda iudicabit, præſertim ſi doctorum facundia fultus, affatim ſcientia oppletus abundet. Nouerit tamen nos non ad hoc veſtigia tendere, vt nos putemus doctorum greſſibus coæquari. Illi rore eloquentiæ madentes, virides campos flore pinxerunt: Nobis vix arida tellus arbuſta gignere nouit. Illi dites Balſami lachryma ex Engaddi, floreque aromatum ex Arabia: Nobis ex Hibernia vix butyrũ pingueſcit. Illi Piper, Nardumque ſumunt ex India. Nobis pinifera iuga Apennina, iuga, quę Zephirijs rigeſcunt frigore flabris, vix tandem ſaliunculam præbent. Illi pretioſi lapidis varietate gloriantur. Nobis temerarium videtur Galliæ ſuccino gloriari. Illi poma palmarum magnoperè in peregrina dirigunt: Nobis Auſonium iuxta poëtam, ſunt molles caſtaneæ, & mitia poma. Valete almi Patres, viri vigoris atque roboris, Deo dicati æterno.

** Columbanus dicitur etiã Columba*

PROLOGVS IN VITAM SANCTI COLVMBANI.

RVtilantem, atque eximio fulgore micantem Sanctorum Præſulum, atque Monachorum vitam, ſolertia nobilium condidit, & conſcripſit Doctorum, ſcilicet, vt & poſteris alma redolerent priſcorum exempla. Egit hoc à ſæculis rerum Sator æternus, vt ſuorum famulorum famam commendaret perennem, vtque pręterita geſta linquerent futuris exempla: Et de præcedentium meritis, vel imitando exempla, vel memoriæ commendando, ventura ſoboles gloriaretur: quorum beatus Athanaſius Antonij, Hieronymus Pauli, & Hilarionis, vt cæterorum, quos cultus bonæ vitæ laudabiles reddebat, Poſthumianus verò, Seuerus & Gallus, Martini egregij præſulis, noſtris memoriam dimiſere ſæclis; pleriq; aliorum, quos aut fama, aut bonorum operum exempla, vel virtutum commendarunt monimenta, vt ſunt Columnæ Eccleſiarum Hilarius, Ambroſius, Auguſtinus, qui inter tot ſæculi turbines, fluctuante mundo, ſtatum Eccleſiæ ſuſtentarunt: nec flatu aduerſante iniquo, ac hæreticorum procella quatiente, veram fidem aduerſitas macularet. Quorum nos exempla temerario conatu ſecuti, qui nec meritorum ſupplemento, nec facundiæ flore ſuffulti, nec elucubrante ſcientiæ fonte, tanti patris noſtris ſæculis refulgenti Columbani aggredimur texere geſta. Et tamen noſtrorum arbiter dictorum, virtutum largitor immenſus, qui illi & gratiæ ſuæ munera, & vitæ perennis largitus eſt coronam.

HYMNVS. S. NOTKERI BALBVLI, de S. Columbano Abbate.

NOſtri ſolemnis ſæculi
Refulget dies inclyta,
Quo ſacer cælos Columba
Aſcendit ferens trophæa.
Sed priuſquam eum mater
In auras lucis ederet,
E ſinu ſolem proſpexit
Terris lumen diffundere,
Qui poſt altus Hibernia,
Sacro edoctus dogmate,
Gallica arua adiens
Plebi ſalutem tribuit.
Ægri ſanantur ocyus,
Nautis producit latices,
Piſcis in vſum præbetur,
Cedit imber à ſegete.
Prolem capit ſterilis,
Ales rapinam reddidit,
Fanis horrea augentur,
Abſciſſa caro ſoſpes eſt.
Tactus vidit, nec cernitur,
Sentit damna ergaſtulum,
Fugit peſtis ab homine
Quam dæmon ſæuus miſerat.
Ligeri ſcapham retinet,
Ablato furto prodeunt,
Cæcuſque lumen recipit,
Præbendo cibus augetur.
In eſca ſalis veniunt
Feræ iuſſis obediunt,
Fides patrari conſcia
Nouit quod poſſit omnia.
Deo Patri ſit gloria,
Eiuſque ſoli Filio
Cum Spiritu Paraclyto
Et nunc & in perpetuum. Amen.

VITA

VITA
S. COLVMBANI
ABBATIS.

CAPVT PRIMVM.

** ſ Colũba.*

Patria S. Columbani.

** Scota.*

Fides Hibernorũ.

Somnium matris S. Columbani.

Somnÿ interpretatio.

COlumbanus igitur, qui & Columbæ ortus eſt in Hibernia inſula, quæ eſt in extremo Oceano ſita, & ſpectat Titanis occaſum, dum vertitur orbis, & lux occiduas ponti deſcendit in vmbras: vnde denuò peracto curſu noctis irradiat totum rediuiuo lumine mundum. Inſulæ huius ſitus, vt fertur, eſt amœnus, ac aduerſantium exterarum carens bello nationum. Hanc &*Scotorũ gens incolit, gens quanquam abſque reliquarum gentium legibus, tamen in Chriſtiani vigoris dogmate florens, omnium vicinarum gentium fidem præpollet. Natus ergo hic inter primordia fidei gentis illius eſt vir iſte beatus, vt fides, quam infœcundam ex parte gens illa habebat, ſuo ac ſodalium ſuorum munimine, cultu vberi fœcundaretur. Sed priuſquam lucem vitæ præſentis caperet, quid ante eius ortum actum ſit, non eſt ſilendum. Nam cum eius genitrix aluò grauida teneretur, ſubito per intempeſtam noctem ſopore depreſſa, vidit è ſinu ſuo rutilantem Solem, & nimio fulgore micantem procedere, & mundo magnum lumen præbere. Poſtquam autem ſopor membra laxauit, & cœcas ſurgens tenebras aurora fugauit, intra ſemetipſam penſare cœpit quæ viderat: & ancipiti gaudio, tantæ viſionis vim ſagaci animo trutinans, ſolaminis ſupplementum à vicinis petit, quos doctrina ſolertes reddidit, quærens vt tantæ viſionis myſterium ſapienti corde rimarentur. Tandem peritorum libramine reſponſa recepit, ſe egregiæ indolis vtero concepiſſe virum, qui & ſuæ ſaluti vtilia, & proximorum prouideret vtilitati opportuna. Quem mater poſtquam edidit, tanta cuſtodia ſeruauit, vt vix eum vel cognatis, vel aliorũ moribus crederet, quoadusque vita pueri ad boni cultus operis duce Chriſto, ſine quo nihil boni agitur aſpiraret. nec immerito ſolem fulgentem & ſinu ſuo mater prodire conſpexit, quia hic in matris vniuerſorum Eccleſiæ membris, inſtar Phœbi fulgore micuit, Domino dicente: *Tunc iuſti fulgebunt ſicut Sol in regno patris eorum.* Sic Debbora ſupplici voce ad Dominum Spiritu Sancto monente, olim loquebatur, dicens, qui autem diligunt te, ſicut Sol in ortu ſuo ſplẽdet, ſic rutilabunt. Æthereus etiam axis ſiderum diſtinctione flaueſcens, ſicut de frequentia celebris lucis ſpecioſior eſt, ſicut diei lux, Phœbi aucta ſplendore mundo amœna refulget: ita corpus Eccleſiæ cum conditoris ſui ditatũ opibus, Sanctorum augmentato numero, ſcientiæ religione niteſcit, vt ex frequentia doctorum pullulent lucra ſubſequentium. Et vt ſol, vel luna, aſtraque omnia noctem & diem ſuo nitore nobilitant, ita Sanctorum merita Sacerdotum, Eccleſiæ munimenta roborant.

Educatio S. Columbani.

Matt. 13.

Comparatio S. Columbani cum Sole.

CAP. II.

S. Columbani ſtudÿs inclitis.

PEractis itaque infantiæ annis, in pueritiæ ætate pubeſcens, liberalium literarũ Doctrinis, & Grammaticorum ſtudijs, ingenio capaci dare cœpit laborem, quem per omne pueritiæ & adoleſcentiæ tempus exercens, vſque ad virilem ætatem vberi intentione defixit. Sed cum eum elegãtia formæ, præſertim corporis candor, & pubertas nobilis,

omnibus gratum redderet, cœpit tandem contra eum antiquus hoſtis lethifera tela relaxare, vt quem tanto ingenio creſcere cerneret, ſuis habenis ſi valuiſſet, irretiret. Aggreſſus eſt igitur laſciuarum puellarum in eum ſuſcitare amorem, præcipuè quas forma corporis perfunctorio decore, horrendo deſiderio in miſerorum animos ſolet immergere. Sed cum ſe egregius miles tantis telis vndique vrgeri conſpiceret, & micantem ſicam callidi hoſtis ſe contra erigi conſpexiſſet, expertus fragilitatem humanam, citò ad proclinia labendo demergi, vt Liuius ait, nihil eſſe tam Sanctum religione, tamque cuſtodia clauſum, quo penetrare libido nequeat: Euangelicum clypeum tenens læua, enſemq; ancipitem ferens dextra, contra immanes cuneos hoſtium pugnaturus cœpit pergere, ne fruſtrato labore, quo potiſſimo ingenio ſudauerat in Grammatica, Rhetorica, & Geometria, & diuinarum ſcripturarum ſerie, ſæculi illecebris occuparetur: datur ſcilicet adhuc ſtimulus vrgendi. Cum hæc iam penes ſe volueret, venit ad cuiuſdã religioſæ, ac Deo dicatæ cellulã fœminæ, quam cum prius humili voce ſalutaſſet, poſteà caſtigare illam iuuenili, vt poterat, hortamine eſt aggreſſus. Quæ videns in adoleſcēte vigorem, ego, ait, vtcunq; potui, ad bellum progreſſa exiui: en duodecim tēpora voluuntur, quo & domo carui, & hunc peregrinationis locum expetij, & nunquã deinceps Chriſto præſule manu ſtiuam tenens, retro reſpexi: & niſi fragilis ſexus obſtaret, mare tranſito, potioris peregrinationis locũ petiſſem: tu vero adoleſcentiæ flãmis æſtuans, natale ſolum incolis, & ad fragiles voces, velis nolis fragilitati aurem accõmodas, & viſitare te fœmineum ſexum liberè credis. Non reminiſceris ſuaſu Euæ Adam dilapſum? Samſonem à Dalila ſeductum? Dauid à priſtina iuſtitia pulchritudine Berſabeæ corruptum? ſapientiſſimum Salomonē mulierum amore deceptum? Perge, inquit, ô iuuenis, perge, euade ruinã, per quam multos comperis corruiſſe: declina viam, quæ inferi ducit ad valuas. Huius ergo dictis ſtimulatus adoleſcens, & vltra quàm adoleſcentem terreri crederes, grates tales increpanti refert: & ſodalibus valedicens iter arripuit, materque eius dolore ſtimulata, precatur vt ſe non relinqueret. At ille, non, inquit, audiſti? *Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus?* obſtanti matri, & limini oſtij inhærenti, poſtulat vt ſe ire ſinat: illa autem eiulans, & pauimento proſtrata, denegat ſe permiſſuram. Ille enim limen matremque tranſiliit, poſcitq; matrem ſe lætam habeat, illum nunquam deinceps in hac vita viſuram, ſed quocunq; ſalutis viam iter pandat, ſe progreſſurum. Relicto ergo natali ſolo quod Lagenorum terram incolæ nuncupant, ad virũ venerabilē nomine *Senile* perrexit, qui eo tempore ſingulari religione, & ſcripturarũ ſacrarũ ſcientiæ flore inter ſuos pollebat. Quē cum vir Sãctus ingenij ſagacis eſſe videret, omnium diuinarũ ſcripturarum ſtudiis imbuit: ita tamen vt fieri aſſolet, cum ludendo magiſtri diſcipulos ſciſcitari conantur, vt de illorum ingenio cognoſcant, vel flagrantem vbertate ſenſum, vel negligentiæ ſomno torpentem, cœpit ab eo ex difficilium quæſtionum materia ſenſus quærere. At ille pauido quanquam, tamen ſagaci è pectore, ne inobediens magiſtro appareret: non Xenodochiæ auctus vitio, ſed magiſtro parendo, verſa vice obiecta ſibi elucubrabat, memor illius pſalmographi præconij, *Apers os tuum, & ego adimplebo illud.* Tantum in eius pectore diuinarũ theſauri ſcripturarum conditi tenebantur, vt intra adoleſcentiæ ætatem detentus, Pſalmorum librum elimato ſermone exponeret, multaque alia, quæ ad cantum ſunt digna, vel ad docendum vtilia, condidit dicta.

Tētatur.

pugnat.

Religioſa fæmina ad peregrinandũ eum hortatur.

Mater obſtat.

Ille nihilominus eam relinquit.

Lagenia Prouincia Hiberniæ.

Doctrina Sancti.

CAP. III.

DEdit deinde operam, vt Monachorum necteretur ſocietati, ac monaſterium, cuius vocabulũ eſt *Benchor* petijt, in quo præſul virtutum vbertate cluebat Beatus *Congellus*, egregius inter ſuos Monachorum pater, quique & religionis ſtudio, & regularis diſciplinæ cultu, præcipuus habebatur. Ibi ſolis orationibus, & ieiunijs vacare cœpit, & iugum Chriſti quod ferentibus leue eſt, ſuper ſe ferre, ſemetipſumque ſibi abnegando, ac crucem ſuam tollendo, Chriſtum ſequi: vt qui aliorum Doctor futurus erat ipſe, quod doctrina didicerat, in ſuo corpore mortificationem ferēdo, vberius exēplo monſtraret quod alijs implendum fore docuiſſet. Peractis itaque annorum multorum in Monaſterio circulis,

Benchor adit.

cœpit

Peregrinari intendit. *Gen. 12.*

cœpit peregrinationem deſiderare, memor illius Domini Imperij ad Abraham: *Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & vade in terram, quam monſtrauero tibi.* Cõfeſſus igitur Venerabili Patri Congello cordis ardorem, & ignitum igne Domini deſiderium, de quo igne Dominus in Euangelio loquitur, *ignem veni mittere in terram, * quē volo vt ardeat*: ardentem patri patefaciebat affectum, ſed nondum Patris reperiebat reſponſum, vt ſua petitio anhelabat: Erat enim Venerabili Congello arduum tanti ſolaminis pati diſpendium. Tandem tamen aſpirare cœpit, & cordi anteponere, vt non plus ſuæ neceſſitati ſtuderet, quã aliorũ vtilitati opportuna pareret: nec ſine Omnipotentis arbitrio fiebat, qui tyronem ſuum ad bella futura erudiebat, vt de eius victorijs glorioſos referret triumphos, lætámque ſupellectilem de cæſorum hoſtium reportaret phalangis: vocatóque eo triſtem licet ſibi, tamen alijs vtilem depromit ſententiam: ſe & pacis vinculum, & ſolaminis ſupplementum, comitéſque itineris; quos religio claros reddebat, largiturum. Collecto ſanè Fratrum cœtu, omnium orationum ſuffragia poſtulat, vt futuro itineri ſolamen largitor pietatis tribuat.

Luc. 12. ** Et quid volo niſi vt ardeat.*

Vigeſimo ætatis anno iter arripit.

Viceſimum ergo ætatis annum agens, arrepto itinere cum duodecim comitibus, Chriſto duce ad littus maris accedunt: ibi omnipotentis miſericordiam præſtolantur, vt ſi ſuæ voluntati inhæreant, concepti conſilij effectus perficiantur, agnoſcuntque ſecum clementis Iudicis voluntatem adeſſe: carinamque ingreſſi, dubias per freta ingrediuntur vias, & mite ſalum properantibus zephyrorum flabris pernici curſu ad Britannicos perueniunt ſinus.

Ad Britãniam peruenit.

Pauliſper ibidem commorantes, vires reſumunt, ancipitique animo, anxia cordis conſilia trutinantur. Placet tandem arua Gallica planta terere, & mores hominum feruenti aſtu ſciſcitari: Et ſi ſalus ibi ſerenda ſit quantiſper commorari: ſi autem obduratas caligine arrogantiæ mentes reperiant, ad vicinas regionum nationes pertranſire.

CAP. IV.

Gallias petit.

A Britannicis ergo finibus progreſſi, ad Gallicas tendunt, vbi tunc vel ob frequentiam hoſtium externorum, vel negligentiam Præſulum religionis virtus penè abolita habebatur, fides tantum remanebat Chriſtiana. Nam pœnitentiæ medicamento, & mortificationis amor, vix vel paucis in illis reperiebatur locis.

Chriſtianarum virtutum raritas in Gallia.

Agebat autem venerandus vir, vt ad quæcunque loca progrederetur, verbum Euangelicum annunciare. Erat enim gratum hominibus, quia quod facundiæ cultus adornabat, elucubrante prædicationis doctrina, ſimul & exempla virtutum confirmabant.

Prædicat vbique.

Tanta enim erat humilitatis vbertas, vt verſa vice, ſicut de honoribus homines ſæculi conantur quærere dignitates, ita iſte cum ſodalibus ſuis de humilitatis cultu alter alterum niterentur præuenire: memores præcepti illius, *qui ſe humiliat, exaltabitur*: Et illud Iſaiæ, *ad quem reſpiciam, niſi ad humilem & quietum*, & trementem ſermones meos? tanta pietas, tanta charitas omnibus inerat, vt vnum velle, & vnum nolle eſſet omnibus: modeſtia atque ſobrietas, manſuetudo & lenitas æque in omnibus redolebat:

Humilitas. *Luc. 14.* *Pietas, charitas.*

Execrabatur ab his deſidiæ atque diſcordiæ vitium, arrogantiæ aut elationis ſupercilium duris caſtigationum ictibus feriebatur, iræ ac liuoris noxa ſagaci intentione pellebatur. Tanta itaque patientiæ virtus, charitatis affectus, lenitatis cultus aderat, vt mitem in medio eorum Dominum palàm non ambigeres habitare.

Cæteræ virtutes in ipſo & ſocijs florent.

Si quemquam in his labi in vitium reperiſſent, ſimul omnes æquo iure negligentem correptionibus cædere ſtudebant: communia omnia omnibus erant: Si quiſpiam aliquid proprium vſurpare tentaſſet, cæterorum conſortio ſegregatus, pœnitentiæ vltione vindicabatur: Nullus proximo contrarietatem rependere, nullus aſperum ſermonem audebat proferre, ita vt in humana conuerſatione Angelicam vitam agi crederes.

Correptio fraterna. *Omnia cõmunia.*

Tanta in beato viro gratia redundabat, vt in quorumcunque domibus quantiſper commoraretur, omnium animos ad religionis cultum defigeret.

Gratia S. Columbani.

CAP. V.

PEruenit ergo fama beati Columbani ad aulam Sigeberti Regis, qui eo tempore duobus regnis Auſtraſiorum, Burgundionúmque inclytus regnabat Francis, quorum eximium nomen præ cæteris gentibus, quæ Gallias incolunt, habetur. Ad

Ad Regē Sigeberti accedit.

quem, cum vir Sanctus cum ſuis acceſſiſſet, gratus Regi & aulicis, ob egregiæ doctrinæ copiam redditur. Cœpit tandem ab eo Rex quærere, vt intra terminos Galliarum reſideret, nec ad alias gentes tranſiens ſe relinqueret, omnia quæ eius voluntas popoſciſſet ſe paraturum.

rogat Rex.

Tunc ille ait Regi, non ſe aliarum opum fore cupidum, ſed Euangelici præconij, in quantum carnis fragilitas non obſtabat, ſectaturum exemplum:

Sanctus reſpondet.

Qui vult, inquit, poſt me venire abneget ſemetipſum ſibi, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Cui talia obijcienti, Rex præbet reſponſum, ſi Chriſti crucem tollere, & ipſum ſequi deſideras, potioris eremi ſectare quietem, tantùm ne noſtræ ditionis ſolo relicto, ad vicinas pertranſeas nationes: vt & tui præmij augmentum, & noſtræ ſaluti prouideas opportuna.

Replica Regis.

Datâ itaque optione, obtemperans Regis perſuaſionibus eremum petit: erat enim tunc vaſta eremus *Voſagus* nomine, in qua caſtrum olim dirutum, quod antiquorum traditio *Anagrates* nuncupabat. Ad quem cum vir Dei veniſſet, licet aſpera eſſent vaſtitate ſolitudines, & ſcopulorum interpoſitione loca, ibi cum ſuis reſedit, paruo alimentorum ſolamine contentus: memor illius verbi, non in ſolo pane hominem viuere, ſed verbo vitæ ſatiatos affluenti dape abundare, quâ quiſque ſumptâ, eſuriem neſciat in æuum.

In eremo locum habitationis cōſtituit.

CAP. VI.

EO ergo in loco viro Dei cum ſuis commorante, ſubito vnum è fratribus, vel ob probationem, vel qualibet culpa attrahente, vis febrium cœpit flagellare: ſed cum nulla alimētorum ſolamina adeſſent, niſi corticum & herbarum pabula præberentur tantummodo, cœpit omnium animis aſpirare, vt pro ægri Fratris ſoſpitate, ieiunio omnes & oratione vacarent.

Penuria alimenti.

Tertio die, iam peracto ieiunio, nihil habentibus vnde feſſa corpora reficerentur, ſubito conſpiciens virum quendam cum panum ſupplemēto, vel pulmētorum equos oneratos habentē, ante fores aſtare: qui ſe referebat ſubita cordis admonitione actum, vt eis ex ſua ſubſtantia ſubueniret, qui tantam pro Chriſto egeſtatem in eremo ſuſtinerent. Oblatis itaque viro Dei quæ detulerat, cœpit cum cordis humilitate depoſcere, vt vir Sanctus pro coniuge ſua deprecaretur Dominum, quam per anni circulum tantus ignis febrium vrebat, vt iā crederetur ſuperis reddi.

Cibus admonitione diuina eis mittitur.

Humili ergo, & anxio corde poſcēti, noluit vir ſāctus denegare ſolamē, adhibitiſq; ſimul fratribus pro ea Domini miſericordiā deprecatur: cūque ille cū ſuis orationem cōpleſſet, ſtatim ea, quæ periculum mortis in propatulo habebat, ſanitati eſt reddita. At vero cum vir eius largita ſibi à viro Dei benedictione domum remeaſſet, inuenit coniugem ſuā domi ſedentem: ſciſcitatuſque qua hora eam vis febrium reliquiſſet, reperit ea hora ſanatam fuiſſe, qua vir Dei pro ea Dominum deprecatus eſſet.

Ægrotam ſanitati reſtituit.

Tranſacto itaque deinceps paruo temporis interuallo, quo pia capiti Chriſto placamenta ac piamina mentis, per contritionem carnis, iniuriaſque famis, mortificata Deo membra offerrent, ac inuiolatum religionis ſtatum ſeruare ſtuderent, duris acerbitatibus omnis frangeretur voluptas: vt videlicet prædo virtutum omnium explorator criminum foret: nouem tranſierunt dies, quo vir Dei cum ſuis non alias dapes caperet, quàm arborum cortices, herbaſque ſaltus.

Longum ieiunium.

Sed temperauit eſcæ ariditatem, pietas virtutis æternæ: monuit per viſum Abbatem quendam, nomine *Carantocum*, qui monaſterio, cui *Salicis* nomen eſt, præerat, vt famulo ſuo Columbæ, intra eremi vaſtitatem conſiſtenti, neceſſaria deferret.

Monetur diuinitus Abbas vt Sancto cibum mittat.

Expergefactus igitur *Carantocus*, cellarium ſuum *Marchulfum* nomine, vocat, eique admonitæ rei cauſam narrat: at ille, Fac inquit, vt imperatum eſt tibi. Iubet ergo *Carantocus Marchulfum* ire, & omnia quæ poſſet parare, & beato Columbano deferre. Oneratis ergo *Marchulfus* vehiculis, iter arripuit: Sed cum ſolitudinis ora attigit, viam ſibi pandi itineris nequaquam reperit. Fuit autem tandem conſilium, vt ſi in hoc Dei eſſet imperium præmiſſis equis imperantis potentia viam aperiret. Mira itaque virtus, antecedentes equi ignotum iter vngula callem terunt, rectōque itinere ante fores beati Columbani ad *Anagrates* perueniūt.

Equi ignotā viam inueniūt.

Mirans ergo *Marchulfus* equorum veſtigia ſubſecutus, ad virum Dei peruenit, & quæ detulerat præſentat. Ille autem grates conditori rependit, qui ſic famulis ſuis in deſerto parare menſam non diſtulit. Acceptâ ergo *Marchulfus* ab eo benedictione,

benedictione, calle, quo venerat, repedauit, omnibuſque rei geſtæ cauſam patefecit. Cœpit namque exinde frequentia populi & infirmantium cohortes, ob ſanitatem redintegrandam eum frequentare: & omnium infirmitatum ſuffragia quærere: quorum vota cum reuocare à ſe nequiret, omnium petitionibus parens, orationum adiumento, cunctorum ad ſe venientium infirmitates, diuino fultus auxilio, curando ſubueniebat. *Infirmos ſanat.*

CAP. VII.

IIſdem in locis euenit, vt per opaca ſaltus, inter deuia idem vir Dei deambularet: & librum humero ferens, de ſcripturis ſacris ſecum diſputaret: ſubita cogitatio in mentem ruit, quid de duobus eligeret melius, in hominũ iniurias incidere, quàm ferarum ſæuitiam ſuſtinere. *Quæſtio.* Cumque vrgeret cogitationem innata ſeueritas, crebrò frontem ſigno crucis armans, atque orans intra ſe ait, melius eſſe ferocitatem beſtiarum abſque alieno peccato, quàm hominum rabiem ſuſtinere cum damno animarum. *Soptio.* Dumque hæc animo volueret, conſpicit duodecim lupos aduenire, & dextrâ leuâque ſibi aſtare, manebatque immobilis, atque dicens, *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me feſtina.* *Pſal. 69.* Propius autem illi accedunt, atque ora veſtimentis ſuis iungunt: cumque ille conſtans aſtaret, intactum relinquunt, ſaltumque peruagantur. *Lupi eum intactum relinquũt.* Hac tentatione in ſeruiturem traiecta, iter per ſaltum carpit: cumque haud procul abiſſet, audit vocem multorum Sueuorum per auia oberrantium, qui eo tempore iiſdem in locis latrocinia exercebant: ſicque dæmon per conſtantiam traiecta tentatione, pepulit aduerſitatem: ſed hoc vtrum Diaboli fallacia finxerit, an rei veritas geſſerit, patulè non agnouit. Rurſumque ſeceſſit à cellula, longiorique via eremi vaſta penetrans, reperit ſaxum immane, præruptaque rupis latera, aſpera ſcopulis terga, auia hominibus, ibique conſpicit concauum in caute ſinum: aggreſſuſque abdita perſcrutari, reperit in interiore ſinu, vrſi habitaculum, ipſumque interius reſidentem. *Vrſus ei obedit.* Mitis ergo feram iubet abire, nec deinceps, inquit, hos repetas calles. Abijt autem fera mitis nec prorſus eſt auſa repedare: diſtabatque ab *Anagrate* locus ille plus minuſque ſeptem milibus. *al. miliaribus.*

CAP. VIII.

QVodam in tempore cum in eadem concauitate ſcopuli ſolitariam vitam duceret, ſicut eius erat conſuetudinis, vt cum Dominici feſti, vel quorumlibet Sanctorum ſacræ ſolemnitatis appropinquaret aduentus, ab aliorum ſocietate ſegregatus, & abditis locis receptus, longioris ſpatij Eremi ſecreto tutaretur, vt ſolida mente, & abſque curarum inquietudine ſolus orationi vacaret, & religioni omni conatu intenderet: *Solitudinis amor.* erat cibus eius attenuatus, ita vt vix eum viuere crederes, nec aliud penitus, quàm agreſtium herbarum exigua menſura, vel pomorum paruulorum, quæ eremus illa ferebat, quas etiam Bulgulas vulgò appellant: *victus tenuitas.* potus illius aqua erat, vt qui ſæpe in aliorũ curis occupatus, hæc æquè agere nequiret, ſaltem per interualla temporum, pro parte mentis vota patraret: eratque in monaſterio eius puerulus quidam nomine *Domualis*, qui cum certa opportunitas Monaſterij eueniſſet ſolus patri renunciaret, ac fratribus obſeruanda referret. Poſitus ergo in præfato ſinu eminentis ſaxi, qui aliunde penè aditum denegabat, multis cum iam inibi diebus reſediſſet cœpit ſupradictus puerulus ſubſilenti voce conqueri, cur in promptu aquam non haberet, ſed grandi labore per montis ardua feſſis poplitibus deferret. Cui Columbanus, inquit: Fili, pauliſper ſaxi terga ſciſcitare; memento populo Iſraël Dominum de caute latices produxiſſe. At ille patri obediens, rupem cædere aggreſſus eſt. Sanctus itaque vir ſtatim genibus prouolutus, orationibus deprecatur, vt ſuæ neceſſitati tribuat opportuna. Tandem eius precibus parens, piè petenti larga ſubuenit poteſtas: moxque latice producto, fons cœpit manare perennis, qui vſque in hodiernum diem manat. *Fontem è petra manare impetrat.* Nec immeritò miſericors Dominus ſuis Sanctis tribuit poſtulata, qui ob ſuorum præceptorum imperium proprias crucifixerunt voluntates, tantum fide pollentes; vt qui eius miſericordiam poſtulauerint, impetrare non dubitent, quia ipſe promiſit dicens: *Si habueritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis monti huic, tranſi, & * tranſiet: & nihil im-* *Matt. 17.* ** Tranſibit.*

poſsibile erit vobis. Et alibi: Omnia quæcunque orantes petitis, credite; quia accipietis, & euenient vobis.

CAP. IX.

CVmque iam multorum Monachorum ſocietate denſaretur, cœpit cogitare, vt potioris loci ſpatium quæreret in eadem eremo, quo Monaſterium conſtruxiſſet. Inuenit autem caſtrum olim fuiſſe munimine cultum à ſupra dicto loco diſtans plus minus octo * milibus: quem locum *Luxonium* priſca tempora nuncupauerant. Ibi aquæ calidæ cultu eximio conſtructæ habebantur, ibi imaginum lapidearum denſitas vicina ſaltus denſabat, quas cultu miſerabili, ritúque prophano, vetuſta Paganorum tempora honorabant, quibuſque execrabiles ceremonias litabant. Solæ ibi beſtiæ ac feræ vrſorum, bubalorum, luporum multorum frequentabant. Ibi reſidēs vir egregium Monaſterium conſtruere cœpit. Ad cuius famam plebs vndique cōcurrere, & ſe cultui Religionis dicare curabat, ita vt plurimū Monachorum multitudo adunata, vix vnius Cœnobij Collegio conſidere valeret. Ibi nobilium liberi vndique concurrere nitebantur, vt ſpretis phaleramentis ſæculi, & præſentium pompam facultatum contemnentes, æterna præmia caperent. Quod Beatus Columbanus cernens, vndique ad pœnitentiæ medicamina plebem concurrere, & vnius cœnobij ſepta tantam cōuerſantium cohortem, abſque difficultate non continere: quamuis mente vna, & corde vno, tamen conuerſationi tantæ multitudinis incōgruum, alium experimento locum quærit, quem aquarum irriguitas adornabat. Aliudque Monaſterium conſtruxit, *cui Ad fontanas* nomen indidit, deditque gubernatores præpoſitos, de quorum Religione nihil dubitabatur. His ergo in locis Monachorum plebibus conſtitutis, ipſe viciſſim omnibus intererat, regulámque quam tenerent, * Spiritui Sancto repletus condidit. In qua autem qualis, & quantæ diſciplinæ vir Sanctus fuerit, prudens Lector, vel auditor agnoſcit.

** miliaribus.*

Monaſterium Luxouienſe conſtruit.

Monachorum multitudo.

Aliud Monaſterium Ad fontanas dictū ædificat.

** f. Spiritu.*

Regulam Monaſticam condit.

CAP. X.

EO itaque tempore quidam Frater nomine *Autiernus* pulſare aures viri Dei cœpit, vt peregrinandi cauſa in Hyberniam perueniret: Cui Columbanus ait pergentes in Eremum, voluntatem Domini probemus, vtrum deſideratum arripias iter, an in cœtu Fratrum permaneas: Pergentes ergo ſimul, tertium adoleſcentem nomine *Soniarium*, qui adhuc ſuperis iunctus eſt, in comitatum ſumpſerunt: Et ad deſtinatum in Eremo locum venerunt, vnius panis cibo tantum contenti, cumque iam duodecimus tranſiſſet dies, nec quicquam panis fragmenti remanſiſſet, horaque refectionis appropinquaret, imperatur à Patre, vt per prærupta ruris eant, atque ad ima vallis perueniant, & quicquid ad cibum opportunè reperiant, deferant. Ouantes illi per concaua vallis, Moſella tenus peruenerunt, capturámque piſcium olim à paſtoribus conſeruatam, & vndis oppoſitam cernunt: accedentéſque, quinque magnos reperiunt piſces, ſumentéſque tres, qui adhuc viuerent, Patri præſentandos vehunt. At ille, Cur inquit, non quinque detuliſtis? reſpondent mortuos reperiſſe duos, proinde reliquiſſe. Et ille, nequaquam ait, ex his comedetis, niſi quos demiſiſtis, venerint. At illi miraculo perculſi de prouidentia diuinæ gratiæ, pernici curſu locum repetunt; piſces relictos deferunt, increpantur cur repertum manna reliquiſſent, & ſic cibos parare iubentur: nempe Spiritu Sancto vir Dei plenus, nouerat ſibi à Domino paſſim dapes paratas. Alia quoque vice, cum in eadem ſolitudine moraretur, non tamen in eo loco, iam quinquaginta dies tranſierunt, vnuſq; tantū de Fratribus cum eo erat, *Gallus* nomine, cui ille imperat, vt ad Bruſcam eat, piſcéſque capiat. Ille abijt, reteque duxit, vt ad *Ligonem* amnem pergeret. Quò cum perueniſſet, reteque in alueum iactauiſſet, aſpicit tātam multitudinem aduenire, nec prorſus à rete teneri, ſed velut in parietem impingerent, retrò reuerti. Laborauit itaque per totum diem, nec vel vnum capere quiuit. Reuerſus itaque renunciat Patri deſtructatum laborem: ille inobedientem increpat, cur non ad denuntiatum locum properaſſet: aitque denuo, vade citò, & ad denunciatum perge locum. Peruenit itaque & vndis rete oppoſuit, tantâq; piſcium copia impletum eſt rete, vt vix præ multitudine trahi potuiſſet. Hæc nobis ſupradictus *Gallus* ſæpe narrauit.

Vno pane ipſa cum duobus diſcipulis, 12. diebus ſuſtētatur.

Piſces.

Miraculoſa piſcatio Galli.

CAP.

CAP. XI.

MOrabatur autem alia vice in ſupradicto ſcopuli ſinu, à quo vrſum expulerat, diuque ibi oratione & ieiunio corpus afflixerat. Cognouit ergo per reuelationem, fratres qui penes *Luxouium* erant, diuerſis morborum generibus vexari: nec amplius remanſiſſe, quam qui ægrotis adminiſtrabant. Egreſſus itaque de ſpecu, ad *Luxouium* venit. Cumque omnes afflictos cerneret, imperat vt omnes ſurgant, atque ad meſſem in area virgas cædant. Surrexerunt ergo, quorum conſcientiã obedientiæ ignis vrebat, ad aream que venientes virga meſſem cædere cum fidei gratia aggreſſi ſunt. Videns ergo pater fidem in filiis, & obedientiæ gratiam abundare, ait: Sinite, inquit, feſſa ægritudine membra à labore reficere. Mirantur de ſoſpitate obedientes. nullo doloris veſtigio remanente, menſaſque parare iubet, vt vberi gaudio omnes reficerentur. Increpantur deinde inobedientes, ignauia fidei arguitur, longitudo ægritudinis eis denunciatur mira vltio: nam ſupra metam anni inobedientes ægritudinis pœna ita vehementer exuſſit, vt vix mortem euaderent, impleueruntque menſuram pœnitentiæ de ſuſcepto inobedientiæ tempore.

Reuelatio.

Obediẽtiæ præmium.

Inobediẽtiæ pœna.

CAP. XII.

INtereà tempus euenerat, vt copia ſegetum horreis conderetur, nec prorſus vis ventorum nubes compilare ceſſabat. Vrgebat ſane neceſſitas, ne maturæ meſſis ſpicæ in ſtipula germine miſſo perirent. Erat que vir Dei apud *Fontanas* cœnobium, vbi & meſſium copiam nouus ager locuplerem tenebat. Irruebant enim ventorum flabra cum vehementia imbrium, nec omnino nebula cœli dare terris pluuiam quieſcebant. Quid inter hæc vir Dei ageret, anxio corde penſabat. Armauit mentem fides, docuit impetrare opportuna: accerſiuitque omnes, ac ſegetem præcidi iuber. Mirantur illi Patris imperium, nec tamen quiſquã patri cogitatum depromit. Venerunt ergo omnes, falceque inter diffuſiones imbrium ſecant ſegetem, patremque quid agat conſpiciunt. Ille autem quatuor plenos religione viros, per quatuor angulos meſſi præponit, *Cominimum*, & *Ennocum*, ac *Æquonum, ex * Scotorum genere, quartumque *Gorganum*, genere Britonem. His ordinatis ipſe cum reliquis meſſem medius præcidebat. Mira virtus: fugiebat imber a ſegete, & vndique pluuia diffundebatur, medios tamen meſſores Solis ardor torrebat, æſtuſque vehemens, quouſque meſſem conderent, afflauit. Sic fides & oratio meruit, vt pulſã pluuiâ æſtum inter imbres haberet.

*Al. * Atquonanũ. * Hibernorum.*

In imbre ſine imbre ſegetes metit.

CAP. XIII.

ERat enim tunc temporis Dux quidam, nomine *Vualdelenus*, qui gẽtes, quę inter Alpium ſepta, & Iurani ſaltus arua incolunt, regebat: huic ſoboles nulla erat, vt Iuuencus de Zacharia & Eliſabeth ait, gratius vt donum iam deſperantibus eſſet. Hic cum coniuge ſua *Flauia* nomine, & genere & prudentia nobili ad Beatum Columbanum ex *Veſocionenſi* oppido pergit, precantes ſimul, vt pro eis Dominum deprecaretur, dicenteſque ſe multis opibus eſſe ditatos, ſed cui hæreditatem poſt obitum relinquerent, hæredem non haberent. Quibus vir Sanctus. Si, inquit, voti veſtri eſt, vt largitoris donum eius nomini conſecretis, mihique ex lauacro ſuſcipiendum tradatis, pro vobis Domini clementiam implorabo, vt non ſolum eum, quem Domino voueatis, habeatis: verum quanta volueritis, póſt pignora ſuſcipiatis. At illi læto animo promittunt, ſe eius imperijs parituros: tamen pro ipſis Domini miſericordiam non deſinat implorare. Spondet vir Dei muneribus plenus, ſe in promptu habere: tantùm ne pacti fœdus ſtudeant violare. Mirum dictu, vix domum remeãt, donum creatoris aluo grauida mater futura exſpectat. Editum autem puerũ ad virum Dei defert, ſuis orationibus largitum munus demonſtrat, grates conditori agit, qui ſic ad petitiones famulorum ſuorum, quæſita dona largitur. quem vir Sanctus ſuis manibus receptum ſacrauit, ſacroque lauacro ablutum ipſe ſuſcepit: *Donatumque* nomen imponit, matrique ad nutriendum reddit: Qui poſt alitus, in eodem monaſterio ſapientia imbutus, *Veſocionenſis* Pontifex eſt præfectus, nunc vſque supereſt eandem cathedram regens. Qui poſt in amore beati Columbani, ex ipſius

Sterili matrona ſuis precibus fœcunditatẽ obtinet.

regula Monaſterium virorum conſtruxit, quod *Palatium* nuncupant, ob veterum monumenta murorum. Addidit poſt eum bonitatis largitor, famuli ſui promiſſum, alium filium *Ramelenum* nomine, qui nobilitate & ſapientia pollens, poſt obitum patris in eius honorem eſt ſuffectus: quamuis ſeculari habitu, tamen in Creatoris amore vigil. Nam & ipſe in amore beati viri, in ſaltu Iurenſi, ſuper *Nouiſonam* fluuiolum Monaſterium ex eius regula conſtruxit, in quo *Agrium* Abbatem præfecit: addiditque adhuc duas filias priſtino muneri, & ſæculo nobiles, & Chriſti timore deditos. Poſt iſta munera mater ipſorum *Flauia*, poſt mariti obitum, Monaſterium puellarum conſtruxit in ſupra dicta vrbe *Veſuncionis*, & omni munimine roborans, multarũ puellarum concionem adunauit. Tanta autem in eis viri Dei gratia flagrauit, vt omnia phaleramenta præſentis vitæ contemnentes, ad omnipotentis Dei cultum anhelarent.

Diuerſa monaſteria iuxta regulam S. Columbani.

CAP. XIV.

Hic vero aliqua inſerere nitimur, quæ licet parua hominibus videantur, erunt obtrectatorum latratibus patentia, conditoris tamen largitio, æque in minimis, vt in magnis miſericorditer aſpirat: nec differt in modicis aurem pietatis accommodare ſicut in maximis exaudit vota petentis. Quadam etenim die, cum vir egregius Columbanus ad præcidendam meſſem cum fratribus penes *Calmem*, quam *Baniaricam* vocant, veniſſet, & blando commodoque auſtro flante, falce ſegetem ſecarent, euenit vt vnus eorum *Theodegiſus* nomine, digitum falce præcideret, nec prorſus hæreret, præter paruæ pellis retentaculum. Itaque ſtantem vir Dei *Theodegiſum* cernens à longè, imperat vt cœptum opus cum ſodalibus perficiat. At ille rei geſtæ cauſam promit, celer autem ille ad ipſum properat, digitumque illitum ſaliua priſtinæ ſtatim ſanitati reſtituit, imperatque vt celer ad cœptum opus vires augeat. Cœpit ergo cum gaudio geminare laborem, ac præ cæteris ad præcidendam ſtipulam vberius vrgere, qui dudum de præciſo membro animũ mœrori ſubdiderat. Hæc nobis ipſe *Theodegiſus* narrauit, digitũq; mõſtrauit, & in ſupradicto cœnobio *Luxouio* tale quid vice alia geſſit ſimile. Nam quidã Preſbyter ex parochianis, pater *Boboleni*, qui nunc *Bobienſi* cœnobio præeſt, *Vvinioc**us* nomine, ad beatum Columbanum venit: eratque ille in ſaltu cum fratribus, ob lignorum opportunitates parandas. Cumque ſupradictus *Vviniocus* superueniſſet, miranſque aſpiceret, quanta vi truncum quercus cuneis arieteque parturent, elapſus è trunco cuneus, mediam frontem ſecauit, ac venarum profluas ſanguinis vndas produxit. Videns autem vir Dei Columbanus detectum os, ſanguinem fluentem, ſtatim in terram orans ruit, ſurgenſque ſaliua illitum, ſanum reddidit, vt vix cicatricis veſtigium remaneret. Alia vice cum ad cibum capiendum veniret beatus Columbanus in ſæpè fato cœnobio *Luxouio*, tegumenta manuum, quæ Galli vuantos, id eſt, chirothecas vocant, quos ad operis laborem ſolitus erat habere, ſupra lapidem, qui ante fores refectorij erat, depoſuit. Moxque quiete reddità, coruus ales rapax aduolauit, vnumque ex eis roſtro ferens abſtulit. Peractâ autem refectionis horâ, foris vir Dei rediens, tegumenta manuum requirit. Cumque omnes inter ſe conquirerent, quis abſtuliſſet: vir Sanctus ait, nullum alium eſſe, qui ſine commeatu aliquid præſumeret contingere, niſi alitem, qui à Noë dimiſſus, ad arcam non remeauiſſet: addiditque ſe nullo modo ſuos pullos aliturum, ſi rapax furtum celeri volatu non referret. Expectantibus autem omnibus fratribus in medio eorum coruus aduolat, malè ſublatum furtũ roſtro reportat, nec ſe pennigera conatur eripere fuga: ſed mitis ante omnium conſpectum, oblitus ferocitatis, vltionem expectat. Quem vir Sanctus abire imperat. O mira æterni iudicis virtus, qui tanta ſuis famulis præſtat, vt non ſolum hominum honoribus, ſed etiam auium obedientia clareſcat.

Saliua ſua digitũ præciſum ſanat.

Certitudo miraculi.

Aliud graue vulnus ſanat.

Gen 8.

Coruus chirothecam abreptam reſtituit.

CAP. XV.

Patratum deinceps aliud miraculum, quod per beatum Columbanum, & eius cellerarium factum fuit refero. Cum iam hora refectionis appropinquaret, & miniſter refectorij ſeruitium ad-

miniſtrare conaretur, quæ ex frumenti & hordei ſucco excoquitur, quamque præ cæteris in orbe terrarum gentibus præter *Scordiſcas, & Dardanas* gentes, quæ Oceanum incolunt, vſitant, id eſt, Gallia, Britannia, Hibernia, Germania, cæteræque, quę ab eorum moribus non deſciſcunt, vas, quod Typrum nuncupant, ad cellerarium deportat, & ante vas quo ceruiſia condita erat, apponit, tractoque ſerraculo meatim in Typrum currere ſinit. Quem ſubito beati Columbani patris imperio, alius è fratribus vocauit. At ille obedientiæ igne ardens, oblitus meatum obſerare, pernici curſu ad beatum virum pergit. Serraculum, quem Duciolum vocant, manu deferens. Poſtquam autem ſibi vir Dei, quæ voluerat imperata deprompſit, recordatus negligentiæ, celeriter ad cellerarium redijt, coniiciens nihil in vaſe, de quo ceruiſia recurrebat, remanſiſſe: intuituſque eſt ſupra Typrum ceruiſiam creuiſſe, & ne minimam ſtillam foris cecidiſſe, vt crederes in longitudine Typrum geminatũ eſſe, vt qualis & quanta rotunditate infra Typrum inerat corona, talis in altum creuiſſet vrna. Quantum imperantis imperium, quanta obſequentis obediẽtia, vt ſic vtriuſque triſtitiam Dominus voluiſſet auertere, ne ſi fratrum ſubſtantiam, & imperantis, & obedientis ardor diminuiſſet, ambo ſe à licitis alimentis abdicaſſent. Sicque æquus arbiter occurrit, vt vtrorumque culpas ablueret, quas illis ſi caſu veniente, vel Domino permittente fuiſſent patratæ, ambo ſuis noxis cuenisſe aſſeruiſſent.

Præclarũ obedientiæ miraculũ.

CAP. XVI.

Eodem in tempore actum eſt, vt per denſa ſaltus viburna, frutricũ ſolitudinis amator, quæ* propter Fredemungiacas culmen erat, vir Dei ambularet, reperitque cadauer cerui, quem Luporũ feritas peremerat, vrſum deuorare velle. Cuius iam ſanguinem lambens, exiguam partem carnis vorauit. Ad quem vir Dei acceſſit, increpans ne corium, quod ad vſum calceamentorũ neceſſarium erat, læderet. Tunc beſtia oblita ferocitatis mitis eſſe cœpit, & contra naturam abſque murmure blandiens, atque colla ſubmittens, cadauer reliquit. Quod vir Dei ad Fratres rediens indicauit, in eum locum vt irent, & de cerui cadauere corium auellerent. Abeuntes ergo fratres, reperiunt vndique rapacium alitum procul multitudinem abeſſe, nec ad cadauer ſupra viri Dei interdictum accedere audere, diuque expectantes à longè, ſi vel auis, vel fera audaci conatu prohibitæ eſcæ vrgeretur, prædam capere: conſpiciunt ad odorem cadaueris lupos aduentare, & procul adſtantes, ac ſi mortiferum ac lethale aliquid euitare, & celeri fuga omittere. Moranteſque alia vice penes Luxouiũ, Columbanus, * Vuinicoſus preſbyter, cuius ſuperius fecimus mentionem, ad eum venit, ſequebaturque Vuinicoſus Columbæ veſtigia, quocunque iret: veneruntque ad horreum, quo frumẽta condebantur, aſpicienſque Vuinicoſus paruipendentis copiæ exiguitatem, ait, ſe non habere panis abundantiam, quo tanta multitudo alatur, eurque ſegnitia torpeat quærendi frumenta, increpat. Cui Beatus Columbanus reſpondit, ſi ritè conditori, ſuæ deſeruiant plebes, nunquam per æuum eſuriem ſcient: Sic enim præconcinentis vox Pſalmogaphi concelebrat: *Non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem.* Perfacile farre horreum replet, qui de quinque panibus quinque millia hominum ſatiauit. Manẽte denique nocte illa ibi Vuinicoſo, viri Dei fide, & oratione horreum repletum eſt: manéque conſurgens Vuinicoſus, iuxta horreum tranſiens inopinatò horreum cernit apertum, clauigerumque ſimul ante oſtium aſtantem. Sciſcitatur autem, quis hoc direxerit, aut quæ plauſtrorum congeries hæc frumenta deuexerint. Cui horrei cuſtos ait: non ita eſt, vt putas. Nam cerne, ſi veſtigia plauſtrorum, vel iumentorũ telluri impreſſa appareant: nequaquam autem claues à me hac nocte diſceſſerunt, ſed obſerato horrei oſtio, diuino ſolamine, frumento repletum eſt horreum. Cœpit autem ille de induſtria intentis oculis terram reſpicere, & deferentium veſtigia diligenti examinatione cognoſcere. Cumque nihil horum ſimile quid reperiſſet, ait, potens eſt Deus ſeruis ſuis parare menſas in deſerto. Traiecto autem exindè temporis interuallo, venit beatus Columbanus, *Adſontanas* Cœnobium, reperitque fratres ſexaginta ſarculo terram colere, & ſemini futuro confectum glebis aruum parare: Cumque vidiſſet eos magno labore glebas ſcindere, ait: ſit vobis, ô fratres, à Do-

*F * Propt.*

Vrſus obtemperat eius verbo.

Aſites, & lupi non audent eius interdictum violare.

** Vuinicoſus.*

Pſal. 36.

Matt. 14.

Vacuum horreum eius precibus impletur frumento diuinitus.

mino collata refectio. Quo audito, miniſter ait: Pater mi, non ſunt nobis amplius quàm duo panes, & parum ceruiſiæ. Ille, vade, inquit, & defer huc. Concito ille gradu perrexit, duoſque panes, & parum ceruiſiæ detulit. Intuens autem cœlos Sanctus Columbanus ait: *Chriſte Ieſu, vnica ſpes orbis, tu hos panes, & potum hunc multiplica, qui de quinque panibus, quinque ſatiaſti millia hominum in deſerto.* Mira res! Satiati ſunt omnes, potuque hauſto, prout voluntas cuique fuit, dupla miniſter fragminum ſpolia recolligit, potuſque duplicatam menſuram; ſicque intellexit plus mereri fidem, digna diuini muneris lucra, quàm deſperationem, quæ ſolet diminuere etiam collata. Cum ergo quodam in tempore in eodem Cœnobio Luxouio, vir Dei commoraretur; accidit, vt vnus de fratribus nomine, & ipſe Columbanus, febre correptus, atque in extremis poſitus, fœlicem poſtularet exitum. Cumque iam vltimo halitu carere vellet, fidens de cœleſti munere, quod longo famulatu quæſierat, vidit ad ſe virum fulua luce amictum accedere, ſibique dicere, non te modo à corpore ducere poſſum, quia orationibus, & lachrimis patris tui Columbani præpedior. Cumque hæc Columbanus audiſſet, mœrens, ac ſi ſomno euigilaſſet, ſuum miniſtrum *Theodegiſum*, cuius ſuperius fecimus mentionem, vocare cœpit: Feſtina, inquit, perge, & patrem communem Columbanum ad me venire compelle. Concito ergo gradu ille venit, ac Beatum Columbanum in Eccleſia poſitum flentem reperit, poſtulatque vt ad ægrotum feſtinans accedat. Venit ergo perniciter, & quid vellet interrogauit? At ille cauſam obiicit. Cur me, inquit, tuis orationibus in hac ærumnoſa vita detines? Nam adſunt qui me ducere volunt, ſi tuis fletibus, & precibus non præpediantur. Retentionis ſolue obſtacula, vt mihi iam pateant cœleſtia regna. Tum metu Columba perculſus, ſigno *tacto omnes adeſſe imperauit, Sancti Sodalis amiſſionem gaudio temperauit, corpus Chriſti abeunti de hac vita viaticum præbet, ac poſt extrema oſcula, defunctionis cantus impleuit. Erat enim ex eodem genere, quo Beatus Columbanus, vnoque commeatu, & nomine, ex Hibernia proceſſerunt. Quomodo autem beſtiæ ac volucres viri Dei parerent Imperio; non eſt ſilendum. Nam *Chagnoaldum* Lugduni Pontificem, qui eius miniſter, & diſcipulus fuit, nouimus referentem, qui ſe teſtabatur, ſæpe vidiſſe, cum in eremo, vel ieiunio, vel oratione vacans deambularet, eſſe ſæpe ſolitum feras beſtias, ac aues acceſſere: quæ ad imperium eius ſtatim veniebant. Quas manu blandiens attrectabat, & ita feræ, aueſque gaudentes, ac ludentes lætitia vberi, veluti catuli ſolent dominis adulari, exultabant. Et feruſculam, quam vulgo homines Squiritium vocant, ſæpe de arduis arborum culminibus accerſitam: manuque receptam, ſuoque collo poſitam, & ſinum ingredientem, ac exeuntem ſæpe ſe vidiſſe ſupradictus vir teſtabatur.

Matt. 14.

Mira panum & ceruiſiæ multiplicatio.

Vis magna precũ eius.

*f. * dato.*

Alter Columbanus natione Hibernus.

Feræ & aues obediunt illi.

CAP. XVII.

CRebuerat namque iam paſſim fama Sancti viri in vniuerſas Galliæ, & Germaniæ prouincias, eratque omnium rumore laudabilis, omnium cultu venerabilis, in tantum, vt Theodoricus Rex, qui eo regnabat in tempore, ad eum ſæpe veniret, & orationum ſuarum ſuffragium omni cum humilitate depoſceret. Sigebertus etenim, cuius ſuperius fecimus mentionem, apud *Victuriacum* villam publicam, quæ in ſuburbano *Arauienſis* vrbis ſita eſt, *Hilprici* germani ſui dolo, qui apud *Turnacum* oppidum tunc erat, quem Sigebertus, vſque ad internecionem perſequebatur interfectus eſt. Perempto itaque Sigeberto, Hildebertus filius eius regni ſceptra ſuſcepit, annuente matre **Brunehilde*. Mortuo deinde Hildeberto, infra adoleſcentiæ annos regnauerunt filij Hildeberti duo, Theodebertus & Theodericus, cum auia ſua *Brunehilde*. Regno Burgundionum Theodoricus potitur: regnum Auſtraſianum Theodebertus ſuſcepit regendum. Theodericus ergo, quia in terminis regni ſui Beatum Columbanum haberet, gratulabatur non minime. Ad quem cum ſæpiſſime veniret, cœpit eum vir Dei increpare, cur concubinarum adulterijs miſceretur, & non potius legitimi coniugij ſolamine frueretur, vt regalis proles, ex venerabili Regina prodiret, & non potius ex lupanaribus videretur emergi. Cumque iam ad viri Dei imperium Regis ſermo obtemperaret, & ſe ab omnibus illicitis ſegregare reſponderet, mentem,

Theodoricus Rex eum honorat.

Sigeberti Regis cædes.

*al. * Brunechilde.*

Theodoricum Regem propter concubinas obiurgat.

Brunechildis auiæ ſecundæ, vt erat Iezabelis antiquus anguis adijt, eamque contra virum Dei ſtimulatam ſuperbiæ aculeo excitat, quia cerneret viro Dei Theodoricum obedire. Verebatur enim, ne, ſi abiectis cõcubinis Reginam aulæ præfeciſſet, & dignitatis, atque honoris ſui modum amputaſſet.

Ea re Brunechildem offendit.

CAP. XVIII.

EVenit ergo, vt quadam die Beatus Columbanus ad *Brunchildem* veniret (erat enim tunc apud *Brocariacum* villam: Cumque illa eum in aulam veniſſe cerneret, filios Theodorici, quos de adulterinis permixtionibus habebat, ad virum Dei adducit. Quos cum vidiſſet, ſciſcitatur quid ſibi velint. Cui *Brunechildis* ait: Regis ſunt filij, tu eos tua benedictione robora. At ille, nequaquam, inquit, iſtos regalia ſceptra ſuſcepturos ſcias, quia de lupanaribus emerſerunt. Illa furens, paruulos abire iubet. Egrediens ergo vir Dei regiam aulam, dum limitem tranſiliret, fragor exortus totam domum quatiens, omnibus terrorem incuſſit: nec tamen miſeræ fœminæ furorem compeſcuit. Parat deinde inſidias moliri, vicinisque monaſterijs per nuncios imperat, vt nulli eorum extra monaſterium iter pandatur, neque receptacula Monachis eius, vel quælibet ſubſidia tribuantur. Cernens autem Beatus Columbanus regios animos aduerſum ſe permotos ad eum properat, vt ſuis monitis miſeræ pertinaciæ in tantum frangat. Erat enim tunc temporis apud *Spiſſiam* villam publicam. Quo cum iam Sole occubante veniſſet, Regi nunciant, virum Dei inibi eſſe, nec in Regis domibus metari velle. Tunc ait Theodoricus, melius eſſe virum Dei opportunis ſubſidijs honorare, quàm Dominum ex ſeruorum eius offenſa ad iracundiam prouocare. Iubet ergo regio cultu opportuna parare, Deique famulo dirigi. Itaque venerunt, & iuxta imperium Regis oblata offerunt. Qui cum vidiſſet dapes, & pocula cultu regio adminiſtrata, inquirit quid ſibi velint iſta. Aiunt illi, ſibi à Rege eſſe directa. Abominatus autem ea, ait: Scriptum eſt, *munera impiorum reprobat altiſſimus*: non enim dignum eſt, vt famulorum Dei ora cibis eius polluantur, qui non ſolum ſuis, verumetiam aliorum habitaculis, famulis Dei aditum denegant. His dictis vaſcula omnia in fruſta diſrupta ſunt, vinaque, ac ſicera ſolo diffuſa, & cætera ſeparatim diſperſa. Pauefacti autem miniſtri, rei geſtæ cauſam Regi nunciant. Tunc ille pauore perculſus, cum auia diluculo ad virum Dei properat: precantur de commiſſo veniam, ſe in poſtmodum emendare pollicentur. His placatus promiſſis, ad monaſterium redijt: Sed polliciti vadimonij iura, non diu ſeruata violantur: exercentur miſeriarum incrementa, ſolitòque à rege adulteria patrantur. Quo audito, Beatus Columbanus literas ad eum verberibus plenas direxit, comminaturque excommunicationem, ſi emendare dilatando, non vellet. Ad hæc rurſum permota *Brunechildis*, Regis animum aduerſus beatũ Columbanum excitat, omnique conatu perturbare contendit; orabatque proceres aulicos, optimates omnes, vt Regis animum contra virum Dei perturbarent. Epiſcopos autem ſollicitare aggreſſa eſt, vt de eius religione detrahendo, ſtatum regulæ, quam ſuis cuſtodiendum Monachis indiderat, macularent. Obtemperantes igitur aulici perſuaſionibus miſeræ Reginæ, Regis animum contra virum Dei perturbant, cogentes, vt accederet, ac religionem probaret. Coactus itaque Rex ad virum Dei *Luxouium* venit, conqueſtuſq; eſt cum eo, cur à comprouincialium moribus diſcederet, & intra ſepta ſecretiora omnibus Chriſtianis aditus non pateret. Beatus itaque Columbanus, vt erat audax, atque animo vigens, talia obiicienti regi, reſpondit: Se conſuetudinem non habere, vt ſæcularibus hominibus, & à religione alienis, famulorum Dei habitationis pandat introitum, ſe & opportuna, aptaque loca ad hoc habere parata, quo omnium hoſpitum aduentus ſuſcipiatur. Ad hæc Rex: Si, inquit, largitatis noſtræ munera, & ſolaminis ſupplementum capere cupis, omnibus in locis omnium patebit introitus. Vir Dei reſpondit. Si quod nunc vſque ſub regularis diſciplinæ habenis conſtrictum fuit, violare conaris, nec tuis muneribus, nec quibuſcunque ſubſidijs, me fore à te ſcias ſuſtentandum: & ſi hanc ob cauſam tu hoc in loco veniſti, vt ſeruorum Dei Cœnobia deſtruas, & regularem diſciplinam macules, ſcito tuum regnum funditus ruiturum, & cum omni propagi-

Negat benedicere ſpurijs.

Vindicta.

Eccleſ. 34.

Reſpuit dapes à Rege miſſas.

Miraculũ

Veniam precantur Rex & Auia.

Cõminatur Regi ni adulterari deſinat.

Brunechildis impietas.

colloquiũ Regis, & S. Columbani.

Prædicit Regni ruinam.

ne regia demergendum. Quod poſtea rei probauit euentus: iam enim temerario conatu Rex refectorium ingreſſus fuerat. His ergo territus dictis, foras celer repedat. Duris poſt hæc viri Dei increpationibus Rex vrgetur, contra quæ Theodericus ait, Martyrij coronam à me tibi inferendam ſperas? non eſſe, ait, tantæ dementiæ ſe, vt hoc tantum patraret ſcelus: Sed quæ ſunt potioris conſilij ſe agere, & vtiliora paraturum: vt quia ab omnium ſæculorum moribus deſciſcat, qua venerat, ea via repedare ſtudeat. Aulicorum ſimul conſona voce vota prorumpunt, ſe habere non velle, his in locis, qui omnibus non ſociotur. Ad hæc Beatus Columbanus, ſe dicit de Cœnobij ſeptis nō egreſſurum, niſi violenter abſtrahatur. Diſceſſit ergo Rex relinquens virum quendam procerem, nomine *Baudolfum*. Is enim cùm remanſiſſet, virum Dei à Monaſterio pellit, & penes Veſocionenſe oppidum perducit ad exulandum, quoadvſque regalis ſententia, ex eo quod voluiſſet decerneret. Commorans ergo inibi, audit carcerem eo in loco plenum eſſe damnatorum hominum, mortis damna expectantium. Ad quem vir Dei properat, ingreſſuſque oſtium nullo obſtante, verbum Dei damnatis depromit: Spondentque illi, ſi liberarentur, emendaturos, & de commiſſa noxa pœnitentiam acturos. Beatus itaque Columbanus, poſt hæc miniſtro *Domoali*, cuius ſuperius fecimus mentionem, imperat, vt manu ferrum, quo compedes irretiti erant, atque innexi apprehendat, ac trahat. Quod ille apprehenſum trahit. Et veluti frutex putrefactus, per partes comminuitur, egredique carcerem damnatos ſolutis compedibus iubet Peracto autem Euangelici cultus officio, pedes lauit, linteoque abſterſit: imperatque deinde, vt Eccleſiam petant, & commiſſi ſceleris pœnitendo, ac fletibus abluendo culpas lauent. Properantes ergo illi, Eccleſiæ fores obſeratas reperiunt. Tribunus igitur militum, cùm vidiſſet virtute Dei, per Beatum Columbanum, damnatorum compedes fractos, & vacuum ſibi tantummodo relictum ergaſtulum, inſequi calces damnatorum, ac ſi à ſomno excitatus cum militibus cœpit. Illi vero poſt tergum appropinquare ſatellites videntes, & fores Eccleſiæ obſeratas cernentes, gemina vallati anguſtia, virum Dei compellant, vt eruantur. Ille autem anxio anhelitu ſurſum caput attollit, precaturque Dominum, vt ſua virtute ereptos è ferro, non ſinat denuò tradi ſatellitum nexui. Nec morata auctoris bonitas, fores firmis obſeratas clauſtris reſerat, atque in anguſtia poſitis aditum pandit, pernicique curſu ingrediuntur Eccleſiam. Fores autem poſt damnatorum introitum, in oculis militum, abſque humana manu obſerantur, ac ſi cuſtos vſu clauigero pernici ter, & reſeraſſet, & obſeraſſet. Perueniens ergo Beatus Columbanus cum ſuis, ſimulque & tribunus cum militibus, fores obſeratas repererunt: *Aſſaſtumque* nomine cuſtodem quærunt, vt claues largiatur. Qui cum veniſſet, clauigeroque vſu fores reſerare voluiſſet, ait, ſe nunquam diligentius obſerata clauſtra inueniſſe. Nec quiſquam poſt auſus eſt damnatis iniuriam inferre, quos diuina virtus eruerat.

Expellitur è ſuo Luxouienſi monaſterio.

Multos à carcere miraculosè dimittit.

Magno miraculo fores templi & pateſcunt, & clauduntur.

CAP. XIX.

POſt hæc vir Dei cernens quod *nullus cuſtodijs augeretur, à nulloque moleſtiam ſuſtineret; videbant enim omnes in eo Dei virtutem flagrare, ideoque omnes ab eius iniurijs ſegregabantur, ne ſocij culparum forent: aſcendit Dominica die, in verticem ardui cacuminis, montis illius: (ita enim ſitus vrbis habetur: cum domorum denſitas indiffuſo latere procliui montis ſita eſt, prorumpunt arduaa in ſublimibus cacuminibus, quivndique abſciſſi fluminis *Doua* alueo vallãte, nullatenus commeantibus viam pandit) ibique vſque ad mediam diem expectat, ſi aliquis iter ad monaſterium reuertendi prohibeat Et cum nullus contrarius exiſteret ipſe per mediam vrbem, cum ſuis ad monaſterium regreditur. Quo audito *Brunehildis* ac Theodericus, quòd ſcilicet ab exilio reuertiſſet, atrocioribus iræ aculeis ſtimulantur, iubentque militum cohortem vt rurſum virum Dei abſtrahant, & ad priſtinum prorſus exilium reuocent. Venientes ergo milites cum tribuno peragrant ſepta monaſterrij, virumque Dei perquirunt Reſidebat autem ille in atrio Eccleſię; librumque legebat. Vbi cum ſæpe veniſſent, & prope eum tranſirent, ita vt nonnulli in eius pedibus offenderent, & veſtimentis ſuis

f. nullis.*

al. Dona*

Milites eb eum expellendum miſſi non vident eû præſentê.

ſuis eum tangerent, ſed obcæcatis luminibus ipſum nequaquam viderent, ſed erat ſpectaculum pulcherrimum. Ille autem ouans cernebat quærentes, nec omnino videbatur: Illi in medio eorum poſitum, cum viderentur ab eo non videbant,

Milites eum præſentem nõ vident.

venitque Tribunus, intuituſque per feneſtram, virum Dei vidit, inter ipſos lætũ reſidere, & legere: cernenſque virtutem Dei ait, quid tam intentè atria Eccleſiæ peragratis, nec omnino reperitis? nequaquam amplius inſaniæ errore cor veſtrum decipiatur: Non enim vos poteritis eum inuenire, quem virtus diuina tegit. Redite ab hac intentione, & Regi properemus nuntiare, quia eum minime reperiſtis. Datur autem manifeſte intelligi, tribunum militum non ſponte ad parandum viro Dei iniuriam veniſſe, & ideo ad eum videndum, lumen meruiſſe. Renunciantibus ergo illis auribus regis, ille aucto furore miſeræ intẽtionis, *Berthairum* comitem ad eum requirendum attentus virorum cum præſidio, ſimulque & *Baudulfum*, quem ſuperius direxit, deſtinauit.

Alios mittit Rex qui eum eijciant.

Quò cum veniſſent, Beatum Columbanum, in Eccleſia poſitum Pſallentem, ac orationi deditum, cum omni cõgregatione fratrum reperiunt: ſicque virum Dei alloquuntur, vir Dei precamur, vt tam regijs, quàm etiam noſtris præceptis obedias, egreſſuſque pergas eo itinere, quò primum his aduentaſti in locis. At ille, non enim, inquit, reor placere conditori, ſemel natali ſolo ob Chriſti timorem relicto, denuo repedare. Cumque nullatenus cernerent ſibi virum Dei obedire, relictis quibuſdam quibus ferocia animi fortior erat, *Berthairus* abſceſſit. Hi vero qui remanſerant, virum Dei hortantur, vt illis miſereatur, qui ad tale opus patrandum infœliciter fuerant relicti, eorumque periculo conſuleret, qui ſi eum violenter non abſtraherent, mortis periculum incurrerent. At ille, ait, iam ſæpius teſtatum eſſe, niſi vi abſtraheretur, ſe non diſceſſurum. Illi autem gemino vallati periculo, vndique vrgente formidine, pallium, quo indutus erat attingunt: alij genibus prouoluti cum lachrymis precantur, vt pro tantis ſceleris culpa, illis ignoſceret qui non ſuis deſiderijs, ſed regiis obtemperarent præceptis.

Sponte egreditur monaſterium.

Videns itaque vir Dei periculum aliorum fore, ſi ſuæ ſeueritati ſatisfaceret, cum omnium eiulatu atque mœrore egreditur, deputatis à Rege cuſtodibus, qui quo vſque ditionis ſuæ regno pelleretur, non eum relinquerent, ſed pariter cum illo ambularent. Inter quos primus, *Ragamundus* erat, qui cum vniuerſis fratribus velut funus ſubſequentibus, Nammetis eum perduxit. Anxius itaque pater tantorum membrorum diſpendio, cœlos reſpicit: Æterne, inquiens, conditor rerum, tu nobis locum præpara opportunum, quo tibi tuæ famulentur in ſæcula plebes. Conſolatur deinde vniuerſam ſimul cohortem, vt ſpem non præpediant, ſed omnipotenti Deo immenſas laudes rependant: ſe hoc non diſpendium ſuum, vel ſuorum pati, ſed ob multiplicandas Monachorum plebes hanc eſſe datam occaſionem: Et quicunque ſe ſequi velint, promptiſſimo animo ad ſuſtinendas iniurias conuenirent: qui verò in ſupradicto Cœnobio remanere voluerint, ſecuri in hoc loco remanerent, citò Dominum de eorum mœrore vnctionem daturum. Sed cum æquo animo de cuſtodia paſtoris ſegregari nollent, cuſtodes Reges inquiunt, nequaquam hinc ſe ſequi alios permiſſuros, niſi eos, quos ſui ortus terra dederat, vel qui è Britannicis aruis ipſum ſecuti fuerant, cæteros qui Gallico orti forent ſolo, præceptis eſſe regijs inibi remanſuros.

Impia partialitas.

At cum egregius pater cerneret vi à ſe ſua membra decerpi, tam ſuus, quàm etiam membrorum ſuorum dolor multiplicabatur: Et pro tanti ſceleris pondere Dominum omnium conſolatorem deprecatur, vt quos à ſe regia pertinacia ſegregabat, ipſe ſua cuſtodia tueretur. Inter quos venerabilis vir, qui poſt in eodem monaſterio pater exſtitit *Euſtaſius*, diſcipulus & miniſter Sancti viri, violenter auellitur, intendentes ſuper eum *Nugetio* auunculo eius, qui *Lingonenicæ* Eccleſiæ Pontifex erat. Egreſſus ergo vir Sanctus cum ſuis, viceſimo anno poſt incolatum eremi illius, per vrbem Veſontionum Auguſtodunumque, ad *Auellonenſe* caſtrum peruenit. Sed priuſquam ad *Auellonem* perueniret, in via ei cuſtos equorum *Theoderici* occurrit, lanceaque virum Dei trajicere voluit, ſed maleuolam animam vltio mox digna præuenit.

Deus punit nefarium hominem Sancto necem intentantẽ

Nam dextra, quam aduerſum virum Dei leuauerat, torpente, lanceam ante pedes ſuos humo defixit: ipſeque à Dæmonio correptus ante veſtigia viri Dei ruit,

Quem ille cernens vltione diuina percuſſum die illa noctéque penes ſe tenuit.

Inimicũ fouet, & ſanat.

Cumque ſequens rurſus dies illuxiſſet, ad ſe accerſiuit, Deoq; fauente curatus à peſte ad propria remeauit. Deindè ad *Caram* fluuium properans ad domum cuiuſdam nobilis, & religioſæ fœminæ *Theodemandæ* peruenit. quò cum perueniret occurrerunt ei, duodecim viri pleni rabido dæmone, furentes, atque ruentes in terram: quos vir Dei protinus oratione curauit.

Duodecim dæmoniacos curat.

Eadem autem die ad vicum, quem *Coram* vocant, venerunt: ibique quinque viri phrænesi vexati obuenerunt, vbi & mox ſanati ſunt, Et in *Antiſiodorum* properauit, ibiq; allocutus eſt *Ragamundum*, quia ipſe eum via, qua ibat ducebat. Memento, inquit, ô *Ragamunde*, quod *Clotarium*, quem nunc ſpernitis intra triennium Dominum habebitis. At ille, cur inquit, talia Domine mi, ais? illéque ait, videbis prorſus, quæ dixi, ſi tunc vitam cum ſuperis feras.

Prophetia Sancti de Clotario.

CAP. XX.

PRogreſſus ergo exin ab *Antiſiodoro* conſpicit iuuenem à dæmonio correptum, pernici ex aduerſo currere curſu viginti, etenim miliaribus totis viribus cucurrerat. Quo viſo ſubſtitit, quovſque ſaucius homo dæmonis arte, veniret: venienſque ante virum Dei ruit ſe diſcerpens. Quem vir Dei orationibus curauit, patrique ſoſpitem reddidit.

Dæmoniacũ curat.

Deindè ad *Niuernenſe* oppidum venit, cuſtodibus antecedentibus, ac ſubſequentibus, vt **Ligeris* ſcapha reciperetur, Britannicoque ſinu redderetur.

Gallicè Loir.

Vbi etiam cum veniſſent, & tardo conamine ſcapham inſilirent, quidam è cuſtodibus arrepto remo vnum eorum, qui *Lua* dicebatur, percuſſit virum ſanctiſſimum, & omni religioni deditum. Vir autem Dei intuens ſua coram ſe membra cædi, Cur, inquit, crudelis addis mœrori mœrorem? an non ſufficit ad veſtram ruinam patrati ſceleris malum? cur ſeſſa Chriſti membra cædis? Cur contra mitem, immitis appares? Cur ſæuitiam in manſuetos prætendis? memento te diuina vltione in hoc loco percutiendum, in quo Chriſti membrum fuſtens percuſſiſti. Probauit autem illatæ ſententiæ pœnam, vltio mox ſubſecuta. Nam vt ſubſequenti vice rediens ad eundem portum tranſiturus venit, diuinitùs percuſſus, in eodem eſt loco demerſus. quid cauſæ fuit, vt iuſtus arbiter eandem vltionem, in poſtmodum diſtuliſſet, niſi vt tunc Sancti obtutus, de vindicta eius non macularentur?

Maligno homini diuinam prædicit vltionem.

Inde ad *Aurelianenſem* vrbem venerunt: quò cum nec aditum Eccleſiarum ſibi ex regiis præceptis pandi videret, cum grandi mœrore ſuper ripam *Ligeris* tentori s contentus paulilper quieſcit: Cumque iam ſumptuum neceſſariis indigerent, duos in vrbem direxit, vt neceſſaria quærerent: Quorum vnus erat *Potentinus* nomine, qui adhuc ſupereſt. Et in Armoricano loco in ſuburbano *Conſtantiæ* vrbis Monachorum cohortem adunauit. Sed cum luſtrantes vrbem illi nihil reperiſſent, quia regio timore omnium corda perculſa manebant, via qua vrbem intrauerant, repedabant: obuiamq; habent mulierem in platea ex genere Syrorum: Quę cum eos vidiſſet, ſciſcitata eſt quinam eſſent. Illi rei veritate digeſta, aiunt ſe neceſſaria quæſiſſe, nec prorſus reperiſſe. Illa autem infit, accedite Domini mei, ad metatum famulæ veſtræ, & quæ ſunt neceſſaria vobiſcum vehite. Nam & ego aduena ſum, ex longinquo Orientis ſolo. Illi enim ouantes, eam ſunt calce ſecuti, veneruntq; ad domũ eius ſellâq; poſita, quieuerũt donec detulit quod eis eſſet ad victum: Eratque ſimul in conceſſu vir eius, olim iam luminibus orbatus: de quo ſciſcitati ſunt quis eſſet. Illa autem infit, vir meus ex eodem genere Syrorum, ſicut & ego, cum per multorum circulum annorum lumine priuatum traho. Illi inquiunt, ſi Chriſti famuli Columbæ obtutibus præſentaretur, eius interuentu orationum lumen poſſet recipere. At ille promiſſi muneris, fideique nexibus mentem roborat, ſurgenſque eorum proſecutus cum duce veſtigia. Narrauit ergo *Potentinus* hoſpitalitatis munus in peregrinis. Nec prorſus verba impleuerat, cæcus aſtabat, precaturque Dei virum, vt ſuis orationibus ei lumen reſtituat: Videns itaque illius fidem, omnes poſcit, vt pro cæco orent: Pronuſque diu ſupra humum iacuit, ſurgenſque manu oculos attigit, ac poſt crucis ſignum, poſtulatum lumen reddidit. Gaudens ergo ille reddito lumine domum remeauit, vt videlicet qui interiorem lucem non amiſerat, exteriori non careret. Sicque exinde turba obſeſſorum,

Signo crucis, & precibus reſtituit cæco lumen.

rum, quos dæmones horrido furore torquebant, ad virum Dei curandi gratia properabant: daturque ſalus largita à Domino omnibus per virum Dei beatum Columbanum. His namque virtutibus populus vrbis permotus, virum Dei ſuis facultatibus latenter atque honorificè fulciebat: non enim manifeſtè propter cuſtodes quicquam præbere audebant, ne eius iram incurrerent: deindè arreptum iter peragunt.

Obſeſſos à Dæmone liberat.

Aurelianenſes eo neceſſaria præbent.

CAP. XXI.

Nauigantes ergo per *Ligerim*, ad *Turonenſem* perueniunt vrbem: vbi vir Sanctus cuſtodes precatur, vt ſcapham in portum appropinquent, ſeque ad ſepulchrum B. Confeſſoris Chriſti Martini ire ſinant. Quod abnuentes cuſtodes, nauigare veloci conatu compellunt, remigeroſque vrgent, vt omni virtute curſu celeri portum tranſeant, gubernatori imperant, vt medio fluminis alueo ſcaphā teneat. Quod vidēs Beatus Colūbanus, mœſtos vultus ad cœlū erigit, cōpellans ſe tantæ mœſtitiæ ſubdi, vt ne Sanctorum ſepulchra viſere permittatur. Vrgentibus ergo omnibus mox vt contra portam ventum eſt, velut quibuſdam anchoris defixis, Scapha ſtare cœpit, & ad portum caput dirigere. Quod cum cuſtodes obſtare non valerent, inuiti ſcapham quò velit ire ſinunt: mirum in modum è medio fluuij *Chilos* ad portum, ceu pennigero volatu peruenit, portuque recepto viro Dei viam pandit. Gratias autem illi Regi refert æterno, qui ſuis ſic obtemperare non dedignatur ſeruis. Egreſſus ſanè ad ſepulchrum Beati *Martini* Confeſſoris Chriſti accedit, totaque ibi nocte in oratione excubat. Illuceſcente vero die, à *Leuparto* vrbis illius Epiſcopo, inuitatus ad eſum, ire non abnuit. Præſertim ob ſuorum requiem fratrum, moratuſque eſt eo die cum ſupradicto Pontifice: qui cum hora refectionis cum eo ad menſam reſideret, interrogatus cur retro ad patriam repedaret? reſpondit, Canis me *Theodericus*, à meis fratribus abegit. Tunc vnus è conuiuis, *Chrodoaldus* nomine, qui amitam *Theodeberti* Regis in coniugium habebat, Regi tamen *Theoderico* fidelis erat: Hic viro Dei humili voce reſpondit, eſſe melius lac potare, quàm Abſynthium. Cui vir Dei ait: Cognoſco enim te Regis *Theoderici* fœderis iura ſeruare velle. At ille fatetur ſe fœdus fidei promiſſæ, quamdiu valeret obſeruare. Cui Beatus Columbanus reſpondēs, ſi inquit, Regis *Theoderici* vinctus es fœderi, amico tuo & Domino lætus eris à me legatus directus. Hæc ergo eius auribus infer, & ipſum, & ſuos liberos intra triennij circulum eſſe delendos, radicituſque eius ſtirpem, Dominum eſſe eradicaturum. Cur inquit, ſupradictus vir, famule Dei talia promis? At ille, non enim queo ſilere, quæ mihi loquendo Dominus tradit. Quod in poſtmodum omnes nationes Galliæ ſenſēre impletum, confirmauitque hoc ſuperius ad *Ragamundum* ſententia illata. Sublato deinde prandio, vir Dei ad ſcapham remeat, repenteque ſuos multa triſtitia depreſſos: Inquirenſque inuenit præterita nocte, quæ in ſcapha habuiſſent, furto ſe perdidiſſe, ſimulque aureos quos in pauperes non erogauerat, furto ablatos. Quo audito, ad ſepulchrum beati *Martini* repedat, queſtuſque eſt ſe non idcirco ad eius excubias iſſe, vt ille ſua ſuorumque ſineret damna patrari fratrum. Nec mora, is qui ſacellum cum aureis furatus erat, cœpit inter flagella corporis, pœnaſque clamare & dicere, illo & illo in loco ſe aureos occultatos habere. Quod videntes ſocij omnes currunt, furtóque ſublata omnia reddunt: & virum Dei precantur, vt tanti ſceleris culpas ignoſcat. Quod miraculum omnibus terrorem incutit, vt deinceps quicunque iſta audiſſent, velut ſacrata omnia quæ ad virum Dei pertinebant, attingere non auderent. Præbens itaque neceſſaria *Leuparius* viro Dei valedicit. Nauali ergo itinere ouans vſque ad *Nammetenſe* oppidum venit, ibique aliquantiſper commoratus eſt. Quo cum quadam die quidam egenus ante fores cellulæ, in qua vir Dei metatus erat, clamaret, ille vocato miniſtro, ait, præbe cibos alimoniam petenti: At ille non eſt nobis panis, ait, niſi paululum tantum farinæ. At ille, quantum inquit, habes? teſtatus eſt ille amplius ſe non habere, vt rebatur, quam farinæ modium. Dicit ergo, da totum, nec quicquam reſerues in craſtinum. Obediens autem miniſter, totum ſimul pauperi tribuit, nihil ad neceſſitatem communem reſeruans. Ieiunantibus ergo illis, tertia dies illuxit.

Turones venit.

Tumulū S. Martini viſitare cupit.

Miraculū.

Turonenſis Epiſcopus eum inuitat.

Nota quid poſſint ſancti inuocati.

Nammetenſe oppidum petit.

Mirabilis charitas.

rat, nihil penes ſe habentibus præter ſpei & fidei gratiam, vndè feſſis ieiunio membris ſubuenirent. Subitò autem audiuit quendam fores ſigno terere: cumque oſtiarius ſciſcitaretur, cuius rei neceſſitas poſceret, ſono fragoris fratrum aures inquietari: is qui fores terebat, ait, ſe à domina ſua *Procula* nomine, eſſe directum, quæ diuinitus admonita, vt ſumptus viro Dei Columbæ, atque comitibus eius, qui apud *Nammetenſe* oppidum morarentur, dirigeret, haberique in proximo: ſeque ideo præueniſſe, vt vaſa quò reciperentur, pararent, centū dicens modia eſſe vini, ducentaque frumenti, ſed & bracis centum modia: quod oſtiarius celeri curſu patri indicare properat. At ille, ſine, inquit: fratrūque cœtum adunari præcipit, vt ſimul poſiti pro largitate Dominum precarentur, ſimulque grates referant conditori, qui ſuos conſolari non deſinit famulos in omnibus neceſſitatibus, & poſt hæc munus oblatum recipiant. O mira Conditoris pietas: egere ſinit, vt ſua dona egentibus largiendo demonſtret: tentari permittit, vt in tentatione ſubueniens, ſuorum in ſe corda vberius excitet famulorum: ſua membra ſæuis laceranda tradit, vt circa ſanandorum medicamina multiplicata dilectio confirmetur. Alia ſimul nobilis fœmina & religioſa, nomine *Dola* direxit ducenta frumenti, ac promiſcue centum modia. Quæ cauſa maximam verecundiam, vrbis illius Pontifici excitauit, nomine *Sophronio*: à quo cum nihil muneris impetrauiſſent, nec quicquam commutando capere potuere. Ibi cum moraretur quædam mulier, dæmonis peſte plena, cum filia itidem tali atrocitate repleta venit; quas cum Columba vidiſſet, communem pro eis Dominum exorauit, ſanitatique poſt redditas, metatur ſuo redire præcepit.

Vide, vt cura ſint Domino fideles ſerui.

Duas dæmoniacas ſanat.

CAP. XXII.

POſt hæc *Sophronius Nammetenſis* vrbis Epiſcopus, vna cum *Theodoalde* comite, iuxta Regis imperium B. Columbanū nauem ſuſceptum ad Hiberniam deſtinare properabant: vir autem Dei inquit, ſi nauis quæ finibus Hiberniæ reddatur, adeſt, omnem ſupellectilem comiteſque ſuſcipiat: ego vero interim ſcapha recepta *Ligeris* vnda vehar, quouſque ad alta maris deferat. Reperta ergo naui, quæ * Scotorum commercia vexerat, omnem ſupellectilem comiteſque ſuſcepit. Cumque iam remigera arte proſperantibus Zephiris nauis ad alta pelagi tenderet, vndarum moles obuenerat, nauimque ad littus redire coegit, planoque terris ſalo depulſam reliquit. Collecto itaq; fluctu in ſinus equorum quieuit, manſitque per triduum abſque vndis carina. Intellexit ergo dominus nauis, ob viri ſupellectilem, comiteſque receptos ſe eſſe detentum: fuit tandem conſilium, & reiecit omnia à nauis finibus quæ ad virum Dei pertinebant. Nec mora: vndarum moles adfuit, carinamque ad alta prouexit. Mirantes itaque omnes, cognouere non eſſe voluntatem Dei vt retro amplius repedaret. Ad metatū ergo ſuum quò prius fuerat redijt, nullo iam obſtante quò vellet ire: ſed magis prout quiſque poterat virum Dei honoribus ac ſumptibus fulciebat. Nec defuit quicquam præſidij dum in omnibus conditoris manebat auxilium: quia prorſus nunquam obdormiet, qui ſub alarum ſuarum vmbra Iſrael degit. Sic nempe omnibus omnia largiendo demonſtrat, vt ab omnibus pro munerum ſuorum glorificetur largitione.

Theodoricus ei ad Hiberniā redire imperat.

** Hibernorum vt patet ex initio capitis.*

Nauis miraculoſe ad littus repellitur.

Pſal. 120.

CAP. XXIII.

MOratus ergo paululum ibidem, poſt ad *Clotharium* * *Helperitij* Regis filium, qui in *Auſtraſijs* Francis regnabat, in extrema Gallia ad Oceanum poſitis, pergit. Porrò Clotharius audierat quantis qualibuſque iniurijs virum Dei *Brunehildis*, ac *Theodericus* fatigauerant: quem cum vidiſſet, velut cœleſte munus recepit, ouanſque precatur, vel ſi velit, intra ſui regni terminos reſideat, ſeque ei prout voluerit famulaturum. At ille, nequaquam ait, his in locis ſe conſiſtere velle, vel ob ſuam peregrinationem augendam, vel illis inimicitiarum occaſionem ſedandam. Tenuit ergo eum *Clotharius* quantis potuit penes ſe diebus, caſtigatuſque ab eo pro quibuſdam erroribus, quibus vix aula regia caret, ſpondet ſe *Clotharius* iuxta eius imperium omnia emendaturum. Erat enim *Clotharius* ſolers in amore ſapientiæ. Inuentum ergo optatum munus gratificabatur. Mo-

*Al. * Chilperici.*

Clotharius, Rex illum honorifice excipit.

Admonet Regem vt Aulicorū vitia corrigat.

rante

rante igitur en penes *Clotharium* lis oritur inter *Theodebertum & Theodoricum*, diſceptantibus vtriſque de regni termino: Et vtrique ad *Clotharium* legatos dirigunt, vterq; aduerſus parem auxilium poſtulat. Quod *Clotharius* Beato Columbano inſinuare procurat, conſulens vt ſi videretur eius conſilio, ſe vni conſentiendo, contra alium dimicare. Ad quem ille prophetico repletus Spiritu ait, neutris eum fore pariturum conſilijs, ſuam autem intra triennij tempus in ditionem vtrorumque regna venire. Videns autem *Clotharius* à viro Dei talia ſibi Prophetico ore dici, neutri parere voluit: ſed promiſſum ſibi tempus fideliter expectans, poſt potitus eſt triumpho victoriæ.

Conſiliū S. Columbani datum Clothario.

CAP. XXIV.

POſt hæc agit apud *Clotharium* vir Dei, vt ſibi ſolamen largiretur, quatenus per *Theodeberti* regnum, ſi valeret, ad Italiam, Alpium iuga tranſcēdens perueniret. Datis ergo comitibus, qui eum vſque ad *Theodebertum* perducerent, itinere arrepto, ad Pariſium vrbem peruenit. Quò cum veniſſet, occurrit ei homo in porta, habens ſpiritum immundum, debacchans, ac diſcerpens & garrulans, querulo ſciſcitatur virum Dei affamine, quid his vir Dei agis in locis? raucóque anhelitu à longe beatum Columbanum venire iamdudum clamabat. Quem cum vir Dei vidiſſet, ait, egredere peſtifer, egredere, nec corpora Chriſti lauacro abluta, diu obſidere præſumas. Cæde virtuti Dei, & Chriſti nomine inuocato contremiſce. Sed cum diu ſæuis, atriſque viribus obſtaret, vir Dei manum ori eius iniecit, linguamque attrectat, & in virtute Dei imperat, vt egrediatur. Tunc horrida vi diſcerpens eum, ita vt vix nexibus teneretur, cum viſcerum motione, ac vomituum motu progreſſus tantum fœtorem adſtantibus dedit, vt ſulphureos ſe crederent facilius tolerare odores.

Pariſios venit.

Sæuiſſimū dæmonem eijcit.

CAP. XXV.

DEinde autem ad *Meldenſe* oppidum properat: quò cum v i quidam nobilis, nomine *Channericus* Theodeberti conuiua, vir ſapiens, & conſilijs Regijs gratus, & nobilitatis ſapientia vallatus ineſſet: is virum Dei miro gaudio recepit, ſéque habere curam ſpondet, qualiter ad Theodeberti accederet aulam, non eſſe neceſſe alios comites è regio latere eum habere. Ad hoc enim aliorum differebat ſubſidiū, vt virum Dei ſecum quamdiu valeret, teneret, & eius doctrina ſua domus nobilitaretur. Benedixit ergo vir Dei domum ſuam, filiamque eius nomine *Burgundofaram*, quæ infra infantiæ annos erat, benedicens Domino vouit, de qua poſteà in ſubſequentibus narrabimus. Progreſſus autem indè, venit ad villam quandam *Vulciacum*, quæ ſupra amnem *Matronam* ſita eſt: ibi receptus eſt à quodam viro, nomine *Authario*, cuius coniux *Aiga* dicebatur, erantque his filij intra infantiæ annos detenti: quos mater, ad benedicendum viro Dei obtulit. Videns ergo ille matris fidem, infantulos ſua benedictione ſacrauit: qui poſt, mox vt pubeſcere cœperunt, *Clothario* Regi primùm, ac deinceps *Dagoberto* gratiſſimi habiti ſunt. Sed poſtquam ſæculi gloria fuerant illuſtrati, anhelare cœperunt, vt per gloriam ſæculi non carerent æterna: quorum maior natu *Ado* nomine, ſemet ſuis voluptatibus abdicauit. Poſtq; intra *Iurani* ſaltus, monaſterium ex beati regula Columbani conſtruxit: Iuniorque nomine *Dado*, intra *Briegenſem* ſaltum ſupra fluuiolum *Reſbacem*, ex ſupradicti viri regula monaſterium conſtruxit. Tanta autem in viro Dei gratia redundabat, vt quoſcunque ſacraret, in boni cultus perſeuerantia dies ſuprema inueniſſet: illique iure dictum ſit, vt quos de induſtria monuiſſet, gauiſi ſint poſteà ſe impunitatem meruiſſe. Nec immeritò tanti viri fultus adminiculo, paris gratiæ potitus eſt ſupplemento: qui eius doctrinis innixus, noluit a iuſtæ vitæ tramite deuiare.

Ad Meldenſe oppidum accedit, vbi comiter accipitur.

Duo fratres, duo monaſteria iuxta inſtitutū S. Columbani conſtruunt.

Magna vis benedictionis eius.

CAP. XXVI.

EXindè ad *Theodebertum* regem venit: quem cum *Theodebertus* vidiſſet, ouans ſuis ſedibus recepit. Iam enim multi fratrum poſt eum ex *Luxouio* venerant, quos ille velut ex hoſtium præda ereptos ſuſcipiebat: pollicituſque eſt *Theodebertus*, ſe reperire intra ſuos terminos loca venuſta, & famulis Dei ad omnem opportunitatem congrua, pro-

Theodebertum Rex cū benigne accipit.

ximaſque ad prædicandum nationes, vndique haberi. Ad hæc,inquit,vir Dei, ſi pollicitationis tuæ adminiculum præbes, & vadimonio falſitatis noxa non opponitur, aliquantiſper me commoraturum promitto,ac probaturum, ſi in cordibus gentium fidem ſerere valeam. Dedit ergo Rex optionem, vt quacunque in parte voluiſſet, experimento quęreret locum,qui ſibi ſuiſque placuiſſet, inquiſitumque locum inuenerunt, quem fauor omnium reddebat laudabilem intra Germaniæ terminos, *Rheno* tamen vicinum oppidum, olim dirutum, quod *Brigantium* nuncupabant. Sed quid tunc viro Dei, dum per alueum nauigaret, actum ſit, ſilendum non eſt. Dum quodam die per *Rheni*, vt diximus alueum, ſcapha veherentur ad vrbem, quam *Moguntiacum* veteres appellarunt, perueniunt: quò cum veniſſet, remigeri qui in comitatu viri Dei à rege directi fuerant, viro Dei aiunt ſe habere amicos in vrbe, qui neceſſarios ſumptus præberent: iam enim defecerant longo itinere ſtipendia ſumptuum. Quibus vir Dei ait: ite. Qui cum abiſſent nihil repererunt: reuerſique viro Dei interroganti reſpondent, ſe nullatenùs aliquid ab amicis impetrare potuiſſe. Ad hęc ille; Sinite me, inquit, ad meum abire amicum. Mirantibus illis, vnde hic illo in loco, quò anteà non venerat, amicum haberet, progreſſus, ad Eccleſiam pergit, quam ingreſſus, pauimento inhærens, longæ orationis protractione ſuum Dominum pietatis poſtulat auctorem. Nec mora, Epiſcopus vrbis illius domo progreſſus ad Eccleſiam venit, repertumque Beatum Columbanum, ſciſcitatur quis eſſet: at ille fatetur ſe peregrinum eſſe. Cui ille, ſi, inquit, neceſſe eſt ſumptuum copiã capere, propera domum, & quantum neceſſe fuerit, tecum defer. At ille, cum gratia ſimul conditori, qui ſibi hoc inſpirauerat, ac illi, qui optatam neceſſitatis copiam offerebat, referret, attentiùs ille coëgit, ac imperat, vt omnia opportuna ſumat, pueroſq; feſtinè ad nauim ipſe dirigit, vt omnes veniant, præter cuſtodem vnum dimiſſum, & quæque vellent ſecum deportent. Quod ne cui caſu eueniſſe videatur, ſolitus erat poſtea idem Epiſcopus proteſtari, nunquam ſe anteà ſic attentum in tribuendo neceſſaria fuiſſe: & ſe abſque alia opportunitate, ob B. Columbani meritum diuina admonitione ad Eccleſiam veniſſe. Deinde autem ad deſtinatum perueniunt locum: quem peragrans vir Dei, non ſuis placere animis ait: Sed tamen ob fidem in gentibus ſerendam, inibi pauliſper moraturũ ſe ſpopondit. Sunt etenim inibi vicinæ nationes *Sueuorum*. Quò cum moraretur, & inter habitatores loci illius progrederetur, reperit eos ſacrificium prophanum libare velle, vaſque magnum, quod vulgò *Cupam* vocant, quod viginti modia ampliùs nec minùs capiebat, ceruiſia plenum in medio poſitum. Ad quod vir Dei acceſſit, ſciſcitaturque quid de illo fieri vellent. Aiunt illi, ſe Deo ſuo *Vadono* nomine, quem *Mercurium*, vt alij aiunt, autumant eſſe, litare velle. Ille autem peſtiferum opus audiens, vas inſufflat, miróque modo, vas cum fragore diſſoluitur, & per fruſta diuiditur, vaſque rapido cum liquore ceruiſiæ prorumpit: manifeſtéque datur intelligi diabolum in eo vaſe fuiſſe occultatum, qui per prophanum liquorem caperet animas ſacrificantium. Videntes autem Barbari, ſtupefacti aiunt, magnum virum Dei habere halitum, qui ſic poſſet diſſoluere vas ligaminibus munitum. Caſtigatos itaque Euangelicis dictis, vt ab his ſegregarẽtur ſacrificijs domum redire imperat. Multi enim eorum tunc per beati Columbani ſuaſum, vel doctrinã, ad Chriſti fidem conuerſi, baptiſmum ſunt conſecuti: alioqui quos iam lauacro ablutos error detinebat profanus, ad cultum Euangelicæ doctrinæ monitis ſuis, vt bonus paſtor Eccleſiæ finibus reducebat. Eo itaque in tempore *Theodoricus*, atque *Brunechildis*, non ſolum aduerſus Columbanum inſaniebant, verum etiam, & contra ſanctiſſimum *Deſiderium*, *Viennenſis* vrbis Epiſcopum aduerſabantur. Quem primò exilio damnatum multis iniurijs affligere nitebãtur: ad poſtremum vero glorioſo martyrio coronarunt: Cuius geſta ſcripta habentur, quibus & quantis aduerſitatibus glorioſos apud Dominum meruit habere triumphos. Vagante itaque Beato Columbano, cum ſuis penes *Brigantiæ* vrbem, durum egeſtatis tempus obuenit. Sed quamuis alimoniæ deeſſent, manebat tamen intemerata, atque inconcuſſa fides, quæ neceſſaria apud Dominum impetraret. Cumque iam triduo ieiunio feſſa corpora ferrent, euenit tanta copia alitum, ve-

Locũ reperit.

Moguntiacũ venit.

Epiſcopus diuina admonitione neceſſaria præſtat.

Iouas Deo Mercurio, ſeu potius dæmoni offerendã. ſufflat, idéque rumpitur.

Ethnici credunt in Chriſtũ.

Deſiderius Viennenſis Epiſcopus, quid paſſus ſit à Theoderico & Brunechilde.

Alites ad virum Dei cœlitùs deſtinantur.

lut Iſraelitarum caſtra *Cortunix* olim ope-
Num. 11. ruit, ita vt omnem paginam loci illius ali-
tum multitudo oppleret. Intellexit enim
vir Dei ob ſuam ſuorumq; neceſſitatem, has
dapes terræ diffundi, nec prorſus alibi ob-
uenire præter eo quo ipſe moraretur in lo-
co. Iubet ergo ſuos prius grates, laudeſq;
rependere conditori, ſicque alitum dapes
capere. Erat enim mirum, & ſtupendum
miraculum. Capiebantur aues, prout pa-
tris imperium vrgebat, nec abcedere pen-
nigera fuga nitebātur. Manſit ergo alitum
Pontifex manna per triduum diffuſa. quarto deinde
Dei iuſſu die, quidam pontifex ex vicinis vrbibus;
frumentū frumenti copiam diuina monitus aſpira-
ad Sanctū tione Beato Columbano direxit: Sed mox
mittit. omnipotens, qui penuriam patientibus
aligeros præbuerat cibos, vt farris adeps
aduenit, alitum phalangas imperauit abire.
Nam *Euſtaſio* hoc cognouimus referente,
Vides mi- qui eo tempore inter reliquos ſub viri Dei
raculi. obediētia ibidem tenebatur adnexus, quod
nullus in ea fuerit caterua, qui ante talium
genera alitum ſe vidiſſe referret: & tantus
ſapor in cibo aderat, vt regias dapes vin-
ceret.

O mirum diuinæ potentiæ donum, quan-
do terrenæ dapes cultoribus Chriſti desūt;
tunc demum cœleſtia tribuuntur: Sicut de
Pſalm. 77 Iſrael dictum eſt: *Panem cœli dedit eis*: Cum
autem terrenæ opes ſubuenerint, tunc gra-
tes amouentur illatæ. Ipſo itaque tempo-
re, cum ſub quodam ſcopulo inter vaſta
eremi ieiunio corpus conficeret, & nihil
Victus te- aliud præter ruris poma, quorum ſuperiùs
nuis. fecimus mentionem, in cibos caperet: ve-
nit ad ſueta abditæ voracitatis vrſus, cœpit-
que neceſſarios delambere cibos, ac paſ-
ſim poma ore detrahere. Cumque hora re-
Al Cha-* fectionis aduenisset, Magnoaldum mini-
gnoaldū. ſtrum direxit, vt conſuetam menſuram po-
morum deferret, qui cum abiſſet, vrſum
inter ruris frutices, rubóſque peruagari ac
poma lambendo carpere conſpexit: feſti-
nuſque rediit, patrique indicauit. Ille autem
imperat, vt eat, partémque frutricum in ci-
bos feræ dimittat, aliamque partem ſibi re-
ſeruare iubet. Abiit ergo Magnoaldus, ac
iuſſa patris impleuit: diuiſitque virga fru-
tices, rubóſq;, quæ poma ferebant, & par-
tem ſuam iuxta imperium viri Dei, ait, vt
fera comedat, aliámque partem in vſus viri
Dei reſeruet. Mira, in fera, obedientia. Ne-
quaquam ex prohibita ſibi parte auſa eſt
carpere cibos: ſed in ſegregata & permiſſa *Vrſus ob-*
ſibi fruticum parte, tantummodo pabula *temperat,*
requiſiuit, quoaduſque vir Dei in eo loco *iuſſis viri*
commoratus eſt. Interea cogitatio in men- *Dei.*
tem ruit, vt *Veneticorum*, qui & *Sclaui* di-
cuntur, terminos adiret, cæcáſque mentes
Euangelica luce illuſtraret, ac ab origine
per deuia oberrantibus, veritatis viam pan-
deret. Cumque hoc votis patrandum ineſ-
ſet, Angelus Domini per viſum apparuit
paruoque ambitu velut paginali ſolēt ſty-
lo orbis deſcribere circulum, mundi com-
pagem monſtrauit: Cernis, inquit, quod
maneat totus orbis deſertus? perge dextra
læuáque qua eligis, vt laboris tui fructus
comedas. Intellexit ergo ille non eſſe gen-
tis illius in promptu fidei profectus: quie-
uitque in loco, donec aditus ad Italiam *Angelica*
viam pandat. *apparitio.*

CAP. XXVII.

INtereà inter *Theodericum*
Theodebertumque lis firmatur,
ac quiſque aduerſus Fratrem vſ-
que ad internecionem deſæuit, vtriſque
gentium robore ſuperbientibus: inter quę
vir Dei ad *Theodebertum* accedit, eique
ſuadet, vt cœptæ arrogantiæ ſupercilium
deponat, ſeque clericum faciat: & in Ec-
cleſia poſitus, ſacræ ſubderetur religioni,
ne ſimul cum damno præſentis regni æter-
næ pateretur vitæ diſpendia. Quod & Regi, *Al* Mo-*
& omnibus circumſtantibus ridiculum ex- *rouingū.*
citat, aientes ſe nunquam audiſſe * *Merun-* *Merouin-*
gum in regno ſublimatum, voluntariè cle- *gi dicti*
ricum fuiſſe. Deteſtantibus ergo omnibus *ſunt à Me-*
Beatus Columbanus ait: ſi voluntariùs *roueo*
nullatenus clericatus honorem ſumit, in *rege ſuo.*
breui inuitus clericus exiſtit. His ergo dictis
vir Dei ad cellulam remeat, moxque Pro-
phetici dicti euentum res non diu dilatæ
affirmat, nec mora *Theodericus Theode-*
bertum ad bellum prouocat, & * propter ** prope.*
Tullum deuictum fugat, poſtque collecto
exercitûs robore perſequitur. Simili modo
gentium multarum *Theodebertus* robore
vallatus, ad *Tulbiacenſe* caſtrum pugna-
turus occurrit: ibi prælio inito innumeræ
gentium phalanges ex vtróque exercitu
perierunt, & victus tandem *Theodebertus*
fugit. Eo igitur in tempore vir Dei in Ere- *Bellum*
mo morabatur contentus tantum vnius *Theoderi-*
miniſtri *Chagnoaldi* famulatū. Ea hora ergo *ci & Theo-*
qua apud *Tulbiacum* cōmiſſum eſt bellū, *deberti.*

ſupra quercus putrefactum truncum vir librum legens reſidebat: quem ſubitus ſopor oppreſſit, & quid inter duos reges ageretur, vidit, moxque excitatus, miniſtrū vocat, cruentamque regum pugnam indicat ac multum humanum ſanguinem fuſum ſuſpirat. Cui temerario conatu miniſter ait, Pater mi, *Theodeberto* tuis precibus præbe ſuffragium, vt communem debellet hoſtem *Theodericum*. Ad hæc Beatus Columbanus ait, Stultum, ac religioni alienum conſilium adminiſtras. Non enim Dominus ita voluit, qui nos pro inimicis noſtris orare præcepit. Inquiſiuit ergo poſt miniſter temporis diem & horā, reperitque ita fuiſſe, ſicut viro Dei fuerat reuelatum. Perſecutus eſt ergo *Theodebertum Theodericus*, & ſuorum proditione captum ad auiam *Brunehildem* direxit: quem cum auia recepiſſet, quia *Theoderici* partibus *Brunehildis* fauens erat, furens *Theodebertum* fieri clericum rogauit. At non poſt multos dies, impiè nimis poſt clericatum perimi iuſſit.

Reuelatio.

Matth. 5. Theodebertus recuſans liberè clericatū, inuitus fit clericus, iuxta Columbani prophetiam.

Crudelis cædes.

CAP. XXVIII.

Theoderici dira mors.

Sigebertus ſuccedit Theoderico.

PORrò *Theodericus* penes *Metenſe* morans oppidum, diuinitus percuſſus, inter flagrantis ignis incendia mortuus eſt: poſt quem *Brunehildis* filium eius *Sigebertum* in regnum ſuffecit. Itaque *Clotharius* memor prophetiæ viri Dei, collecto exercitu fines regni, qui ſuæ ditioni debebantur, conatur recipere. Contra quem Sigebertus cum hoſtium cuneis pugnaturus aduenit: quem *Clotharius* captum peremit, fratreſque eius quinque *Theoderici* filios, cum auia *Brunehilde* cepit: pueros ſeparatim peremit, *Brunehildem* verò primo ignobiliter camelo impoſitam, hoſtibus gyrando monſtrauit: poſtque indomitorum equorum caudis irreti tam miſerabiliter vita priuauit. Funditùs ergo radicituſque delatā *Theoderici* ſtirpe, *Clotharius* potitus eſt trium regnorum ſolus Monarchia, quo facto, B. Columbæ prophetia in omnibus impleta eſt, vno intra triennium eum omni ſtirpe deleto funditus: alio violenter clerico facto: tertio trium regnorum poſſeſſione ac dominatione dilatato.

Impia Brunehildis ludibrio exponitur & cum ipſa, tota Theoderici ſtirps delatur.

Prophetia S. Columbani impleta.

CAPVT XXIX.

BEatus ergo Columbanus cum vidiſſet, vt ſuperius diximus, deuictum à *Theoderico Theodebertum*, relicta Gallia atque Germania, Italiam ingreditur, vbi ab *Egilolfo* Longobardorum rege honorificè receptus eſt. Qui largita optione, vt intra Italiam quocunque in loco voluiſſet, habitaret; Dei conſultu actum eſt, dum ille penes *Mediolanum* vrbem moraretur, vt hæreſis eorum fraudes, id eſt *Arrianæ* perfidiæ, ſcripturarum cauterio diſcerpere ac diſſecare vellet: contra quos etiam libellum florentis ſcientiæ edidit. Vir quidam nomine *Iocundus* ad Regem venit, qui Regi indicat ſe in ſolitudine, ruribus *Apennini* Baſilicam B. Petri Apoſtolorum principis ſcire, in qua virtutes expertus ſit, fieri: loca vbertate fœcunda, aquis irrigua, piſcium copiam. Quem locum veterum traditio *Bobium* nuncupabat, ob riuum in eo loco hoc nomine fluentem; amnemque alium profluentem, nomine *Treuiam*, ſuper qué olim *Hannibal* hyemans, hominum, equorum, elephantorum, atrociſſima damna ſenſit. Vbi cum vir Dei veniſſet, omni cum intentione Baſilicam inibi ſemirutam reperiens, priſco decori renouans reddidit, in cuius reſtauratione mira Domini virtus panditur. Nam cùm per præruptos ſaxorū ſcopulos trabes ex abietibus inter denſa ſaltus, locis inacceſſibilibus cæderentur, vel alibi cæſæ inibi caſu elapſæ aſpero, aditum plauſtrorum denegarent, mirum in modum trabem, quam vix triginta vel quadraginta plano terræ poſitam, ſolo vehere valebāt, ibi cum duobus vel tribus, prout ardui callis meatus patebat, vir Dei accedens, ſuis ac ſuorum humeris immane pondus imponebat, & vbi antea pro aſperitate itineris, libero greſſu vix graderentur, onerati mox trabium pondere feſtini gradiebantur: vt verſa vice, qui onera ferrent, ac ſi ab alijs veherentur, firmis veſtigijs, velut ocio vacantes, ouantes irent. Videns itaque vir Dei tanti auxilij ſupplementum, ſuos hortatur, vt arreptum opus læti perficiant, animóque roborati ea conſiſtere in eremo ſluderent, Deique hoc voluntatis eſſe affirmat. Secto itaque templi culmine, murorum reſtaurat ruinas

Rex Longobardorum honorifico ſanctum excipit.

Contra Arrianos ſcribit Columbanus.

Bobienſe monaſterium conſtruit.

Trabes ingentiſſimæ molis humeris fratrū per deuia portātur.

nas, cæteráque, quæ ad monaſterij neceſſitatem pertinent conſtruere parat. Intereà memoratur *Clotharius* viri Dei Prophetiæ effectum in ſe fuiſſe impletum, cernens venerabilem *Euſtaſium*, qui eius in loco *Luxouienſe* monaſterium regebat, ad ſe venire imperat: quem pio affamine rogat, vt ſibi cum ſupplemento publico, legatione fungi curet, ſocioſque quos vellet nobilium virorum haberet, qui ſui vadimonij arbitri eſſent, poſtque B. Columbanum pergerent, quocunque reperiſſent in loco, elegantique ſuaſu ad ſe venire hortarētur: perrexit itaque venerabilis diſcipulus, magiſtri veſtigia proſecutus, qui cum ad eum veniſſet, *Clotharij* verba depromit. Viſo ergo *Euſtaſio*, Beatus Columbanus gauiſus, recepti muneris aditu gratulabatur. Retentumque penes ſe aliquantiſper hortatur, vt ſui laboris reminiſceretur, cohortem fratrū diſciplinę habenis erudiret, multorumque collegio Chriſti plebem adunaret, ſuiſque inſtitutis educaret. Dimiſſum ergo poſt hæc ad *Clotharium* ire iubet, talibuſque reſponſis regias mulcere imperat aures, ſeque retrò repedare nullatenus ratum duceret: tantummodo poſcere, vt ſodales ſuos, qui *Luxonium* incolebant, regali adminiculo ac præſidio foueret, & litteras caſtigationum effamine plenas Regi dirigit. Gratiſſimum autem munus Rex velut pignus fœderis viri Dei ouans recepit, nec eius petitioni obliuionis noxam præponit, omni præſidio ſupradictum monaſterium munire ſtudet, & annuis cenſibus ditat: terminos vndique prout voluntas venerabilis *Euſtaſij* erat, auget, omnique conatu ad auxilium inibi habitantium ob viri Dei amorem intendit. Porrò B. Columbanus, expleto anni circulo, in antedicto cœnobio *Bobienſi*, vita beata functus animā membris ſolutā cælo reddidit. IX. Calend. Decembris, cuius ſtrenuitatem, ſi quis noſſe velit, in eius dictis reperiet. Reliquię autem eius eo habentur in loco conditæ, vbi & virtutum decore pollent, præſule Chriſto, cui eſt gloria, Per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Clotharius legatos ad Columbanum deſtinat, eum ex Italia acerſitum.

Redire in Galliam inficiatur, Regemque litteris reprehendit.

Impetrante Columbano Rex ditat annuis cenſibus Luxouium.

In pace quieuit.

Reliquiæ S. Columbani, vbi ſint.

SANCTI COLVMBANI VITÆ FINIS.

MIRACVLA

S. COLVMBANI ABBATIS

A IONA PRÆTERMISSA

AB ANONYMO QVODAM conſcripta, & nunc primùm ex manuſcripto codice Bibliothecæ clariſſimi viri, Domini Tuani in ſuprema Galliarum curia præſidis in lucem edita.

INCIPIT PRÆFATIVNCVLA.

QVÆ Dominus noſter per merita patroni noſtri ſanctiſſimi Columbani Abbatis pandere dignatus eſt, ab ortu natiuitatis eius, vſque ad ipſius in partes *Bobienſis*, ceu & de cōſtructione ipſius cœnobij, vel obitu eius, Ionæ cuiuſdam ſtudio tranſcripta exprimere, cæteráque quæ adhuc ipſe viuens geſſit in ſupra dicto loco, quia præfatus vir ſilendo præterijt, vt ne tanti viri geſta, vel miracula obliuioni traderentur, * viſum eſt mihi à quodam præceptore meo, vt proprio ſtylo, quomodo valerem tranſcriberem. Quod ego denegare non auſus ſum, quia vapulare metuebam, & cum eſ-

*f * iuncta.*

ſem indoctus inchoare timebam, qua de re vndique premebant me anguſtiæ. Sperans tamen in eum, qui linguas infantium diſertas facit, & qui per Prophetā clamat, *aperi os tuū, & ego adimplebo illud*, quod ille mihi minimo intellectum poſſet tribuere per miſericordiam, quod deerat per ætatem, ad ea iuxta meam paruitatem recitanda, toto me deſiderio mancipaui: & excogitet quiſquis quod audacter, vel propriis viribus confiſus ſarcinam, tantæ molis arripuerim, ſed quia* viſio præceptoris me ad hoc opus impulit, nec fas fuit eius, ſicut iam retuli, iuſſionibus non parere: Nihil itaque mihi conſcius, ſed prius ad Dominum mente conuerſus ſuppliciter poſtulaui, vt vel ſcintillam ſancti ſui ſpiritus, mihi paruulo non denegaret ad ea enarranda, quæ iuſſus fueram; aliter enim nequibam, ſicut ipſe dicit. *Sine me nihil poteſtis facere*. Diſcant etiam æmuli non me irridere, quia non ſponte, ſed coactus hoc opus aggreſſus ſum: ab exordio enim ædificationis Eccleſiæ, miracula in iam fato loco, nimirū *Bobienſi*, & ipſius dilectiſſimæ ſpeluncæ, hæc patrata enarrare cœpi, vt pauca de eius virtutibus diſſererem, quæ à veraciſſimis viris didiſci, & poſtea ad eas virtutes me contuli, quæ temporibus præcollentiſſimi Hugonis Regis actæ fuerant, quia neceſſe fuit, ibi aliquantulum immorari; titulos etiam, vniuſcuiuſque virtutis ſuppoſui, quò facilius eluceret in capite, quicquid erat requirendum in corpore.

(Margin: Pſal. 80. — ſ* iuſſio. — Io. 15.)

Explicit Prologus.

De aduentu ipſius in Italiam, & de conſtructione Eccleſiæ in loco Bobienſi.

Hibernia ortus, poſt alia cœnobia in partibus Galliarum ſtructa, ceu & poſt nonnulla aduerſa, quæ à *Theoderico* Rege, & *Brunechilde* perpeſſus eſt, monitu angelico in Italiam veniens ab * *Aigulfo* Longobardorum Rege honorificè ſuſceptus eſt, ſicut in ſacris eius reperimus geſtis, datâque ei optione loci *Bobienſis* Monaſterium inibi conſtruere cœpit: Vbi etiam Eccleſiam in honorem almæ Dei genitricis, ſemperque Virginis Mariæ, ex lignis conſtruxit ad magnitudinem ſanctiſſimi corporis ſui. Inter * certas autem virtutes, quas Dominus in ipſa operatus eſt Eccleſia, hæc præcipuè viguit, ſicut ab anteceſſoribus noſtris audiuimus, quod ſi aliquis triſtis illic adueniebat, ibidemque aliquam habebat morulam interuentu Sanctæ Virginis, ſupradictique viri ſancti, lætus inde reuertebatur. ante ipſam quoque Eccleſiam Sanctus *Atalus* crucem affixit, vbi & meruit cœlos videre apertos. ipſam denique eandem Eccleſiam venerabilis Abbas *Agilulfus* ex lapidibus ſtruxit, turrimque ſuper eam ædificauit, & campanas in ea fecit pendere, ſicut nunc cernitur.

(Margin: al* Agilulpho. — ſ* cæteras — Triſtes læti redduntur.)

De veſtigio pedum ipſius in petra expreſſo.

Venerabilis etenim Columbanus ſecretiorē locum exquirens, ſicut mos eius erat, vt videtur aliquantulum ſegregatus à fratribus vacare orationibus, & ieiuniis immorari, (*hæc clauſula manca, & intricata, ſic videtur ſupplenda, & clarius diſponenda*: in quo aliquantulum ſegregatus à fratribus poſſet immorari, vt ab iis orationibus, & ieiuniis vacans, minimè videretur) egreſſo monaſterio, tranſitóque flumine *Trebia*, iuxta illud pergens deuenit ad fluuiolū, qui vocatur *Curſaſia*, indéq; iuxta alueum ipſius fluminis iter agens, rupes illas, circunquaque præuidens, aduenit inter duos montes, vnde illud decurrit, ex quibus vnus, qui eſt ad dextram partem vocatur *Tellectum*, alter verò, qui eſt ad læuam nuncupatur ruſticâ linguâ *Groppoaltum*. In illam verò rupem, quæ eſt ad ſiniſtram partem aſcendens, deuenit ad quandam petrā, quæ videtur in eminentiori rupe eſſe poſita: & exinde circumquaque rupes hinc, & inde conſpicere poterat, mirabiléque dictu in ipſa petra veſtigium ſanctiſſimi pedis eius dextri ſic impreſſum eſt, ſicut hodie apparet, quaſi ſi aliquis ſigillum in cera expreſſerit, & ablato illo cuiuſcunque figuræ ſit demonſtret: ſic & ipſa petra, ſicut prædiximus veſtigium ipſius demonſtret Sancti. Ex illa enim die ipſe locus ob reuerentiam venerādi viri lingua ruſtica *Aduruam* ſancti Columbani vocatur. Sed in tēporibus noſtris vnus ruſticus, qui in ipſa rupe capellas cuſtodiebat, ipſam petrā aſcendens, ſicut mos eſt paſtorum in illam aſcendere propter calorem Solis, vel ob cuſtodiam caprarum, non dedit honorem

Deo

Deo neque Sancto Columbano: ipſam pariter à corpore totius petræ ſuperauit, & in fluuiolū quē prædiximus deuoluit. Idē verò ruſticus ipſo die percuſſus eſt, & poſtea nō meruit ſanari. Quo cōperto venerabilis Sacerdos *Theoderulphus* nomine, qui eidē ſpeluncæ tunc præerat ipſam perquiri fecit & ad ſe deportari rogauit, dignoque loco repoſuit.

De inuenta ſpelunca, & petra ſuo loco appoſita.

SANCTVS Columbanus in iam dicta rupe locum ſibi apertum nō inueniens, ipſum relinquens in rupem aliam, quæ eſt iuxta montem prædictum aſcendens, ſubtiliſſimè perluſtrans, deuenit ad radicem ſaxi, cui ſupereminet magna rupes. In ea itaq; locum ſibi cernens congruum, mundanſque, Eccleſiam inibi conſtruxit in honorē Beatæ Dei genitricis ſemperque Virginis Mariæ, eâ menſurâ quam ſuprâ oſtendimus. Solitariam verò ibi agens vitam ſoli Deo vacabat in ieiuniis & orationibus, tantum Sabbato vel diebus feſtis ad Monaſterium reuertebatur, totaque quadrageſima illic manſiſſe perhibetur. Cumque ſemitam illic requireret, vndè venire vel redire poſſet, tranſitum habuit ſecus ſaxum, de quo olim magna diuiſa fuerat, & in itinere iacebat. Denique cum ex nulla parte locum diuertendi inueniret, humano deſtitutus auxilio ad diuinum recurrit, orās virtutem à Deo ſibi dari, quatenus ipſam partem in loco ſuo poſſet reſtituere. Tanta autem Dei pietas adminiculans electo ſuo virtutem tribuit, vt ipſam loco ſuo reſtitueret, vndè viſa fuerat cecidiſſe, liberum greſſum omnibus illic tendentibus dans. Ob venerationem itaque tanti miraculi à fidelibus crux iuxta eam poſita eſt, ſicut & hodie cernitur.

De cruce iuxta ſaxum poſita.

SANCTVS Columbanus non longè ab Eccleſia, quam ſupra diximus, locum alium eligens, vbi
Pia conſuetudo Hibernorum. ſaxum erat aliquantulum concauum, crucem ibi affixit: conſuetudo eſt enim hominibus eiuſdem gentis vnumquemque per diem centies, & amplius genuflectere, ad quod opus locum eundem ab eo credimus expetitum. Quidam autē Francigena orationum cauſa iter agens, tranſitum habuit iuxta iam ſatam ſpeluncā. Vt cognouit autem à dicentibus, in illis partibus Eccleſiam à Beato Columbano eſſe cōſtructam, orationis cauſa illuc peruenit: cumque veniſſet ad oſtium, & ſicut mos eſt, pulſaſſet, receptus ductuſque eſt ad orationem. Reſumptiſque paululum viribus perrexit ad iam dictam crucem, ibique flexis poplitibus orans, crucem ipſam aſpiciens ſolliciteque inquirens, quis illic eā appoſuerit, vt didicit à Sancto Columbano factam, & illic appoſitam opportunum tempus exquirens, partē ex ea latenter abſtulit, & ob amorem ſancti ſemper ſecum deportauit. Romā itaque pergens, locaque Sanctorū circumiens, reuerſus poſtea eſt in Frāciam. Inter cætera vero narrationis ſuæ colloquia virtutes S. Columbani, quas à cuſtode prædictæ ſpeluncæ didicerat narrabat: gloriabaturque ſe habere partem crucis, quam ſuâ fabricauerat manu, & per quam non paucas virtutes factas narrabat: poſt multum vero tēporis ex ipſis partibus veniens ad prædictā ſpeluncam, partem crucis, quam deportauerat, & virtutes, quas per eum Dominus egerat narrabat. De quibus virtutibus videtur nobis rectū eſſe noſtro operi vnam inſerere. Aiebat enim prædictus Francigena fratrem ſuum longo tempore caduca paſſione vexatum, tactu ipſius crucis ſanitati priſtinæ reſtitutum, ceſſante iam omni penè induſtria medicorum: nullus enim eius potuit incommoditati aliqua medendi arte ſuccurrere: Quia ad laudē ſui nominis ſeruo ſuo Dominus huius prærogatiuam contulerat ſanitatis. *Sanitas reſtituitur per crucē S. Columbani.* In eodem verò loco, in quo prædicta crux à S. Columbano poſita fuerat Eccleſia, in honorem S. Crucis conſtructa eſt, ſicut nunc cernitur. Vbi etiam ipſa crux pro amore inclyti viri honeſtiſſimè ſeruatur.

De legumine quod nunquam ſeritur, ſed ex ſe profert ſemen.

QVIA de conſtructione dilectiſſimæ ſpeluncæ loqui cœpimus, libet de virtutibus Columbani inſerere, de quibus ipſe locus vſquam nunc floret. Nam legumen

piſi,quod ruſtici herbiliam vocant ex aduentus ſui tempore per ſingulos annos ſponte naſcitur per illas rupes, quas ipſe perambulauit,nullo ſerente,& quod nobis maius miraculum videtur, per ſciſſuras petrarum,vbi nullus humor adeſt,non æqualiter tamen per ſingulos annos naſcitur. In multis autem locis, vbi præſenti anno orta fuerat, in alio deerit. Sed in hoc virtutem Domini noſtri eſſe credimus, quod ipſe per ſeruum ſuum quotidie operatur. Nam ſi in vno loco per ſingulos annos naſceretur, forſan multi putarent non eſſe meritum Sancti, ſed de illius ſemine, vbi caderet, & indè oriretur. Mos enim eſt cuſtodi ipſius ſpeluncæ quando apparuerit, ibi ſignum mittere, quóvſque ad maturitatem peruenerit, diligenterque hunc colligere & Abbati tranſmittere. Abbas verò Regibus ſuis ſiue principibus ſolitus eſt pro benedictione S. Columbani dare.

De puero quodam ferrario.

QVIDAM vir ferrarius nomine Petrus, & in ipſa bene inſtructus omnibus nobis notiſſimus, nuper excęcatus eſt, habens denique vxorem, & filios, contriſtari cœpit, quomodo eos gubernare vel regere poſſet, qui humanũ lumen amiſerat. At ille videns, ſe eſſe priuatum lumine, humanam medicinam reſpuens ad diuinam recurrit; præcepit nãque vxori ſuæ vt ceram in luminaribus præpararet, & homines qui eam ducerent ad prædictã ſpeluncam acquireret. Veniente autem illo ad iam dictam ſpeluncam, ingreſſus oratorium cum luminaribus, deprecabatur S. Columbanũ quatenus intercederet pro eo ad Dominum, vt ei priſtinum lumen reſtituere dignaretur: meritis itaque S. Columbani meruit amiſſum lumen recipere, & gratias agens Deo cum gaudio reuerſus eſt domum ſuam: denique adhuc ſupereſt & valet, & bonum teſtimonium habet ab ijs qui eum norunt.

Lumen cæco redditur.

De Contracto in ſolemnitate S. Columbani ſanato.

MIraculum quod geſtum eſt, in ſuprà memorato cœnobio *Bobienſi* tempore *Berengarij* Imperatoris, videtur nobis non eſſe commodum ſilentio tegere; quia ſicut Raphaël Angelus Tobiæ dixit, opera Dei reuelare honorificum & decentiſſimum eſt. Huius ergo miraculi, qui adhuc ſuperſunt, teſtes ſunt, qui in ipſa ſolemnitate ibi affuerunt. *Tob. 12.* Fuit quidam pauperculus nomine *Godinus* ex Francia ortus, omnique corpore contractus, ita vt vaſcula, in quibus ſolebat cibum vel potum ſumere, nullo modo aliter portare poſſet, niſi ſuper collum poneret, & ſic reptando, cum bacillis properaret. Adueniens igitur in iam dictum cœnobium, receptus ductuſque eſt ad Hoſpitale, ſicut mos eſt, ibique hoſpitium & victum inueniens plures illic manſit annos. Quodã itaque anno in vigilia ſolemnitatis Sanctiſſimi Colũbani omnibus mẽbris dolere cœpit. In ipſa autem nocte ſonitis ſignis, ad vigilias omnes accurrunt. Ipſe vero inter eos affuit nimis dolendo atque lamentando, ita vt in ipſis vigilijs magnas voces emitteret, voceſque nonnullorum pſallentium vel legentium interrumperet. Multi verò ſperabant eum tunc exire de ſæculo, condolentes ei: finitis verò matutinis & ad maiorem miſſam venientibus, ipſe ſicut iam diximus, aduenit: diaconus verò in ambonem aſcendens, Euangeliumq; pronuntians, ipſe nihilominus magnis clamoribus agebatur, & cœperunt omnia eius oſſa ſonare & crepitare, quaſi dum virgulta frangeretur, cœpitque ſe extendere; at illi, qui iuxta eum erant, videntes quod fiebat leuantes eum, adducunt ante cancellos; videntes autem omnes, qui aderant, virtutem Dei, per meritum S. Columbani in ipſo fieri, in lachrymas reſoluti ſunt, ita vt Diaconus, qui Euangelium legere inchoauerat, vix propter luctum finire valeret. Et leuantes eum deportauerunt in criptam ante ſacratiſſimum S. Columbani ſepulchrum, laudantes Dominum, qui per ſeruum ſuum eo tempore tantum miraculum declarare dignatus eſt. Ipſe autem *Godinus* aiebat, ſe videre duas Columbas pulcherrimas ſedere ſuprà ſacratiſſimum corpus. His tamen, qui ibi aderant, non eſt datum eas videre; Credimus enim in tanta virtute nõ defuiſſe præſentiam Sãcti viri, ipſe verò in omnibus recuperatã ſanitate per aliquot menſes ibidẽ manſerat, & poſteà diſceſſit. De his ita, nunc veniamus ad ea, quæ ſuperius promiſimus.

De principibus qui res S. Columbani inuaſerāt, & qualiter Gerlannus ſupradictam Abbatiam accepit.

TEmpore excellentiſſimi Regis Hugonis, erant Principes in Italia, qui nec recta facere, neque etiam conſentire cupiebant, de quibus ſapientiſſimus *Salamon* nos admonet. *Ne æmuleris*, inquit, *viros malos nec deſideres eſſe eis, quia rapinas meditatur mens eorum & fraudes labia eorum loquuntur*: & ipſe in Ecclesiaſte: *Interdum dominatur homo homini in malum ſuum*: *Vidi impios ſepultos qui etiam cum adhuc viuerent in loco ſancto erant*, & laudabantur in ciuitate *quaſi iuſtorum operum. Etenim quia non profertur citò contra malos ſententia abſque timore vllo filij hominum perpetrant mala*: inter quos erant *Guido*, Epiſcopus *Placentinæ* vrbis, & *Rainerius*, & non pauci alij, qui res Eccleſiæ *Bobienſis* abſtractas habebant, & iniuſtè ſuo iuri cōiunctas. *Siluerados* autem illo tempore regebat ſupradictam Abbatiam. Contigit autem, vt *Alda* nobiliſſima Regina duceret ſecum ſapientiſſimum, caſtiſſimūque, atque nobiliſſimū virum nomine *Gerlannum*, cupiens eum epiſcopali faſtigio ſublimare: vidēs autē eum Rex ſapientiæ florere virtutibus, ſuum ſigillum ei tribuit ſummumque Cancellarium eſſe præcepit. Mortuo autem *Silverado* Abbate, tribuit ei ſupradictam abbatiam, ad quam veniens, inuenit eam ſua poſſeſſione priuatam, vndè multū triſtis effectus, cogitare cœpit quali modo, quaue ratione terram ipſam ab illorum dominatu abſtraheret. Vndè ſæpius interpellauit ſupradictum Regem, ſed Rex poteſtatiuè eam non valebat illis eſferre. Metuebat enim illos, ne ſi aliquid contra eorum voluntatem ageret, regni damnum incurreret, quia ſcimus etiam contra eum ſæpius rebellaſſe: Conſilium autem prædicto Patri Rex *Gerlanno* tribuit, vt corpus B. Columbani cautè de tumulo leuaret, & quando ipſe colloquium cum ſuis Principibus ageret, *Papiam* deferret, vt videntes ipſum ſacratiſſimum corpus propter ſuas res illuc delatum eſſe, vel ſic ab illorum rapacitate ceſſarent.

Prou. 24.

Eccl. 8.

De magiſtris ad ſepulchrum S. Columbani, fruſtra laborantibus.

NOn multò poſt itaque ad Monaſterium reuerſus paucis ſenioribus ſecretum hoc indicauit; iuſſitq; vni ex magiſtris nomine *Chriſtiano*, vt ex lignis abiegnis arcam faceret aptā tanto pignori ad portandum: nos autem qui eramus illo in tempore, arcam fabricare videbamus, ſed ad quod opus fieret ignorabamus. Appropinquante autē die, quo ſanctum corpus leuandum erat, iuſſit ſupradicto Magiſtro vt ad ſacratiſſimum corpus cum magna reuerentia accederet, menſamque ſubleuaret, quod & factum eſt; Cum autem vellent lapides deſuper ſacrum ſepulchrum leuare, tota die fruſtra laborantibus, nec vnum quieuerūt amouere. Pauore autem perterriti indicauerunt hoc Abbati Quo audito, nimio terrore percuſſus ad ſacratiſſimum ſepulchrū deuenit proſtratóque toto corpore in terram cū lachrymis, aſſerens ſe non ob aliam cauſam leuare velle, niſi neceſſitate ſibi ſeruientium compellente, diuque ibi orans vt fineret ſe leuari cum magno gemitu obſecrabat, illoque ad domum ſuam reuerſo tanta celeritate leuati ſunt, vt omnes apertè cognoſcerent ante ſe leuari non velle, ad lapidem autem venientibus, qui tegebat ſanctiſſimum corpus non ſunt auſi leuare, ſed nuntiauerunt Abbati vt veniret; & indicaret quid exindè vellet. Veniente ergo illo cum Religioſis Fratribus, ſublato lapide, S. Corpus aſpicientes ſubtiliſſimo pallio circūdatum, profuſi lachrymis, proſtratique in terram diu orauerunt, cooperto̊que ſepulchro, & ſigillo appoſito vſque in craſtinum dimiſerunt.

Qualiter S. corpus de tumulo eſt eleuatum, & de ſanitate cuiuſdam Presbyteri.

MAne autem peracto, venientibus omnibus Fratribus cum clericis de circumadiacentibus plebibus, quaſi hora tertia in maiori Eccleſia, & ipſe venerabilis Abbas cum quatuor Religioſis monachis, ſacerdotalibus veſtibus in-

dutis proſtrati in terram cum magno gemitu & lachrymis orauerunt, ſanctumque corpus aſpicientes, alio pallio circundederunt, & in arcam, quam prædiximus cōdiderunt: itaque arca ſeriſque obfirmatis aliiſque ante fores ipſius criptæ expectantes cū cereis, & lampadibus, atq; thyamiaterij, reliqui, omnes in maiori Eccleſia littanijs perſonabāt; leuatū itaq; pretioſiſſimum corpus delatum eſt in thronum ante altare almi clauigeriquePetri, & qui aſtabāt magno fletu permoti grandibus clamoribus aiunt. S. Colūbane adiuua nos, tui ſumus, obſecra Dominū ne pereamus; & cuſtodibus deputatis perrexerūt omnes ad mēſā; ſed quid ipſo ſpatio Dominus per ſeruum ſuum operatus eſt videtur nobis non eſſe ſilendum. *Grinaldus* quidam presbiter cuſtos Eccleſiæ S. Martini, grauiſſimo languore per multum tempus percuſſus, ita vt omnium membrorum careret officiis ad Monaſterium adductus eſt. Audito quoq; quod ſanctiſſimum corpus à tumulo eductum & ante altare Sancti Petri poſitum eſſet, rogauit vt illuc portaretur, quo delatus, ſubtus arcam niſu quo valuit toto ſe corpore proſtrauit. Mira virtus, ipſe enim, qui tanto tempore caruit officio omnium membrorum, in paruo ſpatio adeptus eſt tantam virtutem, vt quando fratres ſurrexerunt à menſa, repererint eum ante arcam ſtantem, baculoque ſuo ſe ſuſtentantem Dominum glorificātem & S. Columbano gratias agentem, & non poſt modicam cum alijs ipſum meritum corpus ſequentem.

Quo ordine iter agere cœperunt, & quomodo Candelæ accenſæ ſunt.

DEnique venerablis Abbas conuocauit duos presbiteros, vnus ex illis nomine *Ramerius*, qui propterea cuſtos ſpelūcæ prædicti ſancti effectus eſt, præcepitq; illis, vt quādiù arca veheretur ſemper ante ipſum duo tintinnabula perſonarentur, iuſſitque antecedere cruces cū cereis & thuribulis, cappamq; ſuam, nec non & perā vbi aſſuetus erat dum adhuc viueret Euangelia portare, ſignis vero concrepantibus & in Eccleſiam conuenientibus non modica caterua populorum, diuque cum lachrymis clamantes, ipſe venerabilis Abbas prior acceſſit cum tribus ſenioribus ad arcam, imponentesque humeris, eſſe cœperunt eo ordine, quo ſupra diximus: Monachi vero antiphonas cantantes, populique, *Kyrie eleyſon* acclamantes, egreſſi à monaſterio venerunt in pratum quod nūcupatur *ad pontem*, ibique ſubter condenſam arborem depoſuerunt, iuſſit denique vt cortex ipſius arboris detraheretur, quatenus ſignum crucis appareret, & vbicumque illud corpus deponeretur ob memoriam ipſius cruces fierent. Illic verò morā agentibus multi venerunt ex vicinis villulis: Et ad arcam venientes baculis dimiſſis humo proſtrati adorabant ſanctum, indeque pergentes peruenerunt in quādam poſſeſſionem prædicti cœnobij, quæ nominatur *Saturianum*, ibique aduesperante die, arcaque in Eccleſia ante altare poſita, candelabris cum cereis accenſis ad caput pedeſque appoſitis & deputatis fratribus, qui illic Pſalmos cantarent, reliquis qui ad hoc officium erant deputati, quæ neceſſaria erant fratribus præparantibus, ſubitò ventus irrupit, & candelas omnes extinxit, turbatique illi, qui ad almum corpus excubabant, per vicinas domos ignem quærere aggreſſi ſunt, vt poſſint exinde candelas accendere, denique reuertentes inueniunt candelas diuino nutu accenſas, lætioreſque effecti gratias egerunt Deo Sanctóq; Colūbano. Diſpoſitis ergo qui vigilias circa ſacrum corpus Pſalmoſq; pernoctantes canerent, alij ſeſe ſopori dederunt: mane autem facto finitis matutinis iter arripiunt.

De puero à natiuitate muto, & loquela ei reddita.

QVidam itaque ruſticus inhabitans in pago *Caunanus*, habens filium ab ortu matris permanentem mutum, ipſa die agrum colens vnà cum filio ſuo, repentè exclamauit puer ad Patrem, Pater, Pater, Ecce S. Colūbanus adeſt: illeq; valdè admirans & gaudens ait, quid ais fili? & ille, non audis Pater? Ecce inde auribus auſcultans, intuēſque oculis aſpiciebat, ſi aliquod ſignum videret de hoc quod à filio audierat: diūq; expectans audiuit à longè per montem, qui vocatur *Longas* ſonitum venientium, voceſque *kyrie eleyſon* acclamantium. Ille itaq; cernens quod à filio audierat verum eſſe, currens ad Eccleſiam nuntiauit ſacerdoti,

Sacerdos autem hoc audiens ſacris veſtibus indutus iuſſit vrnas impleri vino, exienſque in viam per quam venturi erãt, præſtolabatur eorum aduentum, illis vero appropinquantibus ſupplex atque ſubmiſſus obſecrabat Sanctum, narrauitque omnibus quod factum fuerat, & potum tribuens omnibus, gratias agentes, Deo iter quod cœperant perſequuntur.

De tranſitu Padi & percuſſorio tintinnabuli inuento.

Ehinc peruenerunt ad portũ, qui vocatur *Pediculoſus*, illicque præparatam nauim inuenerunt, in eam itaque corpus ſanctum deponentes cum his, qui tintinnabula, vel cereos ceu & cruces portabant, recto itinere ad aliam delata ſunt ripam. Mirantibus verò nautis virtutem eſſe ſancti acclamabant, quòd in neutram partem diuertiſſent, & cunctis narrabant nunquã eis ita accidiſſe: ſed *Ranerius* ſacerdos portitor vnius tintinnabuli, illo neſciẽte percuſſoriũ ſui tintinnabuli in flumen cecidit. Expectante verò illo cum alijs, donec omnes tranſirent, ad eandem horam venientes, qua ſanctum corpus leuare debebant, & tintinnabula iuxta morem ſonarent, prædictus *Ranerius* ſuum commouens nullum ſonum reddebat. Miranſque illud aſpexit, videnſque quod percuſſorium in eo deeſſet, nimis triſtis effectus eſt: & hoc ſuæ negligentiæ deputans lachrymando interpellabat ſanctum Columbanum, quatenus illud ſibi reddatur. Fratres verò videntes eum nimis triſtem & plorantem interrogant, quid ei accidiſſet, quod tantæ mœſtitiæ ſe ſubderet. At ille retulit eis quod ei aduenerat aſſerens, vt quando in nauim introiſſet iuxta conſuetudinẽ tintinnabulum percuſſiſſet: ſed neſciens qua hora ei cecidiſſet, aſpicienteſque vbi ille ſteterat, vel ſederat, eum minime inuenerunt. Iam verò omnes eum deſperantes aiunt, ſe non poſſe inuenire, eò quod in profundum demerſum fuerit *Padi*. Ipſe verò nullo modo poterat conſolari, ſed reuertens ad ripam fluminis multũ mœrens, ſicut iam diximus aiebat. Deus pius ac miſericors, eſto propitius mihi peccatori, tu ſcis quia multum deliqui, nequiter egi; ſed non impediant hodie mea peccata, vt deficiat obſequium, quod debeo Domino meo, & Patri Columbano: ſed omnipotẽs & miſericors Deus per meritũ S. Columbani affuit precibus eius. Reſpiciens verò in flumen, vidit ipſum non longe ad pedes ſuos in aqua iacentem. Et gaudio plenus currens, ipſum eleuans & in ipſum tintinnabulum inſerens gratias agens Deo ac S. Colũbano, mœrorẽ in lętitiã conuertens cœptũ officium benè adimpleuit.

De Sciniphis, ceu & de Cereis diuinitus accẽſis.

Ranſitis itaq; omnibus iam veſpere appropinquante nõ longe à via diuertentes nocte illa manſerunt, ibique candelæ extinctæ, & diuinitus accenſę ſunt, ſicut in alio loco iam diximus: Aliáque virtus eſt ibi ſubſecuta. Nocte illa aër immutatus eſt, *Sciniphéſque* multæ apparuerunt: ita vt illi, qui procul ab arca manſerunt, tantа perpeſſi ſunt, vt nocte illa quieſcere non valerent, & in craſtino facies oculique eorum tremefacti apparuerunt, vt etiam rectè videre non poſſent, pœnituitque ſe longè ipſa nocte ſeceſſiſſe ab arca: Illi verò qui ad arcam excubabant nihil mali perpeſſi ſunt, nonnulli autem alij cognoſcentes quod hi qui circa arcam erant nihil mali paterentur, confugerunt illuc.

De ingreſſu eius in ciuitatem, & fœminis à Dæmone arreptis.

Eniquè illuceſcente craſtina, iter peraguntad ciuitatẽ. Antè ergo quam appropinquarent ad ſanctum Petrum, qui dicitur *Leproſorum*, candelæ extinctæ ſunt, & data ſunt thuribula duobus ex viris prædicti Abbatis, vt aſcenderent equos, ignem quęcitius deferrent, vt non deeſſent luminaria ſacratiſſimo corpori ingredienti ciuitatem. At illi currentes antequam reuerterentur hi, qui cereos portabant repentè ceram ſuper ſe fluere conſpicientes erectis oculis videntes cereos iam dictos accẽſos poſt illos clamare cœperunt. Ad ſanctum autẽ Petrum venientibus multitudo populi illis obuiam aduenit, quatuorque fœminæ à dæmonibus vexatæ occurrerũt, quæ non poſt modicum iuxta ſacratiſſimũ corpus, meritis S. Columbani à peſte, qua tenę

fuerant mundatæ ſunt. Ibiq; nuntius Regis aduenit rogans illos ex parte Regis, vt ad ſe in palatio non deferant, non ſe eſſe, dignum dicens, vt tam pretioſiſſimum corpus ad ſe venire debeat ſed ipſe magis ad eum veniret ſuiſque ſe precibus commendaret, & vt ſui miſereretur expoſceret, iuſſitque vt ad Eccleſiam S. Michaëlis, quæ eſſet infra mœnia ciuitatis, cõſtructa deportaretur. Ad portam ciuitatis quæ vocatur S. Ioannis venientes, tanta multitudo vtriuſque ſexus occurrit; vt in plateis ſe non capesent, ſed aſcendentes ſupra muros & tecta ipſum ſacratiſſimum corpus videre cupiebant, quod cum grandi labore ad ſupradictam Eccleſiam perductum eſt: illa quoq; nocte vigilias exequentes, quæ neceſſaria erant fratribus, viri fœminæque nobiles omnia adminiſtrabant.

De Lothario filio Hugonis Regis à febribus ſanato.

IGitur virtutes, quas Dominus in ipſa Eccleſia per ſeruum ſuum operatus eſt quantum ad memoriam Dominus reducere dignatus eſt, videtur nobis non eſſe rectum ſilentio tegere: *Lotharius* bonę indolis puer filius prædicti Regis, quem *Alda* Regina ſua genuit, magnis febribus vrebatur, qui iubente Patre ad prædictam Eccleſiam in valuis adductus eſt, nutritiuſque ſuus veſtitũ quo erat indutus abſtrahens & ſuper aram extendens collocauit, eum ſubtus arcam, quatenus illic requieſceret. Fratribus denique littanias miſſaſque pro eo celebrantibus ipſe ſomno depreſſus iacebat. Orationibus pro eo finitis à ſomno eſt excitatus & cum cappa ei prædicti Sancti potum tribuentes, integerrimam adeptus eſt ſanitatẽ: illum vero ad Palatium reducentes, Patri matrique ſanum repræſentant, at illi gratias egerunt Deo ancto que Columbano, quia filium, quem infirmum miſerant, ſanum recipiunt.

De aduentu Regis & Reginæ ad ſanctiſſimum corpus.

REgina autem poſt recuperatam filij ſanitatẽ ad Sanctiſſimũ corpus veniens gratias agẽs pro filio, ſupplex exorat, vt pro ſe etiam intercedere ad Dominum dignetur, pallium ergo ſuper ſanctum corpus ponens, Fratres blandè alloquitur, conſolabaturq; eos ne abundantiori triſtitia abſorberentur, promittens eis ſe inquantum valeret apud Regem ſuoſque optimates interuenturam, & deprecans eos pro ſe orare, ad palatium redijt: At Rex opportunũ tempus exquirit, cupiens illic ſecretò venire. Quadam itaque nocte, cum paucis occultè veniens, regiamque Eccleſiæ intrans, timens Sancto appropinquare corpori, illuc humo proſternitur, oratione vero finita occultè exiens, ad aulam ſuam redijt. Poſtea vero veniens cum ſuis principibus locutus eſt fratribus & pallium offerens vnũ, receſſit.

De muliere brachium habente aridum.

NOnnulli vero promiſcui ſexus & ætatis quotidiè orationis cauſa cum luminaribus adueniebant: quædam namque mulier aduenit habens manum aridam: ſubtus arcam ergo ſe proſternens orat, vt ſanitatem mereretur accipere, precibus autem S. Columbani obtinuit, vt ſana reuerteretur domum; vir autem eius domum rediens ſanam eam & ſedentem inuenit filaque trahentem, miranſque ait ad illam, quid eſt hoc mulier? Et illa, Deo gratias, bene: & ille, quomodo ſana facta es? & reſpondit, fui ad S. Columbanũ, & precibus eius obtinui vt ſana exinde reuerterer ſicuti vides; at ille gaudens & tremens, ait, cui hoc indicaſti? & illa, nemini. At ille, malè inquit feciſti; quod monachis hoc non indicaſti, ſurge & præpara panem, & vinum, & carnes, & ceram in luminaribus, & veni mecũ, & illis indicabo quid erga te geſtum ſit: metuo enim ſi ſiluerimus, ne crimen incurramus. At ille feſtinans detulit eis quæ ſupra diximus & indicauit quid erga vxorem ſuam actum fuiſſet; illi vero accipientes quæ detulerant gratias egerunt Deo & S. Columbano.

De muliere, quæ partem pedis arcæ dentibus ſilenter abſtraxit.

ALia itaque mulier veniens neſcio quo inſtinctu, ſed ſicut rei exitus probat nõ recta fide, ſeſeque ſubtus arcam ſternens, particulam arcæ dentibus

tibus abſconſæ abſtrahens nullique indicans, domum ſecum detulit: nocte vero ſubſecuta cùm ſe vnà cum viro ſuo ſopori dediſſet, repentina morte defuncta eſt, vir autem eius à ſomno excitatus mulierem alloquitur: ſperans eam viuere, comperto denique quòd mortua eſſet, valde expauit, accenſoque lumine intuens eam, partem ligni, quam pridie ab arca abſtraxerat ad caput eius inuenit, ſciebat enim ipſe præterito die illic eam fuiſſe. Itaque aſſumens partem, quam ſuprà diximus illuc deportat, cunctis nuntians quud ſuæ euenerat vxori: notum autem factum eſt omnibus, ſed non modicus timor inuaſit omnes maximè mulieres, dicebantque ad inuicem, non vult S. Columbanus, vt ad eius arcam appropinquemus. Ab illo autem die, nulla auſa eſt accedere ad arcam.

De muto & loquela ei reddita, & ipſius manu ſanata.

PEr idem itaque tempus homo quidam nomine *Maldebertus* à partibus Mediolanenſium reuertens, inuenit quẽdam adoleſcentem nomine *Andream* mutum à natiuitate ſua, medioque corpore penè mortuum. Auditoque quod corpus S. Columbani Papiam delatum eſſet, & magnis floreret virtutibus, miſericordia motus ſuper eum, imponénſque illum ſuper aſinũ ſuũ, Papiam duxit, indéque ad Sanctum corpus deferens illic depoſuit & abceſſit. Illa verò die & altera, ſicut erat ibi permanens, tertia die iam ſubtus arcam iacens, ſubito exclamauit: Date mihi aliquid, vt mãducem. Illi vero qui circumſtabant, audientes quòd loqueretur, cupientes eum audire loquentem interrogabant quid vellet, illeque manum dexteram ſanam oſtendens aiebat, Modo me S. Columbanus loqui fecit, manumque meam ſanauit, quam videtis. At illi magno attoniti gaudio, venerabili Abbati hoc indicauerunt, audiens autem quod factum fuerat feſtiuius ad corpus venit, ipſumque alloquens, manum ipſius, quæ ſanata fuerat, plorando oſculans, ſigna Eccleſiæ ſonare præcepit. Sed & omnia ſigna aliarum Eccleſiarum perſonauerunt & hoc habebant in ſignum, vt quando Dominus per Sanctùm Columbanum aliquam ageret virtutem, illius Eccleſiæ ſigna primitus ſonarent, & poſtea aliarum ſigna Eccleſiarum cuncta perſtreperent. Auditoque hoc miraculo maxima multitudo vtriuſq; ſexus aduenit: ſed & Regina quam prædiximus, cum magna turba nobilium mulierum accu[illegible] Venerabilis autem Abbas ſuis manibus eum leuauit, & ſupra cancellos poſuit, vt ab omnibus videri poſſet, & audiri, & eleuatâ voce: *Te Deum laudamus*, cum omnibus proclamans, ſed in omnibus virtutibus ſimiliter agẽtes, finitóque Hymno admonent illum, vt altè loqueretur, quatenus omnes poſſent eum audire, & accedebant omnes, qui poterant nobiles & ignobiles plorando, manum ipſius oſculantes & valde admirantes, vnuſquiſque cum gaudio ad propriam reuerſi ſunt domum.

*De Fratribus ad Archiepiſcopum directis, & cuppa cum iuſſu regali ante ſe deportata, ceu de fuga * Vuidonis, ipſiuſque Fratris.* al. * Guidonis.

HIs ita peractis ſupradictus Venerabilis Abbas duos ſeniores Mediolanum miſit ad *Lambertum* Archiepiſcopum, qui eo tempore regebat ſupradictam Eccleſiam, mandans precando quatenus ei adiutorium ferret, vt res Sancti Columbani abſtrahere poſſet, de manibus ſupradictorum Principum. Poſt non multa colloquia ad vltimum hoc dedit in mandatum, vt ſi ipſam terram acquirere non poſſent, corpus Sancti illuc deferretur, & ipſe de ſuis rebus tantum tribuere promiſit, quantùm ad neceſſaria ſufficere poſſet, quouſque ſupradictum Cœnobium ad priſtinum ſtatum rediret. Igitur ad colloquium, quod ſupradiximus, prędicti Principes venientes, vna die ſedente Rege, vnà cum ipſis in Aula Regia, de ſupradictis rebus colloquentes iuſſit afferri cuppam Sãcti Columbani, quæ cum magna reuerentia allata, bibit in ea rex, & optimates eius, ſed cum ante ſupradictum *Vuidonem* & al. Guidonem.
Fratrem eius *Raynerium* perducta fuiſſet, indignati noluerunt cum ea bibere, ſed ſicut ſcriptum eſt indurata ſunt corda illorum vt non viderent cœlum, neque recordarentur iudiciorum iuſtorum, obliti ſunt enim fœdus quod pepigerant Regi, ipſa nocte de ciuitate aufugerunt: ſed *Raynerius* diuina vltione de equo cecidit, ita vt om-

nes qui ibi aderant, putarent eum eſſe mortuum: ſed noluit Deus, qui neminem vult perire, ſed omnes ad pœnitentiam reuerti.

De eo qui rabidus effectus

DEnique ſcimus eſſe ſcriptum, incompoſitos Iudices incompoſitos habere milites. & ideo non ſufficiebat ad ruinam eorum, quod res ſupradicti cœnobij inuaſerant, verumetiam virulentis linguis ſanctiſſimo corpori cœperāt detrahere, dicebantque ex eis quidam, poſſeſſiones, quas quæritis propter oſſa caballina vel aſinina, quæ huc attuliſtis: inter quos vnus nomine *Alineus*, qui hoc apertè *indomitabat, ſubitò rabidus effectus, ad corpus ſancti magno cum labore adducitur, ibique diu huc illucque cum grandi dolore diuertens aſſerebat ſe in Sanctum deliquiſſe, & nimis peccaſſe, clamitabatque quod niſi eius precibus iuuaretur, continuò ſe eſſe moriturum: habebat quoque ipſe ſecum ſororem ſacris veſtibus indutam cum magno rugitu & lachrymis procidentē ad ſupradictorum pedes Fratrum, quæ indulgentiam poſcebat Germano. At illi cœperūt pro ereptione illius prædictum Sanctum obſecrare cum lachrymis & Littanijs omnes inſiſtere. Qui à circumſtantibus ſibi corrigia dari poſcens ſuo in collo mittens ad pedem prędictæ arcæ ſe ligauit, & non poſt multum ſomno ſopitus iacuit, excitatus denique à ſomno ſanus & incolumis ſurrexit; agens gratias Deo, Sanctoque Columbano & ſigna omniū Eccleſiarum percutientes, ſicut ſupra, & *Te Deum laudamus*, omnes exclamitantes, quique redierunt in ſua.

l. ingeminabat.*

De rebus Sancti Columbani redditis, vel quæ in Priuilegijs earum continentur, ceu & admonitione ad Epiſcopum.

HIs ita peractis videntes omnes, qui ibi aderant, viri Dei iniurias diuina vltione vindicari, nonnulli ex ſupradictis Principibus venientes ad ſacratiſſimum corpus mittebant in peram Sancti ſingulos fuſtes, vt per hos cunctis clareſceret res Sancti Columbani, quas ante iniuſtè inuaſas habebant, ipſi Sancto reſtitutas. Rex denique priuilegia Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, Honorij, Theodorij, Martini, Sergij, Gregorij, Zachariæ, & cæterorum Epiſcoporum ante ſe recitari præcepit. Viſum eſt ergo huic noſtro operi aliquid ex meis inſerere, vt audiant temeratores quid cauere eos conueniat: interdicunt enim omnibus Epiſcopis vicinis, vel procul ab ipſo Monaſterio conſtitutis, vt nihil vſurpent, nihilque præſumant, contra hæc, quæ eorum priuilegia inſtituta decernūt; Videlicet vt Epiſcopus, quem Pater Monaſterij, vel tota congregatio mutauerit ad Miſſarum ſolemnia celebranda, aut conſecrationes Preſbyterorum ſeu Diaconorum, vel etiam tabularum, in quibus Miſſæ debent celebrari, ipſe habeat facultatem in idem Monaſterium ingrediendi tantum ad pij opus Monaſterij peragendum. Quo *pacto nihil contingat, ſed gratis omnia peragens ad propria mox regredi non moretur. Nihil vero vſurpet de rebus Monaſterij, non de ſacris altaribus, non de ornamentis, neque de vaſis, neque de ſacris voluminibus, nec quicquam maius, vel exiguum, ſed nec concupiſcere attentet. Quia ſi * probata cōcupiſcere ſatis eſt noxium, quanto magis ſacra auferre, vel deſiderare & viri ſui mancipare, Domino videtur eſſe contrarium: prohibent etiam Epiſcopis, in quorum Parochia eſſe videtur prædictum Monaſterium conſtructum, vt nihil contra tenorem præſentium Decretorum pia poſtulatione indultorum quicquam attentent, neq; vllo modo eius baptizantes, Eccleſias, vel decimas de rebus ad ipſum Monaſterium pertinentibus ſibi vendicent, neque ipſi ſuorumque ſucceſſores præſumant prohibita contingere. Chriſma igitur, vel quidquid ad ſacra myſteria pertinet, ſi à Patre Monaſterij fuerit poſtulatum, à quibuſcumque ipſe prouiderit, concedant præſulibus tribuendum, & vt ſuperius dictum eſt, nullam poteſtatem habere permittunt Epiſcopos in eodem Monaſterio, neque in rebus, neque in ordinandis perſonis, niſi eum, quem cuncta congregatio regulariter elegerit, & ſecundum eius congregationis electionem, Dominus Imperator in tempore, qui eo fuerit, ordinare conceſſerit, vt in eodem Monaſterio debeat ordinari: ſuper hæc neque Preſbyteros, neque Diaconos, nec quamlibet perſonarum in eodem Monaſterio habere vllo modo poteſtatem immittere quicquam vel agere permittunt.

** f. peract.*

** f. prob.*

Vt

Vt cognoſcát quia ſub Apoſtolica ſede, id eſt, beati Petri defenſione & tutione eſſe videatur. Rogatus verò Epiſcopus à Patre Monaſterij vel à cuncta congregatione, ſuam debet exhibere preſentiam, non autem petitus ad ſecreta Monaſterij non accedat, nec quietam vitam Monachorum, qui ſolitaria peragere propter Dominum ſtudia decreuerunt, frequens ſacerdotum inſolentia irrumpant, vt in Dei laudibus conuerſantes pro incolumitate ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, & pro excellētiſſimis Regibus piâ gubernatione regnantibus aſſiduè Dominum deprecari non ceſſent. Si autem, quod abſit, Monachi in eodem Monaſterio conſtituti tepidi in Dei amore & inſtitutis Patrum torpentes quandóque conſpiciuntur exiſtere ſecundum regulam ab Abbate, id eſt à Patre Monaſterij corrigi debent. Si enim & ipſe Abbas in ignauia aliquâ contra inſtituta Patrum & regulæ tenorem fuerit, deprehenſus, & in aliquam ſiniſtram partem inclinatus, à ſede Apoſtolica ſub cuius conſtitutione conſiſtit inſtituunt corrigendum. Nec enim*cuidam Epiſcopo dant licentiam ſub obtentu reprehenſionis aliquam in Monaſterio ſuam oſtendere poteſtatē, ſed eius capiti id eſt, ſedi Apoſtolicæ. & poſt pauca contradicunt etiam præſulibus maximeque ſanctæ *Cerdonenſis* Eccleſiæ, atq; *Placentinæ*, quæ viciniores eſſe videntur, vt nullus vnquam, quod moderno tempore eſt tentatum, prædictum monaſterium, vel quæ ad ipſum pertinent à ſancta ſede Apoſtolica ſubtrahere, & ſuæ Diœceſi ſubiugare appetāt, ſed ſit in libertate ſecundum conceſſionem Apoſtolicam, vt fuit priſcis temporibus nullique ſubiectum niſi ſedi Apoſtolicæ, cui pertinere cognoſcitur. Et ſi quædam inuidioſè contra præuilegia iam dictorum præſulum moderno tempore præſumptiuè ſubrepta ſunt, nullam firmitatem obtineant, ſed ſint euacuata, & irrita cum ſuis authoribus, & legitima inſtituta ſanctæ ſedis Apoſtolicæ multis temporibus obſeruata, inuiolata & indirepta permaneant. Quod ſi, quod abſit, calliditate aliqua vel auaritiæ inſtigatione aliquis quicquam de prohibitis prȩſumpſerit attentandum, vel contra eorum decreta quodammodo obuiandum primùm ſui ordinis gradu & dignitate priuetur, & ex Beati Petri Apoſtoli authoritate, qui ligandi in cœlo & in terra meruit poteſtatem, ſit excommunicatus, & à partipatione Domini noſtri Ieſu Chriſti corporis & ſanguinis immunis ac ab aliorum conſortio ſecluſus, nec non & ab excellentiſſimis, qui in tempore illo fuerunt, Regibus nihilominus ſubmouendus, quatenus ſtatuta perpetua poſſint definitione manere, & temeratores præſentium decretorum de ſuorum temeritatibus pœnis multiplicibus ſubiacere fiat.

f.* cuiquam.

Velim ſcire, ô Epiſcope, qui decreta ſupradictorum præſulum conaris irrumpere, quid ad hæc quæ audiſti, reſpondere cupis? quid rogo tibi meliuѕ eſſe videtur, ſi melius eſt tibi bonum, ſocietas ſupradictorum quos ſcimus ſummos paſtores & optimos fuiſſe viros, & magni meriti apud Dominū, ſicut in geſtis eorum inuenimus, quos etiam & Vicarios in ſede Almi clauigeri Petri fuiſſe certiſſimè ſcimus, an à ſocietate eorū ſecludi & ab ipſo, cui data eſt à Domino poteſtas in cælo & in terra ligandi atque ſoluendi, excōmunicari, & quod ſummum & magnum malum eſt, à corpore & ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti alienari. Forſitā dicis, nolo ſegregari ab illorum ſocietate, neque à beato Petro excommunicari, nec à corpore Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod ſcimus veraciter mortem eſſe animæ, ſicut ipſe dicit. *Qui non manducat meam carnem, & non bibit ſanguinem meum, non habet vitam in ſemetipſo*, nec etiam decreta illorū irrumpere volo, ſed quia ipſum cȩnobium penè deſtructum eſſe video, & cupio, vt per me ad priſtinum redeat ſtatum, Epiſcope noli te fallere; caue quod dicis, audi quod ipſi tibi dicunt. Non tibi permittimus ingredi in ipſo cœnobio, niſi inuitatus fueris à patre Monaſterij, vel à cunctis fratribus, & ſi inuitatus veneris, interdicimus tibi ex authoritate ſancti Petri, vt nihil vſurpes, nihilque contingas, nec etiam concupiſcas, ſed ad quod vocatus es gratis omnia peragas ad propria regredi mox non moreris: dicis enim quod pœnè deſtructum eſt. Verum dicis: ſed ſi verum eſt quod ais, vt per te ad priſtinum redeat ſtatum, vt Abbatem ſecundum regulam habeat, qui adimpleat hoc quod tu aſſeris te velle adimplere & tunc apparebit quòd Zelo Dei vtaris. Et illa vera ſint quæ dicis, quia ſicut ſcriptum eſt; *non poteſtis duobus Dominis ſeruire*; ita & tu non vales

Ll

tuum Epiſcopatum regere & Monachos ſecundum Regulam Sancti Benedicti gubernare. De his iſta ſufficiāt cum autem venerimus ante conſpectum Domini, tunc manifeſta erunt abſcondita cordis noſtri, & recipiemus iuxta quod geſſimus, nunc verò ad cœpta redeamus.

Quid in dictis Regum contineatur.

SVpradictis verò Rex auditis priuilegijs præceptum quod bonę memorię *Agilulfus* Rex Sancto Columbano tradidit ceu & Aſulgualdi, Cuniberti, Lintprandi, Ratchiſi, Aiſtulphi, Deſiderij, Caroli Auguſti, Ludouici, atque item Ludouici filij eius, Carlo-magni etiam, Caroli Imperatoris, necnon Arulfi, Berengarijque Imperatoris, ceu & cæterorum regum ante ſe legere iuſſit, pro quibus legebat quomodo prǫfatum Monaſterium Bobienſede reditibus ſuis poſſeſſionibuſq; ditauerunt, & cum omnibus ad eundem Sanctum & venerabilem locum pertiuentibus cum hominibus liberis ſiue ſeruis, coloniſque & familijs, vtriuſque ſexus in ſua tutione receperint, & poſt non multa alia; hoc ad vltimum inferunt; vt ſi aliquis priuilegia Sanctæ Sedis Apoſtolicæ in eodem loco conceſſa, vel confirmationes præceptorum ſuorum infringere tentauerit, ſcire debuit ſe compoſiturum auri optimi libras trecentas medietatēque ipſorum & medietatem parti prædicti cœnobij. Et quid magis cauēdum eſt quàm ſi vnquam vllo in tempore quis ex ſucceſſoribus ipſorum aut princeps, ſeu aliquis homo eorum ſtatuta aut teſtamēta eorū, vel ſupradicta priuilegia dirumpere conatus fuerit quod anathematis vltione multatus partem cum Iuda traditore in fine extremi examinis habere imprecantur.

Ad eos qui res Sancti Columbani iniuſtè ſuis obſequijs deputant.

VOlo denique cœpta perſequi, ſed quod ſuperius legitur indiſcuſſum prǫterire non queo: ſcimus enim ſcriptū eſſe omne quod ſemel oblatum Domino ſiue homo, ſiue quodlibet animal vel quęcunque res fuerit nullo pacto poſſit poſteà redimi: Et miror quid illi cogitent qui res Sancti Columbani inuaduut & ſuis obſequijs deputāt. Poſſeſſiones enim, quas nunc Sanctus iſte locus poſſidet, à quibuſdam oblatæ fuerunt ſiue à regibus ceu & à cæteris fidelibus; non propter hoc obtulerunt vt aliquando optarent quatenus in poſſeſſiones ſecularium deuenirent, ſed ad neceſſaria Fratrum Domino Sanctóque Columbano hîc ſeruientium ceu & ad ſuſtentationes pauperum & peregrinorum permanerent: nunc verò è contrario illis ſubtrahuntur ſecularibuſque deferūtur, hi nudi frigore & gelu vruntur, illi tamen exindè pretioſiſſimis veſtibus induuntur: hi diſcalceati nudiſque pedibus incedunt; illi vero pinguiſſimos equos exindè equitant. Vndè enim pauperes & infirmos alere debuerūt, indè canes eorum ſaginantur: vnde hoſpites & peregrinos ſuſcipere & nutrire debuerunt inde ſuorum famuli vel famulæ inflantur. Vndè Eccleſias vel domos Fratrum reſtaurare debuerant, ſui homines ditantur: Et quidam qui propria iubeutur tribuere non timent quod illorum eſt auferre, & vbi tunc habent quod Dominus eis percepit in Euangelio, eſurientes paſcere, infirmos viſitare, nudos veſtire &c. quæ ibi leguntur, & ſi in ignem mittendus eſt, qui nou largitur propria, putas vbi mittendus eſt, qui aufert aliena? à quo enim acceperunt omnia quæ poſſideut, credo enim quod non intelligant ab omnipotēte Deo ſe accepiſſe, nonne omnes diuites facere poterat ſi vellet? vtique poteſt, nonne ſolos diuites pretio ſui ſanguinis redemit? Certè pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, & reſurrexit. Res enim vel pecunias quoquomodo acquiſitas quas nunc habent filijs vel nepotibus in hæreditatem dimittere cupiunt, & res quas Domino oblatas ſciūt abſtrahere non timent. Et quomodo poſſunt quod olim à fidelibus oblatum fuerat Deo, ab ipſo abſtrahere & ſuo iuri mancipare? Certè nemo iuſtè neque legitimè poteſt. Audituri enim ſunt illi à Domino in iudicio, ſerui mali & pigri quare non omnia mea pauperibus, quæ vobis ad erogandum dedi, & nunc vnà cum ipſis reciperetis regnum æternum? Non ſolum autem illa fraudaſtis: ſed etiam quod alij dederūt vos abſtuliſtis, proindè quia noluiſtis perfrui ſempiterno reguo cum fidelibus, abhinc

cum

cum diabolo habete ſupplicium æternum. Legimus etiam nonnulla teſtamenta ſupradictorum afferentium, inquibus inuitant omnes qui res quas Sancto Columbano tradiderunt tulerunt, vel ſubtraxerunt in extremi iudicij die ante tremendum iudicem, affore cum eis & exindè rationem reddituros, & quod ſuperius in priuilegiis & in præceptis retinetur cum Iuda traditore, in perpetuum optant habere portionem. Quod non ſine magno gemitu, & ſuſpirio audire vel legere poſſumus. Certè multo melius fuiſſet illis non naſci, quàm propter cupiditatem huius vanæ gloriæ cum ipſo Iuda damnari. Quid ad hæc poſſumus, dicere tam magnæ cupiditati? ô inſatiabilis cupiditas! Quid cogis amatores tuos, magis vis vt ipſi in extremo examine cum Iuda traditore in inferno inferiori ſine fine in extinguibili igne crementur, quàm cum Domino & ſanctis omnibus in perpetuum fælici gaudio perfruantur. O miſeri homines qui ſupradicta agitis! quare non conſideratis quibus pœnis nunc vexatur Iudas, vel quid in extremo examine ipſi patientur, qui cū eo ſocietatem habere merebantur? O infæliciſſima miſeria! quis vnquā lætus ad mortem pergit? Quis vnquam ad iugulandum vel ad decollandum libens ducitur? Ceſſate miſeri, parcite cupiditati, nolite animas veſtras pro nihilo ducere: totus mundus vobis erit alienus, nudi eſtis nati, nudi ſepeliemini; cogitate itaque mortem quæ finem dat mundi voluptatibus. Et dum *tempos, à rapinis ceſſate, & larga manu, propria, Dei pauperibus vel fidelibus porrigite, pœnitentiam agite quatenus regnum cœlorum Deo auxiliante acquirere & à perpetuis pœnis eripi poſſitis: dehinc ad ordinem redeamus.

*ſ. tempus adeſt.

De præcepto à Rege Hugone accepto, & de aqua in puteum restituta.

AVditis itaque Rex præceptis antecesſorum ſuorum excellentiſſimorum Regum, viſum eſt illi, rectum, æquum, vt iuxta morem prædictorum Regum præceptum ſancitum loco venerandóque Abbati, *Gerlanno* cunctiſque fratribus tribueret, quod & fecit. Si quis velit, ſcire quod in eo legitur, in textu illius agnoſcere poterit. Acceptâ igitur licentiâ à rege, vnà cum ſancto corpore ad propria reuerti iuſſi ſunt. Egreſſi denique à *Ticienſi* vrbe ad *Curticellam* Sancti Columbani, quæ vocatur *Bardadam*; venientes, ibi nocte illa manſerunt. Manè autem facto iter peragunt, ad curtem dicti Monaſterij, *Bobienſis*, quæ vocatur *Memoriola* quam *Gaudulfus* vnus ex ſupradictis principibus olim inuaſerat, per quam venientes, aquam ad potandum minimè inuenerunt. Eratque ibi altus puteus, ſed aqua deerat, in quo nonnulli intrātes, ſperantes ilhc inuenire aquam ad refocillandam ſitim quam patiebantur, minimè reperetunt, niſi paruām & ipſam fœtidam: ille verò qui cuppam Sancti portabat paululum aquæ in ea mittēs, in ipſum puteum periecit, & abceſſit. Ipſam denique curam recipientes ad Monaſterium redeunt. Poſt tertium verò diem ad Monaſterium aliqui ex ipſis partibus aduenientes, puteum quem ſine aqua dimiſerant plenum eſſe affirmant.

De puero ſanitati reddito.

IGitur quidam ruſticus *Martinus* nomine habitabat in poſſeſſiuncula iam fatæ ſpeluncæ, habens filium Sex annorum nomine *Andream*: hic quodam die egreſſus ad colendum agrum, iuſſit prædicto filio vt ei ferramentum, quod vulgò manuariam vocant afferret, quatenus arbuſculas ipſius agri ſucciderer. Ducens igitur ſupradictus puer ferramentum, quod iuſſus fuerat, tranſitum habuit iuxta quandam maceriam, in quam propinquans magno pauore perterritus eſt: & ferramento patri tradito domum rediit, ibique ſedens aſpicit ad ſe venientes duas formas in ſpecie mulierum tam teterrimas & deformes, vt ſicut ipſe adhuc aſſerit, necantea nec poſtea ſimiles formas vidiſſet: & colloquentes cum eo receſſerunt. Ex illo verò die omnium membrorū amiſit officium, & ſic per circulū anni in lecto decubans, ſine aliqua virtute manſit. Notans igitur ſupradictus vir diem, in qua beati viri corpus ad Monaſterium reuerti deberet, ipſe ſuum filium in collum mittens ad iam dictū Monaſterium ipſo Sancto occurrit pro ſuo filio rogaturus. Supradicto verò corpore ante altare Sancti Petri poſito, ipſe filium ad arcam

ADDITAMENTA AD VITAM
SANCTI COLVMBANI ABBATIS
ex diuerſis Authoribus collecta.

EX LIBRO OCTAVO HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ ORDERICI vitalis, Angligenæ, vticenſis Monachi propè finem, quæ habetur in Hiſtoria Normannorum, edita àb Andrea du Cheſne, anno 1619.

NOtitiæ poſterorum hæc annotaui de modernis præceptoribus, qui nouas traditiones priſcorum præferunt Patrum ritibus, aliosque Monachos ſæculares vocitant, ac veluti regulæ præuaricatores temerè condemnant. Studium & rigorem eorum conſiderans, illos magnoperè non vitupero, attamen maioribus & probatis Patribus non antepono. Arbitror, ignorant, quod Beatus Pater Columbanus de Hibernia ortus, Sancto Benedicto contemporaneus fuerit, paternam domum patriámque relinquens, cum præcipuis Monachis in Gallias nauigauerit, & à Childeberto Rege Francorum, filio Sigiſberti ſuſceptus, in Burgundia Luxouij Cœnobium conſtruxerit, ac poſtmodum ab impijſſima Brunichilde Regina expulſus, in Italiam ſeceſſerit, & ab Aigilulpho Longobardorum Rege receptus, Bobienſe Monaſterium condiderit. Hic admirandæ ſanctitatis Pater inter præcipuos laborauit, ſignis & prodigijs glorioſè inter terrigenas effulſit, & Spiritu ſancto edoctus Monachilem Regulam edidit, primuſque Gallis tradidit. Florentiſſimi de ſchola eius Monachi prodierunt, & in mundo, velut Aſtra in firmamento, virtutibus micuerunt. Euſtaſius enim Luxouienſis, Agitus Resbacenſis, Faro Meldenſis, Audomarus Bononienſis, Philipertus Gemmeticenſis, alijque plures Epiſcopi & Abbates excellentiſſimæ proceſſère religionis, quorum ſanctitas euidentibus miraculis cælitùs oſtenſa eſt; ipſorumque ſtudio in filijs Eccleſia inſigniter propagata eſt. Ipſi, reor, Beatum Maurum eiuſque ſocios & Diſcipulos nouerunt, vtpote vicini, & ab ipſis ſicut ab alijs ſcripta Doctorum ædificationis cauſa Sancti normam ſuſcepère Benedicti; Ita tamen vt non abhorrerent ſui ſtatuta Magiſtri, almi videlicet Columbani. Ab ipſo ſiquidem modum diuinæ ſeruitutis, & ordinem didicerunt, & formam orationum pro cunctis Ordinibus, qui in Eccleſia Dei ſunt, nigredinem veſtium, aliáſque obſeruationes ſumpſerunt, quas pro Religione & honeſtate ipſius tenuerunt, & ſequaces eorum vſque in hodiernum diem reuerenter obſeruare appetunt.

S. Columbanus Monachilem regulam, Gallis primum tradidit.

Eximios habuit diſcipulos

Qualis prædictus Doctor ante Dominum & homines; quantuſque fuerit, liber vitæ eius ſignis plenus & virtutibus oſtendit. In geſtis etiam ſæpe memoratur Audoëni Rothomagenſis Archiepiſcopi, & Nouiomenſis Eligij, aliorumque virorum, qui ab illo adunati ſunt, ac ad pacem virtutum per eius documenta prouecti ſunt.

Mentio de S. Columbano.

Baronius tomo octauo Annalium, ad Annum Chriſti 612.

HIc eſt ille annus quo S. Columbanus probatiſſimæ ſanctitatis Abbas; *Ponit ex Iona Prophetiam eius de Clotario factam, & ſubdit inferius.* Magno planè Dei beneficio factum apparet, vt vir tantus ex Hibernia in Gallias veniens, illuſtraret temporibus his perditiſſimis Eccleſiam Dei: quem præexcelſum meritis, ſi quis aliqua ex parte exæquet Eliæ, haud mea ſententia à ſcopo veritatis aberraret; cum videre ſit in Sanctiſſimo viro Eremum cum ſuis colente, præter mirificam abſtinentiam, & exactiſſimam Monaſticam obſeruantiam, atque alias eius eminentes virtutes, Dei honoris zelum & fortitudinem animi ad Principes arguendos, qui & in eo ſimilior eſt viſus Eliæ, quod perſecutoribus non caruerit, nouo Achab, & altera Iezabele, vt tu ipſe probè cognoſcis, cum res anni huius ab eo geſtas accipies. *Item ad eundem annum.* Porrò qui (*S. Columbanus*) cùm

auulſus ab aliis ſecutus eſt intimus Diſcipulus ipſius Euſtaſius, vt Lucas Paulum, totum iter illud ad Italiam vſque accurratè recenſuit ſcribens itinerarium, a quo Ionas qui vitam Sancti conſcripſit, accipiens intexuit actis eius, provt ipſe eum citans profiteri videtur, relegens loca ſingula, ſingulásque perſonas, apud quas hoſpitio ſuſceptus eſt Sanctus: ſicque ſicuti veram, certámque, ita elegantiſſimam hiſtoriam ſcripſit, quam ſi integram legeris, planè diſces totum illud iter exilij nihil aliud fuiſſe quàm longè ductum eiuſdem viri Dei triumphum, quo ipſius victoria aduerſus Reges, & eorum deteſtanda crudelitas: ſignis, atque prodigijs eſt vbique locorum decantata. Nos autem breuitatis cauſa, ea, quæ tunc crebrò ſunt facta in via miracula, referre prætermittimus. *Et ad annum* 615. Hoc pariter anno mirificus ille Dei cultor Columbanus, Regum prauorum terror, & vindex, ex hac vita migrauit.

Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Anno 630.

Ionas Anglus, ſiue Hibernus, tempore Heraclij, ſcripſit vitam, & res geſtas S. Columbani (vt eſt apud Bedam libr. 5. hiſtoriæ gentis ſuæ. c. 17.) qui vt nouus quidam Apoſtolus Angliam Gallias, & Italiam mirificè illuſtrauit. Obijt Anno ſexto Heraclij, qui erat annus Domini 615. extat hæc vita apud Surium die 27. Nouembris.

Petrus de natalibus in Catalogo lib. 10. *c.* 49.

Columbanus Abbas claruit in Gallia temporibus Theodorici, & Clothouei Regum Francorum. Hic ex Hibernia inſula natus, cum adhuc matris vtero geſtaretur, vidit eius genitrix per ſomnum ſe Solem parere, mundum illuminantem, &c.

Marianus Scotus lib. 2. *ad annum Chriſti* 589. *fol.* 370.

Sanctus Columbanus pater, ex Hybernia inſula cum ſancto Gallo, alijſq; probatis diſcipulis venit in Burgundiam, ibique permittente Theodorico rege, Monaſterium, quod *Luxouium* dicitur, ædificauit. Exinde à *Brunihilda* fugatus, Alemanniam ingreditur, vbi Sanctum Gallum reliquit. Ipſe verò in Italiam tranſiens, Monaſterium, quod *Bouium* dicitur, ædificauit: vbi multorum Pater Monachorum extitit.

Hermannus contractus in chronicis.

Beatus Abbas Columbanus, qui cum diſcipulis ſuis Sancto Gallo & aliis, temporibus Sigiberti Regis de Hybernia veniens Luxouienſe Monaſterium multis virtutibus corruſcans, conſtruebat, cum ſæpe Theodoricum pro ſceleribus ſuis, & maximè adulterijs increpans, ad legitimum hortaretur coniugium, molimine *Brunabildis*, Reginas ambitioſè execrantis, iuſſu Theodorici regis exindè pulſus, Sanctum ibi Euſtaſium pro ſe reliquit Abbatem.

Miræus in Chronico ord. S. Benedicti agens de Bobienſi Monaſterio in Italia.

Huius auctor fuit, Sanctus Columbanus, patria Hybernus, qui & Luxouienſe in Burgundia, vt dixi, cœnobium excitauit, &c.

De eodem vide caput 36. libr. 11. hiſtoriæ Francorum Sancti Gregorij Turonenſis decem libris adiectum.

Capgrauius in Legenda Sanctorum Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ;
initio vitæ S. Columbani.

Beatus Columbanus in Hibernia inſula in oceano ſita, quam Scotorum gens inhabitat ortus eſt. Hibernia enim antiquitus Scotia dicta eſt: De qua gens Scotorum Albaniam Britanniæ maiori proximam, quæ ab euentu modo Scotia dicitur, inhabitans, originem duxit & progreſſum habuit.

VITA

VITA

S. GALLI ABBATIS

An. 580. ET CONFESSORIS:

EDITA

A VVALAFRIDO STRABO ABBATE Augienſi,

Non autem Abbate Sancti Galli, vt quidam non rectè aiunt;

Quæ habetur apud Surium, Tom. v. die xvj. Octobris.

PRÆFATIO AVTHORIS.

NISI me Sanctarum authoritas Scripturarum, & præcipuè illa veridici Prophetæ ſententia, qua ſacrificio obedientia præfertur, ad neceſſi-

Reg. 15. tatem obediendi conſtringeret, præceptis veſtris, ô Sanctiſſimi Patres, Apologiæ huiuſmodi genus opponerem: Si Propheta, qui ante, quàm

Ierem. 1. formaretur in vtero, à Domino electus eſt, & priuſquàm exiret de ventre, ſanctificatus eſt: dum eum Dominus Spiritu ſuo illuſtrans, verbi

Ibidem. officio manciparet, de ætatis infirmitate & ignorantia conqueſtus eſt: quid ego peccator acturus ſum, qui in iniquitate conceptus, & in delicto profuſus, propter ſordes vitæ, incircumciſus ſum corde & auribus: quia videlicet nec ſcientiam dignè percipio, nec audita deuotè conſeruo? Quomodo iuſtitias Domini enarrabo, & aſſumam teſtamentum eius per os meum, cuius ætatem nec tempus adhuc impleuit, nec ſcientia commendauit? Cuius dicta nec doctrina corroborat, nec vita confirmat? Præſertim cum ea ſcribere iubeatis & ordinare, quorum dignitatem vix animo torpente conijcio. Tres tamen ob cauſas audendi talia viam inuenio, ſcilicet quod credo me à Domino ſubleuandum, ob cuius iuſſa pariter ac promiſſa, quod virium conſideratione exhorrui obediendi cupiditate ſuſcepi. Deinde quod me confido B. Galli interceſſione, veſtriſque precibus adiuuari, pro quorum veneratione ac amore grande onus humeris aptaui debilibus. Poſtremò, quod alienis inſiſto veſtigijs, veritatiſque tenendæ lineam nouis tantummodo cogor paſſibus demetiri. Vitam igitur S. Confeſſoris Chriſti Galli, Patroni noſtri, cuius corporis theſaurum fidelibus ſeruatis excubijs, ſenſu nobilem, ſcripto degenerem, vultis à me lumine recte locutionis ornari, & ſeriem confuſam capitulorum diſtingui limitibus.

Ego cum me non poſſim ab hoc excuſare negotio, eligo potius pro ignauia lacerari, quàm pro inobedientia condemnari. Porrò dum pridem ipſum opus perlegerem, inueni ab authore eiuſdem conſcriptionis terram, quam nos Alemanni vel Sueui incolimus, Altimanniam ſæpius nominari, ſed ipſius nominis originem quærens, apud nullum ſcriptorum,

Alemanniæ ſitus. quorū adhuc notitia nos reſperſit, eius reperi mētionem. Niſi fallor enim, ab alto ſitu Prouinciæ idem vocabulum à modernis confictum eſt. Nam iuxta ſcriptores authenticos pars Alemanniæ, vel Sueuiæ inter alpes Peninas, & meridianum littus Danubij ſita, Rhetia dicitur. Porrò quod eſt ad Septentrionalem plagam Iſtri, Germaniæ deputatur. Et vt non

noſtra dicere exiſtimemur, aliquos iſtius rei teſtes aſſciſcimus. Paulus Oroſius, in cuius dictis fides omnium concordat, de ſitu terræ ſcribens, hæc inter cætera ponit: Pannonia, Noricus & Rhetia habent ab Oriente Mœſiam, à Meridie Hiſtriam, ab Africo Alpes pæninas, ab occaſu Galliam Belgicam, à circio Danubij fontem, à Septentrione Danubium & Germaniam. Cum Noricus regio ſit Baioariorum, & eius Septentrionalis terminus Danubius & Germania, neceſſe eſt Rhetiam, quæ ſimul ponitur eiſdem finibus Aquilonem verſus terminari. Solinus quoque in Polyhiſtore, vbi Galliæ facit mentionem, has Prouincias vno terrarum tractu poſitas, his verbis deſignat: ex iſto ſinu, videlicet Galliç, quaqua parte orbis velis, exeas. Si Thraſia ſit petenda excipit ager Rheticus, bonus frugibus, Brigantino lacu nobilis: inde Noricus frigidus parciùs fructuoſus: qua ſubducitur a iugis Alpium, admodum lætus. Dehinc Pannoniæ viro fortes ſolo plano vbertóque, Drauo Sauoque inclytis amnibus circumfluæ. Si Rhetia ſolummodo infra Alpes eſt, vt multi volunt quæ conſequentia eſt, vt Noricum à Gallia pergentes, aſperitatem Alpium tranſcendamus, & non potius per maiorem Rhetiam recto itinere Noricum vſque tendamus? In qua etiam Rhetia, ſecundum ſupradictam ſententiam, Brigantium oppidum, iam vetuſtate collapſum, lacui, qui Rheno interfluente efficitur, nomen dedit: qui alio nomine, iuxtá Græcam etymologiam, Potamicus appellatur. Igitur quia mixti Alemannis Sueui, partem Germaniæ vltra Danubium partem Rhetiæ inter Alpes & Iſtrum, partémque Galliæ circa Ararim obſederunt, antiquorum vocabulorum veritate ſeruata ab incolis nomen patriæ deriuemus, & Alemanniam vel Sueuiam nominemus. Nam cum duo ſint vocabula vnam gentem ſignificantia: Priori nomine nós appellant circumpoſitæ gentes, quæ Latinum habent ſermonem, ſequenti, vſus nos occupat barbarorum. Similiter ſcimus Francos partes Germaniæ, vel Galliæ non ſolum poteſtati, ſed etiam ſuo nomini ſubiugaſſe. Et quia Prouinciarum deſcriptiones attigimus, liceat paucis Hiberniæ Inſulæ, de qua nobis tantum decus emicuit iuxta eoſdem authores, ſitum commemorare. Hibernia Inſula, vt ſcribit Oroſius, inter Britanniam & Hiſpaniam ſita, longiore ab Africo in boream ſpatio porrigitur. Hæc propior Britanniæ ſpatio terrarum anguſtior, ſed cęli Soliſque temperię magis vtilis: & vt ſupradictus Solinus teſtatur ita pabuloſa, vt pecua ibi, niſi interdum æſtate à paſtibus arceantur, in periculum agat ſaties. Illic nullus anguis, auis rara. Quàm horrenda verò ipſe vel alij de moribus incolarum eius teſtentur, fide Chriſti iam lucente, ſuperſedendum eſt: quia vbi ſuperabundauit peccatum, ſuperabundauit gratia: & à ſolis ortu Indis vel Æthiopibus vſque ad occaſum Britannis, vel Scotis, iam laudabile eſt nomen Domini. Excelſus enim eſt ſuper omnes gentes Dominus, & ſuper cælos gloria eius.

Lac⁹ Brigantinus, vel Potamicus.

Franci Gallias ſubiugãt.

Hibernia deſcriptio

Pecua, antiquè dictũ pro pecora.
Rom. 5.
Pſal. 112.
Ibidem.

Obſecro itaque te, Goſbertè chariſſime, Abb[as] Monaſterij S. Galli cunctóſque Fratres, qui ſub te militiæ deſeruiunt Spiritali, vt me orationibus adiuuetis, quatenus & hoc opus & alia deinceps digne Deo merear explicare. Nam ſi gratanter rectè à nobis poſita ſuſceperitis, clementer verò titubantia correxeris, ſi Dominus permiſerit, huius operis agreſte pulmentum, poſtmodum aliquibus metrorum condimentis infundam. Dignum quippè eſt, vt noſtris laudibus per orbem celebretur, quem de extremis orbis finibus ad noſtram ſalutem Dominus deſtinauit. Bene valentem & noſtri memorem paternitatem veſtram in æternum Sancta Trinitas conſeruare dignetur. Amen.

O Pater, ô Patris proles, ô Spiritus alme,
Vne & trine Deus, nos miſerate rege.
Me tua iuſſa ligant, tua me promiſſa gubernent:
Luceat in dictis lux tua, quæſo, meis.
In te Galle Deum, in Domino te Galle fatebor,
Tu pro me ſacras funde preces Domino.
Vt veniam noxis, dictis moderamina præſtet:
Quod nocet, euellat; quod iuuat, amplificet.

VITÆ LIBER PRIMVS.

QVIBVS INCREMENTIS B. GALLVS A puero vſque ad Sacerdotium ſub B. Columbano profecerit.

Feſtum S. Galli celebratur xvi. Octob.

CAPVT PRIMVM.

CVm præclara Sanctiſſimi viri Columbani, qui & Columba, conuerſatio per omnem Hiberniam celebris haberetur, & velut ſplendidum ignei Solis iubar ſingulari decore omnium in ſe prouocaret amorem, ſicuti de eo priuſquã naſceretur, prouiſum eſſe liber geſtorum ipſius pleniter indicat: inter cæteros, quos fama virtutum eius attraxerat, parentes B. Galli, ſecundum Deum religioſi, ſecundum ſæculum nobiles, filium ſuum primo ætatis flore nitentem cum oblatione Domino offerentes, illius Magiſterio commendauerunt, vt in regularis vitæ proficeret diſciplina, & inter plurimos ſpiritalis militiæ ſectatores obedientiæ & arctioris propoſiti imitaretur exempla. Dumque bonæ indolis vir charo nutriretur affectu, magno virtutum creuit augmento. Supernâ quoque gratiâ ſe præueniente, tanto ſtudio diuinas epotauit ſcripturas, vt de theſauro ſuo noua proferre poſſet & vetera: Grammaticæ etiam regulas, metrorumque ſubtilitates capaci conſequeretur ingenio. Obſcura autem ſcripturarum tam ſapiẽter ſcire volentibus reſerauit, vt cuncti, qui eius prudentiam & ſermones audierant, admiratione eum, & laude digniſſimum iudicarent. Qua ſapientiæ maturitate factum eſt, vt vniuerſorum communi cõſilio, & iuſſione Columbani Abbatis per ſingulos ſacræ promotionis gradus aſcendens inuitus ſacerdotij ſuſciperet dignitatem. Ergo dum ſacris inſtaret officijs die noctuque precibus Dominum placauit & lachrymis: & ſuperni inſpectoris oculis placere deſiderans, pro virtutum & vitæ meritis amabatur ab omnibus, placuit vniuerſis.

Parentes S. Galli commendant eum B. Columbano.

Miri profectus litteris.

Sacerdotio initiatur.

Vt Sancti viri, ſuſcepta peregrinatione, ad Sigebertum Regem peruenerint, & Luxouium incolere cœperint.

CAP. II.

DVm hæc agerentur quotidie B. Columbanus Euãgelicam cupiens aſſequi perfectionem vt videlicet omnibus, quæ habebat relictis, crucem ſuam tolleret & nudus Dominum ſequeretur: conſilio ſuo egit cum Fratribus, quorum animos idem feruor accenderat, vt ſpreto propinquorum & prædiorum dulcedine, mentis ardorem opere comprobarent. Aſcendentes igitur nauem, venerunt Britanniam, & inde ad Galliam transfretarunt. Cumque vir Dei ad Sigebertum Regem cum ſuis perueniſſet, rogauit eum Rex vt intra Gallias reſideret, nec eis relictis, ad gentes alias commigraret: ſe vero ſpopondit omnia, quæ Sanctus peteret, præbiturum. Ad hæc vir Dei reſpondit, qui noſtra reliquimus, vt ſecundum Euangelicam iuſſionem Dominum ſequeremur, non debemus alienas amplecti diuitias, ne fortè præuaricatores ſimus diuini mãdati. Cuius obiectioni Rex ita occurrens, ait: ſi crucem tollere & Chriſtum ſequi deſideras, vaſtæ eremi ſectare quietem: tantùm ne ſolo noſtræ ditionis relicto ad vicinas tranſeas nationes. Poteris enim hoc conſilio & tua prœmia cumulare & noſtræ ſaluti proſpicere. Itaque Regis perſuaſioni conſenſit, & accepta optione, eremum, quæ *Voſegus* dicitur, cum ſuis intrauit: Inuenerunt autem locum muris antiquitùs ſeptum, calidis aquis irriguum, ſed iam vetuſtate collapſum, qui vulgo Luxouium vocabatur. Ibi oratorium in honorem B. Petri Apoſtoli conſtruentes, manſiunculas, in quibus commanerẽt, fecerunt. Illiſque ibi conuerſantibus, &

S. Columbanus cũ ſocijs venit in Galliam.

Matt. 19.

Luc. 9.

Luxouienſis Cœnobij initia.

ipſum locum excolentibus, multi non ſolum de genere Burgondionum, ſed etiam Francorum, amore vitæ laudabilis ad ipſos confluxerunt, & monitis ſpiritualibus inſtituti tantam compunctionis gratiam ex verbis eorum adepti ſunt, vt omnia ſua ad ipſum locum nõnulli contraderent, & coma capitis depoſita, Monaſticæ vitæ habitum voluntaria paupertate ſuſciperent.

Vt S. Columbanus Theodoricum Regem reprehenderit, & à Brunechilde è regno eiectus, ad Clotarium Regem, inde ad Theodebertum cum ſuis venerit.

CAP. III.

Cumque hæc tam fœlix commanentium ſemper in melius proficeret diſciplina, ſingularis B. Columbani ſanctitas, miraculis frequẽtibus comprobata, per totas cœpit Gallias, vel Germaniæ diffamari Prouincias. Laudabatur ab omnibus, colebatur à cunctis, adeo vt Theodoricus Rex filius Cildeberti, nepos Sigeberti, qui eo tempore Burgondionibus regnabat, ad eum ſæpè veniret & precum eius ſuffragia ſumma cum deuotione depoſceret. Quem cum Pater Sanctus increparet, cur concubinarum pollueretur amplexibus, & non potius legitimæ coniugis connubio frueretur, monitis eius obtemperans cuncta huiuſmodi illicita ſe vitaturum promiſit. Sed Brunechildis auia Regis, videns eum viri Dei conſilijs obedire, ſtimulo malitiæ concitata, mentem ſerpentino furoris armauit veneno. Verebatur enim, ne ſi abiectis concubinis, Regina in conſortium regni aſſumeretur, dignitas ſua honore ſubtracto vileſceret. Quo timore laborans, inuidiam contra virum Dei cœpit habere; & poſt multas iniurias, quas illi machinata eſt, vt Scriptura Sanctæ cõuerſationis eius teſtatur, conſilio cum Rege inito, vt eum regno ſuo deturbaret, miſit legatorios ſuos cum Epiſtola ad Sanctum virum, denuntians ei, ne deinceps in regno illo conſiſteret. Ille Iezabelis inſidias vitans, iter cum ſuis aggreſſus, ad Clotarium Regem peruenit. Apud quem cum aliquanto tempore moraretur, rogauit, vt illius ſolatio ad Theodebertum Auſtraſiorum Regem peruenire potuiſſet. Ad quem cum ſecundũm petitionem voluntatis ſuæ venerabiliter miſſus eſſet, ſuſceptus eſt ab eo cum omni honore & gaudio magno. Manſit itaque apud illum aliquot diebus Sacras Scripturas aperiens, & inſinuans ei veritatem. Cumque & ipſum rogaret vt ad Agilulphum Regem Longobardorum eius iuſſu per Alemanniam duceretur, moleſtè ferẽs Rex tantorum diſceſſum virorum, pollicitus eſt eis intra terminos regni ſui ſe reperturum loca venuſta, quæ famulis Dei & ad incolendum eſſent commoda, & ad inſtruendas verbo veritatis circumpoſitas nationes opportuna. Vir Dei ſemen verbi in cordibus gentium plantare deſiderans, aliquantiſper moraturum ſe promiſit, ſi Regia authoritas factis dicta firmaret.

S. Columbanus Theodoricum Regem obiurgat.

Brunechildis eum expellit è regno.

Vt data optione alicuius loci eligendi, Tucconiam venerint, & quid illic egerint.

CAP. IV.

Accepta igitur à Regelicentia eligendi locum, vbicunque voluiſſent, dũ loca plurima perluſtraſſent, venerunt intra partes Alemanniæ ad fluuium, qui *Limagus* vocatur. Iuxta quem ad ſuperiora tendentes, peruenerunt ad lacum *Turicinum*. Cumque per littus ambulantes, veniſſent ad caput lacus ipſius in locum, qui *Tucconia* dicitur, placuit illis loci qualitas ad inhabitandum. Porrò homines ibidem commanentes, crudeles erãt & impij, ſimulacra colentes, idola ſacrificijs venerantes, obſeruantes auguria & diuinationes, & multa quæ contraria ſunt cultui diuino, ſuperſtitioſa ſectantes. Sancti igitur homines cum cœpiſſent inter illos habitare, docebant eos adorare Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, & cuſtodire fidei veritatem. Beatus quoque Gallus Sancti viri Diſcipulus, zelo pietatis armatus, fana, in quibus Dæmonijs ſacrificabãt, igni ſuccendit, & quæcunque inuenit oblata, demerſit in lacum. Qua cauſa permoti ira & inuidia, Sanctos inſectabantur & communi conſilio Gallum perimere voluerunt: Columbanum verò flagellis cæſum & contumelijs affectum, de ſuis finibus perturbare. B. Pater cognito conſilio eorum, zelo iuſtitiæ imprecatus eſt eis talia, dicens: Deus, cuius prouidentia mundus ſubſiſtit, & cuncta reguntur: fac ſuper caput generationis huius reuerti contumelias,

Egregius B. Galli zelus.

Hæc non dicuntur imprecandi animo, ſed zelo iuſtitiæ.

melias, quas famulis tuis parauerunt. Nati eorum facilè pereant, & antequam ſeneſcant, præ ſubitaneo ſtupore delirare cogantur: Ipſique cum terra, quam incolũt dura potentium dominatione premantur, vt cunctis ignominia eorum pateat in æternum, & ſicut ſcriptum eſt, conuertatur dolor ipſorum in caput ipſorum, & in verticem illorum iniquitas, ab ipſis patrata deſcendat. *Pſal. 7.*

Vt ad Vuillimarum Preſbyterum venientes, humaniter accepti ſint.

CAP. V.

Poſt hæc non timore perſecutionis perterritus, ſed amore ſpiritalis lucri perſuaſus, contumacium ſterilem turbam reliquit, ne inaniter arida corda diutius irrigaret, qui beneuolis mentibus quamplurimum prodeſſe interim potuiſſet. Pergens ergo indè cum ſuis, peruenit in caſtrum, quod *Arbona* vocatur: & inuenit ibi Preſbyterum bonitate conſpicuum, nomine *Vuillimarum*, qui cum intuitus eum fuiſſet, dixit: *Pſal. 117.* *Benedictus qui venit in nomine Domini*, & reliqua: Cui vir Dei ita reſpondit: De regionibus congregauit nos Dominus. Preſbyter ergò apprehenſa dextera eius, duxit eum in oratorium. Et poſtquam pariter orauerunt, introduxit eos in hoſpitium. Qui pacem domui imprecantes, depoſuerunt ſarcinulas ſuas. Poſtquam verò recubuerunt, iuſſione Abbatis Gallus diuina recitauit eloquia, profunda referans veritatis. Inter ſancta doctrinæ ſalutaris conuiuia, prudentiam viri Sacerdos miratus, à fletu ſe continere non potuit. Toto autem ſeptem dierum circulo cũ ſummo honore & diligentia illis miniſtrauit, & quos carnalibus fouit delicijs, ab ipſis quotidie paſtus eſt dapibus ſcripturarum. Inter ſacræ igitur ædificationis colloquia, Columbanus Abbas Preſbyterum interrogauit, ſi ſciret aliquem in ſolitudine locum, in quo cellula fieri potuiſſet, cuſtodijs aliquantulum regularibus opportuna. Hoſpes Sanctorum huic inquiſitioni reſpondit: In hac ſolitudine locus quidam eſt, antiquæ ſtructuræ ſeruans inter ruinas veſtigia: vbi terra pinguis & fluctuarijs prouentibus apta, montes per gyrum excelſi, eremus vaſta & imminens oppido: planities copioſa, victum quærentibus fructum laboris non negat. Et cum loci ipſius ſitum per multa laudaſſet, indicauit nomen eius *Brigantium.*

Vt Brigantium profecti, Oratorium illic inſtaurarint: quid in conuentu populi B. Gallus fecerit.

CAP. VI.

Illis igitur illuc ire cupientibus, parauit Preſbyter nauiculam & impoſuit remiges. Venerabilis autẽ Abbas cũ comitibus Gallo & quodam Diacono nauẽ conſcendens, inuocato nomine Domini ad locum deſideratum via recta peruenit. Egreſſi de nauicula, Oratorium in honorem Sanctæ Aureliæ conſtructum adierunt, quod poſtmodum B. Columbanus in priſcum renouauit honorẽ. Poſt orationẽ cum per gyrum oculis cuncta illuſtraſſent, placuit qualitas illis & ſitus locorum. Deindè oratione præmiſſa, circa oratorium manſiunculas ſibi fecerunt. Repererunt autem in templo tres imagines æreas deauratas, parieti affixas, quas populus dimiſſo altaris ſacri cultu, adorabat, & oblatis ſacrificijs, dicere conſueuit; iſti ſunt Dij veteres, & antiqui, huius loci tutores, quorum ſolatio & nos & noſtra perdurant vſque in præſens. Columbanus itaque B. Gallo id iniunxit officij, vt populũ ab errore Idololatriæ ad cultum Dei exhortatione ſalutari reuocaret: quia ipſe hanc à Domino gratiam meruit, vt non ſolum Latinæ, ſed etiam barbaricæ locutionis cognitionem non paruam haberet. Cumque eiuſdem templi ſolemnitas ageretur, venit multitudo non minima promiſcui ſexus & ætatis, non tantum propter feſtiuitatis honorem, verum etiam ad videndos peregrinos, quos agnouerant aduenisse. Ergo dum ad horam orationis cõcurrerent, iuſſu venerandi Abbatis, Gallus cœpit viam veritatis oſtendere populo, & vt ad Deum conuerterentur, admonere: vtque vanis abiectis, adorarent Deum Patrem, rerum omnium creatorem, & vnigenitum eius Filium, in quo eſt ſalus, vita & reſurrectio mortuorum. Et in conſpectu omnium, arripiens ſimulacra, & lapidibus in fruſta comminuens, proiecit in lacum. His viſis, nonnulli conuerſi ſunt ad Domi-

Oratoriũ S. Aureliæ *S. Gallus cõminuit dæmonum ſimulacra*

num, & confitentes peccata ſua, laudes Domino pro ſua illuminatione dederunt. Alij propter imaginum comminutionem, ira & furore commoti, graui indignationis rabie turbidi receſſerunt. Beatus autem Columbanus iuſſit aquam afferri & benedicens illam, adſperſit ea templum:& dum circuirent pſallentes, dedicauit Eccleſiam. Deindè inuocato nomine Domini vnxit altare,& B. Aureliæ reliquias in eo collocauit, veſtitoque altari, miſſas legitimè compleuerunt. Omnibus itaque ritè peractis, reuerſus eſt populus in ſua cum gaudio magno. Poſt hęc permanſit ibi Beatus Columbanus cum commilitonibus ſuis tribus annis: & ædificata inibi cellula, alij hortum laborauerunt, alij arbores pomiferas excoluerunt: B. verò Gallus texebat retia,& miſericordia Dei cooperante, tantam piſcium copiam cepit, vt nunquam Fratribus defuiſſent. Quinetiam aduentantes peregrinos huiuſmodi iuuit ſolatio, & de eodem labore aſſiduas populo benedictiones exhibuit.

Nota antiquos Eccleſiæ rit.*

Quas demenum voces Gallus audierit, & de malignitate incolarum aduerſus viros Sanctos.

CAP. VII.

ET dum quodam tempore retia ſua mitteret in * pelagus in ſilentio noctis, audiuit dæmonem magno vocis ſtrepitu de vertice montis proximi vocantem quendam alterum nominatim, quaſi in pelago commorantem: cumque & is, qui vocabatur præſtò ſe eſſe quaſi de lacu reſponderet: Conſurge, inquit ille, in adiutorium mihi, vt peregrinos iſtos eijciamus de his ſedibus: quia ipſi de longè venientes, me de templo meo expulerunt, ſimulacra mea contriuerunt, & populum qui me ſequebatur, poſt ſe aduerterunt: commoueat te iniuria, quam patior & hoſtes communes vnitis viribus, à noſtris terminis arceamus,& ipſe reſpōdit: heu quod de tuis calūnijs narras, ex meo contemptu percipio. Nam vnus ex illis me in pelago premit,& mea deuaſtat: cuius nec retia vnquam corrumpere poſſum, ne ipſum decipere, quia inuocatio diuini nominis de ore eius nunquam recedit. Qua munitus continua vigilantia inſidias noſtras contemnit. Quapropter tam cautos bellatores fidei, noſtræ non ſuperabunt verſutiæ. His auditis, vir Dei muniuit ſe vndique ſigno S. crucis,& dixit, illis: *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti adiuro vos vt recedatis de loco iſto, & neminem hic lædere præſumatis.* Deinde cum ad littus feſtinanter rediſſet; Abbati ſuo, quæ audierat, nunciauit. Ille hæc audita percipiens, Eccleſiam petijt, & ſigno pulſato, Fratres conuenire fecit. Prius autem, quàm initium pſallendi feciſſent, auditæ ſunt diræ voces Dæmoniorum per montium ſummitates & quaſi diſcedentium eiulatus cum terrore confuſus. Hæc audientes ſerui Dei, proſtrauerunt ſe in orationem, Domini poſtulantes protectionem, illique laudes & gratias perſoluentes, quia eos liberare dignatus eſt, de terroribus malignorum. Intereà nonnulli ciuium propter idolorum ſuorum abolitionem, prædicationis eorum monita contemnentes, cœperunt contra eos odia concitare, inſidias machinari. Qua etiam intentione locorum ipſorum Ducem nomine Gunzonem, adierunt, & apud eum accuſauerunt Sanctos, dicentes venationem publicam in iiſdem locis, propter illorum infeſtationem peregrinorum, eſſe turbatam. Quo audito, Dux furore ſuccenſus, miſſis nuntijs, famulos Dei de eodem loco diſcedere iuſſit. Sed neque hoc ſufficit ſatellitibus dæmonum: quin etiam vaccam eorum furto abſtrahentes, in inuia ducunt ſyluarum. Quos cum duo de Fratribus è veſtigio inſequuntur, conſurgentes latrunculi, interficiunt eos & auferentes ſpolia, diſcedunt. Mirati autem Fratres, cur tandiù differant redire, mittunt alios, qui eos requirant. Illi veſtigia eorum ſecuti, occiſos eos inueniunt,& cadauera ipſorum ſuis humeris imponentes ad cellam reportant. Inter hos anguſtiarum & triſtitiæ fluctus, nuntius ducis adueniens, de illo eos loco commeare præcepit. Nec immeritò: quia non eſt ſocietas luci ad tenebras. Egit autem hoc arte ſua Diabolus, vt populum cum in præſentia lucis amittere cœpit, diſcedente ſanctitatis fulgore, tenebris occuparet antiquis. Sancti igitur viri moleſtè ferentes quòd ſede pellerentur amabili, conſilio communi Italiam petere decreuerunt: & dum nimio tenerentur dolore, Sanctus Pater Colūbanus his verbis cœpit eos

** Pelagus pro lacu.*

Terriculamenta dæmonū.

Munit ſe vndique ſigno S. Crucis S. Gallus.

Gūzo Dux iubet abire viros Sanctos.

Duo ex illis occiduntur.

2 Cor. 6.

eos conſolari: Inuenimus quidem fratres his in partibus auream concham, ſed venenatis ſerpentibus plenam: Cedat tamen triſtitiæ languor ex malis, quia certa eſt fiducia de auxilio protectoris. Deus enim cui ſeruimus, Angelum ſuum mittet nobiſcum, qui nos perducat ad Agilulphum Longobardorum regem, vbi eius clementia præparante, humanos affectus, & pace plenum habitationis locum inueniemus.

Vt alijs recedentibus, Gallus ægrotans remanſerit, & à Vvillimaro presbytero peramanter habitus ſit.

CAP. VIII.

S. Columbano abeunte in Italiã cũ ſuis, S. Gallum morbus retinet.

POſt hæc igitur cum proficiſcendi tempus inſtaret, B. Gallum repentina febris inuaſit. Vnde Abbatis ſui pedibus aduolutus, indicauit ſe infirmitate vehementi laborare, & ideò iter propoſitum non poſſe perficere. Ille verò exiſtimans eum pro laboribus ibidem conſummatis amore loci detentum, viæ longioris detractare laborem, dixit ei: Scio frater iam tibi oneroſum eſſe tantis pro me laboribus fatigari, tamen hoc diſceſſurus denuncio, ne me viuente in corpore, miſſam celebrare præſumas, & cum ei licentiam per ſe cõuerſandi dediſſet, viam ingreſſus eſt abeundi. Poſt diſceſſum magiſtri & ſociorum, Gallus retia ſua & ſagenam naui imponẽs, ad Vvillimarum preſbyterum venit, & cum obtuliſſet ei retia, inter lachrymas & ſuſpiria retexuit omnia, quæ geſta fuerant circa fratres ſuos. Deinde, infirmitatis ſuæ cauſas aperiens, rogauit eum, vt ſui curam dignaretur habere. Qui ſuſcipiens eum cum omni charitatis obſequio, domum vicinæ Eccleſiæ eius neceſſitati conceſſit, & duobus clericis ſuis Magnoaldo & Theodoro hanc ſolicitudinem commendauit, vt cum omni diligẽtia eius recuperationi ſeruirent. Exactis aliquot diebus, Domino, qui medicus eſt verus, medelam impertiente, cœpit ſumere cibos, & per incrementa temporũ confortatus perfectam adeptus eſt ſanitatem. O infirmitatem omni humano robore fortiorem! ô febrem omni laude colendam! ô langorem, ſanitati, & gaudiis aſcribendum! Exemplo enim Domini pro nobis Gallus doluit, vt animarũ morbos prædicatione ſacra depelleret. Ire cũ magiſtro non potuit, vt nobis viam veritatis oſtenderet. Verè patiens & miſericors Dominus, in prædicatoribus ſuis inſipidem cõtemptus, dum conuerſatione peccatorum ſuſtinet, doctorẽ, ne errantes deſerat, retinet.

Vvillimarus preſbyter humaniter accepit S. Gallum.

Iſa. 53.

Vt beatus Gallus ab Hiltiboldo diacono didicerit locum ſolitarium, quem expetebat.

CAPVT IX.

DIaconus itaq; ſupradicti præſbyteri nomine *Heltiboldus*, omnes eremi ſemitas notas habebat & receſſus. Solebat enim piſcium & accipitrum capiendorum cauſa ſæpius ſolitudinem peruagari, & ſecreta locorum vſu quotidiano perdiſcere. huic cum vir ſanctus familiaritatis ſuæ gratiam præſtitiſſet, quæſiuit ab eo an inueniſſet vnquam in ſolitudine locum, aquis abundantem pueris & ſalubribus, planitie ſtratum, & humanis cultibus opportunum: Deſiderio inquietis animi feruentis exæſtuo, ducere cupiens in ſolitudine dies, huic vitæ conceſſos, iuxta quod Pſalmiſta pronunciauit dicens: *Ecce elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine. Expectabam eum qui ſaluum me faceret,* & reliqua. Diaconus reſpondit: hæc, ô pater, ſolitudo aquis eſt infuſa frequentibus, aſperitate terribilis, mõtibus plena percelſis, anguſtis vallibus flexuoſa, beſtiis poſſeſſa ſæuiſſimis. Nam præter ceruos, & innocuorum greges animalium, vrſos gignit plurimos, apros innumerabiles, lupos numerum excedentes, rabie ſingulares. Timeo igitur ne ſi te illuc induxero, ab huiuſmodi hoſtibus deuoreris Ad hæc vir ſanctus: Apoſtoli inquit, ſentẽtia eſt: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Et ſcimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Qui Danielem, liberauit de lacu leonum, poteſt & me eripere de manu beſtiarum. Cui diaconus hęc reſpondit: Mitte in peram tuam cibaria & rete paruiſſimum; cras enim introducam te in eremũ, & ſi inueneris locũ tibi acceptabilẽ, age gratias Deo, & præcepti dominici cõple rigorẽ. Deus autẽ qui eduxit te de regione lõginqua, ipſe ſicut *Tobiæ* famulo ſuo comitẽ cœlitus dedit, ita Angelum ſuum mittet nobiſcum, & oſtendet nobis locum deſiderijs ſalutaribus aptum. Igitur

S. Gallus appetit ſolitudinẽ.

Pſal. 54.

Rom. 8.

Daniel.

Tob. 5.

vir beatus die eodem ieiunus permanſit,& vſque ad alterius diei diluculum in orationibus pernoctauit, dignum quippè erat, vt quod diuino inchoabat amore inſtantiſſima prece, Domino commendaret.

Vt locum in eremo optatum repererit ſibique delegerit: & de vrſi obedientia.

CAPVT. X.

CVm autem Lucifer ſuo proceſſu noctis latibula detexiſſet, & Sol inferiora dimittẽs, curſu conſueto ſuperiores orbis plagas inuiſerit, igneumq; iubar ab orientis axe mortalibus demonſtraret: athleta Dei ea, quæ ductor ſuus dixerat, ſecum ſumens, cum orationis benedictione, illo præeunte, viam aggreſſus eſt. Cumque per totum diem iter agerent circa horam nonam dixit Diaconus: Pater hora refectionis iam inſtat: ſumamus paulum panis & aquæ: quia ita confortati, viæ quod reſtat, melius conſumere poterimus. Homo Dei reſpondit: tu iuxta neceſſitatem corporis refectionem percipe fili: Ego non guſtabo quicquam, antequam Dominus mihi locum deſideratæ manſionis oſtendat, & ille: ſicut, inquit, ſocij ſumus paſſionis, ſic erimus & conſolationis. His dictis, cœperunt iter agere feſtinato, quia dies iam declinabat, & ſolaris feruor appropinquabat occaſui. Venerunt autem ad quendam fluuiolum, qui *Steinaha* nominatur: ambulanteſq; per decurſum ipſius, dum veniſſent ad rupem, de qua idem cum impetu deſcendens, gurgitem facit ſpecioſum: Ibi viderunt plurimos piſces, & imponentes retia ſua cœperunt eos. Igni deinde ſuccenſo, Diaconus piſces aſſauit, & panem poſuit ſuper petram, B. autem Gallus, dum orandi gratia modicum ab illo diuulſus eſſet, inter condenſa vepTium fruteta ambulans, & pede hærens ad terram corruit. Quod Diaconus videns, accurrit, vt ſubleuaret proſtratum. Sed vir Dei præſcius futurorum: Sine me, ait, *hæc requies mea in ſæculum ſæculi: hic habitabo quoniam elegi eam.* Et cum poſt orationem reſurrexiſſet, ſumens virgam colurnam, fecit crucem, & fixit in terram. Habebat autem pendentẽ collo capſellam, in qua continebãtur reliquiæ B. Dei genitricis Mariæ, & ſanctorũ Martyrum Mauritij & Deſiderij. Quã cum in ipſa cruce ſuſpẽdiſſet, vocauit Diaconũ, & proſtrauerunt ſe pariter in orationem. Tum vir venerabilis huiuſmodi preces emiſit: *Domine Ieſu Chriſte, qui pro ſalute humani generis de virgine naſci, & mortem ſubire dignatus es, ne deſpicias deſiderium meum pro peccatis meis: ſed in honore S. genitricis tuæ, & Martyrum Confeſſorumque tuorum præpara in hoc loco habitationem, tuis aptam ſeruitiis.* Finitâ oratione, Sole occumbente, finitus eſt dies, & ipſi tãdem, cum gratiarum actione cibũ ſumpſerunt: rurſumque Deo gratias exhibentes, ſtrauerunt ſibi in terra vt aliquantulum requieſcerent. Sed vir Sanctus cum comitem ſuum alto teneri ſomno putaret, ſurgens proſtrauit ſe in figuram crucis ante capſellam, & preces Domino deuotas effudit. Interea deſcendens vrſus de monte, micas & fragmenta, quæ conuiuantibus deciderunt, cautè legebat. Hoc factum vt vidit homo Dei, dixit ad feram: præcipio tibi beſtia in nomine Domini, tolle lignum & mitte in ignem, ad cuius præceptũ bellua conuerſa validiſſimum lignum attulit, & igni iniecit. At vir benigniſſimus ad peram accedens, de patuo cellario panem integrum famulanti porrexit, & accipienti ita præcepit: in nomine Domini mei, Ieſu Chriſti, ab hac valle diſcede, & hoc pacto montes & colles circũpoſitos habeto communes, vt nullum hîc hominem nil de pecoribus lædas. Dum hæc agerentur, Diaconus dormire ſe ſimulans, quod vir Deo charus cum beſtia geſſit, conſiderabat, & ſurgens proſtrauit ſe ad pedes eius, & dixit: nunc ſcio verè Dominum eſſe tecum, quoniam & beſtiæ eremi obediunt tibi. Ille autem dixit ei: caue ne omninò hoc alicui dixeris, donec videas gloriam Dei.

Pſal. 131. Crucem defigit in terram, & ad ipſam ſacras reliquias appendit.

Ecce ſancto viro immanis bellua paret.

Vt dæmones muliebri ſpecie apparentes vir Sanctus depulerit.

CAPVT XI.

NOcte igitur exactâ, cum lux aurea ſyluarum illuſtraret opaca, Diaconus ait: Pater mi, quid facturi ſumus hodie? at ille reſpõdit: obſecro te fili, ne moleſtè feras quod dico: quia Dominus nos fecit, quod quæſiuimus,

Impudentiſſimi dæmones, nudas fœminas repræſentant.

inuenire, hunc etiam diem in hoc loco ducamus, tolle rete, & ad gurgitem vade: Ego quoq; poſt te quàtocyus ibo. Forſan Dominus ſolitam nobis largitatem oſtendet, vt regredientes ad caſtrum afferamus patri noſtro presbytero de hoc loco benedictionem, quam Dominus nos inuenire donauit. Diaconus reſpondit: gratum habeo, quod præcipis pater: & ſurgens citò cũ inuocatione nominis Domini, aſſumpto retiaculo perrexit ad fluuium. Cumque illud in gurgitem mittere voluiſſet, duo dæmones in effigie mulierum ſteterunt in littore, ita nudati, quaſi balneum intrare voluiſſent, & cum turpitudinem ſui corporis illi obijcerent tollentes lapides, iactauerunt contra eum & dixerunt: tu induxiſti virum iſtum in hãc eremum, virum iniquum, & inuidia plenum, qui ſuis maleficiis ſemper nos vincere conſueuit. Ille autem reuerſus ad virum Dei, indicauit illi, quæ viderat & audierat. Electus Dei bellator pariter cum Diacono proſtrauit ſe, & huiuſmodi verbis Dominum deprecatus eſt: Deus omnipotens, ineffabilis bonitas, inæſtimabilis maieſtas, ſecundum miſericordiam tuam, non ſecundum merita mea, auditu placido, has ſuſcipe preces. Iube hos dæmones hunc locum deſerere, vt ſit ſanctificatus in honore nominis tui Surgẽtes ab oratione, venerunt ad gurgitem, & continuò dæmones in fugam conuerſi, ierunt per decurſum fluuioli contra proximum montem.

S. Gallus profligat eos.

Sanctus verò Gallus dixit illis: præcipio vobis phantaſmata, per immenſæ potentiam Trinitatis, vt hunc locum deſerentes, in montes deſertos eatis, & huc reuertendi vlterius non habeatis fiduciam. Deindè mittens in gurgitem rete, ceperunt piſces quantos volebant: Et dum piſces de maculis ligni abſoluunt, audiunt in ſummitate montis voces

Dæmonũ querimonia de S. Gallo.

quaſi duarum mulierum defunctos plangentium, & dicebant ad inuicem: Heu quid faciemus, aut quò pergemus? peregrinus hic nos inter homines habitare non ſinit, in eremo quoque manere non patitur. Nõ ſolum autem tunc hæ voces auditæ ſunt, verumetiam poſtmodum tribus vicibus dũ ipſe Diaconus ſaltum accipitres ad capiendos intrauiſſet, audiuit dæmonia de quodã monte, qui *Himslinberg* dicitur, clamantia, & vtrum adhuc Gallus eſſet in eremo ſciſcitantia, vel ſi iam diſceſſiſſet.

Vt locum eremi elegerit, & ſerpentes indè aufugerint.

CAPVT XII.

IGitur poſt diſceſſum dæmonum, dum fideles illi eremi dilectores vallem luſtrarent, videtes inter duos fluuiolos multa deſiderabilia, ſyluam ſpecioſam, montes per gyrum, planitiem in medio, probauerunt locum ad ædificandum cellam optimum eſſe, & recordatus vir ſanctus ſententiæ, quam Iacob poſt viſionem ſcalæ & Angelorum aſcendentium & deſcendentium per eam protulit, dixit: verè Dominus eſt in loco iſto. *Geneſ. 28.* Erat autem vſque ad illud tempus in eadem valle plurima ſerpentium multitudo.

Serpentes fugiunt S. Gallũ.

Porrò ex illa die tam pleniter abſceſſerunt, vt poſtea ibi non cõparerent. Congruit hoc miraculum cum prioribus. Nam diabolo inde expulſo, dignum erat, vt animal per quod hominem deceperat, habitationi cederet ſanctitatis.

Vt locum eundem ieiunio dedicauerit, & mortem Gaudentij Epiſcopi cognoſcens, pro anima eius orauerit.

CAPVT XIII.

CVmque reuerſi fuiſſent ad locum primæ ſtationis, vbi pridem vir Dei cruciculam defixerat, Diaconus dixit ad eum: Sumẽtes peram & rete, regrediamur ad caſtrum. & ille: Tu inquit fili, vt placet, ad propria reuertere: ego verò his in locis aliquantiſper moratus, poſt triduum, Domino duce, te ſubſequar. Diaconus dixit: Nequaquam te abſente remeabo ad patrem noſtrum, ne forte dicat te propter ſpolia à me interemptum: vel ſi homicidium negare voluero, hęc mihi obijciat: Cur illum dimiſiſti in ſolitudine? citò reuerſus educ eum ad me. Et erunt mihi duo pariter, labor duplicatus, & manifeſta confuſio. Ad hæc vir ſanctus reſpondit: vade fili, ego poſt veſtigia tua quàtocyus properabo.

S. Gallus triduana inedia ſe afficit.

Quo abeunte, athleta Dei toto triduo ab omni victus adiumento corporei ieiunus permanſit: vt videlicet locum quem ſpirituali militiæ prouidebat, parſimoniæ conſecraret initijs. Quarto itaq; die eremo digrediens, domum reuiſit presbyteri, & inter amicæ

pontifices à rege tranſmiſſi venerunt, & inuenerunt ipſam quidem puellam nimio laborantem furore, parentes autem eius, omnemque familiam, & propinquos flentes ſuper eam, & miſerabili furore depreſſos. Tota enim domus vna clade contabuit. Puella vexabatur inſania, cæteri torquebantur triſtitia. Poſtquam ergo ingreſſi pontifices, munera à Rege directa præſentarunt, preces in cõſpectu puellæ fuderunt ad Dominum. Illa verò tenētium manibus ſe excutiens, vni eorum gladium abſtulit, volēs Epiſcopos interficere & cum id non poſſet perficere, Spiritus immundus vni eorum dixit; Si volueras me, ſicut Regi promiſiſti, de hoc vaſculo propulſare, cur filiam tuam, quam *nonna illa de te concepit & genuit, non feciſti tecum venire? Deindè ad alterum: & tu inquit cum tribus fœminis fornicationem commiſiſti; veſtro quidem imperio, quod nullo ſanctitatis merito roboratur, nunquam egrediar. Eſt verò quidam vir magnæ apud omnipotentē Deum virtutis, nomine Gallus, qui me de *Tucconia* vbi diù optata quiete potitus ſum, potenter eiecit, domoſque meas audenter deſtruxit. Poſtmodum inueniens me apud *Brigantium* commorantem, eadem virtute exhæredauit. Porrò quia dux iſte eum de eodem expulit loco, in vltionem eius iniuriæ puellam iſtam arripui: de qua poſſeſſione, niſi ipſe aduenerit, nullatenus admouebor. Vnus deindè pontificū dedit furenti alapam dicens: obmuteſce Satana, deſertor veritatis, falſitatis amator & auctor. Putauit enim eum de gallinaceo dicere gallo. Et dum Spiritus nequam pluribus eos verborum iniurijs affeciſſet, manſerunt ibi tribus tantum diebus: ac deindè ad ſua reuerſi, nunciauerunt omnia quæ geſta fuerant, Regi.

Procax dæmon ex obſeſſa inſultat Epiſcopis duobus.

** Sanctimonialis.*

Ea vt Deus vlciſcitur iniurias ſeruorum ſuorum.

Vt vir Dei per Preſbyterum ſit adductus ad Gunzonem ducem.

CAPVT XVI.

Preſbyter verò cum ſecundum iuſſionem ducis virum Dei fuiſſet è veſtigio proſecutus, reperit eū in ſpelunca animum ſuum lectionis conſolatione paſcentem: & accedens ſalutauit humiliter, & dixit ad eum: Ne timeas ſerue Dei ad ducem venire. Sub teſtificatione enim iuriſiurandi promiſit, ſe nullam tibi irrogaturum iniuriam. Sed & cum poſueris manum tuam ſuper caput puellæ, ab ea per orationes tuas Spiritus immūdus abſceſſerit, in ſede *Conſtantienſi* pontificatus honore te ſublimabit. Dum de huiuſmodi colloquium rebus haberent, ſuperueniens Ioannes Diaconus, ſecundum cōſuetudinem obtulit ei panes azymos, & lagunculam vini, oleum & butyrum, & mel in vaſculis cum piſcibus aſſis. Vir Dei, cum eum venire cognouiſſet, gratias egit Deo, gaudio plenus. Diſcubuerunt tres conuiuæ fidiſſime, & cū gratiarū actione, dona Domini perceperūt. Inter hæc vir ſāctus Preſbytero, duc, ait nobiſcum noctem inſtantem, & craſtina die, Domino volente, tecū proficiſcar; Cúmque huic conſenſum perſuaſioni præbuiſſet, ad virum Dei Diaconus dixit: Manè primo diluculo huc veniā, & adducam mulum meum ſtratum, vt ſimul ire poſſitis. Ego verò cultor ero ſpeluncæ, & eam cura diligenti cuſtodiam. S. Gallus reſpondit: Benè dixiſti fili, & ego quidem via, quâ veneram per eremum regrediar ad cellulam meam, & viſitabo Fratres meos: Poſtmodum verò quàm citiſſimè potuero, ad caſtrum propetabo. Preſbyter ergò admiratione valida conſtrinxit eum, vt nequaquam faceret contraria dictis. Et abſceſſerunt pariter. Ioannes quòque acceptā benedictione redijt in domū ſuam. Cumque vir Beatus recto itinere perueniſſet ad cellulā, requieuit ibi nocte illa cum fratribus. Mane autem ſequenti, ſumptis ſecum duobus fratribus, perrexit ad caſtrum, reperitque inibi cum Preſbytero ducis miſſum, qui eos cum omni feſtinatione ire depoſceret: qui etiam indicauit puellam continuato iam triduo ſine alimonia perdurare. At illi nauicula conſcenſa totis niſibus ire feſtinantes, ligno natatili profundi terga ſulcante, nocte proxima peruenerunt ad ducem.

Hæc aduertãt Epicurei, qui gratiarum actiones parum curant.

S. Gallus venit ad Ducem.

Vt filium Ducis à dæmone liberarit.

CAPVT XVII.

Cvmque deuictis profundæ noctis tenebris Sol terris cum iucunditate ſerenum reſtitueret diem, iuſſit eos dux venire in cubiculum, in quo arreptitia ſeruabatur. Iacebat autem tunc in ſinu matris

vide cap. 9. vita S. Magni Preſb.

ſuæ, oculis clauſis, ore hianti. Membra quoque eius ita erãt diſiecta, vt quaſi mortua videretur. Fœtor verò tam grauis oris prorupit ex adyto, vt ſulphure locus ipſe adſperſus putaretur. Pater itaque cum domeſticis ſuis intrauit, vt videret quid vir Dei eſſet acturus. Ille de Domini largitate certiſſimus, humiliter ſe proſternens, has

Matth. 8. Matth. 4. preces, Domino cum lachrymis fudit: Domine IeſuChriſte, qui pro ſalute humani generis carnẽ ſumere, & per Virginem naſci

Oratio eius ad Dominũ pro liberatione obſeſſæ. dignatus es: qui ventis & mari imperaſti, diabolum etiam, calliditatis ſuæ fraudibus inſiſtentem retrò ire iuſſiſti, quique paſſione tua mundum redimere, & libertati reſtituere dignatus es, iube hunc immundiſſimum Spiritum de puella hac pro nominis tui gloria exire: vt plaſma tuum ſupetbus inuaſor deſerat, & tibi creatori ſuo, creatura tua gaudẽs deſeruiat. Et cum ſurrexiſſet ab oratione, apprehẽſa dextera eius, alleuauit eam, Spiritus enim malignus cõturbauerat eam: & impoſita manu ſuper caput eius, dixit: Impero tibi in nomine Domini noſtri IeſuChriſti Spiritus immũde, vt exeas & recedas ab hoc plaſmate Dei: & cum hæc dixiſſet, aperiens illa oculos, reſpexit in eum, & ſpiritus malignus his verbis allocutus eſt: Tu ne es, ait, Gallus, qui de habitationibus me expuliſti prioribus? Ego planè ob vltionem iniuriæ, quam dux iſte tibi & ſocijs intulit, filiam ipſius inuaſi, & ſic eijcis me? Si hinc exiero, quò vadam? Illuc, ait, vbi tibi paratur in abyſſo ſupplicium ſempiternum à Domino. & ſtatim videntibus, qui aderant,

Liberat à dæmonio filiam ducis. exiuit de ore puellæ quaſi auis nigerrima, & horrore terribilis. Hora eadem ſana ſurrexit, & à viro Dei gaudens gaudenti eſt reddita matri.

Vt Epiſcopatum recuſarit, pauperibus dona Ducis elargitus ſit, & diſcipulum ad eleemoſinam hortatus.

CAPVT XVIII.

vide c. 9. vita S. Magni Recuſat Conſtantienſem Epiſcopatum. His ita patratis, Dux iuſſit ei offerri dona, quæ rex puellæ tranſmiſerat, & inſuper vt apicem pontificatus gradus dignaretur aſſumere, poſtulauit. Ad quod vir beatus ita reſpondit: viuente Domino & patre meo Columbano, interdictum altaris officium non vſurpabo, niſi ab illo permiſſus. *Obedientia Sancti admiranda.* Quare huius regiminis põdus quod offers, ſubire non poſſum. Quod ſi hoc indubitanter fieri cupis, ſuſtine interim, donec mittã epiſtolam ad Abbatem meum, ad inſinuandam illi voluntatem tuam: & ſi eius permiſſum cognouero, tunc demùm oblatum curæ paſtoralis onus ſuſcipiam. Et dux ad illũ: Benè, inquit, dixiſti, fiat ſecundũ verbũ tuum: & dimiſit eum cum pace. Ille ſumptis, quę donata fuerant, remigando pelagus ſuperauit: Dux autem ſanctitatis eius tam manifeſto compunctus indicio, iuſſit *Arbonenſi* Præfecto, vt cum omni plebis officio iret ad locum cellæ, & quæcumq; neceſſitas popoſciſſet ædificia, iuxta viri Dei diſpoſitionẽ conſtrueret. Venerabilis ergò pater poſt celeuma celebratum, *Munera Ducis pauperibus elargitur.* cum *Arbonenſe* caſtrum intraret, fecit conuenire omnes pauperes & egenos, & dona, quæ detulerat, illis diſtribuit. Hæc videns quidam diſcipulus eius, nomine *Magnoaldus*, dixit ad eum: Pater, habeo vas argẽteũ pretioſum, cęlaturis inſigne, ſi vis reſeruabo illud, vt ſacri vaſa miniſterij ex eo faciamus. Ille reſpondit. Fili, memor ſententię B. Petri Apoſtoli, quam Paralytico ſperanti pecuniam protulit, *Argentum*, inquiens, *Act. 3.* *& aurum non eſt mihi*: ne contrarius exemplo inueniaris ſalubri, vas quod poſſides, pauperibus conferri curato. Nam præceptor meus beatiſſimus Columbanus, in *Calix æneus Columbani & quare.* vaſis æneis Domino ſolet ſacrificium offerre ſalutis: quia fertur & ſaluator noſter clauis æreis cruci confixus. His omnibus expletis, reuerſus eſt ad dilectæ ſolitudinis aulam.

Vt Ioannem Diaconum ad ſe accitum ſacris litteris erudierit.

CAPVT XIX.

Deinde miſit epiſtolam ad Ioannem Diaconum rogans eum ad ſe venire. Qui cum dilecti magiſtri litteras accepiſſet, tulit quod pro benedictione offerre poterat, & venit ad eum, & oblatis eulogijs, ſalutauit patrem, & ſalutatione paterna eſt honoratus. Cui interroganti virum ſanctũ de proſperitate itineris eius, ille reſpondit: Diuina nos præueniente miſericordia, & ſubſequente, cuncta proſperè prouenerunt.

Nam cum ſumma gratulatione ſuſcepit nos princeps, & eripuit Deus filiam eius à Dæmone, & ipſe dedit nobis dona nō modica, & inſuper obtulit mihi Epiſcopatus honorem. Ego verò non conſenſi ſuſcipere ante præceptum Abbatis mei. Ergò fili acquieſce conſiliis meis: eſto mecum, & lege diuinæ libros ſententiæ, & docebo te, cooperante gratiâ Dei, intelligentiam ſcripturarum. Cecidit autem Diaconus ad pedes eius, gratias agens, fecitque redire in ſua pueros, qui ſecum venerant, ipſe verò manſit apud virum venerabilem, & ipſe cœpit eum introducere in cellaria ſcripturarum, oſtendens ei noui & veteris occulta theſauri. Superna itaque illuſtratus clemētia, tanti magiſterij profecit inſtantia, adeò vt in omni ſcripturæ diuinæ latitudine nobiliter eruditus, laboris paterni fructus oſtenderet.

Ioannem Diaconū docet ſcripta diuina.

Vt Ducis filia eius virtutes regi Sigeberto exponens, illius beneuolentiam ei conciliarit.

CAPVT XX.

SIgebertus igitur Rex, cum audiſſet puellæ redditam ſanitatem, mandauit patri eius, vt eam ſuis conſpectibus exhiberet. Qui ſumens dona ingentia & puerorum ac puellarum multitudinem, cum magno ſuorum comitatu duxit eam vſque ad *Rhenum*; indeque per comites ad regem tranſmiſit. A quo dum gratanter ſuſcepta fuiſſet, interrogata quomodo ſuæ remedium conſecuta eſſet infirmitatis, cùm per pontifices ad hoc miſſos ſanitati non poſſet reſtitui, hanc reddidit rationem: Domine mi, inquiens, eſt vir quidam in prouincia, quam hoc ducta reliqui, cuiuſdam incola ſolitudinis de gente * Scotorū nomine *Gallus*, tātæ apud Deum virtutis, & meriti, vt aduerſus dæmones ſingulari quadam vtatur potentia. Nam cū ego ancilla tua graui vexatoris inſtantia periculoſom vitæ nutantis finem pene ſubirem, rogante patre meo idem vir Dei ſuperuenit, & ſigno vexilli ſalutaris me muniens, imperioſa voce iuſſit exire tyrannū. Et videntibus cunctis qui aderant, exiuit de meo ore, quaſi coruus colore piceus, horrore tartareus. Cumque ſacrificij cœleſtis pabulo me confirmaret, priſtinæ reſtituta ſum ſanitati. His ita relatis puella procidēs ad pedes Regis, obſecro ait Domine, vt virum ipſum tuę gratiæ foueas lenitate, & pro me dignas illi gratiarum actiones rependere non graueris. Interrogauit autem eam in qua eremo vir manſitaret eximius; & illa reſpondit in ſaltu, qui *Arbonenſi* territorio adiacet, & eſt publici poſſeſſio iuris: ſitus autem inter *Alpes Rhetiarum*, & *Brigantini* marginem lacus. Rex igitur vt audiuit eum in publicis cōmorari poſſeſſionibus, iuſſit fieri conſcriptionem firmitatis, vt vir Sanctus locum quem incolebat, per authoritatem regiam obtineret. Auri quoque libras duas, & argenti pondo totidem, cum epiſtola conceſſionis iam dictæ, per ſuos nuntios viro Dei deſtinauit, ſe ſacris eius orationibus commendans attentius: *Gunzoni* autem Duci præcipiens vt ſi ſolitudinis incola vellet, ſolatiorum ei copiam ad ædificandam cellam ſubminiſtraret.

**Hibernorum. Nota quā magna ſit vis ſanctitatis.*

Sigebertus Rex quid dederit S. Gallo.

Vt conſilio B. Galli eadem Ducis filia, repudiatis nuptijs regijs, ſacrum velamen rege aſſentiente acceperit.

CAP. XXI.

NOn multis in medio reuolutis diebus, volens Rex idem puellam ſuis thalamis ſociare, celebri edicto ſacerdotum & principum ſuorum ſenatū, nuptiarū præcepit adeſſe ſolemnijs. Cumque ſtipatus agmine procerum introiſſet, vbi ipſa manebat, dixit illi: Aſcendamus in palatium, nam nuptiæ paratæ ſunt: ſacerdotes & capita populorum cum benedictionibus congruis aduenerunt. Quibus illa auditis cecidit ad pedes eius dicens: Mi Domine, quia præterita paſſio ſuo me pondere tabefecit, vires abſorbuit valetudo contraria, membrorum officia ægritudine ſunt reſoluta, da mihi vel ſeptem dierum inducias, vt aliquatenus virium detrimenta recuperem, & ſic tuis poſſim applicari conſpectibus. Quam petitionem dum rex piè ſuſciperet, ad palatium remeauit, illa in priuato commorante cobiculo. Fiebat autem vtrôque in loco ingēs apparatus lætitiæ admirantibus multis cur tandiù diuiſi, conoiuio diſtuliſſent connubia. Tranſactis interea ſeptem dies

bus circa matutinum officium puella cum duobus viris totidemque puellis Eccleſiam B. Stephani protomartyris introiuit, & ſecedens poſt ianuas templi, exuit ſe veſtimentis regalibus, & habitum propoſiti ſanctioris aſſumpſit, neſcientibus hoc viris, qui pariter cum illa aduenerunt. Depoſito ergò terrenæ dignitatis amictu, ſanctimoniæ nitorem cum quodam ſui ſecuta contemptu acceſſit ad altare, & in faciem proruens Dominum ſtudioſius adorauit: ac deindè cum ſe erigeret, cornu comprehendit altaris, & huiuſmodi voces emiſit: Beate Stephane, qui ſanguine tuo teſtimonium Chriſto perhibuiſti, deprecationem meam tuis meritis Domino commendato, vt tua interceſſione hodie cor Domini mei regis conuertat ſecundum voluntatē meā, ne velamen, quod amore Dei ſuſcepi, auferat de capite meo. Viri ergò, qui erant cum illa, hęc videntes, venerunt ad Regem, & nuntiauerunt ei, quæ facta fuerant. Et ille aduocans ſacerdotes, & quoſdam principes ſuos, cœpit inquirere ab eis, quid ſuper hac re faciendum cenſerent. *Cyprianus Arelaenſis* regi reſpondit: Quia vt liquidò claret: puella hæc cum à dæmonio erueretur, hoc ſe voto quod perfeciſſe videtur, conſtrinxit, cauendum tibi eſt, ne fortè ſi irritum feceris votum eius, rediuiuo dæmonum cōprimatur incurſu, & ſint illi nouiſſima peiora prioribus, tu verò tāti criminis reatum incurras. Rex ergo iuſtitię tenax, & timore Domini plenus, huic conſilio deuotæ mentis pandit aſſenſum, & ingreſſus Eccleſiam, fecit afferri veſtem nuptijs præparatam, & coronam ſponſæ nitoribus imponendam. His allatis, dum puellam ad ſe iuſſiſſet accedere, ſponſa Dei iam agni comitatibus hærens, auelli non potuit ab altari: quia ſe timebat de Eccleſia protrahendam. Cumque inſtantius aræ cornibus inhæreret, Rex eam, ne timeret admonuit: hodiè, inquiens, per omnia tuæ voluntatis videbis effectum. Porrò illa inter ſpem & metum poſita, caput ſuper altare reclinans. Ecce, ait, ancilla Domini, fiat mihi ſecundum voluntatem eius. Rex verò iuſſit & ſacerdotibus vt eleuarēt eā & ad ſe perducerent. Quo facto, induta eſt, illo iubente, veſte regali, & ſacro velamine coronata. Intuitus autem eam Rex Religioſus, dixit illi: Ecce meis te nuptijs præparatam, ſponſi cœleſtis Domini noſtri videlicet Ieſu Chriſti cedo complexibus. Et dexteram eius comprehendens, poſuit in altari, deindè Eccleſiæ limen excedens, lachrymis abſconditum patefecit amorem. Poſt hæc vocauit eam, & iuxta ſe fecit in palatio reſidere, & donis ingētibus honoratam, prætulit Monaſterio ancillarum Dei, quod in honore Beati Petri principis Apoſtolorum conſtructum eſt in *Meterſium* ciuitate, vbi geſta ſunt vniuerſa, quæ proximà narratione retulimus. In his autem omnibus perficiendis ſecuta eſt puella conſilium beatiſſimi Galli, qui eam Domino auxiliante à dæmonio liberauit.

Inſigne exemplū pudicitia & contēptionis huius mundi.

Religioſi regis præclarum exemplū.

Aduertāt hoc qui Chriſto ſacratas virgines

hortantur ad nuptias.

Quantum ex Beati Galli doctrina & exemplis, Ioannes Diaconus triennio profecerit.

CAP. XXII.

PEr idem tempus *Ioannes Diaconus* perſeuerans apud venerandum patrem, prudentiam, quæ in eo cœlitus abundabat, ſtudio ſitienti potauit, in abſolutione duntaxat difficilium ſcripturæ diuinæ quæſtionum, & intemeratæ fidei ratione. Operis quoque quotidiani, quod idem egregius Apoſtolicæ diſtrictionis imitator, ſedula accelerarat inſtantia, non ſolum dilexit ſcientiam, verumetiam comprehendit. Gratia enim illuſtratus diuina, quicquid vel viſu vel auditu percepit, altæ memoriæ; & vt ita dixerim, armario cordis celer inſeruit: & ſub huius magiſterij diſciplina, cum omni māſuetudinis & humilitatis cuſtodia triennium duxit.

Ioannes Diaconus quantum profecerit apud S. Gallum.

Vt S. Gallus Epiſcopatum Conſtantienſem recuſarit.

CAP. XXIII.

POſt hæc Dux ſæpe iam dictus per Epiſtolam ſuam virum Dei rogauit, vt ad *Conſtantiam* oppidum perueniret ad eligēdum, qui eidem ſedi præficeretur, antiſtitem. Aduocauit autem *Auguſtuduenſem & Virdunenſem* Epiſcopos, cum multitudine clericorum. * *Neuidone* etiam, quæ à modernis *Spira* vocatur, venire fecit Epiſcopum: necnon per nuncios & epiſtolas ſuas, totius

for. * *Nemetū.*

tius Alemanniæ Presbyteros, Diaconos, vniuerſaſque Clericorum copias, generaliter die denominata, id eſt, proxima Paſchæ Dominica, apud *Conſtantiam* conuenire præcepit. Ipſe quoque cum Principibus & Comitibus ſuis huic intererat conuentui. Cumque hæc ſynodus tantæ multitudinis celebraretur acceſſu, & trium dierum ſpatio denunciaretur futura, Beatiſſimus Gallus diuino conſilio plenus, aſſumptis *Ioanne & Magnoaldo*, Diaconatus officio ſublimatis, perrexit ad oppidum, ingreſſóque eo locum conſilij, Dux huiuſmodi verba profudit: Deus omnipotens, cuius prouidentia totum corpus Eccleſiæ augmentatur & regitur, per interuentionem & meritum B. Mariæ ſemper Virginis, in cuius honore locus iſte conſecratus eſt, effundat hodie ſuper nos Spiritum Sanctũ, ad eligendum Pontificem, qui ad regendam plebem fidelium ſit idoneus: & ad gubernandam Eccleſiam Dei, Paſtorali ſit diligentia plenus. Admonuit deinde Pontifices & omnem clerum, vt iuxta ſaluberrima canonum decreta, rectorem Eccleſiæ prouiderent. Cœperunt autem omnes Clerici ad inuicem dicere: Gallus iſte teſtimonium habet bonum ab omnibus, qui eius vitam nouerũt. In ſcripturis diuinis ſcientiæ culmen obtinuit, & in omni vitæ honeſtate ſapientiæ luce refulget: iuſtitiæ autem vitæ caſtitatem corporis ſociauit, manſuetudinem cum humilitate poſſidet: continentiæ verò ſalutari patientiam iunxit. Largitor eſt eleemoſynarum, orphanorum pater, in viduarum ſolatijs alacer. Hunc omnium ſectatorẽ virtutum, decet eſſe paſtorem populorum. His auditis, Dux dixit ad illum: Audis quid illi loquuntur & affirmant? Sanctus Pater reſpondit: Benè quidem dicunt: vtinam verum eſſet, quod fatentur. Cum autem inuicem talia tractant, neſciũt in canonibus eſſe prohibitum, ne aliqui de locis ſuis commigrantes, alijs facile ordinentur in locis. Eſt verò mecum Diaconus quidam nomine Ioannes, vicinorum indigena locorum, cui meritò teſtimonium, quod iſti mihi dederunt aptari poteſt. Hunc diuino credens electum iudicio, vobis offero promouendum.

Dux hortatur Epiſcopos & Clerũ, vt iuxta Canonum Decreta eligant Antiſtitẽ.

S. Gallus electionẽ ſui transfert in alium.

Vt Ioannes Diaconus creatus ſit Epiſcopus Conſtantienſis.

CAP. XXIIII.

Cvmque hac atteſtatione vir Sanctiſſimus in *Ioannem* cunctorum concitaret amorem (neque enim aliud de eo credere poterant, quàm quod vir Deo charus aſſeruit) Dux Diaconum venire fecit in medium: Tu es, inquiens, *Ioannes Diaconus*? Et reſpondit: Ego planè. Vnde, ait, ducis propaginem generis? & dixit. In *Rhetia Carienſi* mediocri natalium dignitate ſum procreatus. Dux verò ad illum: poteſ-ne, inquit, Pontificalis Inſulæ pondus ſubire? Tunc venerabilis Gallus ſe pro filio reſponſurum promiſit. Et dum hæc mutuo ſermonum commercio pertractarent, ſubtraxit ſe Diaconus, & fugiens latibulum quæſiuit in Eccleſia S. Stephani proto-martyris, quæ eſt extra oppidum. Secuti ſunt Sacerdotes cum plebe, & apprehenſum lachrymis perfuſum fœlicibus licet renitentem in præſentiam Pontificum pertraxerunt, & Ducis: & leuauerunt omnes pariter vocem, dicentes: *Ioannem* eligit ſibi Dominus Pontificem hodie, & reſpondit omnis populus, Amen. Epiſcopi itaque duxerũt eum ad altare, & ſolemni benedictionis officio ordinauerunt Antiſtitem. Cõſummatóque ſacræ promotionis miniſterio, rogauerunt eum ſacrificij ſalutaris celebrare myſteria. Præmiſſis ergo ex more diuinæ libationis initijs, poſt lectionem Euangelij rogauerunt venerabilem Gallũ, vt multitudini, quæ aderat, verbi officio Sacræ inſtructionis pabulum miniſtraret. Qui aſſumpto *Ioanne* Epiſcopo gradum aſcendit, eo videlicet pacto vt ipſe quidem ædificationis inſtrumenta colligeret, Epiſcopus verò ad vtilitatem barbarorum benè prolata interpretando transfunderet. Cœpit ergò verbum facere de initio creaturarum, & Adæ peccatum pro quo depulſus eſt de Paradiſo, commemorare. Tranſiens inde ad diluuiũ, Patriarcharum conſequẽter tempora, perſtrinxit & actus. Egreſſum quoque filiorum Iſraël de Ægypto, & tranſitum per mare rubrum, legiſque lationem per Moyſen & cœleſtis alimenti

Ioannes Diaconus abſcondit ſe, ne fiat Epiſcopus.

Creatur tamen.

Vide c. 10. vita S. Magni.

Hãc orationẽ vide infrà, ſub finem operis.

miracula replicauit. Regum deinde ſucceſſiones & tempora Prophetarum breuiter attingens. Aduentûs Dominici tempus retexuit. Baptiſmum etiam Saluatoris & mirabilium eius gloriam cõmemorans, Crucis ignominiam cum impijs inſectationum generibus veraci relatione ſubiunxit. Hæc audientes Eccleſiæ Paſtores cum populi multitudine lachrymas fuderunt vberrimas, & ad inuicem dixerunt: Verè Spiritus Sanctus locutus eſt hodie per os viri iſtius. Ille verò prædicationem perduxit vſque ad Reſurrectionem Chriſti, & in commemoratione generalis iudicij terminauit. Omnes ergo qui aderant, alacri mentis exultatione repleti, benedicebant Dominum, & ad ſua cum gaudio remeabant. Doctor itaque venerabilis manens apud *Ioannem* Epiſcopum ſeptem diebus, inter multa ſalutiferæ conſolationis verba hæc ſæpius inculcauit: Quem Deus elegit homo non deſpiciet: ſed erit omnium veneratione ſublimis, quem diuinum commendat iudicium. Deinde accepta ab eo benedictione, reuerſus eſt ad cellulã ſuam. Epiſcopus autem iuſſit his, qui rebus Epiſcopij præerant vt ad virum Dei cum ſibi ſubiectis venirent, & eius obtemperarent iuſſioni. Poſt hæc tanto ſtudio charitas mutua ſeruabatur vtrinque, vt ſpiritalis glutino clientelæ ſibi ſemper cohærentes, ſolo corpore viderentur diuiſi. Magiſter paterna ſolicitudine, precibus & conſilio ſalutari Matheten refouebat: ille vero paterno honore & omni neceſſitatum ſubſidio Didaſcalum ſubleuabat. Sicque ſacra piorum ſocietas aucto creſcebat honore, & multiplicato commendabatur amore.

S. Gallus redijt ad Cellam ſuam.

Mathetes Diſcipul⁹ Didaſcalus, Præceptor.

Vt mortem S. Columbani Sanctus Gallus & reuelatione & ex nuncijs cognouerit.

CAP. XXV.

Huc refer c. 11. & 12 vita S. Magni.

S. Gallus condit Monaſteriũ.

Tempore ſubſequenti cœpit virtutum cultor eximius Oratorium conſtruere, manſiunculis per gyrum diſpoſitis ad commanendum Fratribus, quorum iam duodecim Monaſtici ſanctitate propoſiti roboratos, doctrina & exemplis ad æternorum deſideria concitauit. Quadam itaque die, dum poſt laborem matutinalis officij quieſcendi gratia lectos ſuos reuiſerent, primo diluculo vir Dei vocauit *Magnoaldum* Diaconum ſuum, dicens illi: Inſtrue ſacræ oblationis miniſterium, vt poſſim diuina ſine dilatione celebrare myſteria. Et ille, num, inquit, tu Pater Miſſam celebrabis? Dixit ergò ad illum: poſt huius Vigilias noctis cognoui per viſionem Dominum & Patrem meũ Columbanum de huius vitæ anguſtijs hodie ad Paradiſi gaudia commigraſſe. Pro cuius itaque requie ſacrificium ſalutis debeo immolare. Et ſigno pulſato, orarorium ingreſſi, proſtrauerunt ſe in orationem, & cœperũt Miſſas agere, & precibus inſiſtere pro commemoratione B. Columbani. Finito ſacræ deuotionis Officio, Venerabilis Gallus dixit ad *Magnoaldum* Diaconum: Fili non tibi graue videatur petitionis meæ pondus: ſed arripe viam & Italiam petito, pertranſiénſque vſque ad Monaſterium, quod *Bobium* nominatur, diligenter perquirito, quid actum ſit circa Abbatem meum. Nota ergo diem & horam vt ſi eum compereris eſſe defunctum, poſſis agnoſcere, vtrum viſio mea veritatis fulciatur effectu. Hæc ergo omnia ſolicita inueſtigatione, perdiſcens regreſſus nunciabis mihi. Diaconus ad pedes Magiſtri prouolutus, ignotũ ſibi iter eſſe cõqueſt⁹ eſt: ſed vir beatus voce blanda eũ, ne timeret, admonuit. Perge, inquiens, & Dominus diriget greſſus tuos. Hac conſolatione roboratus pij Doctoris alumnus, præcepto paruit, & accepto benedictionis viatico, viam feſtinanter aggreſſus eſt. Cumque perueniſſet ad Monaſterium, vt volebat, inuenit omnia ita contigiſſe ſicut patri ſuo per viſionem fuerant reuelata. Manſit autem ibi vna nocte, & accepit à Fratribus Epiſtolam ad Beatum Gallum, continentem venerandi tranſitum Columbani. Qui & baculum ipſius, quem vulgò *Cambotam* vocant, per manum Diaconi tranſmiſerunt, dicentes S. Abbatem ante tranſitum ſuum iuſſiſſe, vt per hoc notiſſimum pignus Gallus abſolueretur. Dimiſſus autem ab illis, iter accelerauit, & proſperè in omnibus agens, die octaua peruenit ad Dominum ſuum & Patrem, ferens Epiſtolam relationis, & abſolutionis indicium. Lecta Epiſtola, Sanctus Gallus chariſſimi Patris amorẽ pleno retinens

S. Gallus Miſſam celebrat.

Defunctus S. Columbanus reuelatur S. Gallo.

Bobium Monaſterium S. Colũbani.

Baculus, ſignum, abſolutionis S. Galli.

retinens corde, lachrymas profudit vberrimas & collectis fratribus, cauſas mœroris aperuit. Deinde tanti patris memoriam precibus factis & ſacrificijs ſalutaribus frequentarunt.

Miraculum tabulæ cuiuſdam incremento declaratum.

CAPVT XXVI.

CONtigit autem quadã die, dum in conſtruendo oratorio cum fratribus laboraret, vt tabula quædã parieti imponenda, breuior cæteris mẽſura palmorum quatuor appareret. Quam dum eiuſdem operis artifices vellent abijcere, beatus Gallus virtutis, quam in Domino habebat, ſibi conſcius, iuſſit eos ab opere diſiuogere, & domum ad percipiendam ſecum refectionẽ, quam Dominus præparauit, intrare. Quibus ſecundum iuſſionem eius facientibus, benedictum panẽ manu ſua porrexit. Poſt prandium autem cum omnes opus reperent imperfectum, inuenerunt tabulam, quam propter ſui breuitatem pridem abijcere voluerunt, cæteris omnibus longiorẽ menſura dimidij pedis: & admiratione de eo, quod euenerat, habita, lignũ quod mirabili creuerat modo in loco ſuo parieti aptauerunt. Quod ipſum lõgo deinceps tẽpore à fidelibus expetitũ, Domino faciente, dentium doloribus efficaciter medebatur, præter antiqui commemorationem miraculi, nouis ſemper effectibus honorãdum. In quo facto meritorum eius magnitudinem, & orationis poſſumus penſare virtutem: quia & lignum aridum contra naturam incrementis auctum eſt, & ne vetus aboleretur miraculum, rediuiua ſignorum atteſtatione ſemper eſt repetitum.

Aſſer S. Galli precibus ditus, ſit longior.

Nota hæc miracula.

Sanctus Gallus non vult eſſe Abbas Luxouienſis, & de piſcibus alijſque rebus, quibus Fratres refecit.

CAPVT XXVII.

POſt hæc Abbas Monaſterij, quod Luxouium dicitur, nomine Euſtachius, quem bonæ memoriæ Columbanus eidem loco præfecit, ab huius exilio vitæ ad ſupernam patriam cõmigrauit. Fratres ergo in eodem cœnobio conſtituti, conſilium inierunt vt venerabilem Gallum reuocarent, & eius regimini ſe ſubdendo contraderent. Miſerunt itaque ſex Fratres ex his, qui ab Hibernia venerunt, qui Epiſtolam ferrent continentem cauſas eiuſdem legationis. Igitur illi recto itinere cum ad viri Dei cellam peruenissent, nuntiati aduenisse, ducti ſunt ad orationem. Qua expleta, domum ingreſſi porrexerũt epiſtolã. Quam vt vir Dei ſanctus perlegit, dixit illis: Ego quidem! ô fratres verba prophetæ cupiens imitari dicentis, extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ: deſerui notos meos & propinquos, & vt liberius Domino poſſem vacare, ſolitudinis elegi ſecreta: vtque parentum, & prædiorum dimiſſionem prætercam, Epiſcopatus honorem & diuitias mundi ſuſcipere non conſenſi. Et quo pacto poſt hanc renunciationem & voluntariam paupertatem, ſeculi implicabor negotijs, exaltabor honoribus, ponderibus aggrauabor? Abſit, inquam, vt qui manum in aratrum miſi, oculos ad relicta retorqueam, & ſicut canis reuertar ad vomitum. Scitis ipſi, me inter vos poſitum humilitati ſemper dediſſe operam & ſubiectioni, & quomodo creditis ad tanti culminis me prouocari poſſe faſtigium? Innouate conſilia, alio rſum vos vertite: mihi quod animo ſemel infixum eſt, Dominus immutari non ſinet. His & ſimilibus verbis animos eorum ab ſpe impetrationis huius amouit. Vocauit deinde vnum è fratribus, & eum interrogauit quid eſſent tẽpore refectionis ſumpturi. Cumque reſpõſum eſſet, tantummodo ſextarium farinæ ad vſum haberi cunctorum, iuſſit fieri panes, dicens: Potens eſt Deus parare menſã in deſerto. Et cum feciſſet olera colligi, ipſe ſumens rete, & vnum ex diſcipulis ſuis cum fratribus, qui ſuperuenerant, iuit ad gurgitem dicens: videamus vtrum miſericors Dominus aliquos noſtris neceſſitatibus velit largiri piſciculos. Cumque peruenissent ad gurgitem, viderunt piſcẽ magnum in aquæ collectione natãtem, duoſque illum inſequi lutras, quaſi capere fugientem volentes. Immiſſo reti, captum eum traxerunt ad litus. Habebat autem in longitudine palmos duodecim, in latitudine quatuor. Quo facto, lutræ ſe profundis immergunt: impoſito rurſum re-

Abbatis Euſtachij obitus.

Fratres Hiberni.

Pſal.68.

exemplũ boni monachi.

Non vult eſſe Abbas Luxouienſis.

Capit ingentem piſcem.

ti, cum piſcatores ſancti piſcium latebras pulſando inquietarent, iteretò lutræ apparuerunt, piſcium tãtam multitudinem propellẽtes in rete, vt id ſua pluralitate per loca diſrumperent. Præda itaque ad littus perducta, vir diſcretione pleniſſimus, quoſdam piſces, adiuuantibus qui aderant, rurſus in aquam proiecit, & fratribus dixit: hodiè propter aduentum veſtrum mirabilem ſuæ largitatis euidentiam Dominus manifeſtare dignatus eſt. Illi è contrà meritis eius, quod factum fuerat imputantes, eo alacriter præeunte domum redierunt, & ecce iuxta introitum cellulæ vir vnus apparuit, ferens duos vtres vino plenos & ternos farinæ modios, ob ſuæ deuotionis indicium. Quibus cum gratiarum actione, ſuſceptis, cibum ſumpſerunt: & poſt corporis refectionem ſpiritalis colloquij dapibus animas ſuas paſcere ſtuduerunt. Detinuit autem eos B. Gallus aliquantis ſecum diebus, & charitatis intuitu omni humanitatis fouit obſequio. Narrauit quoque de communi patre B. videlicet Columbano, quod certa relatione didicerat. Deindè oſculo pacis oblato dimiſit eos: & illi benedictione tanti patris armat, ad ſua remearunt.

Vide diuinam prouidentiam.

Vt vir Sanctus apud Arbonam migrarit ad Dominum.

CAPVT XXVIII.

NEc multò poſt, cum iam bonorum omnium auctor & propagator Athletam ſuum de mundi agone, ſublatum, præmiorum laureis vellet perennibus adornare, *Vvillimarus* presbyter veniens ad cellam viri ſancti, rogauit eum, vt ſecum egrederetur ad caſtrum. Et vt obtineret quod voluit huiuſmodi voce flebili querimoniam ſubmiſſus explicuit: Cur inquiens! ô Pater, me, qui tuorum monitis dictorum innitor, quaſi deſpectũ dereliquiſti, & doctrinæ tuæ ſalutaribus inſtitutis auditorem fraudaſti beneuolum? Cui hanc obiectionem adſcribere poſſum, niſi peccatorum meorũ fœtoribus? Niſi enim vita mea tuo diſpliceret iudicio, amabili me ædificationis tuæ non priuares ſolatio. Nunc ergo noli nos pro peccatis noſtris abijcere, ſed Domini prouocatus mãdatis, viam veritatis deſiderantibus apeti, & ſolitæ nobis benignitatis munus impende.

Cum Vvillimaro presbytero proficiſcitur Arbonam.

Motus igitur hoc ſupplicantis alloquio pietatis amator, deſcendit cum illo, & venerunt in caſtrum. Vocata autem multitudine in die ſolenni, vir ſanctus prædicationis dulcedine auditorum corda refecit, & tanta, quæ dixerat, ſapientiæ luce reſtituit, vt ſumma omnium gratulatione auditus, & plena cunctorum veneratione ſit honoratus. Biduo itaque ibidem ducto, tertia die febre correptus, tantum in breui eius violentia depreſſus eſt, vt nec ad cellam redire, nec cibi ſuſtẽtaculum potuiſſet percipere. Cumque hac infirmitate per dies quatuordecim laboraſſet, die ſextodecimo menſis Octobris, id eſt, XVII. Calẽdas Nouembris, expletis nonaginta quinque annis ſuæ ætatis, in ſenectute bona, huius vitæ liberatus ergaſtulo, animam meritis plenam felicibus reddidit, bonis inhæſuram perennibus.

Admodũ grandæuus cecidit è vita

Anno, 1640.

Vt funeri eius Ioannes Epiſcopus interfuerit, didiceritque eum illic condi non debere.

CAP. XIX.

CVm igitur audiſſet Ioannes Conſtantienſis Eccleſiæ præſul, B. Gallum apud *Arbonam* infirmari aſcendens nauiculam, potuum & ciborum ea ſecum genera tulit, quæ infirmitate laboranti nouerat congruere: vt videlicet ſua viſitatione fidiſſimum refoueret amicum. Cumque portui propinquaret, audiuit in domo presbyteri planctum magnum circa funus viri Dei celebrari, & interrogauit quæ tanti eſſet cauſa ploratus. Audiens autem Gallum venerabilem firmiſſimum ſuæ familiaritatis cuſtodem, de huius ſeculi emigraſſe periculis, miſit ſe in aquam: (Neque enim poterat propter nimium dolorem ſuſtinere, donec nauicula litus attingeret) deſcendenſque cum his qui ſecum venerant, intrauit domum preſbyteri, lugubri voce & corporis geſtu mœrorem cordis inſinuans. Inuenit autem corpus viri ſancti inuolutum, & in loculo repoſitum: aperienſque ſarcophagum, & exanime amici cadauer inſpiciens, amariores cũ hac voce lachrymas dedit: Heu heu domo pater amate, heu doctor egregie, cur me de patris eductũ, in his periculis, quaſi orphanum dimiſiſti, & cõfidentiam meam, qua de tuis cõſilijs plurimum præſumebã, immatura morte rupiſti? Tibi quidem in perceptionem præmij, quod tam ardenter

Dolet eius obitum plurimum Epiſcopus Conſtantienſis.

ter deſiderabas, hęc tua mors eſt fructuoſa: nobis autem in tot mundalium perturbationum procellis laborantibus multipliciter eſt luctuoſa. Sed qui de vitæ corporalis interruptione dolemus, de animæ immortalis libertate gaudere debemus, certi quia orationibus non deſinas adiuuare; quos conſilio & exemplis roborare conſueueras. Inter hæc verba Presbyter eum, vt ſurgeret, monuit, & pro requie defuncti ambitioſiùs Dominum precaretur. Intrauerunt itaque Eccleſiam, & Epiſcopus pro chariſſimo ſalutares hoſtias immolauit amico. Finito autem fraternæ commemorationis obſequio, reſpiciens poſt tergum, vidit foſſam, in qua Sanctum corpus humare volebant. Acceptaque cruce, & his, quæ exequijs exhibentur, intrauerunt domum, volentes theſaurum precioſi corporis ad locum ſepulchri deducere. Cumque arcam, qua claudebatur cadauer feretro impoſitum, ad foſſam ſepulturæ conarentur deferre, nullis viribus vſquam potuit commoueri. Quod noui genus miraculi, dum mutuis mirando colloquijs retractarent, Ioannes Epiſcopus dixit: In veritate cognoſco hâc ſepulchri ſedem Patri meo Gallo non placere. Et iuſſit Presbytero, vt duos equos inueniret indomitos, & faceret introduci. Quod cùm factum eſſet, ſtrauerunt eos cum magno labore, & ad locum vbi corpus iacebat duxerunt: Et Epiſcopus cum clero huiuſmodi orationem dedit: Deus, qui per potentiam maieſtatis tuæ vbique totus es, pro cuius amore vir iſte reliquit patriam ſuam, vt præcepta tua conſeruaret: fac corpus eius ab his equis indomitis ferri in locum, quem tua voluntas meritis ipſius præuidit. Cumque finita eſſet oratio, cuncti, qui aderant, Amen, reſponderunt.

Epiſcopus Conſtantienſis pro eo ſalutares offert hoſtias.

...n poteſt ...ueri ...anime ...pus ...s.

Contractus quidam cùm induiſſet caligas ſancti viri, mox curatus eſt.

CAPVT XXX.

CONgruum videtur, in hoc loco retexere miraculum quod Dominus inter ſui Confeſſoris exequias exhibere dignatus eſt: quo liquidò cūctis oſtēderet ſeruum ſuum ſecum veraciter tunc viuere, dum carnis huius carcere liberatur. Erat ibi quidam mendicus tanta per omnes membrorum iuncturas debilitate contractus, vt penitus inter alias ſuæ infirmitatis moleſtias, inceſſu pedum careret. Huic, dum Presbyter indumenta viri Dei diſtribueret pauperibus, caligas eius cum calceamentis dedit. Statimque debilis pro accepto munere, ſummo repletus gaudio, vt ſacras cruribus & plantis aptauit exuuias per omnes artuū compages repente ſolutus eſt: & exiliens voce clamauit ingenti & gratias egit Domino, & B. Gallo, per cuius merita redditam ſibi videbat ſanitatem. Videns autem Epiſcopus & cuncti qui aderant ſanitatis huius miraculum, vnanimiter glorificauerunt Deum atque dixerunt: Manifeſta virtute dignatus eſt Dominus hodie gloriam ſerui ſui nobis oſtendere, dederunt itaque ei qui ſanatus fuerat ceteum, & proſecutus eſt funus cum cætero populo. Hoc primum ſignum poſt tranſitum eius Dominus ad memoriam illius declarauit.

Nota miraculum.

Ecce vſū cereorum in Eccleſia Dei.

De cilicio & catena ærea poſt eius obitum repertis.

CAP. XXXI.

INter eaſdem quoque Beati Paſtoris exequias aliud non mediocre ſanctitatis eius indicium apparuit. Habuit vir Dei capſellam de corio factam diligenter ſeratam, cuius clauem ſub tam vigili cuſtodia ipſe retinuit, vt nullus diſcipulorum eius, quandiu vixerat, quid intus ſeruaretur cognoſcere potuiſſet. Hanc autem ex ſuis humeris pēdentem ferre ſolebat, quocunque ambulauit. At vbi de vita migrauit, ſumpta claue aperuerunt capſellam, & inuenerunt in ea cilicium modicum, & catenam æream ſanguine adſperſam. Deinde corpus inſpiciētes Magiſtri inuenerunt locum catenæ, vbi ſæpius præcingi ſolebat, carnémque ipſam in locis quatuor profundiùs catena ſulcatam, adeo vt de eiſdem vulneribus cruor decurrens cilicium per loca perfuderit. Poſuerunt autem capſellam cum cilicio ad caput eius in feretrum, & deportauerunt cum corpore ad locum monumenti, & ſuſpenderunt hæc tria mortificationis eius indicia iuxta tumulum ad caput eius: per quę deinceps ad oſtēſionem meritorum ipſius, plurimas Dominus virtutes piè quærentibus exhibuit. Qua ex re intelligere poſſu-

Dura catena caſtigauit vir Sanctus corpus ſuum.

S. Gallus ſpiritualis martyr

mus, quia idem vir etſi à perſecutore ſanguinis effuſione non eſt immolatus, ſemetipſum tamen offerens Domino hoſtiam viuam in odorem ſuauitatis, & crucem ſuam tollens, quotidieque Saluatorem ſecutus, martyrij laborem & palmam confeſſor adeptus eſt.

Vt ab equis indomitis ſacrum corpus eius ad ſepulturæ locum magno miraculo perductum ſit.

CAP. XXXII.

Vide c. 13. vita Sancti Magni

POſtquam ſanctitas Venerandi Patris & miraculi magnitudine, & horum manifeſtatione ſignorum cunctis, qui funeris eius intererant negotijs, patenter oſtenſa eſt, Epiſcopus ad feretrum acceſſit, & ex vna parte illud ſubleuans, Preſbytero altrinſecùs ſubleuante, equis ſuperpoſuit, & adſtantibus dixit: Auferte frenos de capitibus eorum, vt libertate conceſſa, quò Dominus voluerit pergant. Accepta ergo cruce & candelis, Pſalmos & melodias concinentes, iter agere cœperunt. Equi autem in neutram partem declinantes, recto itinere perrexerunt ad cellam viri Dei. Quò cum perueniſſent, depoſitum eſt feretrum ante Oratorium. Diſcipuli autem eius, eleuantes pij Doctoris reliquias intulerunt, & ante altare poſuerunt. Deindè pariter cum Epiſcopo orationem pro illo facientes fecerunt foſſam ſepulchri inter parietẽ & altare, ibique precibus huic rei congruentibus præmiſſis, ſepelierũt eum: omnibuſque ritè conſummatis, multitudo, quæ ad tanti viri concurrit exequias, Epiſcopi benedictione communita, ad propria remeauit.

Præclarũ ſane miraculum.

Miraculoſa ſepultura eius.

Miraculum in cereis oſtenſum.

CAP. XXXIII.

DVm beati corporis theſaurum fœlix locus in pace ſuſcepiſſet, volens Dominus de morte famuli ſui mœrentibus conſolationis præbere medelam, nouitate miraculi patefecit, qua apud ſe claritate Spiritus fulgeret amici. Nam duo in caſtro cerei, dum corpus eius eleuaretur, accenſi, ita ardentes delati ſunt vſque ad locum ſepulturæ. Poſiti autem vnus ad caput, alter ad pedes, per triginta deinceps dies, mirabile dictu, non deficiendo ardebant, & ardendo non deficiebant. Et vt monſtraretur has durandi vires ceræ liquenti cœlitùs attributas, de huius miraculi materia plurimæ impoſterum virtutes emanârunt. Nam quicunque dentium fatigati doloribus, vel oculorum lippitudine, vel aurium præcluſione laborantes, de eiſdem cereis quippiam ceræ tulerunt, & locis quæ huiuſmodi tenebantur incommodis, aptauerunt, optatæ celeriter dona percepere ſalutis. Poſt hæc tanta virtus ad ſanandos varijs infirmitatibus oppreſſos apud Sepulchrum beati viri cunctis illuc venientibus, & orationum eius ſuffragia fideliter poſtulantibus apparuit, vt & fama tanti meriti cunctis, quæ circumpoſitę erant regionibus innoteſceret, & locus ipſe non mediocriter frequentaretur à populis.

Itẽ aliud valdè illuſtre miraculum.

Multa miracula ad ſepulcrum Sancti viri.

Quia, igitur, ô beatiſſimi Patres, vita & virtutes S. Galli, ſi in vnum compingantur librum, poſſunt ob ſui prolixitatem aliquod legẽti ingerere faſtidium: ſtatui duobus hoc opus libellis diſtinguere: vt prior illorum vitam eius & actus vſque ad ſepulturam illius veridica relatione perducat: ſequens, mirabilia, quæ poſtmodum pro meritis eius Dominus oſtendit: Primò videlicet ea, quæ priorum ad nos ſcripto perlata ſunt, retexat: Deinde, quæ à probatiſſimis teſtibus indicata, noſtra ætate à Goſberto chariſsimo Fratre literis mandata, ſubnectat: ne quod particulatim ſcriptum eſt, lacinioſa diuiſione diſiungatur: ſed potiùs quod iunctum eſt parilitate factorum, ſit etiam copulatum comprehenſione dictorum. Atque hic prioris libelli finis, quæ præmiſſa ſunt, terminet: & ſequenti, quæ reſtant, ſine præiudicio comprehendenda reſeruet.

Diuiſio.

Finis libri primi.

LIBER SECVNDVS.
QVI EST DE MIRACVLIS, QVÆ POST OBITVM S. GALLI DOMINVS ob ipſius merita dignatus eſt declarare.

VT HOSTES SEPVLCHRVM B. GALLI violarint, & quæ illos pœna conſecuta ſit.

CAPVT PRIMVM.

Hoc refer ca. 14. vita Sancti Magni.

MERITIS beatiſsimi Galli quotidie per miraculorum ſigna radiantibus & longè latéque circumpoſitorum aures famæ ſuæ dulcedine mulcētibus, cùm iam poſt tranſitum eius anni quadraginta fuiſſent euoluti, venit *Othuninus* partium earundem poteſtate præditus, cum exercitu magno, & ira intolerabili concitatus, deuaſtauit nō minimam partem pagi, qui ab interfluente fluuio * *Durgeuue* nominatur: *Conſtantienſe* quoque territorium, & *Arbonenſis* pagi confinia depopulari cœpit, & igni ſuccendere, viros quicunque inueniri potuerunt, gladio peremit: vxores & paruulos eorum in captiuitatem egit. Peculijs quoque & omni ſupellectili ſublata, fructus omnes, penitùs demoliri fecit. *Arbonenſes* itaque, huius terroris immanitate compulſi, cum omnibus, quæ habebant, fugerunt in ſolitudinem, & ad cellam viri Dei ſe contulerunt. Deindè facta in agro fouea abſconderunt ibi, quicquid habebāt, & foſſam terra cooperientes, ne ſecretum eorum deprehenderetur, lini ſemen deſuper inſperſerunt. Cumque iam *Arbonenſem* pagum hoſtes deſolauiſſent, veſtigia fugientium ſecuti, venerunt ad cellam Sancti Patris, & fugitiuos quos repererunt, vinctos abduxerūt, & iuuenes eorum in captiuitatem miſerunt. * Erchonaldus autem præfecti Vicarius, cum vicina ſolitudini inhabitaret loca, habuit res eiuſdem cellulæ notiſſimas. Is Oratorium ingreſſus, inuenit medicum quendam intùs ſedentem, quem benè nouerat, & dixit illi: Indica mihi, vbi iſti, quos tam nudos & miſeros inuenimus, veſtes habeant repoſitas & vtenſilia, aurumque & argentum, quorum copia hactenus fruebantur. Ille reſpondit: Nonne mihi melius eſt illorum denudare ſecreta, quàm veſtræ ſeueritatis iram incurrere? Si ita, inquit, egeris, eris in conſortio noſtro, & participio ſocietatis noſtræ gaudebis. Qua promiſſione perſuaſus, ſurrexit, & eum ad ſubterraneum duxit armarium. Quod cum idem Vicarius aperiri feciſſet, ſpecięs, quas inibi reperit, his qui ſecum erant, facta diuiſione, diſtribuit. His ita patratis, putantes paſſim tale quid occultari, diſcurrerunt, loca ſingula ſignis quibuſdam ſolicitè explorantes. Eiuſdem rei gratia Erchonaldus aſſumptis ſecum ſeptem pueris introiuit Oratorium. Cumque clauſis oſtijs pauimenti planitiem pulſarent, ob ſpem videlicet inueniendæ pecuniæ, vnus illorum poſt altare veniens, pauimentum percuſſit: & audiens à cauitate tumuli ſonitum reddi, Hîc eſt, inquit, quod oppidò deſideratis. Accurrentes igitur pollinctores infeſti, cœperunt fodere: & cum ad loculum perueniſſent, extulerunt illum, dicentes: Quia iſti *Rhetiani* calliditate naturali abundant, videamus ne quippiam ſub hac arca occulti remaneat. Huic ſacrilegio

Othunini ſæua crudelitas.

*for. * Turgoia.*

** al. Ervuinus.*

Vltio diuina in ſacrilegos.

inſeruientes, inuaſit eos horror immenſus. Qui in fugam conuerſi, dum oſtium oratorij ſinguli præoccupare niterentur, inſania agitati euaginatis gladijs inuicem ſe conciderunt. Erchonaldus verò, huius auctor ſceleris, timore cogente volens exilire per oſtiū, caput ſuper liminari illiſit, & ad terrā concidens, alienatus mente iacebat: Cumque à ſuis perduceretur ad propria, nimia infirmitate & nouis doloribus cœpit vrgeri. Toto itaque ipſius anni curriculo fortiſſimis maceratus moleſtijs, capillorum honore & cutis ſuperficie ſpoliatus, etiam digitorum vngues amiſit. Et vt omnibus lōngo tempore vltionis in eum diuinitus collatæ ſigna paterent, cunctis vitæ ſuæ diebus hac deformitate notabilis fuit.

** Boſo.*

*Vt * Buoſo Conſtantienſis Epiſcopus ſacrum B. Galli corpus repoſuerit.*

CAPVT. II.

Alij Boſonem dicūt cognominatum, vel Boſonem.

AVdiens *Conſtantienſis* Eccleſiæ præſul, nomine *Buoſo*, ſepulchrū beatiſſimi Galli violatum eſſe ab hoſtibus, nullumque remanſiſſe in cellula, præter duos fratres, *Magnoaldum* & *Theodorum*, qui ſacri corporis reliquias tumulo reſtituere potuiſſent, venit illuc cum clericis ſuis & inuenit cellulam deſolatam, ſancti patris corpus de ſepulchro eiectum, altaria nudata, duoſque fratres, qui remanſerant, ſpoliatos iacentes in oratorio, & magnitudinem calamitatis gemitibus & lachrymis proteſtantes. Et miſericordia motus cœpit eos conſolari multiplicibus verbis, illam replicans Pſalmiſtæ

Pſal. 117.

ſententiam, qua dicit *In tribulatione inuocaui Dominum, & exaudiuit me in latitudine. Dominus mihi adiutor non timebo quid faciat mihi homo.* His dictis ſumens loculum, in quo ſanctum corpus erat, poſuit ſuper terram inter parietem & altare, & deſuper, vt moris eſt, arcam altiorem cōſtruxit: foſſam verò terra repleuit. De ſuo quoque fratribus veſtimenta largitus eſt, & vnde alerentur diſponens, ad Epiſcopium remeauit.

Quæ pœna mulctati ſint oratorij S. Galli violatores.

CAPVT III.

POſt multum verò temporis miſit Pipinus maior domûs, exercitum copioſum ad deuaſtandam *Alemannorum* prouinciam, & iteratò *Francorum* ditioni ſubiugandam. Cūq; tota terra hoſtili contereretur incurſu, auidi prædones *Arbonenſem* pagum percurrentes ad cellam viri Dei venerunt, & quoſcunque ibidem inuenerūt, (nam multi illuc confugerant ſperantes in Dei miſericordia, & patrocinijs ſancti illius) duxere captiuos. Quinque autem ſupra memorati principis ſatellites ingreſſi oratorium, repererunt ibi quaſdam ancillas eiuſdem loci cum paruulis earum, & quæ eſſent, percontati ſunt. Quæ dum ſe de familia ipſius ſancti eſſe proclamarent, hoc à prædonibus audierunt: Exite, egredimini. Sāctum, quem dicitis, ignoramus. Et abduxerunt eas captiuas in *Franciam*. Eodem verò anno à malignis ſpiritibus arrepti, & amētes effecti, nudi circumquaq; diſcurrebāt: & vbicumque vrbes vel vicos ingreſſi ſunt, cruciatus ſui cauſas retexebant, dicentes: *Gallus Abbas nos habet ligatos*, & cum hac criminum miſera commemoratione ſuorum, vitam infœliciter ducentes, flebiliter finiuerunt.

Diuinitus puniuntur ſacri loci violatores.

Vt palla partim exuſta redintegrata ſit.

CAPVT IIII.

ALio tempore Diaconus quidam nomine *Stephanus*, dū in eiuſdem ſancti Patris Eccleſia cuſtodis fungeretur officio, quadam veſpera incenſam oratorio inferens candelam poſuit ſupra candelabrum iuxta beati viri ſepulchrum. Quę rectitudine ſtatus vrgens in partem ardens cecidit ſuper arcam ſepulchri. Cuius ardoris violentia vnam comprehendens pallam, vſque ad medietatem exuſſit, & ita reſtincta eſt, nihil lecto, nihil baculo, qui in eo pendebat, vel alijs linteaminibus ſuper ſepulchrum expanſis inferens læſionis. Qua ex re colligitur, ad declaratio-

Magnum miraculū.

declarationem virtutum beati viri potius, quam ad damnum rebus eius inferei dum, idem euenisſe incendium. Quia vt in ſequentibus apparet, pallam quã lenis flamma diminuit, virtus manifeſta reſtituit. Mane itaque facto, fratres oratorium ingreſſi, quid factum fuerat peruiderunt, & admiratione non minima ſunt perculſi. Tertia verò die cum ad matutinale conuenirent officium, inuenerunt in oratorio cereos ardentes, & duos iuuenes ſtantes, vnum ad caput, & alterum ad pedes, diſtẽdentes inter ſe pallam, quæ pridem fuerat ignis attacta vaporibus. Hoc viſo, timore nimio conterriti, cum celeritate egreſſi ad lectulos redierunt. Cumque ſe collocarent Eccleſiæ campanam inſonuit, & auditi ſunt duo chori, incredibili alternantium perſonarum dulcedine perſtrepentes. Igitur die illa nequaquam auſi ſunt oratorium introire. Die autem ſequenti ante oſtium eius vnanimiter conglobati, proſtrauerunt ſe in orationem: & cum ſurrexiſſent, cum magno timore intrantes, inuenerunt pallam, quam partim ignis abſumpſerat, ſuper lectum expanſum, ſicut prius expandi ſolebat, nulla imminutionis habentem indicia: ſed potius latitudinem vel longitudinem eius trium auctum eſſe magnitudine cubitorum. Huius perſpicuitate miraculi hilares facti benedixerunt Domino, qui tam manifeſtis gratiæ ſuæ virtutibus, ſerui ſui merita declarare dignatus eſt.

Campanam ultro genere.

Miraculum miſſæ auis & de multifarijs beati viri ſignis.

CAPVT V.

Miraculū de Aue.

IDem Stephanus dum quodam tempore, cum his, qui ſimul aderant, carnem ad percipiendum in cuiuſdam acceſſu ieiunij nō haberet, reſedit in cellula de eadem penuria cum cæteris locuturus. Dumque ſermone vario paupertatis ſolatia mutuò miniſtrarent, auis quædam ignotæ formæ cōſedit in limine. Vnus aſſidentium torrem de igne rapiens, alitē percuſſit. Cuius carnes dum ſuis vſibus præparaſſent incredibilem ſaporis dulcedinē in guſtu earū deprehenderunt: facientibus hoc vt credimus beati viri meritis, vt ſicut famuli eius in ſimilitudinem antiqui miraculi, quo populus Dei coturnicum carnibus in ſolitudine eſt refectus, alis incognita miſſa eſt: ita ſapor procuratæ cœlitus eſcæ, nouæ dulcedinis delectamētum haberet. Tāta autem eſt miraculorum copia, quæ Dominus apud tumulum eius diuerſis temporibus oſtendit, vt non facilè ſcribendi ſtudio comprehendi poſſit, ex quibus propter abundantiam multa, omittuntur: pauca verò & eminenti ora propter memoriam poſteris commendandam huic inſeruntur opuſculo. Præter mortuorum enim reſuſcitationem corpoream cæterarum infirmitatum remedia, crebertima inibi largitate à Domino præſtita ſunt, & præſtantur. Siquidem & dæmoniaci ibidem curati, & languentes ſunt recreati: aurium clauſtra reſerata, oculorum deterſæ caligines, mutorum excluſa ſilentia, paralyticorū eliminata defectio. Sed & quicumq; animæ vel corporis neceſſitate coactus, fide integra apud ſepulchrum beati Galli inſtantiam orationes exequitur, Domino confeſſoris ſui merita comprobante, precum ſuarum nullatenus fructu priuatur, verùm ſine tarditate diuinæ largitatis ſentiens dona, lætatur.

Exod. 16.

Innumera miracula ad tumulum S. Galli.

Vt donum S. Gallo deferendum, ab incendio ſeruatum ſit.

CAP. VI.

TEmporibus igitur *Carlomanni* Maioris domus, miraculū memoria dignum per merita ſancti patris effectum, huic operi inſerere vtile iudicamus. Vir quidam pauperculus in pago quodam, ex ſumma deuotione cum vxore ſua ad cellam beati Galli cauſa orationis properare diſpoſuit. Cuius intentione deuotionis, dum mulier pallulam, quam in loco ſancto oblatura erat, contextam parauiſſet, inuoluit eam formella ceræ, quam ſimul oblatum ire cogitabat, & in arca ſua inter alia veſtimenta repoſuit. Contigit autem dum ire pararent, domum illorum cum omnibus, quæ intra illam erant, rebus igne cremari. Cumque conſumptis omnibus, flamma ceſſante, ſopitum fuiſſet incendium, cœperunt inter fauillarum cumulos ferramentorum reliquias quæri-

tare. Et ecce inueniunt, mirum dictu, ceram pallula inuolutam inter cineres & carbones, nihilque in eis læſionis apparuit: Cum ipſam arcam, & quicquid aliud in illa repoſitum erat, penitus conſumpſiſſet incendium. Viſo igitur tantæ virtutis miraculo, benedixerunt Deo, & iter quod diſpoſuerunt, peregerunt. Et narrantes Fratribus quæ geſta fuerant, obtulerunt donarium, quod huic voto conſecratum, in ſupremis non poterat perire periculis. Seruatæ ſunt autem ibi eædem res in teſtimonium poſtfuturis vſque ad tempora Othmari Abbatis.

Haud vulgare miraculum.

Vt correctus ſit, qui caballum, quem vouerat, fraude retinuit.

CAP. VII.

Ægrotus nuncupat votum & reualeſcit

Neque illud ſilentio prętereundum videtur, quod in ſupradicto pago temporibus Pipini Regis contigiſſe refertur. Quidam vir nomine Vuillimarus graui infirmitate depreſſus, ſub voto promiſit ſe equum vnum duoſque boues, ſi priſtinæ reſtitueretur ſanitati, ad Eccleſiam Beati Galli donaturum. Cumque ex illa die confortaretur, & plenam recepiſſet ſoſpitatem contigit vt cum *Birthlone* Domino ſuo cauſa orationis ad cellulam Sancti viri eodem vectus equo, veniret. Igitur cum poſt orationem omnes illi, qui ſimul aduenerant digreſſi non longè eſſent ab Eccleſia, equus, quem ſponſor infidelis, poſtquam vouerat, fraude retinuit, repente ſubſtitit: & licet eum ſeſſor calcaribus vrgeret, ac verberibus fatigaret, nuſquam potuit commoueri. Videntes hoc qui aderant cœperunt inquirere huius miraculi cauſas. At ille confuſione digna correptus, prodidit reatum, & fraudem, quam in voto fecerat, confeſſus aperuit. Reuerſi autem omnes pariter, equum obtulerunt ad limen Eccleſiæ: & benedictione percepta, ad ſua ſine obſtaculo redierunt. In quo facto & diuina pietas & Sancti viri virtus apparuit, dum is qui per ſe reſipiſcere noluit, per correptionem ad correctionem peruenit.

Votifragus caſtigatur.

Vt cera ex furto oblata, in lapidem verſa ſit.

CAPVT VIII.

Illud quoque miraculum, quod quarto anno Carlomanni Regis in pago, cuius ſuprà mentionem fecimus, contigit, libet memoriæ commendare. Pauperculus quidam iuxta regiam poſſeſſionem, quæ *Rotunuuila* dicitur, commanens, dum ad cellam Sancti viri Galli pergere voluiſſet, nec haberet aliquid quod ob deuotionis indicium illuc deferre potuiſſet, diabolo ſuadenti conſentiens, atrium cuiuſdam diuitis irrupit, & aluear cum melle & apibus furtim auferens, intulit domui ſuæ. Apibus deinde extinctis, ceram cōfecit, & non multo poſt inter vicinos & amicos cum hoc furtiuo munere ad Eccleſiam Venerabilis Galli perrexit. Cumque ſinguli quod attulerant, obtuliſſent, is qui contra fas offerre voluit de rapina donarium, ceram reperit in lapidis duriſſimi rigorem mutatam. Ingenti itaque timore perculſus, vnū eorum, qui ſecùm venerant, reatum ſuum confeſſus eſt. Qui deinde cum cuſtodibus Eccleſiæ, quæ facta fuerant indicaret, fama huius miraculi mira celeritatę cunctis innotuit.

Ecce rem admiratione dignam.

Quæ deinceps ſcripturus ſit author.

CAPVT IX.

Deſcriptis his, quæ priſcorum ſolertia, de vita, fine, & virtutibus Beati Galli ad nōs vſque ſcripto tranſmiſit: hīnc ea ſtylo comprehendere tentabimus, quæ à fideliſſimis teſtibus indicata, à chariſſimo Fratre Goſberto literis ſunt mandata; in quibus primò, quomodò vel quando in Cœnobio B. Galli regularis vitæ inſtituta ſeruari cœpiſſent, liquidò declaratur. Deindè quibus miraculis eiuſdem Patris virtus cūctis effulſerit, probabiliter exponitur: Commemoratis pariter ſingulorum quæ introducuntur aſſertoribus, quæ idcircò nouis dictionum poſitionibus ordinare voluimus, vt cum Prioribus aliquam ſimilitudinem locutionis habeant, & breuitatis compendio

pendio ſuccincta, faſtidioſis lectoribus oneroſa non fiant. Si quidem nomina eorum, qui ſcribendorum teſtes ſunt vel fuerunt propter ſui barbariem, ne Latini ſermonis inficiant honorem, prætermittimus: ſcientes de veritate dictorum a fidelibus non eſſe dubitādum: quippè, qui norunt, nihil horum quæ referimus, Deo impoſſibile eſſe, in quo fit, quicquid per Sanctos mirabiliter & laudabiliter fit. Sed & ſi quis earundem rerum teſtes noſſe deſiderat, in conſcriptione quam ſequimur, poterit inuenire. Inſerimus quoque huic operi nonnulla, quæ non ſcripturæ teſtimonio, ſed veracium virorum relatione didicimus. In quibus omnibus quantum ad nos attinet, veritatis lineam ſeruare ſtudebimus, neque per amorem falſi aliquid de noſtro inſerentes, neque per inuidiam, veri quippiam ex voto celantes. Et quia nos ſcripta vel dicta ſequimur aliorum, ad illos veritas rerum, ad nos pertinet abbreuiatio dictionum, & adunatio rationum.

Vt cellam beati Galli Pipinus Othmaro cum priuilegio & donis commendarit.

CAP. X.

POſt venerandi Patris, B. videlicet Galli confeſſoris Chriſti glorioſam depoſitionem, quotidianas excubias apud ſacri corporis eius reliquias quidā religioſi clerici, vel diſcipulatus eius memoria vel diuino amore ſuccenſi, per multa annorum curricula, ſcilicet quaſi à temporibus Dagoberti Regis, vſque ad Carolum patrem Carlomanni & Pipini, ad laudem Chriſti adminiſtrabant. Igitur cum fama virtutum, quas Dominus per confeſſoris ſui merita piè quærentibus exhibere dignatus eſt, longè latéque circumpoſitorum mulceret aures populorum, cœperunt vndique alacri deuotione, ad tanti Patris ſuffragia poſtulanda concurrere, eundemque locum ob ſuæ diuturnitatem memoriæ multiplicibus ſubſtantiæ & poſſeſſionum amplificare donarijs. Cumque res hac largitate fidelium collatæ, aliquantulæ monachorum congregationi viderentur ſuppetere potuiſſe, *Vvaldramnus* quidam, ad cuius paternam

Homines pijs multa largiuntur S. Galli Monaſterio.

Suppetere pro ſufficere.

poſſeſſionem termini vaſtæ ſolitudinis, in quibus vir Dei cellam conſtruxerat pertinere videbantur, videns res collatas à quibuſdā præſumptoribus inordinatè tractari, religioſum quendam Presbyterum, *Othmarum* nomine, cui ſummam earundem committeret rerum à *victore* tunc *Curienſium* comite impetrauit, & ei cellulam cum omnibus ad eam pertinentibus commendauit. Poſtmodum conſilio cuiuſdam ducis nomine *Nebi*, perſuaſus ad præfatum principem Carolum cum eodem duce properauit, ipſique eandem cellam proprietatis iure contradidit. Et vt *Othmarum* Presbyterum eidem loco præficeret, exorauit. Annuens petitioni eius princeps Othmaro, ad præſentiam ſuam vocato locum commendauit, & vt regularem inibi vitam inſtituere ſtuderet, præcepit. Qui regreſſus arripuit ſtatim boni paſtoris initia, & vndique verſum habitacula Monachorū vſibus congrua, diſpoſitè conſtruens, eiuſdem ſancti ſtatum loci vtilitatibus diuerſis aptauit. Sed cum iam dictus princeps temporaliter regnandi & viuendi finem feciſſet duobus filijs *Carlomanno & Pipino* adminiſtrationē regni reliquit. *Carlomannus* itaque paucorum decurſibus euolutis annorum ob amorem regni cœleſtis ſecularis gloriæ pompam depoſuit: & cum cauſa quietioris vitæ Romam tenderet in viciniam ſupradicti loci deueniens, ad idem Monaſterium cauſa orationis acceſſit, audienſque aſſiduis ſignorum virtutibus eundem locum pro beati viri meritis à Domino illuſtrari, dixiſſe fertur: tenuis quidem hic locus eſt facultate, ſed pro meritis B. Galli, celebri diffamatus rumore. Cumque vellet ibidem degentibus aliquod ſuæ largitatis conferre ſolatium, ſed retractaret, à negotijs ſe regni diſiunctum explere nō potuiſſe, quod voluit, fratri reſcripſit, vt ſui amoris intuitu eidem Monaſterio aliquod regiæ largitatis ſolatium dignaretur impendere. Cum igitur ab *Othmaro* Abbate præſentatam *Pipinus* princeps accepiſſet epiſtolā, annuens petitioni fraternæ, libellum, quem Benedictus Pater de cœnobitarum conuerſatione compoſuerat, eidem Abbati tradidit, & alia regiæ dignitatis impertiens dona, id ei ſub omni diligentia iniunxit, vt in loco ſibi commendato, ad ſupplendas B. Galli excubias, regularis ordinem inſtitueret vitæ. Atque vt melius

Victor Curienſium comes.

S Galli cœnobium monaſtico inſtituto accommodatur.

Regulam S. Benedicti diſcit.

Pp.

bus circa matutinum officium puella cum duobus viris totidemque puellis Eccleſiam B. Stephani protomartyris introiuit, & ſecedens poſt ianuas templi, exuit ſe veſtimentis regalibus, & habitum propoſiti ſanctioris aſſumpſit, neſcientibus hoc viris, qui pariter cum illa aduenerunt. Depoſito ergò terrenæ dignitatis amictu, ſanctimoniæ nitorem cum quodam ſui ſecuta contemptu acceſſit ad altare, & in faciem proruens Dominum ſtudioſius adorauit: ac deindè cum ſe erigeret, cornu comprehendit altaris, & huiuſmodi voces emiſit: Beate Stephane, qui ſanguine tuo teſtimonium Chriſto perhibuiſti, deprecationem meam tuis meritis Domino cōmendato, vt tua interceſſione hodie cor Domini mei regis conuertat ſecundum voluntatē meā, ne velamen, quod amore Dei ſuſcepi, auferat de capite meo. Viri ergò, qui erant cum illa, hęc videntes, venerunt ad Regem, & nuntiauerunt ei, quæ facta fuerant. Et ille aduocans ſacerdotes, & quoſdam principes ſuos, cœpit inquirere ab eis, quid ſuper hac re faciendum cenſerent. *Cyprianus Arelaenſis* regi reſpondit: Quia vt liquidò claret: puella hæc cum à dæmonio erueretur, hoc ſe voto quod perfeciſſe videtur, conſtrinxit, cauendum tibi eſt, ne fortè ſi irritum feceris votum eius, rediuiuo dæmonum cōprimatur incurſu, & ſint illi nouiſſima peiora prioribus, tu verò tāti criminis reatum incurras. Rex ergo iuſtitię tenax, & timore Domini plenus, huic conſilio deuotæ mentis pandit aſſenſum, & ingreſſus Eccleſiam, fecit afferri veſtem nuptijs præparatam, & coronam ſponſæ nitoribus imponendam. His allatis, dum puellam ad ſe iuſſiſſet accedere, ſponſa Dei iam agni comitatibus hærens, auelli non potuit ab altari: quia ſe timebat de Eccleſia protrahendam. Cumque inſtantius aræ cornibus inhæreret, Rex eam, ne timeret admonuit: hodiè, inquiens, per omnia tuæ voluntatis videbis effectum. Porrò illa inter ſpem & metum poſita, caput ſuper altare reclinans. Ecce, ait, ancilla Domini, fiat mihi ſecundum voluntatem eius. Rex verò iuſſit & ſacerdotibus vt eleuarēt eā & ad ſe perducerent. Quo facto, induta eſt, illo iubente, veſte regali, & ſacro velamine coronata. Intuitus autem eam Rex Religioſus, dixit illi: Ecce meis te nuptijs præparatam, ſponſi cœleſtis Domini noſtri videlicet Ieſu Chriſti cedo complexibus. Et dexteram eius comprehendens, poſuit in altari, deindè Eccleſiæ limen excedens, lachrymis abſconditum patefecit amorem. Poſt hæc vocauit eam, & iuxta ſe fecit in palatio reſidere, & donis ingētibus honoratam, prætulit Monaſterio ancillarum Dei, quod in honore Beati Petri principis Apoſtolorum conſtructum eſt in *Meterſium* ciuitate, vbi geſta ſunt vniuerſa, quæ proximâ narratione retulimus. In his autem omnibus perficiendis ſecuta eſt puella conſilium beatiſſimi Galli, qui eam Domino auxiliante à dæmonio liberauit.

Inſigne exemplū pudicitiæ & contēptionis huius mundi.

Religioſi regis præclarum exemplū.

Aduertās hæc qui Chriſto ſacratas virgines hortantur ad nuptias.

Quantum ex Beati Galli doctrina & exemplis, Ioannes Diaconus triennio profecerit.

CAP. XXII.

Per idem tempus *Ioannes Diaconus* perſeuerans apud venerandum patrem, prudentiam, quæ in eo cœlitus abundabat, ſtudio ſitienti potauit, in abſolutione duntaxat difficilium ſcripturæ diuinæ quæſtionum, & intemeratæ fidei ratione. Operis quoque quotidiani, quod idem egregius Apoſtolicæ diſtrictionis imitator, ſedula accelerarat inſtantia, non ſolum dilexit ſcientiam, verumetiam comprehendit. Gratia enim illuſtratus diuina, quicquid vel viſu vel auditu percepit, altæ memoriæ; & vt ita dixerim, armario cordis celer inſeruit: & ſub huius magiſterij diſciplina, cum omni māſuetudinis & humilitatis cuſtodia triennium duxit.

Ioannes Diaconus quantum profecerit apud S. Gallum.

Vt S. Gallus Epiſcopatum Conſtantienſem recuſarit.

CAP. XXIII.

Poſt hæc Dux ſæpe iam dictus per Epiſtolam ſuam virum Dei rogauit, vt ad *Conſtantiam* oppidum perueniret ad eligēdum, qui eidem ſedi præficeretur, antiſtitem. Aduocauit autem *Auguſtudunenſem* & *Virdunenſem* Epiſcopos, cum multitudine clericorum. * *Nemidone* etiam, quæ à modernis *Spira* vocatur, venire fecit Epiſcopum: necnon per nuncios & epiſtolas ſuas, totius

for. * *Nemetū.*

tius Alemanniæ Presbyteros, Diaconos, vniuerſaſque Clericorum copias, generaliter die denominata, id eſt, proxima Paſchæ Dominica, apud *Conſtantiam* conuenire præcepit. Ipſe quoque cum Principibus & Comitibus ſuis huic intererat conuentui. Cumque hæc ſynodus tantæ multitudinis celebraretur acceſſu, & trium dierum ſpatio denunciaretur futura, Beatiſſimus Gallus diuino conſilio plenus, aſſumptis *Ioanne & Magnoaldo*, Diaconatus officio ſublimatis, perrexit ad oppidum, ingreſſóque eo locum conſilij, Dux huiuſmodi verba profudit: Deus omnipotens, cuius prouidentia totum corpus Eccleſiæ augmentatur & regitur, per interuentionem & meritum B. Mariæ ſemper Virginis, in cuius honore locus iſte conſecratus eſt, effundat hodie ſuper nos Spiritum Sanctũ, ad eligendum Pontificem, qui ad regendam plebem fidelium ſit idoneus: & ad gubernandam Eccleſiam Dei, Paſtorali ſit diligentia plenus. Admonuit deinde Pontifices & omnem clerum, vt iuxta ſaluberrima canonum decreta, rectorem Eccleſiæ prouiderent. Cœperunt autem omnes Clerici ad inuicem dicere: Gallus iſte teſtimonium habet bonum ab omnibus, qui eius vitam nouerũt. In ſcripturis diuinis ſcientiæ culmen obtinuit, & in omni vitæ honeſtate ſapientiæ luce refulget: iuſtitiæ autem vitæ caſtitatem corporis ſociauit, manſuetudinem cum humilitate poſſidet: continentiæ verò ſalutari patientiam iunxit. Largitor eſt eleemoſynarum, orphanorum pater, in viduarum ſolatijs alacer. Hunc omnium ſectatorẽ virtutum, decet eſſe paſtorem populorum. His auditis, Dux dixit ad illum: Audis quid illi loquuntur & affirmant? Sanctus Pater reſpondit: Benè quidem dicunt: vtinam verum eſſet, quod fatentur. Cum autem inuicem talia tractant, neſciũt in canonibus eſſe prohibitum, ne aliqui de locis ſuis commigrantes, alijs facile ordinentur in locis. Eſt verò mecum Diaconus quidam nomine Ioannes, vicinorum indigena locorum, cui meritò teſtimonium, quod iſti mihi dederunt aptari poteſt. Hunc diuino credens electum iudicio, vobis offero promouendum.

Dux hortatur Epiſcopos & Clerũ, vt iuxta Canonum Decreta eligant Antiſtitẽ.

S. Gallus electionẽ ſui transfert in alium.

Vt Ioannes Diaconus creatus ſit Epiſcopus Conſtantienſis.

CAP. XXIIII.

Cumque hac atteſtatione vir Sanctiſſimus in *Ioannem* cunctorum concitaret amorem (neque enim aliud de eo credere poterant, quàm quod vir Deo charus aſſeruit) Dux Diaconum venire fecit in medium: Tu es, inquiens, *Ioannes Diaconus*? Et reſpondit: Ego planè. Vnde, ait, ducis propaginem generis? & dixit. In *Rhetia Carienſi* mediocri natalium dignitate ſum procreatus. Dux verò ad illum: poteſ-ne, inquit, Pontificalis Inſulæ pondus ſubire? Tunc venerabilis Gallus ſe pro filio reſponſurum promiſit. Et dum hæc mutuo ſermonum commercio pertractarent, ſubtraxit ſe Diaconus, & fugiens latibulum quæſiuit in Eccleſia S. Stephani proto-martyris, quæ eſt extra oppidum. Secuti ſunt Sacerdotes cum plebe, & apprehenſum lachrymis perfuſum fœlicibus licet renitentem in præſentiam Pontificum pertraxerunt, & Ducis: & leuauerunt omnes pariter vocem, dicentes: *Ioannem* eligit ſibi Dominus Pontificem hodie, & reſpondit omnis populus, Amen. Epiſcopi itaque duxerũt eum ad altare, & ſolemni benedictionis officio ordinauerunt Antiſtitem. Cõſummatóque ſacræ promotionis miniſterio, rogauerunt eum ſacrificij ſalutaris celebrare myſteria. Præmiſſis ergo ex more diuinæ libationis initijs, poſt lectionem Euangelij rogauerunt venerabilem Gallũ, vt multitudini, quæ aderat, verbi officio Sacræ inſtructionis pabulum miniſtraret. Qui aſſumpto *Ioanne* Epiſcopo gradum aſcendit, eo videlicet pacto vt ipſe quidem ædificationis inſtrumenta colligeret, Epiſcopus verò ad vtilitatem barbarorum benè prolata interpretando transfunderet. Cœpit ergò verbum facere de initio creaturarum, & Adæ peccatum pro quo depulſus eſt de Paradiſo, commemorare. Tranſiens inde ad diluuiũ, Patriarcharum conſequẽter tempora, perſtrinxit & actus. Egreſſum quoque filiorum Iſraël de Ægypto, & tranſitum per mare rubrum, legiſque lationem per Moyſen & cœleſtis alimenti

Ioannes Diaconus abſcondit ſe, ne fiat Epiſcopus.

Creatur tamen.

Vide c. 10. vitæ S. Magni.

Hãc orationẽ vide infrà, ſub finem operis.

miracula replicauit. Regum deinde ſucceſſiones & tempora Prophetarum breuiter attingens. Aduentûs Dominici tempus retexuit. Baptiſmum etiam Saluatoris & mirabilium eius gloriam cõmemorans, Crucis ignominiam cum impijs inſectationum generibus veraci relatione ſubiunxit. Hæc audientes Eccleſiæ Paſtores cum populi multitudine lachrymas fuderunt vberrimas, & ad inuicem dixerunt: Verè Spiritus Sanctus locutus eſt hodie per os viri iſtius. Ille verò prædicationem perduxit vſque ad Reſurrectionem Chriſti, & in commemoratione generalis iudicij terminauit. Omnes ergo qui aderant, alacri mentis exultatione repleti, benedicebant Dominum, & ad ſua cum gaudio remeabant. Doctor itaque venerabilis manens apud *Ioannem* Epiſcopum ſeptem diebus, inter multa ſalutiferæ conſolationis verba hæc ſæpius inculcauit: Quem Deus elegit homo non deſpiciet: ſed erit omnium veneratione ſublimis, quem diuinum commendat iudicium. Deinde accepta ab eo benedictione, reuerſus eſt ad cellulã ſuam. Epiſcopus autem iuſſit his, qui rebus Epiſcopij præerant vt ad virum Dei cum ſibi ſubiectis venirent, & eius obtemperarent iuſſioni. Poſt hæc tanto ſtudio charitas mutua ſeruabatur vtrinque, vt ſpiritalis glutino clientelæ ſibi ſemper cohærentes, ſolo corpore viderentur diuiſi. Magiſter paterna ſolicitudine, precibus & conſilio ſalutari Matheten refouebat: ille vero paterno honore & omni neceſſitatum ſubſidio Didaſcalum ſubleuabat. Sicque ſacra piorum ſocietas aucto creſcebat honore, & multiplicato commendabatur amore.

S. Gallus redijt ad Cellam ſuam.

Mathetes Diſcipul⁹ Didaſcalus, Præceptor.

Vt mortem S. Columbani Sanctus Gallus & reuelatione & ex nuncijs cognouerit.

CAP. XXV.

Huc refer c. 11. & 12 vita S. Magni.

S. Gallus condit Monaſteriũ.

TEmpore ſubſequenti cœpit virtutum cultor eximius Oratorium conſtruere, manſiunculis per gyrum diſpoſitis ad commanendum Fratribus, quorum iam duodecim Monaſtici ſanctitate propoſiti roboratos, doctrina & exemplis ad æternorum deſideria concitauit. Quadam itaque die, dum poſt laborem matutinalis officij quieſcendi gratia lectos ſuos reuiſerent, primo diluculo vir Dei vocauit *Magnoaldum* Diaconum ſuum, dicens illi: Inſtrue ſacræ oblationis miniſterium, vt poſſim diuina ſine dilatione celebrare myſteria. Et ille, num, inquit, tu Pater Miſſam celebrabis? Dixit ergò ad illum: poſt huius Vigilias noctis cognoui per viſionem Dominum & Patrem meũ Columbanum de huius vitæ anguſtijs hodie ad Paradiſi gaudia commigraſſe. Pro cuius itaque requie ſacrificium ſalutis debeo immolare. Et ſigno pulſato, oratorium ingreſſi, proſtrauerunt ſe in orationem, & cœperũt Miſſas agere, & precibus inſiſtere pro commemoratione B. Columbani. Finito ſacræ deuotionis Officio, Venerabilis Gallus dixit ad *Magnoaldum* Diaconum: Fili non tibi graue videatur petitionis meæ pondus: ſed arripe viam & Italiam petito, pertranſiénſque vſque ad Monaſterium, quod *Bobium* nominatur, diligenter perquirito, quid actum ſit circa Abbatem meum. Nota ergo diem & horam vt ſi eum compereris eſſe defunctum, poſsis agnoſcere, vtrum viſio mea veritatis fulciatur effectu. Hæc ergo omnia ſolicita inueſtigatione, perdiſcens regreſſus nunciabis mihi. Diaconus ad pedes Magiſtri prouolutus, ignotũ ſibi iter eſſe cõqueſt⁹ eſt: ſed vir beatus voce blanda eũ, ne timeret, admonuit. Perge, inquiens, & Dominus diriget greſſus tuos. Hac conſolatione roboratus pij Doctoris alumnus, præcepto paruit, & accepto benedictionis viatico, viam feſtinanter aggreſſus eſt. Cumque perueniſſet ad Monaſterium, vt volebat, inuenit omnia ita contigiſſe ſicut patri ſuo per viſionem fuerant reuelata. Manſit autem ibi vna nocte, & accepit à Fratribus Epiſtolam ad Beatum Gallum, continentem venerandi tranſitum Columbani. Qui & baculum ipſius, quem vulgò *Cambotam* vocant, per manum Diaconi tranſmiſerunt, dicentes S. Abbatem ante tranſitum ſuum iuſſiſſe, vt per hoc notiſſimum pignus Gallus abſolueretur. Dimiſſus autem ab illis, iter accelerauit, & proſperè in omnibus agens, die octaua peruenit ad Dominum ſuum & Patrem, ferens Epiſtolam relationis, & abſolutionis indicium. Lecta Epiſtola, Sanctus Gallus chariſſimi Patris amorẽ pleno retinens

S. Gallus Miſſam celebrat.

Deceſſus S. Columbani reuelatur S. Gallo.

Bobium Monaſterium S. Colũbani.

Baculus, ſignum, abſolutionis S. Galli.

retinens corde, lachrymas profudit vberrimas & collectis fratribus, cauſas mœroris aperuit. Deindè tanti patris memoriam precibus factis & ſacrificijs ſalutaribus frequentarunt.

Miraculum tabulæ cuiuſdam incremento declaratum.

CAPVT XXVI.

Contigit autem quadã die, dum in conſtruendo oratorio cum fratribus laboraret, vt tabula quædã parieti imponenda, breuior cæteris mẽſura palmorum quatuor appareret. Quam dum eiuſdem operis artifices vellent abijcere, beatus Gallus virtutis, quam in Domino habebat, ſibi conſcius, iuſſit eos ab opere diſiungere, & domum ad percipiendam ſecum refectionẽ, quam Dominus præparauit, intrarẽ. Quibus ſecundum iuſſionem eius facientibus, benedictum panẽ manu ſua porrexit. Poſt prandium autem cum omnes opus repeterent imperfectum, inuenerunt tabulam, quam propter ſui breuitatem pridem abijcere voluerunt, cæteris omnibus longiorẽ menſura dimidij pedis: & admiratione de eo, quod euenerat, habita, lignũ quod mirabili creuerat modo in loco ſuo parieti aptauerunt. Quod ipſum lõgo deinceps tẽpore à fidelibus expetitũ, Domino faciente, dentium doloribus efficaciter medebatur, præter antiqui commemorationem miraculi, nouis ſemper effectibus honorãdum. In quo facto meritorum eius magnitudinem, & orationis poſſumus penſare virtutem: quia & lignum aridum contra naturam incrementis auctum eſt, & ne vetus aboleretur miraculum, rediuiua ſignorum atteſtatione ſemper eſt repetitum.

Aſſer S. Galli precibus ditus, fit longior.

Nota hæc miracula.

Sanctus Gallus non vult eſſe Abbas Luxouienſis, & de piſcibus alijſque rebus, quibus Fratres refecit.

CAPVT XXVII.

Poſt hæc Abbas Monaſterij, quod Luxouium dicitur, nomine Euſtachius, quem bonæ memoriæ Columbanus eidem loco præfecit, ab huius exilio vitæ ad ſupernam patriam cõmigrauit. Fratres ergo in eodem cœnobio conſtituti, conſilium inierunt vt venerabilem Gallum reuocarent, & eius regimini ſe ſubdendo contraderent. Miſerunt itaque ſex Fratres ex his, qui ab Hibernia venerunt, qui Epiſtolam ferrent continentem cauſas eiuſdem legationis. Igitur illi recto itinere cum ad viri Dei cellam peruenissent, nuntiati aduenisse, ducti ſunt ad orationem. Qua expleta, domum ingreſſi porrexerũt epiſtolã. Quam vt vir Dei ſanctus perlegit, dixit illis: Ego quidem (ô fratres verba prophetæ cupiens imitari dicentis, extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ: deſerui notos meos & propinquos, & vt liberius Domino poſſem vacare, ſolitudinis elegi ſecreta: vtque parentum, & prædiorum dimiſſionem prætercam, Epiſcopatus honorem & diuitias mundi ſuſcipere non conſenſi. Et quo pacto poſt hanc renunciationem & voluntariam paupertatem, ſeculi implicabor negotijs, exaltabor honoribus, ponderibus aggrauabor? Abſit, inquam, vt qui manum in aratrum miſi, oculos ad relicta retorqueam, & ſicut canis reuertar ad vomitum. Scitis ipſi, me inter vos poſitum humilitati ſemper dediſſe operam & ſubiectioni, & quomodo creditis ad tanti culminis me prouocari poſſe faſtigium? Innouate conſilia, alioſum vos vertite: mihi quod animo ſemel infixum eſt, Dominus immutari non ſinet. His & ſimilibus verbis animos eorum ab ſpe impetrationis huius amouit. Vocauit deindè vnum è fratribus, & eum interrogauit quid eſſent tẽpore refectionis ſumpturi. Cumque reſpõſum eſſet, tantummodo ſextarium farinæ ad vſum haberi cunctorum, iuſſit fieri panes, dicens: Potens eſt Deus parare menſã in deſerto. Et cum feciſſet olera colligi, ipſe ſumens rete, & vnum ex diſcipulis ſuis cum fratribus, qui ſuperuenerant, iuit ad gurgitem dicens: videamus vtrum miſericors Dominus aliquos noſtris neceſſitatibus velit largiri piſciculos. Cumque peruenissent ad gurgitem, viderunt piſcẽ magnum in aquæ collectione natãtem, duoſque illum inſequi lutras, quaſi capere fugientem volentes. Immiſſo reti, captum eum traxerunt ad litus. Habebat autem in longitudine palmos duodecim, in latitudine quatuor. Quo facto, lutræ ſe profundis immergunt: impoſito rurſum re-

Abbatis Euſtachij obitus.

Fratres Hiberni.

Pſal. 68.

exemplũ boni monachi.

Non vult eſſe Abbas Luxouienſis.

Capit ingentem piſcem.

ter deſiderabas, hęc tua mors eſt fructuoſa: nobis autem in tot mundalium perturbationum procellis laborantibus multipliciter eſt luctuoſa. Sed qui de vitæ corporalis interruptione dolemus, de animæ immortalis libertate gaudere debemus, certi quia orationibus non deſinas adiuuare; quos conſilio & exemplis roborare conſueueras. Inter hæc verba Presbyter eum, vt ſurgeret, monuit, & pro requie defuncti ambitioſiùs Dominum precaretur. Intrauerunt itaque Eccleſiam, & Epiſcopus pro chariſſimo ſalutares hoſtias immolauit amico. Finito autem fraternæ commemorationis obſequio, reſpiciens poſt tergum, vidit foſſam, in qua Sanctum corpus humare volebant. Acceptaque cruce, & his, quæ exequijs exhibentur, intrauerunt domum, volentes theſaurum precioſi corporis ad locum ſepulchri deducere. Cumque arcam, qua claudebatur cadauer feretro impoſitum, ad foſſam ſepulturæ conarentur deferre, nullis viribus vſquam potuit commoueri. Quod noui genus miraculi, dum mutuis mirando colloquijs retractarent, Ioannes Epiſcopus dixit: In veritate cognoſco hâc ſepulchri ſedem Patri meo Gallo non placere. Et iuſſit Presbytero, vt duos equos inueniret indomitos, & faceret introduci. Quod cùm factum eſſet, ſtrauerunt eos cum magno labore, & ad locum vbi corpus iacebat duxerunt: Et Epiſcopus cum clero huiuſmodi orationem dedit: Deus, qui per potentiam maieſtatis tuæ vbique totus es, pro cuius amore vir iſte reliquit patriam ſuam, vt præcepta tua conſeruaret: fac corpus eius ab his equis indomitis ferri in locum, quem tua voluntas meritis ipſius præuidit. Cumque finita eſſet oratio, cuncti, qui aderant, Amen, reſponderunt.

Epiſcopus Conſtantienſis pro eo ſalutares offert hoſtias.

[illegible]

Contractus quidam cùm induiſſet caligas ſancti viri, mox curatus eſt.

CAPVT XXX.

Congruum videtur, in hoc loco retexere miraculum quod Dominus inter ſui Confeſſoris exequias exhibere dignatus eſt: quo liquidò cũctis oſtẽderet ſeruum ſuum ſecum veraciter tunc viuere, dum carnis huius carcere liberatur. Erat ibi quidam mendicus tanta per omnes membrorum iuncturas debilitate contractus, vt penitus inter alias ſuæ infirmitatis moleſtias, inceſſu pedum careret. Huic, dum Presbyter indumenta viri Dei diſtribueret pauperibus, caligas eius cum calceamentis dedit. Statimque debilis pro accepto munere, ſummo repletus gaudio, vt ſactas cruribus & plantis aptauit exuuias per omnes artuũ compages repente ſolutus eſt: & exiliens voce clamauit ingenti & gratias egit Domino, & B. Gallo, per cuius merita redditam ſibi videbat ſanitatem. Videns autem Epiſcopus & cuncti qui aderant ſanitatis huius miraculum, vnanimiter glorificauerunt Deum atque dixerunt: Manifeſta virtute dignatus eſt Dominus hodie gloriam ſerui ſui nobis oſtendere, dederunt itaque ei qui ſanatus fuerat cereum, & proſecutus eſt funus cum cætero populo. Hoc primum ſignum poſt tranſitum eius Dominus ad memoriam illius declarauit.

Nota miraculum.

Ecce vſũ cereorum in Eccleſiâ Dei.

De cilicio & catena ærea poſt eius obitum repertis.

CAP. XXXI.

Inter eaſdem quoque Beati Paſtoris exequias aliud non mediocre ſanctitatis eius indicium apparuit. Habuit vir Dei capſellam de corio factam diligenter ſeratam, cuius clauem ſub tam vigili cuſtodia ipſe retinuit, vt nullus diſcipulorum eius, quandiu vixerat, quid intus ſeruaretur cognoſcere potuiſſet. Hanc autem ex ſuis humeris pẽdentem ferre ſolebat, quocunque ambulauit. At vbi de vita migrauit, ſumpta claue aperuerunt capſellam, & inuenerunt in ea cilicium modicum, & catenam æream ſanguine adſperſam. Deinde corpus inſpiciẽtes Magiſtri inuenerunt locum catenæ, vbi ſæpius præcingi ſolebat, carnémque ipſam in locis quatuor profundiùs catena ſulcatam, adeo vt de eiſdem vulneribus cruor decurrens cilicium per loca perfuderit. Poſuerunt autem capſellam cum cilicio ad caput eius in feretrum, & deportauerunt cum corpore ad locum monumenti, & ſuſpenderunt hæc tria mortificationis eius indicia iuxta tumulum ad caput eius: per quę deinceps ad oſtẽſionem meritorum ipſius, plurimas Dominus virtutes piè quærentibus exhibuit. Qua ex re intelligere poſſu-

Dura catena caſtigauit vir Sanctus corpus ſuum.

S. Gallus ſpiritualis martyr mus, quia idem vir etſi à perſecutore ſanguinis effuſione non eſt immolatus, ſemetipſum tamen offerens Domino hoſtiam viuam in odorem ſuauitatis, & crucem ſuam tollens, quotidieque Saluatorem ſecutus, martyrij laborem & palmam confeſſor adeptus eſt.

Vt ab equis indomitis ſacrum corpus eius ad ſepulturæ locum magno miraculo perductum ſit.

CAP. XXXII.

Vide c.13. vita Sancti Magni POſtquam ſanctitas Venerandi Patris & miraculi magnitudine, & horum manifeſtatione ſignorum cunctis, qui funeris eius intererant negotijs, patenter oſtenſa eſt, Epiſcopus ad feretrum acceſſit, & ex vna parte illud ſubleuans, Presbytero altrinſecùs ſubleuante, *Præclarū ſane miraculum.* equis ſuperpoſuit, & adſtantibus dixit: Auferte frenos de capitibus eorum, vt libertate conceſſa, quò Dominus voluerit pergant. Accepta ergo cruce & candelis, Pſalmos & melodias concinentes, iter agere cœperunt. Equi autem in neutram partem declinantes, recto itinere perrexerunt ad cellam viri Dei. Quò cum perueniſſent, depoſitum eſt feretrum ante Oratorium. Diſcipuli autem eius, eleuantes pij Doctoris reliquias intulerunt, & ante altare poſuerunt. Deindè pariter cum Epiſcopo orationem pro illo facientes fecerunt foſſam ſepulchri inter parietē & altare, ibique precibus huic rei congruentibus præmiſſis, *Miraculoſa ſepultura eius.* ſepelierūt eum: omnibuſque ritè conſummatis, multitudo, quæ ad tanti viri concurrit exequias, Epiſcopi benedictione communita, ad propria remeauit.

Miraculum in cereis oſtenſum.

CAP. XXXIII.

DVm beati corporis theſaurum fęlix locus in pace ſuſcepiſſet, volens Dominus de morte famuli ſui mœrentibus conſolationis præbere medelam, nouitate miraculi patefecit, qua apud ſe claritate Spiritus fulgeret amici. Nam duo in caſtro cerei, dum corpus eius eleuaretur, accenſi, ita ar- *Itē aliud valdè illuſtre miraculum.* dentes delati ſunt vſque ad locum ſepulturæ. Poſiti autem vnus ad caput, alter ad pedes, per triginta deinceps dies, mirabile dictu, non deficiendo ardebant, & ardendo non deficiebant. Et vt monſtraretur has durandi vires ceræ liquenti cœlitùs attributas, de huius miraculi materia plurimæ impoſterum virtutes emanârunt. Nam quicunque dentium fatigati doloribus, vel oculorum lippitudine, vel aurium præcluſione laborantes, de eiſdem cereis quippiam ceræ tulerunt, & locis quæ huiuſmodi tenebantur incommodis, aptauerunt, optatæ celeriter donū percepere ſalutis. Poſt hæc tanta virtus ad ſanandos varijs infirmitatibus oppreſſos apud Sepulchrum beati viri cunctis illuc venientibus, & orationum eius ſuffragia fideliter poſtulantibus apparuit, vt & fama tanti meriti cunctis, quæ circumpoſitę erant regionibus innoteſceret, & locus ipſe non mediocriter frequentaretur à populis. *Multa miracula ad ſepulcrum Sancti viri.*

Quia, igitur, ô beatiſſimi Patres, vita & virtutes S. Galli, ſi in vnum compingantur librum, poſſint ob ſui prolixitatem aliquod legēti ingerere faſtidium: ſtatui duobus hoc opus libellis diſtinguere: vt prior *Diuiſio.* illorum vitam eius & actus vſque ad ſepulturam illius veridica relatione perducat: ſequens, mirabilia, quæ poſtmodum pro meritis eius Dominus oſtendit: Primò videlicet ea, quæ priorum ad nos ſcripto perlata ſunt, retexat: Deinde, quæ à probatiſſimis teſtibus indicata, noſtra ætate à Goſberto chariſſimo Fratre literis mandata, ſubnectat: ne quod particulatim ſcriptum eſt, lacinioſa diuiſione diſiungatur: ſed potiùs quod iunctum eſt parilitate factorum, ſit etiam copulatum comprehenſione dictorum. Atque hic prioris libelli finis, quæ præmiſſa ſunt, terminet: & ſequenti, quæ reſtant, ſine præiudicio comprehendenda reſeruet.

Finis libri primi.

LIBER SECVNDVS.

QVI EST DE MIRACVLIS, QVÆ POST OBITVM S. GALLI DOMINVS ob ipſius merita dignatus eſt declarare.

VT HOSTES SEPVLCHRVM B. GALLI violarint, & quæ illos pœna conſecuta ſit.

CAPVT PRIMVM.

Huc refer ca. 14. vita Sancti Magni.

Othunini ſaua crudelitas.

for. * *Turgoia.*

** al. Etvuinus.*

MERITIS beatiſsimi Galli quotidie per miraculorum ſigna radiantibus & longè latéque circumpoſitorum aures famæ ſuæ dulcedine mulcētibus, cùm iam poſt tranſitum eius anni quadraginta fuiſſent euoluti, venit *Othuninus* patrium earundem poteſtate præditus, cum exercitu magno, & ira intolerabili concitatus, deuaſtauit nō minimam partem pagi, qui ab interfluente fluuio * *Durgeune* nominatur: *Conſtantienſe* quoque territorium, & *Arbonenſis* pagi confinia depopulari cœpit, & igni ſuccendere, viros quicunque inueniri potuerunt, gladio peremit: vxores & paruulos eorum in captiuitatem egit. Peculijs quoque & omni ſupellectili ſublata, fructus omnes, penitùs demolirii fecit. *Arbonenſes* itaque, huius terroris immanitate compulſi, cum omnibus, quæ habebant, fugerunt in ſolitudinem, & ad cellam viri Dei ſe contulerunt. Deindè facta in agro fouea abſconderunt ibi, quicquid habebāt, & foſſam terra cooperientes, ne ſecretum eorum deprehenderetur, lini ſemen deſuper inſperſerunt. Cumque iam *Arbonenſem* pagum hoſtes deſolauiſſent, veſtigia fugientium ſecuti, venerunt ad cellam Sancti Patris, & fugitiuos quos repererunt, vinctos abduxerūt, & iuuenes eorum in captiuitatem miſerunt. * Erchonaldus autem præfecti Vicarius, cum vicina ſolitudini inhabitaret loca, habuit res eiuſdem cellulæ notiſſimas. Is Oratorium ingreſſus, inuenit mēdicum quendam intùs ſedentem, quem benè nouerat, & dixit illi: Indica mihi, vbi iſti, quos tam nudos & miſeros inuenimus, veſtes habeant repoſitas & vtenſilia, aurumque & argentum, quorum copia hactenus fruebantur. Ille reſpondit: Nonne mihi melius eſt illorum denudare ſecreta, quàm veſtræ ſeueritatis iram incurrere? Si ita, inquit, egeris, eris in conſortio noſtro, & participio ſocietatis noſtræ gaudebis. Qua promiſſione perſuaſus, ſurrexit, & eum ad ſubterraneum duxit armarium. Quod cum idem Vicarius aperiri feciſſet, ſpecies, quas inibi reperit, his qui ſecum erant, facta diuiſione, diſtribuit. His ita patratis, putantes paſſim tale quid occultari, diſcurrerunt, loca ſingula ſignis quibuſdam ſolicitè explorantes. Eiuſdem rei gratia Erchonaldus aſſumptis ſecum ſeptem pueris introiuit Oratorium. Cumque clauſis oſtijs pauimenti planitiem pulſarent, ob ſpem videlicet inueniendæ pecuniæ, vnus illorum poſt altare veniens, pauimentum percuſſit: & audiens à cauitate tumuli ſonitum reddi, Hîc eſt, inquit, quod oppidò deſideratis. Accurrentes igitur pollinctores infeſti cœperunt fodere: & cum ad loculum perueniſſent, extulerunt illum, dicentes: Quia iſti *Rhetiani* calliditate naturali abundant, videamus ne quippiam ſub hac arca occulti remaneat. Huic ſacrilegio

declarationem virtutum beati viri potius quam ad damnum rebus eius inferri dum, idem eueniſſe incendium. Quia vt in ſequentibus apparet, pallam quã lenis flamma diminuit, virtus manifeſta reſtituit. Mane itaque facto, fratres oratorium ingreſſi, quid factum fuerat peruiderunt, & admiratione non minima ſunt perculſi. Tertia verò die cum ad matutinale conuenirent officium, inuenerunt in oratorio cereos ardentes, & duos iuuenes ſtantes, vnum ad caput, & alterum ad pedes, diſtẽdentes inter ſe pallam, quæ pridem fuerat ignis attacta vaporibus. Hoc viſo, timore nimio conterriti, cum celeritate egreſſi ad lectulos redierunt. Cumque ſe collocarent Eccleſiæ campanam inſonuit, & auditi ſunt duo chori, incredibili alternantium perſonarum dulcedine perſtrepentes. Igitur die illa nequaquam auſi ſunt oratorium introire. Die autem ſequenti ante oſtium eius vnanimiter conglobati, proſtrauerunt ſe in orationem: & cum ſurrexiſſent, cum magno timore intrantes, inuenerunt pallam, quam partim ignis abſumpſerat, ſuper lectum expanſum, ſicut prius expandi ſolebat, nulla imminutionis habentem indicia: ſed potius latitudinem vel longitudinem eius trium auctum eſſe magnitudine cubitorum. Huius perſpicuitate miraculi hilares facti benedixerunt Domino, qui tam manifeſtis gratiæ ſuæ virtutibus, ſerui ſui merita declarare dignatus eſt.

Campanum neutro genere.

Miraculum miſſæ auis & de multifarijs beati viri ſignis.

CAPVT V.

Miraculũ de Aue.

IDem Stephanus dum quodam tempore, cum his, qui ſimul aderant, carnem ad percipiendum in cuiuſdam acceſſu ieiunij nõ haberet, reſedit in cellula de eadem penuria cum cæteris locuturus. Dumque ſermone vario paupertatis ſolatia mutuò miniſtrarent, auis quædam ignotæ formæ cõſedit in limine. Vnus aſſidentium torrem de igne rapiens, alitẽ percuſſit. Cuius carnes dum ſuis vſibus præparaſſent incredibilem ſaporis dulcedinẽ in guſtu earũ deprehenderunt.: facientibus hoc vt credimus beati viri meritis, vt ſicut famuli eius in ſimilitudinem antiqui miraculi, quo populus Dei coturnicum carnibus in ſolitudine eſt refectus, auis incognita miſſa eſt: ita ſapor procuratæ cœlitus eſcæ, nouæ dulcedinis delectamẽtum haberet. Tãta autem eſt miraculorum copia, quæ Dominus apud tumulum eius diuerſis temporibus oſtendit, vt non facilè ſcribendi ſtudio comprehendi poſſit, ex quibus propter abundantiam multa, omittuntur: pauca verò & eminenti ora propter memoriam poſteris commendandam huic inſeruntur opuſculo. Præter mortuorum enim reſuſcitationem corpoream cæterarum infirmitatum remedia, crebertima inibi largitate à Domino præſtita ſunt, & præſtantur. Siquidem & dæmoniaci ibidem curati, & languentes ſunt recreati: aurium clauſtra reſerata, oculorum deterſæ caligines, mutorum excluſa ſilentia, paralyticorũ eliminata defectio. Sed & quicumq; animæ vel corporis neceſſitate coactus, fide integra apud ſepulchrum beati Galli inſtantiam orationes exequitur, Domino confeſſoris ſui merita comprobante, precum ſuarum nullatenus fructu priuatur, verùm ſine tarditate diuinæ largitatis ſentiens dona, lætatur.

Exod. 16.

Innumera miracula ad tumulum S. Galli.

Vt donum S. Gallo deferendum, ab incendio ſeruatum ſit.

CAP. VI.

TEmporibus igitur *Carlomanni* Maioris domus, miraculũ memoria dignum per merita ſancti patris effectum, huic operi inſerere vtile iudicamus. Vir quidam pauperculus in pago quodam, ex ſumma deuotione cum vxore ſua ad cellam beati Galli cauſa orationis properare diſpoſuit. Cuius intentione deuotionis, dum mulier pallulam, quam in loco ſancto oblatura erat, contextam parauiſſet, inuoluit eam formella ceræ, quam ſimul oblatum ire cogitabat, & in arca ſua inter alia veſtimenta repoſuit. Contigit autem dum ire pararent, domum illorum cum omnibus, quæ intra illam erant, rebus igne cremari. Cumque conſumptis omnibus, flamma ceſſante, ſopitum fuiſſet incendium, cœperunt inter fauillarum cumulos ferramentorum reliquias quæri-

tare. Et ecce inueniunt, mirum dictu, ceram pallula inuolutam inter cineres & carbones, nihilque in eis læſionis apparuit: Cum ipſam arcam, & quicquid aliud in illa repoſitum erat, penitus conſumpſiſſet incendium. Viſo igitur tantæ virtutis miraculo, benedixerunt Deo, & iter quod diſpoſuerunt, peregerunt. Et narrantes Fratribus quæ geſta fuerant, obtulerunt donarium, quod huic voto conſecratum, in ſupremis non poterat perire periculis. Seruatæ ſunt autem ibi eædem res in teſtimonium poſtfuturis vſque ad tempora Othmari Abbatis.

Haud vulgare miraculum.

Vt correctus ſit, qui caballum, quem vouerat, fraude retinuit.

CAP. VII.

Ægrotus nuncupat votum & conualeſcit

NEque illud ſilentio prætereundum videtur, quod in ſupradicto pago temporibus Pipini Regis contigiſſe refertur. Quidam vir nomine Vuillimarus graui infirmitate depreſſus, ſub voto promiſit ſe equum vnum duoſque boues, ſi priſtinæ reſtitueretur ſanitati, ad Eccleſiam Beati Galli donaturum. Cumque ex illa die confortaretur, & plenam recepiſſet ſoſpitatem contigit vt cum *Birthlone* Domino ſuo cauſa orationis ad cellulam Sancti viri eodem vectus equo, veniret. Igitur cum poſt orationem omnes illi, qui ſimul aduenerant digreſſi non longè eſſent ab Eccleſia, equus, quem ſponſor infidelis, poſtquam vouerat, fraude retinuit, repente ſubſtitit: & licet eum ſeſſor calcaribus vrgeret, ac verberibus fatigaret, nuſquam potuit commoueri. Videntes hoc qui aderant cœperunt inquirere huius miraculi cauſas. At ille confuſione digna correptus, prodidit reatum, & fraudem, quam in voto fecerat, confeſſus aperuit. Reuerſi autem omnes pariter, equum obtulerunt ad limen Eccleſiæ: & benedictione percepta, ad ſua ſine obſtaculo redierunt. In quo facto & diuina pietas & Sancti viri virtus apparuit, dum is qui per ſe reſipiſcere noluit, per correptionem ad correctionem peruenit.

Votifragus caſtigatur.

Vt cera ex furto oblata, in lapidem verſa ſit.

CAPVT VIII.

ILlud quoque miraculum, quod quarto anno Carlomanni Regis in pago, cuius ſuprà mentionem fecimus, contigit, libet memoriæ, commendare. Pauperculus quidam iuxta regiam poſſeſſionem, quæ *Rotunuuila* dicitur, commanens, dum ad cellam Sancti viri Galli pergere voluiſſet, nec haberet aliquid quod ob deuotionis indicium illuc deferre potuiſſet, diabolo ſuadenti conſentiens, atrium cuiuſdam diuitis irrupit, & aluear cum melle & apibus furtim auferens, intulit domui ſuæ. Apibus deinde extinctis, ceram cõfecit, & non multo poſt inter vicinos & amicos cum hoc furtiuo munere ad Eccleſiam Venerabilis Galli perrexit. Cumque ſinguli quod attulerant, obtuliſſent, is qui contra fas offerre voluit de rapina donarium, ceram reperit in lapidis duriſſimi rigorem mutatam. Ingenti itaque timore perculſus, vni eorum, qui ſecùm venerant, reatum ſuum confeſſus eſt. Qui deinde cum cuſtodibus Eccleſiæ, quæ facta fuerant indicaret, fama huius miraculi mira celeritate cunctis innotuit.

Ecce rem admiratione dignam.

Quæ deinceps ſcripturus ſit author.

CAPVT IX.

DEſcriptis his, quæ priſcorum ſolertia, de vita, fine, & virtutibus Beati Galli ad nos vſque ſcripto tranſmiſit: hinc eaſtylo comprehendere tentabimus, quæ à fideliſſimis teſtibus indicata, à chariſſimo Fratre Goſberto literis ſunt mandata; in quibus primò, quomodò vel quando in Cœnobio B. Galli regularis vitæ inſtituta ſeruari cœpiſſent, liquidò declaratur. Deindè quibus miraculis eiuſdem Patris virtus cũctis effulſerit, probabiliter exponitur: Commemoratis pariter ſingulorum quæ introducuntur aſſertoribus, quæ idcircò nouis dictionum poſitionibus ordinare voluimus, vt cum Prioribus aliquam ſimilitudinem locutionis habeant, & breuitatis compendio

pendio ſuccincta, faſtidioſis lectoribus oneroſa non fiant. Si quidem nomina eorum, qui ſcribendorum teſtes ſunt vel fuerunt propter ſui barbariem, ne Latini ſermonis inficiant honorem, prætermittimus: ſcientes de veritate dictorum a fidelibus non eſſe dubitãdum: quippe, qui norunt, nihil horum quæ referimus, Deo impoſſibile eſſe, in quo fit, quicquid per Sanctos mirabiliter & laudabiliter fit. Sed & ſi quis earundem rerum teſtes noſſe deſiderat, in conſcriptione quam ſequimur, poterit inuenire. Inſerimus quoque huic operi nonnulla, quæ non ſcripturæ teſtimonio, ſed veracium virorum relatione didicimus. In quibus omnibus quantum ad nos attinet, veritatis lineam ſeruare ſtudebimus, neque per amorem falſi aliquid de noſtro inſerentes, neque per inuidiam, veri quippiam ex voto celantes. Et quia nos ſcripta vel dicta ſequimur aliorum, ad illos veritas rerum, ad nos pertinet abbreuiatio dictionum, & adunatio rationum.

Vt cellam beati Galli Pipinus Othmaro cum priuilegio & donis commendarit.

CAP. X.

POſt venerandi Patris, B. videlicet Galli confeſſoris Chriſti glorioſam depoſitionem, quotidianas excubias apud ſacri corporis eius reliquias quidã religioſi clerici, vel diſcipulatus eius memoria vel diuino amore ſuccenſi, per multa annorum curricula, ſcilicet quaſi à temporibus Dagoberti Regis, vſque ad Carolum patrem Carlomanni & Pipini, ad laudem Chriſti adminiſtrabant. Igitur cum fama virtutum, quas Dominus per confeſſoris ſui merita piè quærentibus exhibere dignatus eſt, longè lateque circumpoſitorum mulceret aures populorum, cœperunt vndique alacri deuotione, ad tanti Patris ſuffragia poſtulanda concurrere, eundemque locum ob ſuæ diuturnitatem memoriæ multiplicibus ſubſtantiæ & poſſeſſionum amplificare donarijs. Cumque res hac largitate fidelium collatæ, aliquantulæ monachorum congregationi viderentur ſuppetere potuiſſe, *Vvaldramnus* quidam, ad cuius paternam

Homines pijm ulta largiuntur S. Galli Monaſterio.

Suppetere pro ſufficere.

poſſeſſionem termini vaſtæ ſolitudinis, in quibus vir Dei cellam conſtruxerat pertinere videbantur, videns res collatas à quibuſdã præſumptoribus inordinatè tractari, religioſum quendam Preſbyterum, *Othmarum* nomine, cui ſummam earundem committeret rerum à *victore* tunc *Curienſium* comite impetrauit, & ei cellulam cum omnibus ad eam pertinentibus commendauit. Poſtmodum conſilio cuiuſdam ducis nomine *Nebi*, perſuaſus ad præfatum principem Carolum cum eodem duce properauit, ipſique eandem cellam proprietatis iure contradidit. Et vt *Othmarum* Preſbyterum eidem loco præficeret, exorauit. Annuens petitioni eius princeps Othmaro, ad præſentiam ſuam vocato locum commendauit, & vt regularem inibi vitam inſtituere ſtuderet, præcepit. Qui regreſſus arripuit ſtatim boni paſtoris initia, & vndique verſum habitacula Monachorũ vſibus congrua, diſpoſitè conſtruens, eiuſdem ſancti ſtatum loci vtilitatibus diuerſis aptauit. Sed cum iam dictus princeps temporaliter regnandi & viuendi finem feciſſet duobus filijs *Carlomanno* & *Pipino* adminiſtrationẽ regni reliquit. *Carlomannus* itaque paucorum decurſibus euolutis annorum ob amorem regni cœleſtis ſecularis gloriæ pompam depoſuit: & cum cauſa quietioris vitæ Romam tenderet in viciniam ſupradicti loci deueniens, ad idem Monaſterium cauſa orationis acceſſit, audienſque aſſiduis ſignorum virtutibus eundem locum pro beati viri meritis à Domino illuſtrari, dixiſſe fertur: tenuis quidem hic locus eſt facultate, ſed pro meritis B. Galli, celebri diffamatus rumore. Cumque vellet ibidem degentibus aliquod ſuæ largitatis conferre ſolatium, ſed retractaret, à negotijs ſe regni diſiunctum explere nõ potuiſſe, quod voluit, fratri reſcripſit, vt ſui amoris intuitu eidem Monaſterio aliquod regiæ largitatis ſolatium dignaretur impendere. Cum igitur ab *Othmaro* Abbate præſentatam *Pipinus* princeps accepiſſet epiſtolã, annuens petitioni fraternæ, libellum, quem Benedictus Pater de cœnobitarum conuerſatione compoſuerat, eidem Abbati tradidit, & alia regiæ dignitatis impertiens dona, id ei ſub omni diligentia iniunxit, vt in loco ſibi commendato, ad ſupplendas, B. Galli excubias, regularis ordinem inſtitueret vitæ. Atque vt melius

Victor Curienſium comes.

S. Galli cœnobium monaſtico inſtituto accommodatur.

Regulam S. Benedicti diſcit.

poſſet, quod iubebatur efficere, conceſſit illi quoſdam tributarios de eodem pago, vt & illis collaborantibus officinas fratrum vſibus neceſſarias conſtrueret, & vectigalia, quæ annuatim regijs redditibus inferre debebant, ad ſuſtentationem fra[illegible]ū ſub commemoratione largitatis eius haberet Inter cætera quoque ſuæ munificentiæ donaria, rogante Abbate, vnum campanum ad ſancti loci dedit ornatum: quod ad vſque noſtræ ætatis tempora in cœnobio eodem pro memoria beneficiorum eius permanſit. Et nè cuiuſquam auaritia tanti incrementis obſiſteret boni, diuturnæ firmitatis epiſtolam fecit conſcribi, & vt moris eſt, circūſpecta roborari cautela, quò deinceps tam ipſe, qui aderat, quàm ſucceſſores eius idem monaſterium per regiam obtinerent authoritatem, & nullius violentiæ preſſi ſolis rerum principibus ſubiacerent. His regiæ pietatis *Othmarus* Abbas donatus ſolatijs, & ſublimatus honoribus, Monaſterium lætus regreditur: & ex illo tempore monaſticę vitæ in cœnobio S. Galli exordium quidem cœpit; augmentum autem & profectus, hodieque laudabiliter dilatari non deſinit.

Campanū neutro genere, vti etiam ſuperius.

De luce cæliths radiante apud Eccleſiam Sancti Galli.

CAPVT XI.

PRæmiſſa narratione, qua comprehenſum ſatis verè credimus, quomodò ſacer locus immunitatis priuilegium meruerit, & quo in tempore cænobiali dignitate ſit adornatus, liberius iam ad miraculorum B. Galli commemorationem ſtylum conuertimus. *Victor Curienſis Rhetiæ* comes, cuius ſuperius fecimus mentionem, cùm innumerabiles apud tumulū S. Galli per merita ipſius virtutes oſtendi crebertimè didiciſſet, inuidia perurgente, tanta nouarum generoſitate virtutum noſtram gentem inſigniri perdoluit: & vt tūc fama vulgauerat, latenter voluit per abdita eremi ſuperuenire & pretioſi theſaurum corporis, ſi quo pacto potuiſſet, auferre. Quā malitioſi raptoris intētione comperta, hi, qui in circuitu cellæ viri Dei commanebant, cuſtodibus viciſſim per turmas deputatis, eundem locum ab hoſtili incurſione, ne videlicet tam chari fulgore Margariti carerent, omni ſagacitate defenſare ſtudebant. Igitur cum quadam nocte cuſtodes in ſummitate mōtis, qui monaſterio ſupereminet, ad ſuſpectos incurſus armati reſiderent præcauendos, caſu lucem cælo venire, ac totius Eccleſiæ perfundere mœnia conſpexerunt. Immenſitatem itaq; luminis admirati, ad Eccleſiam citius concurrerunt & dum trepidi ſtupenteſque ibidem conſtituti, eundem intuerentur ſplendorem, paulatim ſe lux ſubmiſſa recolligens, aſtris inſeritur. At illi viſo miraculo, agentes Domino gratias, ſecuri ad propria remearunt, credentes corpus viri Dei per vim ab eo loco minimè auferri poſſe, quem illi Dominus ante ſæcula prævidit, & ſuæ illuſtrationis honore temporibus iſtis decorauit. Vndè datur intelligi, quanti apud Deum meriti vir iſte fuerit, cuius ſepulturæ locum celitùs contigit illuſtrari: vt videlicet lumen, quo eius anima perfectè fruebatur in cœlis, etiam mortuo corpori non deeſſet in terris.

Nota ſtudium priſcorum erga conſeruandas ſacras reliquias.

Qua animaduerſione Victor Comes à ſua temeritate ſit repreſſus.

CAPVT XII.

AVdiens itaque comes prædictus à cella S. viri diſceſſiſſe cuſtodes, cupiēns ſuos explere conatus, virorum turbam aſſumpſit: vt quod malè cogitauerat, repentino & latenti perpetraret acceſſu. Verùm quia non ſuæ deuotionis vtilitati proſpiciens, ſed alienæ felicitatis profectibus inuidens id moliebatur, Dei nutu citò repreſſus fuiſſe cognoſcitur. Nam eodem momento, quò iter illud aggreſſus eſt, de equo, cui inſidebat, corruit, coxaque illius eo caſu confracta eſt, Domino beati viri merita in hoc quoque remunerante, ne à loco, quem ipſe elegerat, anferretur; quem de vltimis *Hiberniæ* finibus ad ſalutem multorum, *Rhetiæ* vel *Germaniæ* deſtinauit. Et vicini quidē exhibuerunt excubando ſuæ deuotionis obſequia: Deus verò cunctorum cuſtos bonorum ibi etiam ad coërcendum raptorem vigilauit, vbi ſolicitudo alternātium non adfuit populorum. Et hoc quidem egit, vt credimus, nè fideles populi theſauro

Victor comes diuinitus punitur.

ro quem feruentibus ſtudijs ambiebant, fraudarentur,& ne is,qui per malitiam hoc decus attingere voluit, ſuæ peruerſitatis potiretur affectu: præcipuéque præcauẽs, ne ablatis S. viri reliquijs, Monachorum cateruas, quæ inibi laudibus Dei ſeruituræ erant, deeſſe contingeret. Itaque Comes correptus,& domum à famulis reportatus, per multa tempora nimijs doloribus eſt agitatus, vt intelligeret ſaltem ex pœna, quam ſuperbè illud cogitauerit, quod ſuis viribus effici potuiſſe credebat.

Paralyticus quidam ſurdus & cæcus B. Galli meritis curatur.

CAP. XIII.

Quia igitur Domino cuſtodiente, pij Paſtoris corpus, à deuotarum ceptis omnium, auferri non potuit, dignum fuit, vt miraculis fidem facientibus, virtus meritorum eius ibidem cunctis manifeſtè clareſceret. Quidam namque de vicino territorio, cum diuturna ægrotatione vexatus, lecto decumberet, ſubrepente humore nocino, oculorum lumen auriũq; ſenſum amiſit. Deinde plantis pedum retortis ad nates, tanta depreſſus eſt infirmitate, vt de ſolo pectuſculo vitæ manarent fugacis indicia. Qui à ſuis ad Monaſterium vehiculo delatus: Dum petentibus amicis in Eccleſia B. Galli vnius ſpatium noctis ducere permiſſus à cuſtode fuiſſet, ſolúſque ibidem pernoctaret, circa Gallorum cantum in ſubito mentis exceſſu, quatuor viros candidiſſimis indutos veſtibus, Oratorium introire conſpexit. Qui dum altari appropinquantes, diutiſſimè dulci modulaminum alternatione concinerent, vnus eorum laudibus finitis ad lecticam, in qua clinicus decumbebat, accedens. Quid, inquit, cauſæ eſt, ô homo, quod hîc pernox, tenebrarum tranſigis ſolus horrorem? Crede tantum, & ab hac infirmitate deinceps eris ſecurus. Ergò ſanus exurge, liber egredere: qui protinus ſurgens,& omni debilitate ſubmota egreſſus, ad ſuos ſanus abſceſſit.

Viſio hominis miſerè affecti.

Cœleſti viſione ſanatur.

Quomodo Abba Othmarus à quibuſdam vexatus ſit.

CAP. XIIII.

Igitur Othmarus Abba cum multis annis ibidem Cœnobium ſtrenuè rexiſſet, poſſeſſiones ipſius loci, religioſis quibuſque circumquaque degentibus, ob amorem mercedis æternæ plurima ſuæ largitatis dona conferentibus, in tantum amplificauit, vt intra paucos annos, ſuppetente exteriorum copia rerum, & vitæ eius clareſcente mundicia, multorum Pater exiſteret Monachorum. Comites verò quidam *Vuarinus* & *Ruodhardus*, qui totius ferè Alemanniæ curam adminiſtrabant, cum intra ditionis ſuæ terminos Eccleſiaſticarum non minimam partem rerum ſuæ proprietatis Dominio per potentiam ſubijcere niterentur, maximam de eiuſdem Monaſterij poſſeſſionibus partem ſibimet vendicarunt. Nam tributa, quæ bonæ memoriæ *Pipinus* eiſdem Fratribus conceſſerat, abſtulerunt, aliáque quam plurima, quæ ex donatione quorundam religioſorum eidem cœnobio fuerant contradita, ſuæ rapacitatis abſtraxere proteruia. Inſuper ipſum etiam Abbatem cum pro hac re apud Principem illos accuſaſſet, vinculis iniecerunt, & in quandam *Rheni* fluminis Inſulam iuxta locum, qui *Stein* dicitur, in cuſtodiam relegarunt. Vbi cum aliquantum temporis ſub arctiſſima diſtrictione manſiſſet, de carcere huius vitæ ad lætitiam commigrauit cœleſtem, expletis non minus quadraginta annis regiminis ſui, quo Sancti illius loci ſtatum & gloriam nobiliter amplificauit & auxit.

Nota vnde creuerint opes Monaſteriorum.

Othmarus Abbas in carcere decedit.

Vt Comitum quorundam inſtinctu Sidonius Epiſcopus Monaſterium Sancti Galli inuaſerit.

CAP. XV.

Hoc itaque ita rebus humanis ſubtracto, prædicti Comites ſublatas ſancti loci poſſeſſiones retinentes, Ioannem quẽdam Monachum de proximo Monaſterio, in eius locum ſubroga-

Sidonius Epiſcopus Conſtantienſis. uerunt. Ac deindè, vt ſuæ tyrannidis crimen augmentarent, Sidonium Conſtantienſis Eccleſiæ Pręſulem inſtigarunt, vt idem Monaſterium Epiſcopij partibus ſubijcere ſtuderet. Et hoc idcircò fecerunt, vt eo licentiùs, ipſo machinationibus eorum fauente, ea quæ iniuſtè abſtulerant, retinere potuiſſent. Pontifex igitur cum ſuaſionibus eorum libenter præberet aſſenſum, Monaſterium ingreſſus, Fratres opprimere, & eundem locum Epiſcopij rebus ſubijcere molitus eſt. Porrò Fratres dum potentiæ illius reſiſtere non auderent, maluerunt eius ditioni parere, quàm tot aduerſitatibus implicari. Sed ſequentia probant, quàm peruersè egerit, qui per auaritiæ morbum ſacri loci priuilegium auſus eſt violare.

Quæ pœna Epiſcopus Sidonius mulctatus ſit.

CAPVT XVI.

Fertur ſiquidem eundem Epiſcopum aliquando ad iter hoſtile ſibi de ipſius Monaſterij ſumptibus viaticum præparare iuſſiſſe. Quod dum Fratres prætermittere non auderent, ea quæ iuſſa fuerant, naui impoſita, per quorundam manus Fratrum ad Epiſcopum trãſmiſerunt. Cumque qui miſſi fuerant, nauigare cœpiſſent, auis quædam, vt ſæpè ipſi teſtati ſunt ante eos apparuit, & quaſi ducatûs officium eſſet præbitura, facili præibat volatu, & dum per totius lacûs vaſtitatem ipſius incognito vterentur ducatu, proſpero tandem ſucceſſu ad portum venientes, quid hæc nouæ Ducis obſequia portenderent mirabantur: illiſque quam partem peteret diligenter notantibus domum quandam littori cõtiguam, in qua res præfato itineri aptæ ſeruabantur intrauit, mirum dictu, mox eandem Cellam flamma corripiens, in altum prorupit, & omnia, quæ ibidem congeſta fuerant, penitus conſumpſit, vt nihil eorum omninò huic incendio ſupereſſet. Fiebatque iuſto Dei iudicio, vt qui aliena per potentiam rapuerat, ſuis per ſupernam iuſtitiam fraudaretur. *Epiſcopus res Monaſterij ſibi vindicãs punitur.*

Quàm ſeuerum idem Epiſcopus Fratribus S. Galli ſe præbuerit, quamque miſerè perierit.

CAP. XVII.

Tempore quoque alio idem Epiſcopus ad Monaſterium veniens, dum quadam violentia eundem locum Epiſcopio ſubijcere ſuæque tyrannidi non conſentientes Monachos, quaſi iuſto rebelles, iniurijs multiformibus afficere tentauiſſet, Tello quidam Curienſis Eccleſiæ Præſul miſit ad eum, humiliter deprecans, vt ſui amoris cauſa, quoniam eorundem Fratrum aliqui conſanguinitatis vinculo illi erant coniuncti, ab eorum ceſſaret iniurijs, nihilque incommodi Dei famulis irrogaret. Quam petitionem, furore dictante, ſuperbè contemnens, remandauit ſe illius precibus nullo pacto conſenſurum, verùm reſiſtentibus ſibi celerem pro contemptu illaturum vindictam, & mox Oratorium B. Galli Confeſſoris quaſi oraturus ingreditur, & ante aram ipſius nomini conſecratam conſiſtit, quique ad ſalutem non merebatur audiri, afflictiones, quas alijs ſe irrogaturum iurauerat, conuenienti ſatis ratione recepit. Nam inteſtina eius, more ſartaginis igni ſuperpoſitæ feruere cœperunt, & tam diræ viſcerum tortiones illum inuaſerunt extemplò, vt ſine aliorum adminiculo nequaquam egredi potuiſſet, ſed quod dicere pudet, egeſtio naturæ turpi impetu prorumpens, cum adſtantes nimio fœtore grauaret, ſine mora ab Eccleſia eiectus, vehiculo quo decedere poſſet Monaſterio, ſicut rogauerat, eſt impoſitus. Sicque immoderato fluore, naturæ conſuetudine carens, vaſi, in quod egeſta defluerent, ſuperſedens, egreſſus eſt, & ad vicinum Monaſterium, quod *Arna* nominatur, cui & tunc præerat, perductus eſt. Vbi etiam ingraueſcente languore, tantum ſibimet famulantibus ob nimium fœtorem intollerabilis factus eſt, vt etiam pene nullus obſequia impendere ſolitò potuiſſet. Tali itaque pœna mulctatus, cum hoc factionum ſuarum præmio poſt aliquot dies de cloaca corporis ſpiritum exhalauit.

Tello Curienſis Epiſcopus.

Vide terribile Dei iudicium in Epiſcopum Sidonium.

Miraculum in ſagina porcorum exhibitum.

CAP. XVIII.

PEracta ſuperioribus ſententijs relatione, qua nos ſatis verè comprehendiſſe credimus, quomodo ſacer locus per merita B. Galli ſit diffamatus, & poſſeſſionibus dilatatus, nec non quibus ſit maleuolorum quorundam molitionibus impetitus, & quæ quoſdam humiliauerit vltio: nunc replicandum eſſe cenſemus, quanta beatus vir præſidia ſibi famulantibus ad res ſuas cuſtodiendas vel defendendas accommodet, quaque authoritate ſe poſtulantibus, & de ſe præſumentibus multiformi virtutum genere ſuccurrat, Domino meritorū eius magnitudinem ſignorum aſſiduitate mortalibus declarante. Quodam tempore dum ſterilitas terræ fructus arborum non ſolum porcis, ſed etiam ſylueſtribus feris vel animantibus denegaret, ita vt proximis Eremi partibus nuſquam ſagina poſſet inueniri, qua ſues, qui in vſus Monaſterij nutriebantur, paſci potuiſſent: occulto quodam impulſu grex ſuillus per ſyluarum auia celeri curſu cœpit abſcedere: transuadatóque *Rheni* fluminis alueo, remotioris eremi ſecreta penetrauit. Subulcus autem ſubitam ſui pecoris fugam miratus, eueſtigiò inſequitur, & gregem quem perſum ire putabat, reperit copioſiſſimis paſcuis immorantem. Cumque viam redeundi neſciret manſit ibi, fructibus arborum & carnibus victitans, donec grex totus affatim carnibus grauaretur obeſis. Itaque domum redire cupiens, cœpit anxiè cogitare, quo ingenio ignotum iter aggredi potuiſſet. Nocte igitur quadam vidit in ſomnio ſenem quendam reuerendi habitûs & vultûs, canitie venerabilem, dicentem ſibi: Quia, vt video porci, quos ſequeris, vbertim ſunt ſaginati, iam redire parato, qui dum reſponderet ſe viam neſcire, dixit illi: *Scrofam*, quam totus grex quaſi ductricem ſequi ſolet, cædito, & quocunque illa præceſſerit tendito greſſum. Quod dum ille faceret & præeuntem diligenter ſequeretur, ſine errore ad Monaſterium, cunctis aliud ſuſpicantibus exopinatò peruenit. qua in re quid aliud quam B. Galli merita claruerunt, dum ad vſus ſibi famulantium, ignotum animantibus paſtum oſtendit, & ea rurſus mirabili ordine ad propria reuocauit?

Magna anni ſterilitate insolita paſcua adeũt non ſine miraculo.

Viſio Subulci.

Qualiter deprehenſi ſint qui ſtabula incenderunt.

CAPVT XIX.

FRater quidam eiuſdem Monaſterij poſſeſſiones quaſdam ſub ſua cura habens, in quodam remotiori loco ob nutrimenta pecorum ſtabula conſtruxit, & illic quamplurimum fœni recondit. Duo itaq; homines diabolica inſtigati perſuaſione, eadem repoſitoria cum omnibus, quæ inibi congeſta erant, noctu igni appoſito ſuccenderunt. Sed dum iam pene toto anno authores huius facti laterent, vnus eorum arreptus à dæmonio, cœpit per vicina diſcurrere loca publicè proclamans: ſtabula pecorum B. Galli ſuccendi, & ideò vice verſa, ab ipſo inuiſibiliter incendor. Cum itaque diuinum in eo cōtinuatim iudicium pateſceret, pluréſque importunis eius clamoribus concitati, per loca ſingula ad hoc miſerabile ſpectaculum conuenirent, rogauit omnes, vt eius incendia reſtinguerēt. Illis autem certatim in eum aquam mittentibus, pœna diuinitus illata, humanis viribus extingui non potuit. Non paucis deinde diebus exactis, in hoc miſerabili genere tormentorum inſanus vitam finiuit: Alter verò cum ſui ſceleris ſocium tali cruciatu vidiſſet damnatum, ad Præpoſitum ſupradictum venit, vltroque, diuinum horreſcens iudicium, delictum confeſſus eſt, duoſque boues pro debito obtulit, ac ſe voto conſtrinxit, quòd deinceps nunquam rebus S. Galli damnum inferret. Frater autem idem pœnitudinem eius agnoſcens, boues non ſuſcepit, ſed abire eum cum ſuis ad ſua permiſit.

Maligni homines incendũt ſtabula.

Punitur diuinitùs alter eorum.

Alter reſipiſcit.

Quas pœnas dederit, qui ſyluam Monaſterij S. Galli læſit.

CAPVT XX.

IN poſſeſſione quadam eiuſdem Monaſterij quædam *Syluula* ob porcorum paſtum cuſtodiebatur, ne paſſim à multis conſumeretur inciſa. Hanc pauper quidam occultè ſole-

bat adire & furtim inibi multa præcidendo, grande damnum inferre. Itaque die quadam cum iuxta morem ſuum latenter intraret, & pauca ſuccideret arbuſta, gladius, quem tenebat tam validè manui eius adhæſit, vt illum deponere nullatenus potuiſſet. Agnoſcens igitur, cuius rei cauſa mulctatus ſit, ad baſilicam in honore beati Galli conſtructam feſtinauit, diuque orationibus incumbens, manu reſoluta, gladium ante altare dimiſit. Egreſſus verò cogitare cœpit, nihil obeſſe, ſi ligna, quæ præciderat, domum deferret, non autem prodeſſe, ſi putrefacta perirent. Subiũctis ergo bobus, carpento ad ſyluam remeat, & præciſa in vnum comportat. Quæ cum vehiculo vellet imponere, dolore quodam prævalido, ceu ſtimulis vrgeretur, in poſterioribus attactus eſt. Quò cum ſine mora manum protenderet, gladium, quem coram altari dimiſerat fortuitò recepit. Digitis autem manubrium conſtringens deteſtabile munus tam validè retinuit vt articulorum iuncturæ inuicem laxari putarentur. Tum miſer dolore compulſus, ad Eccleſiam recurrit, ibique proſtratus, veniam pro commiſſo, & abſolutionem manuum depoſcit. Cumque diù in oratione perſiſteret, & gladium nequaquam dimittere potuiſſet, iuramento tandem ac voto promiſit, nunquam deinceps ſe damnum beati Galli rebus illaturum. Mox manus aperta gladium depoſuit. qui ob teſtimonium miraculi in eodem loco ſuſpenſus, multo tẽpore ibi permanſit, inuaſoribus Eccleſiaſticarum rerum grande timoris pondus incutiens.

Pœna furis.

Sanatur confugiens ad S. Galli Eccleſiam

Rurſus punitur.

Periurus quid perpeſſus ſit.

CAPVT XXI.

Rumoldus quidam nomine de poſſeſſione quadam eiuſdem Monaſterij ancillas duas vi abſtulit, & ſuæ ſeruituti ſubiecit. Is ab aduocato pro eiſdem fœminis ſæpius interpellatus, tandẽ cenſura iudiciũ actus eſt, vt eas vel monaſterio redderet, vel ſuo iuri cum ſacramento in altari beati Galli peracto firmaret, itaque auaritia impellente iuramentum paruipendẽs, Monaſterium cum ſuis adiit, & vt dijudicatum fuerat, audacter peregit. Sed pro contemptu ſancti, vltio Dei eum feſtina præuenit. Nam iuramento expleto, ad propria iturus, baſilicam egreſſus eſt, iumentoque adducto, cum ſuper illud ſaliendo vellet aſcendere, mente captus, faciem ſuam ad poſteriora equi inſidendo conuertit. Æſtimans itaque id per famulorum contigiſſe neglectum, iratus valdè reſilijt, & caballum regyrari citius iuſſit. Cumque ſecunda ac tertia vice aſcendere cupiens, pari luderetur errore, tandem clientum adminiculo equo ſuperpoſitus, Monaſterio cum rubore diſceſſit. Non longè autem indè poſitum, ſubitò eum dirus oculorum dolor inuaſit, ac deindè per momenta ſingula decreſcente viſu cœcitatis horrore damnatum materiali funditùs luce priuauit.

Periurus luit pœnas.

Fit planè cæcus.

Inuocatus B. Gallus quendam à nece ſeruat.

CAPVT XXII.

Inuocatus etiam venerabilis Gallus, quàm promptum impendat auxilium, ſequenti liquebit exemplo. Quidam vir dũ per ſyluam quandam iter faceret, ac circumſpectè incurſus latronum, qui in ea ſolebant commorari, multiſque nocere feſtinando deuitare conaretur, tantus eum ſubitò ſopor inuaſit, vt vix incedere potuiſſet. Cumque periculi metu ſuſpectos haberet itineris caſus, & dormiendi cauſa pauliſper diuertere vellet, ruſticum quendam obuium habuit, eumque rogare cœpit, vt interim cuſtos ſui exiſteret, donec importunitatem ſomni parumper quieſcendo depelleret. At ille pacem ſimulans, fidem ſpopondit: itaque modicũ diuertens, pallium capiti ſupponit, & ſe proſternens, B. Galli ſuffragia his verbis implorat: S. Galle, tua me protectione cuſtodi, ſignaculo crucis deindè munitus, cum obdormiſſet, infidus cuſtos ſponſionis immemor ſumptis armis ſoporatum quaſi perempturus aggreditur. De collo veſtem ſubtrahit, quò facilius vno ictu perimat dormientẽ. Sed cum gladium in ictum vellet deponere, artubus rigore ſtupefactis, inflecti brachia nequiuerunt. Intereà dormienti quidam adſtitit & in ſomno dixit: Quid ſomno deprimeris, quem ab

Obſerua quam proſit pia ſanctorũ inuocatio

ab imminente modò interfectione tutatus ſum? At ille, euigilans, & fidelem ſocium nudato gladio cernens capiti iminere, exilit, & comprehenſum, quã pro cauſa hoc ſcelus vellet admittere, percontatur: Qui cum pro ſpolijs Illius accipiendis ſe id facere voluiſſe fateretur, continuò brachia, quæ diuina obriguerunt iuſſione, depoſuit. Perpendens itaque alter ſe diuina miſericordia per merita B. Galli à nece ſeruatum, pacem cum illo fecit, & illæſum, abire permiſit.

Puella quædam à dæmonio liberatur.

CAPVT. XXIII.

Permulti curati à S. Gallo dæmoniaci.

PRæterea tam multi à furore dæmonum per eiuſdem ſancti patris merita ſunt liberati, vt ſi omnium curationẽ commemorare velimus, faſtidioſis lectoribus occaſionem murmurãdi tribuamus: vnum ergo ex pluribus replicamus, ne hoc virtutũ genus viro ſancto defuiſſe putetur. Puella quędam ſæuiſſima hoſtis antiqui vexatione detenta, & non ignobilium labore parentum ad monaſterium perducta, cùm oratorium beati Galli confeſſoris intraſſet, ſtatim horribili dæmonis infeſtatione agitata, ad terram concidit, & miſerabiliter ſe diſcerpens, horrendo clamore ſpurciſſima cœpit verba effundere. Qua cauſa vnus è fratribus, *Stephanus* nomine miſeriæ illius compaſſus, tandiù ſuper eam exorciſmum recitauit, quoad vſque eadem vexatio finiretur. Recipiſcenti autẽ puellæ modos pœnitentiæ indixit, ſeſeque pro illa in orationibus ac ieiunijs exercere cœpit. At miſera fœmina, vt de prohibitis eſcis quidlibet vſurpauit, tam acriter eam continuò dæmon inuaſit, vt vix à multis teneri potuiſſet. Cũque identidem ad eundem locum perducta eſſet, & *Stephanus* ſupradictus iteratò ſuper eam exorciſmum recitaſſet, animal paruulum in modũ bruchi, nigerrimum ab eius ore prolapſum eſt. Hoc viſo, cum idẽ frater attentius adiurationi inſiſteret, tribus vicibus ſingulorũ ſimilitudo bruchorũ ore excidit fœminæ. quæ animalia dum adſtantes manu capere niterentur, ſubitò diſparuerunt. Puella autem eadem hora ſurrexit incolumis, & reliquum vitæ ſuæ tempus abſque vlla dæmonis infeſtatione peregit.

Puellam non abſtinentem à cibus vetitis dæmon rurſus inuadit.

Miraculum in lampade declaratum.

CAPVT XXIIII.

ILlud quoque libet oſtendere euidenti miraculo, quomodo vir ſanctus quoſdam in ſuo ſeruitio de penuria rerum trepidantes corripuerit, & modicæ fidei puſillanimitatem confortaret. Eccleſiæ eius cuſtos dum quodam tempore olei copiam ad luminaria inſtruenda non haberet, lumẽ, quod in crypta omnibus ardere noctibus ſolebat, quadam nocte extinxit: quia lumẽ, quod ante ſuperius altare & tumbam ardebat, per quandam feneſtram radios ſuos ad altare, intra cryptam poſitum, dirigebat, & ſufficere vtrique loco credebatur. In eadem autem lampade vitrea, quam extinctam à cuſtode tetulimus, aqua inferius & olei pinguedo deſuper erat. Mirabilem rem dicturus ſum: Ita totum oleum per rimam in fundo repertam guttatim ad terram defluxit, vt nihil aquæ deeſſe videretur. Idemque liquor per terram vſque ad altare decurrens, pallam eius lineam aſſcendendo occupauit, & ita vſque ad medietatem infecit, vt nunquam deinceps ablui potuiſſet, in quo quid potiſſimum mirer inuenire nõ potero: vtrumne, quod oleum ſubtus aquam depreſſum eſt, an quod aqua per eandem fracturam non defluxit, vel certè quod oleum de pauimento in pallam ſurſum aſcendit: In quibus tamen omnibus, & virtutem ſancti viri oſtenſam, & ſtultam parcitatem miniſtri increpatam, non ambigo.

Nota rem admirandam.

Vt Monachus apoſtata ſit inuitus reuocatus.

CAPVT XXV.

Apoſtata monachus fruſtra aufugere conatur.

SIleri non debet, qua virtute ſeruitium ſuum demittentes & fraudulenter abſcedentes B. Pater reprimat, & vel lapſos reuocet, vel pertinaces in malo feriat. Frater quidam de eodem Monaſterio fugam molitus equum furto rapuit, &

per noctem abſceſſit. Cumque ad *Rhenı* fluenta fugax veniſſet, tranſuadare in equo tentauit: & à medio aluei neſcius ad locum vbi intrauit, caballo deferente reuerſus, cum magna feſtinatione ad Monaſterium redijt, putans ſe in alias longè partes abſcedere. Manè factó, cum ſe recognouiſſet fruſtrà laboraſſe, confuſus interdiu delituit. Noctù verò fugam arripiens, in fluuio, ſicut priùs, ſalubriter errorem paſſus eſt, & ſtropha facta, per eandem viam neſciens remeauit. Confuſioni igitur obſtinationem iungens, ipſa etiam ſe die occuluit, & nocte inſecuta tertiò, notum iter carpens, modo quod diximus, itidem reuocatur. Cumque iam tædio victus die tertio ſe ſopori in campo dediſſet, à quibuſdam equum cognoſcentibus captus eſt; & in loco ſuo reſtitutus. Et quia effectum voluntatis ſuæ non inuenit, etiam nolens Sancti viri virtute victus ad viam peruenit. Solent autem plures teſtari cunctos, qui de Sancti ipſius familia aufugerent, aut emendationem quantocyùs ſubire, aut manifeſtæ vltioni debere ſuccumbere: neque cuiquam impunè cedere, qui fidem illi plenam ſeruare contempſerit.

Notatu dignum.

Fulmine deformatus, vt partim Romę partim apud S. Gallum curatus ſit.

CAP. XXVI.

QVod Dominus flagello ſuo quoſdam à peccatis coerceat, & pro commiſſis affligat, teſtis eſt paralyticus, cui ante ſanationem Saluator peccata dimittit. Sic autem aliquando percutit, vt eos, Sanctorum ſuorum meritis ſuffragantibus, ſanitati reſtituat, vt & diuinæ operationis ſit indicium, cũ interiùs homo per flagellum à peccato compeſcitur: & virtus Sanctorum liquidò comprobetur, cum pro illorum meritis exterius ſanitas exhibetur. Fit etiam interdum, vt qui Dei occulto iudicio non vni, ſed pluribus infirmitatibus ſubiacet, non pariter omnia, ſed diuerſis temporibus & interceſſoribus, debilitatis amittat incommoda: vt dum alicuius remedium mali per vnius merita Sancti conceditur: redintegratio ſanitatis alterius precibus & honori ſeruetur. Quarum omnium rerum euidens indicium dabit ſubiecta narratio. Quidam violentia fulminis ictus, poſt ægrotationem diuturnam ita totius formam corporis & membrorum officia perdidit, vt monſtroſum quiddam potiùs, quàm hominem videretur exprimere. Siquidem & ſtatura flebili contractione depoſita, & gradiendi facultas ablata eſt: facies verò, tanta cumbuſtionis eſt corrupta fœditate, & oculorum ſedes ita ſunt carne & cute ſuperductis complanatæ, vt inſpicientibus horribile ingereretur miraculum. Adminiculo igitur parentum Romam perductus, corporis quidem reliqui reſolutis nexibus priſtinum vigorem recepit & ſtatum, in cæcitatis autem ſqualore permanſit. Is à ſuis reductus, cum ad Cœnobium B. Galli veniſſet, & quadam Dominica nocturnis laudibus intereſſet, ſopore depreſſus, quaſi duas ardentes ſagittas ab altari vidit emiſſas, & ſibi in oculorum loca defixas. Statimque tanta viſione perterritus exclamauit, & tremens ad terram concidit. Cumque diù in pauimento volutaretur, cute, quæ oculis ſupercreuit, velut gladij ſectione reciſa, continuò de luminis amiſſi reſtitutione gauiſus eſt. Tempore deinde procedente oculorum eius acies tã pura inſpectãtibus apparuit, vt pueri perſpicaces vincere videretur obtutus. Potuit quidẽ, vt indubitãter credimus, ille Apoſtolorum eximius, cui à Domino ligandi atque ſoluendi poteſtas collata eſt, meritis & precibus ſuis omni cum debilitatis genere liberare; ſed diuinæ prouidentia virtutis conſtat actitatum, vt in eiuſdem nouitate miraculi Venerabilis Gallus Apoſtolicis actibus æquaretur; quatenus hoc quoque modo meritorum eius magnitudo clareſceret vniuerſis.

Luc. 5.

Fulmine grauiter ictus partim Romæ curatur.

Partim apud S. Galium.

Matth. 16

Surdus & mutus ſanitati redditur.

CAP. XXVII.

INſequenti quoque Dominica ſurdus quidam, & mutus, multorum ibi Fratrum cognitioni notiſſimus, vtpote qui idem Monaſterium ſolitus fuerat frequentare, cum nocturnis intereſſet excubijs, repente impulſu

Miraculũ

pulſu valido in pauimentum deiectus eſt: ſtatimque cum ab eius ore & auribus plurimus ſanguis prorumperet ſine mora vtriuſque membri munia recepit, & ſanus abſceſſit.

Furtum per viſionem indicatum.

CAP. XXVIII.

VIdetur huic operi inſerendum, quantum Dei famulus inuigilet ad eorum res defendendas, qui eius ſuffragia deuotè poſtulare contendunt. Puer quidam qui poſtmodum corpori eiuſdem congregationis inſertus, hæc eadem atteſtari ſolebat, cum adhuc primæuę ætatis flore gaudens inter ſcholaſticos Monaſterij cuiuſdam Dominicæ noctis ſolemnijs intereſſet, quidam è vicino territorio mãſionem eius irrupit, ipſiuſque codicem & quæcumque inibi reperire poterat, furatus abſceſſit. Puer de baſilica regreſſus damnum quod illatum eſt, longo fletu perdoluit. Porrò Fratri ipſius foras Monaſterium poſito ſenex quidam eadem nocte vultu placido in ſomnijs aſſiſtens, cuncta quæ erga puerulum acta erant indicauit. Nomen etiam furis, locumque vbi commoraretur edixit, tempus pariter eiuſdem furti depromens. Ille fidem viſioni accommodans, ad Monaſterium regreſſus, quod in ſomnijs audierat, factum inuenit: moxque indicia, quæ perceperat ſecutus, abſq; difficultate furem apprehendit, & omnia quæ ablata fuerant recepit.

Furtum diuinitus indicatur

Sanctimonialis brachia reſtituuntur.

CAP. XXIX.

ALio quoque tempore Sanctimonialis quædam fœmina de Epiſcopio Conſtantienſi, cuius brachia ad mamillas cum rigore contorta ad nullius operis vſum deflecti poterant, cum aduenisset & ante ſepulchrum Sancti Galli aliquantiſper oraſſet ſanitatem indepta, gaudens abſceſſit.

Furtum diuinitùs proditur.

CAP. XXX.

QVidam non ſimplici vt poſtmodum claruit animo adueniens, dum quoſdam Monaſterij operarios a diuino agricolandi labore diſiungẽtes ferramenta in aratris per noctem dimiſiſſe perſpiceret, tempus tenebroſum fraudibus ſuis opportunum ratus, tot ferramenta ſuſtulit, quot oneri ſufficere proprio credidit. Cumque fugam celerãs, totã nocte vacuo laboraret conatu, in ipſo lucis exortu ad portam Monaſterij ex improuiſò peruenit. Et quia factum latêre non potuiſſe cognouit, confeſſione ſpontanea patefecit, quod præſumptione peſtifera in rebus S. Galli, diabolo ſuadente commiſit. Sicque reddens quod auferre molitus eſt, petitâ veniâ, vacuus repedauit.

Fur celeſti vindicta plectitur.

Debilis quidam ſanatur.

CAP. XXXI.

DEbilis quidam ita mẽbris omnibus cõtractus, vt nullo pacto per ſe quoquam progredi potuiſſet, ad memoriam B. Galli à ſuis perlatus; & quotidiè iuxta ſepulchrum in crypta collocatus, dum vſque ad Veſperam ibidem orationibus inſiſteret, ab eiſdem ad hoſpitium reportabatur. Quod dum aliquot ageretur diebus, Preſbyter quidam eiuſdem congregationis die quadã in ipſa Eccleſia non longe ſacris oblationibus operam dedit: ſubitóque præter illos cum nullus adeſſet æger cœlitùs per merita, vt credimus, S. Galli, cuius ſuffragia ſedulò flagitabat, viſitatus confuſa horribiliter cœpit voce perſtrepere, ita vt idem Sacerdos intra ſacra Miſſarum ſolemnia, ſicut ſæpius teſtari ſolitus erat non minimo quateretur terrore & metu. Cumque circumſpiciens, oculis cuncta luſtraſſet & per alicuius præſentiam magnitudinem timoris deſideraret euincere, membris miſeri ad ſtatum ſuum redeũtibus, crepitum quaſi virgarum in ariditate fractarum audiuit: & huc illucque ſe præ anguſtia vertens, poſt paululum eum qui debilis fuerat, ſanum de crypta prodire conſpexit. Cui etiam tanta mox ſanitatis acceſſit per-

Cõtractus ſanatur.

fectio, vt ſine infirmitatis obſtaculo, optato deinceps potiretur inceſſu.

Nauſeabundus quidam curatur.

CAPVT XXXII.

IN eadem Alemannorum Prouincia quidam diues tantum valetudine contraria tabeſactus eſt, vt penè per annum integrum faſtidio laborans deficeret, & ſolatia alimentorum, vt ſanitatis recuperatio poſcere videbatur, percipere vel continere non potuiſſet. Is ad Cœnobium B. Galli pro hac eadem cauſa perductus eſt. Poſt diuturnas igitur preces & ſuſpiria cum ſacræ oblationis conſummaretur officium, benedictionis panem de manu Sacerdotis accepit. Quo comeſto, caruit faſtidio, & deſiderio victualium congruè percepto, benedicens Domino, & merita S. Galli miratus, ſanus cum gaudio ad propria remeauit.

Nauſea pellitur.

A ferreis vinculis quidam abſoluitur.

CAP. XXXIII.

PAuperculus quidam propter homicidij reatum circulis ferreis tam in collo, quàm in vtroque conſtrictus brachio, quàm grauibus quotidie ſupplicijs affi ceretur, per ſulcos, quos ferrum carnibus eius inflixerat, videntibus fidem fecit. qui cum multa Sanctorum loca pro eiuſdem cruciatus remedio, & admiſſi ſceleris abolitione luſtraſſet, diuina tandem miſeratione reſpectus, nexus quibus in collo vel vno brachio ſtringebatur, amittere meruit: & cum fortè in viciniam Cœnobij S. Galli veniſſet, per viſionem ei, ſicut referre ſolitus erat, præceptum eſt vt Sancti viri patrocinia quærens, Monaſterium adiret: paritérque indicatum, quod ibidem circulum, quem vno adhuc ferebat in brachio amiſſurus, & optatæ gratiam ſanitatis eſſet adepturus. At ille deſiderio promiſſæ ſanitatis ardeſcens, vtpote qui tanto tenebatur cruciatu, vt totum iam brachium ferro immerſo in tumorem eſſet conuerſum, iter ad Monaſterium maturauit. Cumque nocturnis ibidem Vigilijs intereſſet, alto ſopore depreſſus, ſenem aſſiſtere videt canitie venerandum, caſula indutum ſibique dicentem: Quid tu homo, cæteris laudem Domini celebrantibus, ſomni torpore deprimeris? Cuius præſentia perterritus, cum reſponſum reddere non auderet, baculo ſenex, quem manu geſtabat, locum ei vulneris tetigit. Diffi liente itaque longiùs ferro, præ dolore, quem ex atractu perſenſit, horrendis vocibus adſtantes perterruit. Quibus percontantibus qua pro cauſa pſallentes inquietaret, cuncta per ordinem, quæ viderat, retexuit; & licet recenti adhuc vulnere non careret, pro amiſſione tamen ferri, cuius nexibus cruciabatur, quia ſanitas in promptu erat, gaudio replebatur ingenti.

S. Gallus in viſione ſanat miſerum.

De Miraculo in inſtrumento, cui lampades imponuntur, declarato.

CAP. XXXIV.

ALio quoque tempore Frater quidem, qui in eadem Eccleſia cuſtodis fungebatur officio, cum farum, quæ ante altare S. Galli pendebat, pro incendendis luminaribus ad inferiora deponere debuiſſet, incautè funem, quo ipſa farus dependebat, retraxit. Qui ſtatim è manu dilapſus, paxillum, cui inſertus erat, de pariete extraxit. Cumque eadem farus ſub nimia celeritate ſolo appropiaſſet, repentè ſubſtitit, & abſque vllo humanæ retinaculo artis, in aëre ſuſpenſa remanſit. Cuſtos igitur, miraculi ſtupore perculſus, allato igni lampades omnes accendit, & plurimis hoc factum cernentibus, abſque pinguedinis effuſione ſeu diminutione lucernarum, altius ipſam farum, quam pendere ſolebat, retraxit. Deo itaque laudes à cunctis, gratiæ referuntur ab omnibus, qui ad declaranda Patris eximij merita, ſtupendi nouitate miraculi, lumen Sanctis aptatum vſibus, vel ad horam loco venerabili deeſſe paſſus non eſt.

Farū dicis inſtrumentum penſile, in quo lampades reponuntur in tēplis. Vide mirū quiddam.

Lampades miro modo conſeruatæ.

CAPVT XXXV.

IDem Frater dum alio tempore lucernas vitreas in eadem lauaret Eccleſia, alius quidam

Non frãguntur lampades vitreæ repentino caſu.

quidam ibi incautè deambulans, cum ſe alio repente vertiſſet, quaſdam iuxta poſitas veſte attactas pauimento deiecit, ita vt violento eiuſdem deiectionis impulſu vſque in Eccleſiæ cancellos ferrentur: Sed miro diuinæ operationis modo abſque læſione repertæ, ſuis continuò non ſine admiratione reſtitutæ ſunt locis.

Vt Curatus ſit medicus perículosè laborans.

CAP. XXXVI.

FRater quidam eiuſdem congregationis, medicinali ſcientia non ignobiliter inſtructus, dum quodam tempore incidi ſibi cum phlebotomo venam feciſſet, & præpropera feſtinatione poſt modicum quippiam operis incautè faceret, ſtatim non ſolum brachium, cuius venam inciſio vulnerauerat, verum etiam totum corpus eius tumore diſtenſum eſt. Qua ex cauſa accidit, vt mortem ſuſpectam habere cœpiſſet, quippè quia viderat ſuæ ſibi artis induſtriam ſtudioſius adhibitam, nihil prodeſſe. Sequenti itaque nocte vidit in ſomnio placidæ grauitatis ſenem ſibimet aſſiſtere, cauſas infirmitatis blandis inquirentem ſermonibus. Cumque interrogâti totius ex ordine rei replicaret euentum, ſenex dixit ad eum: memento fili vt luce terris reddita, oleo quod in crypta ante altare ardere conſueuit vulneris locum perungas. Nam continuò ſanitatem recipies. Itaque facto manè, quod in ſomnio audierat, cuſtodi Eccleſiæ retulit: pariterque cum illo baſilicam ingreſſus, vt edoctus fuerat, certus de promiſſione peregit. Nec mora ſacro perunctus liquore, toto corpore detumuit, & integerrimam aſſecutus eſt ſanitatem.

Oleo lampadis reſtituitur periculoſè laborans.

Puella à natiuitate cæca illuminatur.

CAPVT XXXVII.

videt, quæ nunquam viderat.

MVlier quędã vnicã filiam, ab ipſa vt referebat, cœcã natiuitate, proprijs humeris ad Monaſteriũ portauit, eamque ante altare S. Galli deponens, ſolo proſtrata, precibus pro illa diutius incubuit, illaque orante deuotius, ſubito puellula huc illucque in pauimento volutata, miſerabiliter exclamat: Et inter anguſtias ac gemitus optato viſu donata, gratiſſimum omnibus, qui aderant, præbet ſigni perſpicuitate ſpectaculũ.

Ægrotus quidam puluere tumuli & oleo curatur.

CAPVT XXXVIII.

IN eodem Monaſterio inter ſcholaſticos tunc temporis erat quidam puerulus, pauperculis licet parẽtibus oriundus, ſtudio tamen diſcendi ſatis intentus. Cumq; immatura morte vtriuſque parentis ſolatio nudaretur, quamuis quotidianum victum ſuis laboribus aſſiduè quæritaret, nequaquam tamen boni ſtudij, etiam neceſſitate compellente, inſtantiam dereliquit. Is lateris quodam dolore percuſſus, vſque adeò graui per longa temporum ſpatia infirmitate contabuit, vt in vno latere, ab humero videlicet vſque ad extremam corporis partem, vlcera ſaniem emittentia paterent quamplurima. Qua infirmitate in tantum grauatus eſt, vt vix iam ſine aliorum adminiculo quoquam greſſum mouere potuiſſet. Sed cum corporale medicamentum, quamuis ſæpiſſimè adhibitum, nihil illi prodeſſet, & iam iamque deſperaretur à cunctis, cuſtos Eccleſiæ in feſtiuitate B. Galli cineres de ſarcophago illius collegit, & oleum, quod ante ipſum altare ardebat admiſcuit, adductique corpus pueri ea parte perunxit, quam dolor poſſederat. Qui die altera, vlceribus iam ſuperductis ſanus inuentus, ob memoriam redditæ ſibi ſanitatis reliquum vitæ tempus in eiuſdem ſancti loci excubijs fideli deuotione tranſegit.

En quanta vis ſit pulueris & olei apud ſepulchrum S. Galli.

Puellæ cuiuſdam manus arida reſtituta.

CAPVT XXIX.

POſt aliquantum temporis puella quædam iam multos per annos manus aridæ & curuatæ pondus ferens inutile, ad Monaſterium cum matre peruenit. Cumque pio voto manui torpenti globulum lini ſuperponens, ad altare ſancti confeſſoris accederet, impoſitura quod attulit continuò manus ipſa reſtituta eſt ſanitati.

Cera à ruſtico è templo ſublata, vertitur in lapidem.

CAPVT XL.

Cera furtiua mutatur in lapidem.

TEmpore verò alio ruſticus quidam in eadem B. Patris baſilica ceræ particulam ſuis aptandam vſibus, ab altari occultè diripuit. Indè regreſſus ad hoſpitium, dum de ſinu ceram ad quodlibet opus ex ea faciendum protraheret, in duritiem lapidis conuerſam inuenit. Continuóque recurrens ad Eccleſiam, loco ſuo quod abſtulerat, reſtituit: & adſtātibus ſuā ſalubriter cōfeſſus proteruiam quod factum fuerat, indicauit. Qui rei nouitate ſtupefacti, dū inter admirationem eandem particulam, certius rem cognituri, tollerent de altari, mirum dictu, in priſtinam ſuæ naturæ molitiem reperêre mutatam.

Lapis in ceram.

Muto vox reformatur.

CAP. XLI.

IVuenis quidā pauperculus orationis cauſa Monaſteriū adiens fratrem ſuum iamdudum amiſſæ vocis diſpendia deplorantē, ſecum adduxit. Cumque altari S. Galli appropinquaſſet Presbyterum quendam ibi ſacroſancta tractantem miſteria conſpexit, & conſummationē ſacræ actionis operiens, eiuſdem ſacerdotis ab officio redeuntis genibus aduoluitur, & vt pro muto dignaretur aliquas fundere preces ad Dominum inſtanter exorat; & ille, huiuſmodi deſiderio ſatisfaciens, primò orationem pro miſero fecit: deinde crucis eum muniuit ſignaculo, ac ſic dominici corporis & ſanguinis ſacramento firmauit. Quo facto, reſolutis linguæ vinculis, qui mutus aduenerat priſtinæ locutionis recepit officia.

Mutus loquitur.

Puer contractus reualeſcit

CAP. XLII.

PVerum quendam membris omnibus ita contractum, vt per ſe nullatenus quoquā progredi potuiſſet non longè in itinere, quod ad Monaſterium ducit, hi qui eum ferre ſolebant, ſolum dimiſerunt. Armentarius autem quidam per eandem viam de ſylua ad Monaſterium tēdens, dum iacentem miſerum conſpexiſſet, ait ad eum. Quomodò & vnde, ô flebilis aduenisti? Quóue ſecuritatis genere in hoc ſolitudinis horrore non timuiſti remanere? Quò itaque venire deſideraſti? & ille: pro his, inquit, calamitatibus, quarum me numeroſitate ſeptum vides, ad B. Galli patrocinia multo iam ex tempore peruenire cupiueram. Sed ecce hi, quorum me labore illuc deferri ſpetabam, modo viæ longitudine fatigati, me miſerum in hac ſolitudine reliquerunt fame cruciandum, & beſtijs lacerādum, hiſque ille queſtibus per compaſſionem ad miſericordiam flexus, puerum humeris impoſitum per vnum miliarium ad Monaſterium portat. Quē deinde frater, cui ſuſcipiendorum pauperum cura commiſſa eſt, aſſumens congrua manſione refouit. Nocte itaque quadam circa nocturnas vigilias cæteris, qui ſimiliter ſuſcepti fuerant, ad Eccleſiam feſtinantibus, cœpit idem puer omnes attentius exorare, vt ad baſilicam deferretur: Cunctiſque id quod petebat, denegantibus, cœpit crebris B. Galli nomen inuocare clamoribus: Deindè etiam horribilius perſtrepere, ita vt nō paruum audientibus terrorem ingereret. Itaque quibuſdam vt cauſas anguſtiarum eius agnoſcerent, introeuntibus, ſanus inuentus eſt, & cum gratiarum actione ad Eccleſiam properauit.

Miſero cōtractus S. Gallum implorās ſanatur.

Puella paralitica curatur.

CAPVT XLIII.

PVellam paralyſi multo tempore laborantem, ſui ad Monaſterium detulerunt: quæ in Eccleſiā deportata, ad lectionem Euangelij, quæ in nocturnis ſecundum conſuetudinē regularis officij recitatur excubijs, circumſtantes, vt ſe à terra ſuſtollerent, & inter manus ſuſtentarent cœpit rogare. Cumque ſubleuata fuiſſet, dimitti ſe poſtulauit. Illis autem id facere metuentibus, ne forte caſu ſubito læderetur, valere ſe confidentius affirmauit. Igitur dimiſſa, per ſe ſtetit, ac deinceps totius corporis reſumpto vigore, ſana receſſit.

Paralitica reualeſcit.

Fœmina

Fœmina cæca lumen recipit.

CAPVT XLIV.

CVius dam patris familias nō longè à Monaſterio commanentis ancilla, dum fortuitò domus ianuas aperiret turbo venti puluerem & paleas in faciem eius & oculos proiecit. Statimque creſcente moleſtia, paulatim ei viſus decreuit, donec horrendis penitus tenebris cingeretur. Hæc ad Eccleſiam B. Galli perducta, cum eius ſuffragia primo ingreſſu deuotiſſimè precaretur, recepto quod amiſerat lumine, gaudens abſceſſit.

Redditur cæca lumē.

Candela cœlitus ardet.

CAPVT XLV.

NOn multo interiecto tempore, dum Feſtiuitas Octauarum Epiphaniæ annuo celebraretur Officio, cunctis tēpore ſacrificij ad Eccleſiam conuenientibus, luminaria & candelæ incendebantur ex more, vna autem candela ſine lumine inter cæteras ardentes dimiſſa, inter ſacra Miſſæ ſolemnia principalis, primo cœpit paulatim fumo tenui vaporare: Deindè videntibus non paucis flammam concipiens, & cæteris clariùs rutilans, ſigni effectum ſplendoris ſingularitate commendauit.

Illuſtre miraculū.

Scoti cuiuſdam multiplex ſanatur morbus.

CAPVT XLVI.

NVper quoque de natione Scotorum, quibus conſuetudo peregrinandi iam pene in naturam conuerſa eſt, quidam aduenientes, vnum è ſuis conuiatoribus multiplici peſte poſſeſſum, in eodem Monaſterio dimiſerunt. qui cum aliquantis ibidem moraretur diebus, & quotidie infirmitatis ſuæ remedium plena fide depoſceret, nocte quadam ſenem ſibi per ſomnum vidit aſſiſtere, geſtu & habitu venerādum. quem, quis eſſet, interrogans, beatiſſimum Gallum fuiſſe perdidicit, & protinus ad illum: Cernis, inquit, ô domine, toto me corpore diſſolutum, meritorum tuorum quotidie euidentiam præſtolari. Noli ergo, quod te aliquādo credo facturū, differre diutiùs. ad hoc enim vſque me reſeruatū eſſe cognoſco, vt ſicut his barbatis virtus tua latiſſimè claret, ita etiam gentis tuæ hominibus meritorum tuorum fulgor innoteſcat & claritas. Scis ipſe, ſcis, inquam, à natali ſolo quàm longè ſim diſiunctus, quantaque inter peregrinationis anguſtias corporis debilitate cōpreſſus. Succurre citiùs, opitulare quantocyùs. qua ille motus querimonia, vultu placido paucis ita reſpōdit: Die mortalibus reddita, Eccleſiam petito, & videbis diuino te meliùs ſubleuari conſilio, quam patriæ vel parentum ſolatio. Manè facto, ſummo animi geſtientis ardore ad baſilicam properat, & iuxta tumulum B. Galli promiſſionis memor precibus inſiſtit. Poſt orationem & lachrymas angulo ſarcophagi adnixus, cœpit ſe ſenſim erigere: nec prius lecti angulum, cui innitebatur, deſeruit, quam ſtatura erecta & accepto robore, per ſe ire & redire potuiſſet. Qui tempore procedenti plena ſanitate donatus in eodem Monaſterio precibus & ſanctæ vitæ deſeruiens, hactenus conuerſatur.

Scoti ſiue Hiberni peregrinationi admodum dediti.

Morbidus reſtituitur.

Operis Concluſio.

CAP. XLVII.

HÆc de copioſiſſima ſegete B. Galli virtutum memoriæ horreis grana libuit commendare, & noſtris & aliorum partibus profutura. Poterunt hæc enim plurimum diligentibus iuſtitiam ædificationis conferre: quia & morum honeſtatem inſinuāt, & ad laudem Domini, quia ita Sanctos ſuos glorificat, deuoti Lectoris animum vel auditoris inflammant. Cæterùm tot & tanta ſunt eiuſdem Sancti Patris miracula, vt nec à ſtudioſis ſcriptoribus propter copiam ſui poſſent comprehendi, nec à faſtidioſis lectoribus ſine tædio & rugata fronte percurri. Ea verò huic operi tantum inſerta ſunt, quæ & veracium relatione teſtium veritatem cuſtodiant, & modetata breuitate nullius, quamuis etiam vtilia nauſeantis, mentem offendant.

Miraculorum commemoratio quid conferat.

PRÆCATIO.

OBſecramus itaque te, B. Galle, Chriſti Confeſſor, vt ſicut ſanitatem corporum meritis tuis multis, te contuliſſe retulimus, ita noſtris mentibus diuinæ miſerationis medelam implorare digneris. Amen.

Finis vitæ Sancti Galli Abbatis.

ADDITAMENTA AD VITAM S. GALLI ABBATIS.

EX MARTYROLOGIO SANCTI Notkeri.

EODEM die (*ſcilicet xvij. Kalendas Nouembris*) apud Alemannos, qui & Sueui, iuxta Alpes Rhetianas, depoſitio ſiue tranſitus, vel ad æternam vitam natalis dies beatiſſimi Galli Confeſſoris feſtiuè celebratur. Qui de Inſula Hibernia, quæ inter Britanniam & Hiſpaniam ſita eſt, diuini amoris inſtinctu cum magiſtro & Abbate ſuo Columbano peregrinaturus per Gallias iter agens, Alemanniam ingreſſus eſt. Veniens igitur in eremum, quæ ſita eſt inter Alpes Rhetiarum & Brigantini marginem lacus, Patre Columbano Italiam petente, infirmitate detentus eſt. Qua diuina medicante manu, deuicta, ſanitatéque recepta, ſolitariam ducere vitam deſiderans, eremi ſecreta ſoli Deo vacando non vacans fouebat. Rex igitur Sigebertus vt audiuit in publicis eum commorari poſſeſſionibus, iuſſit fieri conſcriptionem firmitatis, vt vir Sanctus locum, quem incolebat, per authoritatem obtineret, datis etiam illi auri argẽtique põderibus, * Cunzoni Duci præcepit, vt ſi ſolitudinis incola vellet, ſolatiorum ei copiam ad ædificandam cellã ſubminiſtraret. Athleta itaque Dei ſpirituale conſtructũrus ædificium, parſimoniæ, orationibus, vigilijſque inſiſtens, populum ab errore Idololatriæ reuocauit, ſimulachra eorum confregit, ſignorum effectu prædicationem ſuam audientibus commendauit. quarum numeroſitatem, quia liber vitæ & virtutum eius vbique habetur & legitur, hodieque per miracula, quæ prius geſta ſunt, augmentantur, in præſentiarum ſuperſilimus, hoc ſolum commemorantes, quod diuina pietas Beatum Gallum genti Alemanniæ Apoſtolum fecit, qui nationem, quam Paganiſmo inuolutam reperit, fidei veritate imbutam, de tenebris ignorantiæ, ad ſolem iuſtitię, qui Chriſtus eſt, ipſe callis Dei ſolers viator reduxit, ac locum quem eatenus humanæ naturæ inacceſſibilem, ſoliſque beſtijs, ſerpentibus & dæmonijs obſeſſum inuenit, exturbatis hoſtibus, diuinitati habitaculum exhibuit. Videndum ſummopere ac timendum eſt, ne tabernaculum Dei, quod demonſtratione diuina, multiſque ſudoribus vir Sanctus erexit, quodque Regali authoritate in ſortem & funiculum hæreditatis Dei ſequeſtratum eſt, aliqua humanæ præſumptionis temeritate impetatur, ne auaritia occupet hominum, quod à rabie dæmonum, & ſæuitia expurgatum eſt belluarum. Poſtremò, ne quò delati ſunt ab equis indomitis artus Galli defuncti, ibi eum moleſtare præſumat inquietudo quælibet auſus humani.

*Guntzoni.

Etinſterius

Et inferius XVI. Nouembris

Item tranſlatio Sancti Galli,& dedicatio* oppiparis & decentiſſimæ baſilicæ ipſius, quæ inter duos montes *Cirrium* & *Vvaltrammesberch*, conſtructa eſt, à meridie habens fluuium *Steinaha*, ab Aquilone fluuium Nigraha. Qui locus ex ipſius beati nomine, ſancti Galli Monaſterium cognominatur. Vbi Domino virtutum eius merita declarante, cæci illuminantur, ſurdis auditus tribuitur. mancis operari conceditur, multi linguarum laxatione gratulantur, claudis greſſus dirigũtur, Energumeni à ſpiritibus nequam liberantur: Clinici atque contracti indepta gratis ſanitate eriguntur, dolor dentium, medicina trabis compeſcitur, reliquarum etiam infirmitatum exinanitio ibidem efficitur.

** oppipara i. maximis ſumptibus extructa.*

Ex Petro de Natalibus de geſtis Sanctorum lib. 9. cap. 72.

Gallus Abbas ex Hibernia claris parentibus natus, & Sancto Columbano in diſcipulum traditus, ab eodem ſacris literis eruditus, & Monachus ipſius effectus ad ſacerdotium promotus eſt.

VERSVS RATPERTI DE FESTIVITATE SANCTI GALLI.

ANnua ſancte Dei, celebremus feſta diei,
Qua Pater è terris ſydera Galle *petis.*
Ecce dies populis micat læta ſanctiſſima noſtris,
Quorum tu princeps auctor ad aſtra micas.
Finibus occiduis *abiens, ſuccedis Eois,*
Dans lucem plebis dogmatis igne tui,
Quæ tenebroſa fuit fidei, nec luce refulſit,
Per te cæleſtem cœpit habere diem
Hic vbi nocticolæ renuere cubilia laruæ,
Ad laudem Chriſti pſallit vbique chorus.
Hic fuit ecce feris ſtatio grattiſſima ſæuis;
Nunc ſedes Sanctus *te * reſonante manet.*
Tu pater huc veniens, fers tecũ pacis honores.
Hinc totum pellens quicquid adeſſe nocet.
Expuleras nocuum, complens dulcedine totum
Quo corpus linquens, Spiritus aſtra petit:
En hodie meritum tu poſt certamina palmam
Sumpſiſti Galle, *protege nos hodie.*
Iam ſuper aſtra nitens famulorum ſuſcipe laudes,
Qui tibi deuoto nunc iubilant modulo.
Aſpice propitius venerantes nobile pignus,
Corpus præclarum Galle beate *tuum.*
Aſpice quæ canimus, expugna corda benignus,
In rebus cunctis rector adeſto tuis.
Hinc Domino trino laus pangamus & vno;
Qui nos nunc talem fecit habere patrem.
Amen.

** M.S. vitioſe: reſpuente.*

Anno 660.

VITA S. MAGNI CONFESS. QVI ET MAGNOALDVS

FESTVM S. MAGNI CELEBRATVR 6. SEPTEMBRIS.

AVCTORE THEODORO, MONACHO SANCTI GALLI, & Campedonenſi Abbate primo, eius Diſcipulo, ex membranis M.S. Monaſterij S. Magni in pede pontis Ratiſponenſis. Ex tom. 5. Antiq. lect. Henrici Caniſij.

DE EO QVOD S. GALLVS FRATREM MAGNOALDVM B. Columbano repræſentauit.

CAPVT PRIMVM.

Aliqui legunt, in Hibernia ſed mendosè, vtnotum eſt ex S. Ionain vit. S. Columb & Vvalefr. Stra.in vita S. Galli & alijs.

ITAQVE in tempore illo cum Beatiſſimus Colũbanus ſimul cum Beato Gallo nepote ſuo diuerſa loca perluſtraret ad diffamandum verba Dei, & peregrinandi cauſa ex Hibernia perueniret, quidam Frater nomine *Magnoaldus*, ex præfata patria Hiberniæ procreatus, pulſare cœpit aures B. Galli, Diſcipuli Sanctiſſimi Columbani, ita alloquens: B. Magiſter & Domine video vos in ſeruitio Dei tantum ſollicitos eſſe, vt Eremum concupiſcentes quantiſper ibi morantes, beſtiarum ſcilicet vrſorum, bubulorũ, luporum multitudo frequentet, & ad veſtrum imperium recedat. *M S. Pabulorum.* Vndè veſtris veſtigijs prouolutus depoſco, vt ſpreta falleramenta ſæculi, & præſentium pompam facultatum contẽnens æterna præmia capere merear. Quod Beatus Gallus cernens, eum ad pœnitentiæ medicamẽta concurrere vniuſcuiuſque Cœnobij ſepta, vbicunque Dominus iuberet per eius orationem concupiſci, Beato Columbano hoc indicans obtulit eum ſuis obtutibus: Sciſcitans ab eo conſilium & voluntatem. Cui Beatus Columbanus reſpondet: pergentes ergo filij in Eremum voluntatem Domini probemus, vtrum deſideratum arripias iter, an non.

De eo, quod S. Columbanus Fratrem Magnoaldum in piſcatione probauit.

CAPVT II.

PErgentes ergo ſimul tertium adoleſcentem, nomine *Sonarium*, in comitatum ſumunt, & ad deſtinatum in Eremo locum venerunt, vnius panis tantum cibo cõtenti. Cumque iam tertius tranſiſſet dies, ne quicquã panis fragmentum remanſiſſet, horaque refectionis appropinquaret, imperantur à Patre, vt prærupta *turis eant, atque ad ima vallis perueniant, & quidquid ad cibum opportunè reperiant, deferant. Ouantes illi, per concaua vallis, inuenerunt capturam piſcium olim à paſtoribus conſeratm in amne, qui vocatur *Lignona* vndiſque oppoſitam.

** rupis legendum videtur.*

tam. Quod inſpicientes, & Deo gratias agentes ſumenteſque tres, quos repererunt piſces, venerabili patri præſentauerunt. At ille Spiritu ſancto nouerat ſibi paſſim à Domino dapes paratas, & cum gratiarum actionibus ſumpſerunt cibum; & poſt cibum iterum gratias conditori egerunt. Quod inſpiciens *Magnoaldus*, ſequẽs beatum Gallum, læto animo promittit ſe eorum imperijs pariturum & Chriſto Domino iugiter ſeruiturum.

De eo, quod S. Columbanus Magnoaldo habitum Monachicum tradidit, & propter miraculum factum nomen ſyncopando Magnum vocauit.

CAP. III.

Columbanus impoſuit ei nomen.

QVem vir Sanctus Columbanus ſuis beatis receptum manibus in obedientiam poſuit, donatumq; iuxta magnificentiam ſuam nomen impoſuit dicens. Magnum te faciat Dominus in ſapientia & aſtutia, à cuius magno nomine *Magnoaldus* vocaris. Addidit iterum: cognita ſint tibi omnia miniſteria monaſtica, à quibus cognomen habebis, *Magnoaldus*. Factoque monacho, tradidit ei clauem cellarij; ſtatim aperuit Deus voluntatem ſuam aduerſus B. Magnoaldum in iſto miraculo patrato. Cum iam hora refectionis appropinquaret, & miniſter refectorij *Sonarius* ceruiſiam adminiſtrare conaretur, vas quod Typum nuncupant, ad cellarium deportauit, & ante vas, quo ceruiſia cõdita erat, apponit, tractoque ferraculo, meatim in Typum currere ſinit. Quẽ ſcilicet *Sonarium*, ſubito patris imperio *Magnoaldus* celeriter vocauit. At ille, ardẽs obedientiæ igne obſerare meatum oblitus, pernici curſu ad B. pergit virum, & ferraculum manu tenens, ante conſpectum B. Magnoaldi aſtitit, videntibus & ſentientibus hoc Colũbano & Gallo. Poſtquã autẽ ſibi vir Dei *Magnoaldus* quæ voluerat imperare depromiſit, interrogauit eum: Quid eſt *Sonarie* quod habes in manu tua? at ille viſo ferraculo, recordatur negligentiæ, & citò ad cellarium redijt, exiſtimans nihil in vaſe, quo ceruiſia remanſiſſe. Intritus ergo vidit ſupra Typum ceruiſiam creuiſſe, quatenus, qualis & quanta rotunditas infra Typi erat coronam, tantum in altum creuiſſe, vrna videretur; & ne minimam ſtillam foris cecidiſſe. quod tale miraculum inſpiciens, ad pedes *B. Magnoaldi* acceſſit, narrans ei omnia, quæ acciderant, & quæ viderat. Ille pauore perculſus, quid agere deberet ignorans, concituſque perrexit ad *Vvinniacum* presbyterum? quem aſſumens ſecum ad cellarium duxit, & omnia ſecundum narrationem pueri *Sonarij*, inuenit. Corruens ergo ad pedes eius, ita locutus eſt. Domine *Vvinniace* quid dicturi ſumus Domino Patri Columbano, ſi hæc audierit? At ille reſpondit: abſit frater, vt miſericordia Chriſti tanto viro, patrique noſtro celetur. & concito gradu perrexerunt ambo, veneruntque ad pedes Columbani, & narrauerunt ei omnia quæ acciderant. quibus Columbanus ait: fratres mei, hoc non meis meritis actum eſt, ſed interceſſione viti Dei *Magnoaldi* Ille hoc audiens, proſtrauit ſe ad pedes magiſtri, & dixit: Domine pater? noli hoc dicere, ſcio pro veſtris meritis hoc actum eſſe, non meis. Reſpondit B. Columbanus: tace frater. Scio vtique, quia vidi Angelum Dei præcedentem te, quando *Sonarium* vocabas, qui dum ſignum crucis ſuper Typum fecit, ſicera in modum coronæ, ſicut vidiſti, fecit. O magnum diuinę potentiæ donum, quæ adhuc neophyto ſuo ſeruo tantam gratiam conferre dignata eſt, vt iam *Magnus* inter fratres voceris! Ad hæc conticuit, *Magnoaldus*, gratias agens Deo in corde ſuo de magna miſericordia eius.

De hoc etiam Ionas in vita S. Columbani cap. 16.

De eo, quod vrſus ad præceptum Sancti Magni poma cuſtodiuit.

CAP. IIII.

Vrſus præcepto S. Magni paret.

EO itaque tempore cum ſub quodam ſcopulo, inter vaſta Eremi corpus afficerent ieiunio Beatus Columbanus & Gallus, nihilque aliud, præter ruris poma in cibis capere valerent, venit quadam die vrſus, cœpitque neceſſarios cibos carpere, ac paſſim poma ore detrahere, cumque iam hora refectionis aduenisset, dixerunt ad B. *Magnoaldum*: Frater, tibi cognita ſunt poma meliora, vade & defer nobis conſuetam mẽſuram pomorum, qui cum abiiſſet inter denſas frutices vrſum proſpexit, & iuſſa patris implere volens, timuit valdè. Tandem confortatus in Domino, ait ad feram: in nomine Domini

noſtri Ieſu Chriſti ſta pauliſper, donec legam poma, quæ patribus noſtris ferenda ſunt, & tibi dem ex alijs partem comedere. Mira in fera obedientia, feritatis ſuæ oblita, ſtetit, caput inclinatum tenens. Tunc ille diuiſit virga frutices, ruboſq; quæ poma ferebant, elegit partem ex his, quæ iuxta viri imperium meliora erant, ad opus ſuum ferēda, aliamq; partē feræ dedit ad comedendū, dicens: comede tu iſta, cætera alia in vſus B. Columbani reſerua. Fera ergo tantæ obedientiæ extitit, vt nequaquam ex prohibita ſibi parte auſa eſt comedere, ſed inſegregata permiſſaque ſibi fruticum parte, tantummodo cibos caperet. Alia verò die B. *Magnoaldus* iterum poma requirens, inuenit ſalua & bene reſeruata, gratias agens Deo, ait ad feram: in nomine Domini ita age quotidie. obediens autem fera procul dubio poma ſalua reſeruauit, quoadusque vir Dei in loco illo commorauit.

De eo, quòd aues iuſſu S. Magni ad capiendum ſubſtiterunt.

CAP. V.

Quarta vero die iterum Dominus ſuis diſcipulis cibum præbens, tantam copiam alitum illis aduenire fecit vt omnem plagā loci illius ſuppleret. B. verò *Magnoaldus* hoc videns intellexit ob neceſſitatem patris, ſuorumque à Deo, has aues terræ diffundi, & ait ad B. Gallum; iubeat pater hæc altilia capere ad opus fratrum, ſi placet, quoniam à Deo dapes ſunt datæ. Hæc dicente Gallo, ait B. Colūbanus. Tu *Magnoalde*, qui in nomine domini vrſo iuſſiſti reſeruare poma, ad opus noſtrum; fac iterū iuxta nomen tuum magnū opus, & impetra à Deo vt volatilia maneant, donec capiantur à fratribus ad vſus neceſſarios. Ille mirans, quomodo palam factum fuiſſet B. viro de fera, tamen nō audebat eum interrogare, ſed iuſſu eius proſternēs ſe in orationem, pariter cum B. Columbano & Gallo orabat. Erigens autē ſe Abbas dixit *Magnoaldo*: Surge, præcipe capere aues. Surrexit *Magnoaldus*, gratias agens conditori, cœpit aues capere cum reliquis fratribus. Miraculum valde mirum & ſtupendum! Capiebantur aues, prout patris imperium erat, nec abſcedere pennigera fuga nitebantur, donec B. *Magnoaldus* ait: Si patri noſtro placet, habemus per triduum aues ſufficienter, & ideo bonum eſt vt recedant. Sicque alitum falangas abire iubet, & ſumpto volatu, qui remanſerant, receſſerunt, ſicque diuina miſericordia ex vicinis vrbibus frumenti copiam per bonos viros in gyro manentes per manus fœlicis Galli & *Magnoaldi* direxit ad beatum Columbanum.

De peregrinatione Sanctorum Columbani, Galli, & Magni, & ad locum Turicinum peruenerunt.

CAP. VI.

Nterea ruit cogitatio in mentem, quatenus Sclauorum terminos adiret, eorumque cæcas mentes Euangelica luce illuſtraret, ac ab origine errantibus viam veritatis panderet. Cùmque hæc beatis Gallo & *Magnoaldo* narraſſet, & ita patrari ſe velle profiteretur, B. Gallus dixit *Magnoaldo*: frater, quid tibi videtur de hoc itinere noſtri Abbatis? Reſpondit, Domine Magiſter: in primis perquirite Domini voluntatem, & poſtea ſi dignum duxeritis ad proficiſcendum, proficiſcemini. Hoc audiens beatus Columbanus iuſſit triduanum ieiunium fieri, & inceſſanter miſericordiam Domini implorari, vt eis ſuam indicaret voluntatem. Tertia verò nocte Angelus Domini per viſum illis tribus apparuit, & ambitu paruo, quaſi paginalis orbis ſtylo deſcribi circulum mundi compage monſtrauit. Cernitis, inquit, quod totus orbis maneat deſertus? Dicite Columbano, perge dextera læuaque vbicumque eligas, vt comedas laboris tui fructū, non eſt tibi opus illuc properandi. Hæc audiens B. Columbanus intellexit ſimiliter per viſionem ſibi monſtratam non eſſe gentis illius in promptu fidei profectum, & ideo quieuit in loco ſolummodo contentus vnius magiſtri *Magnoaldi*, qui & Magni famulatu, donec aditus ad Italiam via panderet. Interea orta eſt lis, inæſtimabilis inter *Theodoricum* regem, & *Theodopertum*, vtriſque namque gentium robore inuicem ſuperbientibus. Inter quæ vir Dei ad *Theodopertum* venit, eumque

Angelus illis tribus apparet.

Vide cap. 29. vitæ S. Columb. & cap. 4. lib. 1. vitæ S. Galli.

eumque ſuis ſedibus atque intra ſuis finibus libentiſſimè recepit, deditque optionem quemcunque in parte voluiſſet experimento quærere locum, qui ſibi & ſuis placeret ad habitandum. Inquiſitúmque locum audiuit à Beatis viris Gallo & Magnoaldo, qui iam perluſtrata habebant ſpatia locorum, locum laudabilem fore infra Germaniæ terminos ſitum in Allemannia circa *Rhenum* fluuium, oppidumque olim dirutum, quem Prigantium nuncupāt. quem proculdubiò ratum ducebant fore, vt impetraretur à rege, & partem ſaltus illius iuxta ipſum oppidum ſtantem, vbi apta loco inuenire quiuerant ad manendum.

Prigātiū.

Dedit ergo eis Rex iuxta petitionem Sanctorum Columbani & Galli, ac Magnoaldi præfatum oppidum, locáque vaſta intus in ſaltu conſiſtentia, ſed non plurima niſi pauca ibi inuenire potuerant apta ad cellulam conſtruendam, ſicque per alueum Rheni nauigantes peruenerunt Moguntiam, ibique ab Epiſcopo loci ipſius ſumptis neceſſarijs ſuffulti ſunt, ſicut in B. Colūbani vita habetur, peruenerūtautem ad præfatum oppidum, ibiquemorantes expectabant euentum rei inter *Theodoricum* & *Theodopertum*, B. verò Gallus cum B. Magnoaldo Fratribus, qui iam ex Luxouio venerant, ſimul cum Abbate relictis, quaſi ab hoſtium præda ingreſſi ſunt ſaltum, & in eo huc & illuc pergentes diuerſa loca circumeuntes, repererunt infra ipſius ſaltus terminos loca venuſta, & famulis Dei ad omnem opportunitatem congrua, proximáſque nationes vndique haberi ad prædicandum. Reuerſi ſunt iterum ad virum Dei, laudantes loca quæ inuenerant, quibus vir Dei ait: Ouantes illic moremur aliquod tempus, & conſtruamus Cellam, vſque dum Dominus dederit nobis aditum proficiſcendi in Italiam, perrexerunt ergo ad locū, vnde Beatus Gallus, ideſt circa lacum Turicinum indéque perouantes ad locum antiquum deſtructum qui vocatur *Narbona* demorati ſunt inibi cellam conſtruentes, & euentum inter Theodoricum & Theodopertum expectantes. Cum hæc agerentur ab illis, lis facta eſt inter Theodoricum & Theodopertum iuxta *Tulbiacenſe Caſtrum*, ibique prælio inito innumera hominummultitudo ex vtroque exercitu perijt: victus tamen Theodopertus fugit, ea verò hora, qua apud Tulbicum bellum illud commiſſum eſt, vir Dei Columbanus operantibus diſcipulis Gallo & Magnoaldo cum cæteris Fratribus qui ex Luxouio venerant, ſedens ſupra truncum querci putrefacti librum legebat. Quem ſopor ſubito oppreſſit, dormienſque quid inter duos reges ageretur vidit. Expergefactus miniſtrū Magnoaldum vocat cruentámque ei regum pugnam indicat & humanum ſanguinem multum fundi ſuſpirat.

Locū huc deprauatum omiſimus, donec ex cor rectiori emendetur.

Bellū inter Theodoricū & Theodopertum.

Reſpondet Magnoaldus ad pedes Magiſtri proſtratus: & ego Domine Pater ſopore oppreſſus iacebam ſubtus arborem abietem, & viſum eſt mihi ſimul eos conflictum inter ſe habere, arreptóque baculo volebam Theodoricum percutere & Theodopertum defendere, ſed prohibuit me quædam ſpecies, dicens, non eſt neceſſe tibi eum iduari, quoniam Dominus citò vindicabit Magiſtrum tuum de eo in interitu ignis. Illicò euigilans feſtinabam ad vos venire huc, & hanc viſionem narrare, interim te vocante me. Dum ergo mirarentur ambo de his viſionibus, alius miniſter adſtans *Eunochus* nomine, temerario conatu ait: Pater mi tuis precibus præbere deberes ſuffragium Theodoperto, vt hoſtem communem Theodoricum debellaret & expelleret. Cui B. Colūbanus ait: Stultum ac religioni alienum adminiſtras concilium, non enim Dominus ita vult, qui nos pro inimicis noſtris orare præcepit. Et Magnoaldus inquit: verè Domine veſtra Sanctitas benè de hoc ſentit, quoniam in arbitrio iuſti iudicis eſſe debeat quid de his fiat. Theodoricus verò perſecutum Theodopertum apprehendit, & ad Auiam ſuam *Brunihildam* direxit: ipſa autem eum Clericum factum, nimis impiè perimi iuſſit. Theodoricus morans penes *Metenſem* ciuitatem, diuinitùs percuſſus inter flagrantis ignis incendia mortuus eſt, & B. Columbanus cœlitus vendicatus. Porrò Lotharius collecto exercitu fines regni quæ ſuæ ditioni tenebantur, recepit, & *Sigibertum*, qui ei reſiſtere volebat, cum quinque filijs Theodorici peremit; Brunihildam verò captam, & indomitorum equorum caudis ligatam miſerabiliter vita priuauit, ipſe ſcilicet ſolus triū regnorum

Cap. 20. & 22 vitæ S. Columbani.

Brunichildis condignū ſupplicium.

potitur Monarchia; cognoſcens quippe in hoc facto Prophetiam viri Dei impletam fuiſſe. Vndè & Beatum Columbanum voluit magnis honoribus ditari, ſed ille reſpuens terrenos honores, relicta Gallia atque Germania, Italiam ingreſſus eſt, vbi ab Egilolfo Longobardorum Rege ſuſceptus eſt, largita ei optione intra Italiam quocũque in loco voluiſſet, habitaret. qualiter autem B. Gallum & Magnoaldum Diſcipulos ſuos in Alemannia reliquit non eſt ſilendum quomodo hoc Dei conſultu factum eſt.

De profectione S. Columbani in Italiam, & quod Magnoaldus relictus eſt in Allemannia in ſolatium S. Galli & à populo terræ Magnus vocatus eſt.

CAPVT VII.

PEragratis igitur locis circa locũ Tuiicinum, & peruenientes ad caput loci ipſius, qui dicitur *Tuconia*, inde venerunt ad locum *Bricantium*, qui tunc Conſtantiacenſis dicebatur ad præfatam Cellulam quam antè conſtruxerant, prædicantes populo Chriſtum colere, & ſimulacra vana & ſurda in fruſta comminuere. Ob quã cauſam zelo diabolico populus inflammatus propter ſimulacra diruta & in fruſta comminuta, cœperunt cum Sigiberto principe tractare, vt eos à finibus ſuis eijcerent. Egit autem hoc arte ſua diabolus, vt populum, quem in præſentia lucis, per prædicationem beatorum virorum admittere cœpit, diſcedentès à ſanctitatis fulgore tenebris antiquis occuparet. Igitur Sancti viri moleſtè ferentes quod ſede pellerentur amabili, concilio communi inito Italiam petere decreuerunt, relinquentes Beatum Gallum & Magnoaldum cum nonnullis alijs Clericis, ita dicentes: Deus enim, cui, ſeruiuimus, Angelum ſuum mittet nobiſcum, qui nos perducat ad* *Egilolfum Longobardorum* Regem, vbi eius clementia præparante humanos affectus, & pace plenum habitationis locum inueniemus: vos autem æquo animo eſtote Fratres. Igitur cum iam tempus proficiſcendi inſtaret Beatum Gallũ repentina febris inuaſit, pro quâ re aduolutus Abbatis ſui pedibus, indicans ſe

** Agilulphum.*

infirmitate vehementi laborare, ideóque propoſitum iter non perficere. Ille verò exiſtimans eum pro laboribus ibidem conſummatis amore loci detentũ viæ longioris detrectare laborem, dixit ei: Scio frater iam tibi oneroſum eſſe tantis pro me laboribus fatigari, tamen, hoc diſceſſurus denuncio, ne me viuente in corpore miſſam celebrare præſumas, & cum ei licẽtiam per ſe conuerſandi dediſſet, viam ingreſſus eſt abeundi. Audiens hæc *Magnoaldus*, procidit ad pedes eius dicens: Domine Pater, quid me vis agere ſi eum reliquero, abſque adminiculo erit & deficiet, tamen ſequar te ſi volueris, ipſo relicto, ſicut Petrus ſecutus eſt Dominum relictis retibus ſuis. Reſpondit ei beatus Columbanus: Scio te *Magnoalde* magnum futurum eſſe, & lucrare Deo ex populis orientalibus plurimum, ideoque nolo te mecum proficiſci, ſed relinquo te & *Theodorum* fælicisſimum noſtrum Galli obſequijs parituros, vt cum omni diligentia eius recuperationi ſeruiatis. Dico tamen tibi *Magnoalde*, quid te volo eſſe acturum, & quomodo, cum eo morari debeas, futurum eſt enim, vt peractis aliquot diebus, Diaconatus officium ab Epiſcopo *Conſtantienſi* accipias: Sic volo vt moreris cum Gallo vſque dũ tẽpus veniat, me ab hac luce diſceſſurum eſſe. Itaq; ſi fieri poteſt, vt me ægrotante, tibique ſpiritu Sancto reuelante ad me venire poſſis, gratum eſt mihi: alias mihi defuncto quoquo modo ſit, Domino annuente, reuelatũ fuerit, ſic acceleratè ad ſepulchrum meum feſtina, & inde accipies epiſtolam & *Cambuttã* meam quã affer Gallo vt eum abſoluas iudicio meo. Nuntio autem tibi quòd defuncto Gallo poſt triennium vaſtatũ fuerit ſepulchrũ eius à raptoribus, te & Theodoro inſpiciente. Et vt hoc factum fuerit, reſtaurato ſepulchro eius properè feſtina ad locum vbi auditum habemus, quod Sanctus *Narciſſus* Epiſcopus diabolo præcepit Draconem interficere. Ibi Domino opitulante plurimos ad fidem Chriſti conuertens, animas eorum lucratus eris Domino, atque habebis ibi nomen tibi à Domino impoſitũ, & vocaberis à populo terræ illius *Magnus*, propter fidem quam prædicaturus eris; ibi enim occurrent tibi dæmones multa mala ingerentes, ſed tu confortatus eris à Domino; & his dictis profectus eſt.

S. Columbanus.

S. Gallo Miſſæ ſacrificium celebrare interdicit

abſoluitur Gallus ſententia Columbani.

De eo,

De eo, quod S. Gallus cooperante beato Magno in eremo cellam conſtruxit.

CAP. VIII.

POſt eius quoque diſceſſum Gallus retia ſua & ſagenam naui imponens, cum duobus clericis ſuis *Magnoaldo & Theodoro* ad *Vuilimarum* presbyterum venit, qui ſuſceptus ab eo, & cum omni diligentia ſuis adminiculis præparatis, à *Magnoaldo* & *Theodoro* procuratus eſt: tranſactis aliquot diebus Domino medelam impertiente, qui verus eſt medicus, cœpit ſumere cibos, ſicque per incrementa recuperationis temporum cōfortatus priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt. Beatus verò & fœlix tanto languore liberatus, cœpit laborare in populo, vt eis viam veritatis oſtenderet, & animarum morbos ſua ſacra prædicatione depelleret. Inueſtigato autem à quodam Diacono, nomine *Hiltiboldo*, qui omnes ſemitas eremi ipſius notas haberet, inuenit locum ſpatioſum & planicie formoſum, atque bene aptum ad manendum, circumquaque per gyrum montes excelſos torrentemque optimè fluentē, ſed & feris, & beſtijs atque ſerpentibus, nec non & diabolicis habitationibus plenū. Sumens ergo ſecum duos diſcipulos ſuos B. *Magnoaldum*, & *Theodorum* ad ipſum locum peruenit, cooperante autem gratia ſuis ſanctis interceſſionibus magnique ſui pediſſequi, locus ille à feris & vermibus, ſeu diabolicis inhabitationibus mundarus eſt, & cella facta cœperunt ibi habitare, & Deo ſeruire. Porrò beatus *Magnoaldus* expulſis à ſancto Gallo ab illo dæmonibus, perrexit ſurſum in montem, qui vocatur *Himilimberg* ibique inueniens vrſum, præcepit ei, vt diſcederet in nomine Domini. Et continuò audita voce eius abſceſſit, nuncians itaque hoc latenter beato Gallo, retulerunt pariter gratias Domino, qui ſaluat ſperantes in ſe.

* *Vuilimarus vocatur in vita S. Galli.*

De eo, quod Sanctus Gallus filiam ducis Gunzonis à dæmonio liberauit, & B. Magnoaldus aurum, & argentum oblatum pauperibus erogauit.

CAPVT IX.

INterea nunciatum eſt illis Gaudentium Conſtantienſem Epiſcopum de hac vita emigraſſe, & hoc audito, vnanimes precibus & lachrymis inſtiterant pro requie defuncti paſtoris. Denique non poſt multos dies Epiſtola cuiuſdā ducis, nomine *Gunzonis* allata eſt ad Beatum Gallum: poſtulans, vt quātocyùs poſſet properaret ad eū: venienſque filiam eius vnicam à maligno ſpiritu inuaſam liberaret. Ille verò omnino interdixit tale quid acturū ſe eſſe dignum, & ideo non veniret. Iterumatque iterum præfatus dux deprecans eum per legatos vt acceleraret iter, indicauit iam continuò puellam vexari, & vſque tunc tres dies ſine alimonia perduraſſe, & niſi celeriter aduenisſet, ipſa proculdubio ſpiritum cum diabolo exhalaret. Hæc itaque audiens beatus Gallus proſtratus in oratione diutiſſimè orauit, & cōfiſus de Dei miſericordia & pietate ſumens ſecum duos diſcipulos *Magnoaldum* & *Theodorum* profectus eſt, & venit ad Ducem. Domino igitur gratias agens videns puellam à maligno ſpiritu valde cōturbatam orāte B. *Magnoaldo*, imperauit B. Gallus dæmonio in nomine Domini vt exiret, & receſſit in ſimilitudine auis nigerrimæ cum fętore nimio, atque eadem hora apprehendens manum puellæ eleuauit eam. Et ſurrexit ſana, & reddidit eam matri cū gaudio. Manifeſtauit autem Dominus in hoc ſigno cuius meriti eſſent, Beatus Gallus & Magnoaldus typum ſequentes beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, vt ſicut orante beato Paulo Apoſtolo Petrus dœmonibus, qui ferebant Simonē Magum in aëra imperauit, vt eum relinquerent, & relictus cecidit, ſicque diffuſa ſunt omnia viſcera eius, mortuuſque ſimul cū dæmonibus ad inferna deductus iacet; Ita & iſti, orante B. Magnoaldo & imperante S. Gallo dæmon à puella abceſſit. His ita Domino annuente patratis, dux iuſſit ei dona magna offerri, inſuper vt apicem gradus pontificialis dignaretur aſſumere poſtulauit. Cui vir beatus Reſpondit: Ecce teſtis meus, mihique valde amabilis *Magnoaldus*, ſcit qui hoc vidit quod altaris officium interdixit mihi B. Columbanus magiſter meus non vſurpare, niſi ab eo permiſſus viuente illo.

Qua de re pondus huius regiminis quod offers, ſuſcipere non poſſum, veruntamen ſi hoc indubitāter fieri cupis, ſuſtine me interim, donec præſentem ſodalem meum cum epiſtola mea mittā ad Abbatem meū beatum Columbanum, & ſi eius cognoue-

De tranſitu Sancti Columbani, & baculo eiuſdem, quem Sanctus Magnus de Italia portauit, B. Gallo in ſignum abſolutionis.

CAPVT XII.

QVadam verò die dum poſt matutinali officij laborē, quieſcendi gratia lectos ſuos reuiſerent, primo diluculo vir Dei vocauit *Magnoaldum* Diaconum ſuum, & dixit illi, inſtrue ſacræ oblationis miniſterium, vt poſſim diuina ſine dilatione celebrare myſteria; & ille: num tu inquit, pater miſſam celebrabis? Cui dixit illi: poſt huius vigilias noctis, Dominum & patrem meum Columbanum cognoui per viſionem ad cœlos de huius vitæ anguſtijs migraſſe: pro eius ergo requie ſalutis hoſtiam debeo immolare. Et ſigno pulſato oratorium ingreſſi, & in orationem proſtrari cœperunt miſſas agere indeſinenter poſtulātes pro commemoratione B. Columbani. Finito ſacræ deuotionis officio venerabilis gallus dixit ad B. *Magnoaldum* Diaconem: fili, non tibi graue videatur petitionis meæ pondus, ſed arripe viam, & Italiam petito, percurrēnſq; vſque ad Monaſterium quod *Bobium* nominatur, diligenter perquirito, quid actum ſit circa Abbatē meū. Nota ergo diem & horam, vt ſi eum compereris eſſe defunctum, poſſis agnoſcere vtrum viſio in ea veritatis fulciatur effectu. Hæc ergo omnia ſolicita inueſtigatione perdiſcens, regreſſus nunciabis mihi. Diaconus ad pedes Magiſtri prouolutus ignotum ſibi iter conqueſtus eſt. Sed vir benedictus voce blanda eum ne timeret admonuit, Perge, inquit, & Dominus diriget greſſus tuos. Hac conſolatione roboratus pij Doctoris alūnus præcepto paruit, & accepto benedictionis viatico viam feſtinanter aggreſſus eſt, memor prophetiæ B. Columbani, qui aſſeruit eum venturum eſſe ad ſepulchrum ſuum in Italia, & *Cambutam* ſuam adſumere, Sanctumque Gallum per eam abſoluere. Cumque perueniſſet ad Monaſterium, vt volebat, inuenit omnia ita contigiſſe, ſicut patri ſuo per viſionem fuerant reuelata. Manſit autem vna nocte ibi, & accepit à fratribus epiſtolam ad beatum gallum, continentem venerandi tranſitum Columbani. Qui & baculum ipſius quem vulgo *Cambutam*, vocant per manum Diaconi tranſmiſerunt, dicentes: Sanctum Abbatem ſuum ante tranſitum iuſſiſſe, vt per hoc notiſſimū pignus gallus abſolueretur. Dimiſſus autem ab illis iter accelerauit, & proſperè in omnibus agēs, die octaua venit ad Sanctum Patrem ferens epiſtolam abſolutionis indicium. Lecta epiſtola, S. gallus lachrymas profudit vberrimas, & collectis fratribus cauſas mœroris aperuit. Deinde tanti patris memoriam precibus ſacris & ſacrificijs ſalutaribus frequentauerunt.

S. Gallus Miſſam celebrat pro commemor. S. Colum.

S. Magnus in Italiam à S. Gallo mittitur.

De obitu Sancti Galli, & quod B. Magnus ad eius exequias Ioannem Epiſcopum Conſtantienſem vocauit.

CAPVT. XIII.

INterea commanens B. *Magnoaldus* cum Sancto Gallo ferè annis decem poſt perpetratum iter ab Italia; decimo verò anno videns eum infirmari, & à febrium conſtrictione langueſcere, miſit nūcium ad Ioannem *Conſtantienſis* Eccleſiæ præſulem, inuitās eum ad B. Gallum, qui valde infirmitate iam febrium detinebatur. Audiens ergo Epiſcopus illum infirmari, velociter properare cœpit in partes illas. Cumque iam propè oppido *Arbonenſe* Ioannes præſul appropinquaret B. Gallus a febrium vi valde fatigatus, expletis annis ætatis ſuæ nonaginta quinque, in ſenectute bona, illa anima carne ſoluta eſt, & ab ergaſtulo ſeculari liberata. Itaq; præfatus præſul audiens beatum virum ab hac luce diſceſſum, flens & eiulans peruenit ad locum, vbi Sanctum corpus iacebat. Expletis verò obſequijs tanti viri, cū B. *Magnoaldo* expleta oratione feretrum cum corpore Sancto impoſuerūt ſuper equos indomitos, & abſque fræno vel duce eos dimiſerunt ire, vbi Dominus iuberet. Equi autem indomiti ferentes feretrum māſuetè, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinantes, recto itinere peruenerunt ad cellam, quam vir Dei ſibi conſtruxerat. Et cum perueniſſent ante oratorium, ſteterunt, depoſitoque feretro diſcipuli eius *Magnoaldus & Theodoricus* eleuan-

tes Sanctum corpus intulerunt in Eccleſiam,& ante altare poſuerunt, deinde pariter cum Epiſcopo orationes congruas facientes ſepelierunt eum. Epiſcopo autem ad propria remeante reliquit B. *Magnoaldũ* & *Theodorum* necnõ *Othmarum* virum pulcherrimum cæteris fratribus non plurimis ad cuſtodiendum Sancti viri corpus.

De fractura ſepulchri S. Galli, & quod beatus Magnus flagellatus, vulneratus & deſpoliatus, & derelictus.

CAPVT XIIII.

Al. Etuvinus & Erchenoaldus.

IGitur poſt triennium vt compleretur Prophetia Beati Columbani, quòd ante prædixerat B. *Magnoaldo* venturum fore de Sepulchro S. Galli. *Otvvinus* peſſimus dux, & *Erchenaldus* præfectus conſimilis eius, collecta multitudine populi vallauerunt ipsũ cœnobium & euaginatis gladiis frangentes oſtia,& deſumentes omnia, quæ ibi repererunt in auro & argento & cæteris vtenſilibus, necnon & oratorium ingreſſi fregerunt ſepulchrum beati Galli, putantes ibi magnum theſaurum abſconditum eſſe. Vt autem nihil in eo inuenerunt,(niſi reliqua oſſa B. galli inhumata) interfecerũt omnes, quos repererunt, præter B. *Magnoaldum* & *Theodorum*, quos etiam flagellatos ac vulneratos, atque deſpoliatos, reliquerant iacentes in atrio.

De eo, quod Boſo Epiſcopus Conſtantienſis B. Magno veſtimenta, & alimoniam dedit.

CAPVT XV.

AVdiens hæc Boſo nomine *Conſtantienſis* Eccleſiæ præſul quod violatum eſſet ſepulchrum Sancti Galli celeriter properatus eſt partes in illas,& veniens illuc, inuenit cœnobium deſolatũ, altaria nudata, BB. *Magnoaldum* & *Theodorum* vulneratos, qui ſacri corporis reliquias tumulo reſtituere volebãt, ſed non habebãt vires. Tunc præſcriptus Epiſcopus miſericordia motus ſuper eos conſolatus eſt valde,& ſacrum corpus B. Galli cum ſuis clericis venerabiliter cum Pſalmis & Hymnis, cæteriſque orationibus in eodem ſepulchro recondidit, foſſamque terra repleuit. Data ergo benedictione duobus fratribus *Magnoaldo* & *Theodoro* largitus eſt de ſuo veſtimento, necnon alimonia præbens, dedit eis licentiam proficiſcendi, vbi illis Dominus diſpoſitum iter haberet veniendi.

De eo, quod Boſo Epiſcopus beato Othmaro Monaſterium S. Galli cõmiſit, & S. Magnus cum Theodoro duce itineris Thozzone Presbytero ad lacum Brigantium venit.

CAP. XVI.

MIſit autem poſt *Othmarum* præclarum virum, qui fugam iniens euaſerat, & accerſiuit eum,& commendauit illi locum, donec à *Pipino*, qui tũc temporis Maior* Dominus vocabatur, interrogaret, quid de ipſo cœnobio fieri vellet: Vltio diuina venit ſuper *Erchenaldum* auctorem huius ſceleris, & *Othvvinum* ita. Nã nõ poſt multum temporis miſit *Pipinus* exercitum copioſum ad deuaſtandum Alemannorum prouinciam, ſuæque ditioni & Francorum ſubiugãdam. *Leg. domus.*

Cumque tota terra hoſtili repleretur incurſu *Otvvinus* & *Erchenaldus* neſcientes, qua parte ſe flecterẽt, ſemetipſos gladio interfecerunt, quatenus vltio diuina in eos peracta collata ſigna manifeſtarent. *Magnoaldus* itaque & *Theodorus* proſtrauerũt ſe ſimul in oratione, Domini miſericordiã implorantes, vt diſponeret iter illorum ſecundum ſuam volũtatem partibus Orientis ne quaſi fraudulenter abſcedentes, B. patris corpus relinquerent. Memores iterum prophetiæ B. Columbani, qui dixit: venturum fore beatum *Magnoaldum* in Eremo orientali, ad Fõtes *alpium Iuliarum*, vbi B. *Narciſſus* Epiſcopus Tolloſanæ ciuitatis iuſſit diabolo Draconem interficere, quando Sanctam *Afram* conuertit ad fidem. *Vide comment. M. vel ſeri in vitam S. Afræ. 19. nu. 8* Sequenti vero nocte per viſionem beato *Magnoaldo* demonſtratum eſt, vt fiducialiter pergeret, Domini ſibi adminiculum ſemper noſſet adeſſe. Facto igitur mane, iterum orationibus attentius exorati ſunt, vt Dominus eis demonſtraret viam,& iter commodum, quomodo vellet eos illò ire: adueniente ergò meridie, Presbyter quidam ex ipſo Pago aduenit *Tozzo* nomine, qui iam auditam

habebat

habebat famam Beati Galli, & ideo cauſa orationis veniebat ad ſepulchrum eius ferens ardētem cereum in manu eius, quem cereum miro modo illuc attulit, ſcilicet vt quando nocte proficiſcebatur, cereus ardebat, & nullo modo à vento extingui poterat, die autem veniente lux ab ipſo cereo per ſe illicò ſubtracta eſt. Cumque viderent eum Magnoaldus & Theodorus venientem cereum quippe per ardorem minimè minui admirati obuiauerunt ei, & interrogauerunt, vnde veniret. At ille per ordinem expoſuit, vnde erat, & quomodo ei reuelatum fuerit vt viſitaret ſepulchrum B. Galli imo eos, quos inueniret, velle proficiſci partibus Orientis, recto itinere duceret eos, vſque dum ad locum deſideratum venirent, illi hæc audientes proſtrauerunt ſe in orationem, Domino gratias referentes, qui talem ducem eis oſtendere dignatus eſt, vt neque per anguſtam viam eos errare permitteret, & tunc demum ſuſceperunt Preſbyterum, deoſculantes eum duxerunt in Eccleſiam ad ſepulchrum B. Galli: factáque oratione duxerunt eum in hoſpitium ſuum, tribuentes ei, prout poterant neceſſaria, & conuiatorem eligentes, ſicque præfatus Presbyter pernoctans cum eis orto mane orantes coram ſepulchro B. Galli, & benedicentes Deum atque vale dicentes Fratribus, qui ibi erant ſimul profecti ſunt, arripientes iter iuxta lacū Brigantium vſque ad locum qui dicitur Brigantia, ibique morati ſunt dies duos.

Nota de cereo miraculum.

De cæco, quem Sanctus Magnus apud Brigantiam illuminauit.

CAPVT XVII.

TVnc illis ibi manentibus, cæcus quidam, qui multorum hominum cognitioni pago in illo notiſſimus erat, obuius erat Beato Magnoaldo, poſtulans ab eo alimentum. Ille reminiſcens ſententiæ Apoſtolicæ dixit: non ſum ego dignus me æquiparare ſuæ ſāctitati, qui dixit: argentum & aurum non eſt mihi, ſed in nomine eius, qui ei poteſtatem dedit, vt faceret quod fecit, & cæcum illuminauit, aperire oculos tuos imploro vt videas, & manibus tuis laborando victum acquirere poſſis. Et hæc dicens liniuit oculos eius cum ſaliua ſua, nec mora ſanguis ex oculis eius prorumpens aperti ſunt, & videns corruit ad pedes eius dixit: Domine, video quoniā Magnus es tu, & magna opera tua, ideò ſi vis ſequar te quocūque ieris. Ille reſpondit: Si vis Domino ſeruire, tunc ſequere me, ſicque poſt hoc ſignum profecti ſunt, ſecutúſque eos cæcus, & dux itineris nomine Tozzo.

Act. 3.

De Boa, quam Sanctus Magnus, apud Campidonam interfecit.

CAP. XVIII.

VEnerunt itaque poſt aliquot dies ad locum, qui vocatur *Campidona*, vbi repererunt oppidum valdè formoſum, ſed in toto deſertum. Tunc interrogauit Beatus *Magnoaldus* Preſbyterum, quomodo ille locus vocaretur, vel fluuius, qui ibi defluebat. Ille Reſpondit, locus iſte ab incolis terræ huius ſæpiſſimè viſitatur & vocatur Campidona, ſed non ſunt auſi: ſaltim vna nocte hîc manere propter diuerſa genera vermiū, qui hîc ſunt: fluuius verò vocatur Hylara, qui multos homines potius in mœrorē vertit quā in lætitiā, nobis autem oportet velocius trāſire, ne vermes nos hîc eſſe ſentiant, quoniā ſi ſenſerint, magnum impetum facient ſuper nos ad deuorādum, plurimos námq; homines, qui cauſa venationis huc venerunt deuorauerunt, non permittentes eos ſaltim vna nocte hîc iacere. Reſpondens Beatus *Magnoaldus* dixit: verè Dominus noſter Ieſus Chriſtus, poteſtatem habet ſimiliter hos vermes de iſto loco eijcere, ſicuti habuit eijciendi vrſos & lupos, cæteráſque feras & vermes, nec non & dæmones per orationem Domini & Magiſtri noſtri Galli, de loco quem ipſe elegit ad conſtruendam cellulam, nobis ergo permittēte Domino, oportet hîc manere hac nocte & dixit ad Theodorum. Frater, tuū eſt orare, & Domini miſericordiam implorare, vt nobis auxilium præbeat ad eijciendos vermes de loco iſto & dæmones, qui in eis latitant, quoniam à te eſt iſte locus conſtruendus, ideóque oramus pariter, vt Dominus nos audire dignetur, & mundare locum iſtum, qui eſt ab hominibus propter timorem vermium inha-

bilabilis, & hoc dicens proſtrauerunt ſe in orationem. Dum vero orarent, egreſſus eſt foris de oppido vermis magnus, qui dicitur * *Boa*, & impetum faciens ſuper beatos viros, iacentes in oratione. Preſbyter verò *Tozzo*, qui eos ducebat, videns eum, exclamauit voce magna, dicens. Heu me quod huc vos adduxi, & in fugam verſus, & cum eo qui cæci fuerant feſtiuabant ad arborem, vt ſe liberarent; itaque B. *Magnoaldus* & *Theodorus* confiſi de Dei miſericordia, ſurrexit *Magnoaldus Theodoro* orante, & faciens ſignum Sanctæ Crucis coram ſe arripiénſque *Cambuttam*, quam à B. Gallo acceperat, & crucē quam ſecum portabat, perrexit in occurſum vermi, & dixit. Impero tibi in nomine Domini mei Ieſu Chriſti, vt hîc iaceas & diabolus, qui in te latitat ipſe te interficiat, & cum hoc dixiſſet, percuſſit eum cum *Cambutta* in caput, & ſtatim crepuit medius, & mortuus eſt, cæteri vero vermes, qui in oppido, & circa oppidum ipſum morabantur, omnes in fugam verſi ſunt, & nuſquam comparuerunt. Sicque mūdatus eſt locus, & morati ſunt ibi vnam hebdomadam Domino gratias referentes, qui eos exaudire dignatus eſt.

** Boa ſeu Bona eſt ſerpens aquatilis quā Græci ὕδρον vocant, à quo icti obturgeſcunt vt habet Feſtus.*

Vide Comment. M. Velſerii in vitam S. Affræ nu. 90.

De eo, quod Beatus Magnoaldus non plus Magnoaldus, ſed Magnus eſt vocatus.

CAP. XIX.

Theodorus itaque vt vidit tam magnum ſignum factum à Domino & B. Magnoaldo, ſurrexit, & eleuatis manibus ad cælum dixit. Deus omnipotens qui feciſti cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt, tibi gratias refero, te inuoca te adoro, tibi laudes pſallo, qui nos liberare dignatus es à tanto periculo, & à tali deuoratione vermium. Et cum hoc dixiſſet, cucurrit ad B. *Magnoaldum* flexis* genuis oſculatus eſt pedes eius, & dixit: verè non vocaberis vltra *Magnoaldus*, ſed *Magnus*, quoniam Dominus tibi tantam gratiam intulit, vt per te iſte locus pacificaretur non ſolum à vermibus; ſed etiam à dęmonibus. Ad hęc B. *Magnoaldus*. Noli dicere frater non ſum Magnus ſed minimus ſeruus ſeruorū Dei. Tuæ ergò orationes exauditæ ſunt à Deo, & ideò non meis meritis ſed Dei iuſſione iſti vermes receſſerunt.

** f. genibus.*

Nunc autem voca conuiatorem noſtrū, & purgemus locum iſtum, quia Dominus vult eū præparare ad ædificandā cellā. *Teſſo* autem vt vidit eos ambos incolumes eſſe deſcendens de arbore, ad quam cōfugerat, & cum eo, qui cæcus fuerat, proſtrauerunt ſe ad pedes eorum, & ait *Tozzo* verè Dominus eſt in loco iſto, qui B. Magno tantam gratiam contulit, vt cum ſua *Cambutta* tale ſignum inauditum faceret; nunc ergò fiducialiter ducam vos per deſerta & anguſta loca vſque ad locum, quem electum habetis ad manendum, quia video tantam à Deo vobis conceſſam poteſtatem, vt per veſtra merita diuerſa hæc loca purificētur, & quæ nūc ſunt inhabitabilia, Domino annuente habitabilia efficiātur. Reſpondens B. Magnus dixit: præſentem Hebdomadam hîc maneamus & ædificemus oraculū paruulum, vt diſcat populus terræ iſtius qualem miſericordiam eis Dominus conferre dignatus eſt in loco, manſeruntque ibi ipſam hebdomadam. Tozzo verò cucurrit per vicina loca ſibi cognita ad homines, qui ibi morabantur, & diffamans hoc ſignum. Venerunt ad illum locum & attulerunt alimonia ſufficienter nimis valdè admirantes de tanta virtute Dei, & plurimi per prædicationem B. Magni ad fidem conuerſi & baptizati à Preſbytero Tozzone, & Domino gratias agentes, manſerunt ibi colentes terram illam, tranſactis tribus diebus illis pernoctantibus in oratione, die vero laborantibus.

De clamore dæmonum & expulſione eorundem per Sanctum Magnum.

CAPVT XX.

Cvm vero tertia nocte aurora diei ſurgente celebrare vellent Matutinales Laudes, ſubitò dæmones in aëre volantes eiulantes cum magno ſtrepitu & fremitu voces emittentes, quaſi impetum ſupra Tozzonem Preſbyterū facientes clamabant: tu inimice ſenioris noſtri & noſter, vt quid induxiſti virum iſtum cum ſocio ſuo, qui & nos & membra noſtra, per quæ multas animas lucrabamur à loco iſto euellet? magiſter autem illorum

ſemper nos cum ſuis maleficijs, ſicut & iſte inuocato nomine Domini vincere conſueuit, iſte verò non ſolùm nobiſmetipſis, verumetiam in membris noſtris cum terribili nomine Adonai victos habet & expulſos. Hoc audiens præfatus. Presbyter Tozzo tremefactus, tamen muniens ſe ſignaculo Sanctę Crucis, feſtinus perrexit ad virum Dei, & indicauit illi quæ viderat & audierat: tunc bellator fortis & electus Dei pariter cum Theodoro proſtrauit ſe in oratione, & huiuſcemodi verbis Dominum deprecatus eſt dicens: Deus omnipotens, ineffabilis, & ineſtimabilis, qui nos ſecundum miſericordiam tuam, non ſecundum merita noſtra à membris iſtorum dæmonum, & à venenis mortiferis illorum eripere dignatus es, tu auditu placido has à nobis ſuſcipe preces, ſicut ſuſcepiſti Magiſtri noſtri Galli, & iube hos dæmones hunc locum deſerere, vt ſit ſanctificatus in honore nominis tui quotidie cantanti Gallis, & ſurgens ab oratione, egredientéſque de oratorio audierunt eos clamantes & eiulantes, atque clamantes. Tu Magne tria nomina portas in capite tuo, & cum Trinitate nobis tanta mala obi cis? & tu Theodore quid tibi eſt nobiſcum? venient dies quãdo non habebis Magnum apud te, & tunc pugnaturi erimus aduerſum te per varios errores, homines terræ illius aduerſum te excitantes! Sanctus vero Magnus reſpondens dixit, miſeri confitemini, ſi ſcitis, Sanctam Trinitatem Dei, & illi dixerunt. Scimus eam ineffabilem eſſe & immẽſam, & beatus Magnus, nunc iam quia confeſſi eſtis Sãctam Trinitatem impero vobis non meis meritis, ſed per immẽſam potentiam Trinitatis, vt hũc locũ deſerentes in mõtes deſertos eatis, vbi Dominus voluerit, & huc reuertendi vlterius poteſtatem non habeatis: ad hanc vocem continuò dæmones dixerunt. Heu quid faciemus hîc? aliũ Gallum hîc habemus, iſte Gallus peior eſt priori, quia cum ſuis Gallicinis nos & mẽbra noſtra pariter eijcit, ſed nec in Eremo permanere permittit. Porrò ex illa die tam pleniter abſceſſerũt, & in fugam verſi ſunt, vt poſtea ibi non comparerint, & ſic factum eſt, vt ab illa die omnes homines in illo loco tranquillè habitare permiſſi ſunt.

f. at S. Galli.

De eo, quod beatus Magnus reliquit Theodorum in Campidona, & ipſe profectus eſt ad locum, qui Fauces vocatur.

CAPVT XXI.

His itaque geſtis beatus Magnus diaconus dixit ad Theodorum: Deo gratias frater, quia dæmones receſſerunt, nunc bonum eſt, vt locus, iſte à te cuſtoditus & conſtructus ſanctificetur, populus iſtius loci, qui deinceps venturus eſt, hic ad adorandũ potius, quàm ad venandum. Theodorus Reſpondens dixit: mi Domine iuxta præceptum tuum facio, ſed vt audiero te conſolidatum in locum à Deo tibi electũ, venio ad te & viſitabo tè, & his dictis valedicẽtes ſeque inuicem deoſculantes profectus eſt beatus Magnus accepto ſecum conuiatorem & ducem itineris Tozzonem Preſbyterum, relinquens cum Theodoro cæcũ, qui viſum recepit. Itaque cœpto itinere, tranſitoque fluuio perrexit recto tramitte, ſicut eum viator ducebat, ſicque venerunt ad locum, qui vocatur *Eptaticum*, & inuenerunt ibi Epiſcopũ Sanctę *Auguſtæ Vindelicẽſis* Eccleſiæ, nomine *Vvicterpus*. *Tozzo* igitur propter notitiam quam in Epiſcopo habebat, præceſſit Beatum Magnũ, venitque ad præfatum Epiſcopum, & narrauit ei omnia de Sancto viro, quæ viderat & audierat. Præfatus autem Epiſcopus interrogauit de qua origine eſſet. Et reſpondit Preſbyter: Domine ſicut audiui à *Theodoro* qui nũc eſt relict᷑ ad Cãpidonam de *Hybernia* Prouincia eſt ort᷑. Vt autẽ audiuit Epiſcopus eius famam bonam, ſuſcepit eum benignè, cœpitq; cum eo loqui, & moratus eſt cũ eo paucos dies, ſciſcitans ab eo quotidie de beato Columbano & Gallò, & de itineribus eorum, & cõuerſatione, & fine vitæ eorum, ac de virtutibus quas fecerunt. Deinde interrogauit eum vbi voluntas eius eſſet proficiſcendi. Reſpondens B. Magnus dixit: Domino diſponẽte directus ſum ad locum qui vocatur *Fauces*, vbi propè ſunt fontes *Alpium Iuliarum*, & vbi draco fuit, qui iubente *Narciſſo* Epiſcopo à diabolo interfectus eſt, quatenus annuente Domino quidquid boni ibi ædificare potero faciam. Nunc igitur paternitas tua decernat quomodo voluntas tua ſit me agendum, quoniam ad tuum imperium prom-

** Me agẽdum, videtur redundare.*

Proficiſcitur ad locum qui fauces dicitur.

to animo debeo agere, ſicuti Dominus reuelauerit mihi per os tuum. Ego iam ſenex & grādæuus, cupio in vltimo meo tempore illum locum inuiſere, & Deo ad ſeruiendum præparare, exemplum ſequens Dominorum meorum Columbani & Galli. Ad hæc *Vvictberpus* Epiſcopus Reſpōdit; locus ille valdè anguſtus eſt & inhabitabilis, & iam diuerſa feræ ibi morantur, id eſt, cerui, apres, plurimi vrſi: & propter illorum multitudinem Domnus Rex Pipinus ad ſuam venationem exercendam ſaltum illū tenet. Vermes etiam plurimi & diuerſi generis ibi morantur. Beatus Magnus arripiens ſtatim boni paſtoris initia dixit: Pater tale miniſter habuerūt Magiſtri mei Colūbanus & Gallus, vt quādo ad talia loca venerūt Dominus noſter Ieſus Chriſtus feras diuerſi generis & vermes per orationē illorū illico expulit ab illis locis. Similiter ego credam, quod Dei miſericordia non permittet eos manere in ipſo loco, dum aduenero. Adquieuit autem verbis illius *Vvictberpus* Epiſcopus, & dedit ei ſolamina, ciborum, præbens ei cōuiuatorem *Tozzonem* presbyterum. Et duces itineris: qui eum perducerent ad locum à Deo ſibi deſtinatum.

De eo, quod beatus Magnus in loco, qui dicitur caput equi, Draconem interfecit.

CAP. XXII.

Ad caput equi venit.

CVmque venirent ad locum, qui vocatur *caput equi*, iacebat ibi in vno loco anguſto Draco magnus, qui non permittebat vllum hominē per illam viam tranſire. Cū ergo Beatus Magnus iam prope ipſo loco eſſet, dixit ad *Tozzonem* Presbyterū: Frater, conſtruamus nobis hic tabernaculum hac nocte manendum, & oremus Deum, vt expellat præſentē, membrum diaboli, ab iſto loco, atque aditum permittere dignetur nobis ad properādum. Fecerunt itaque vt imperauerat, & manſerunt ibi. In tota autem nocte illa non ceſſauit beatus Magnus orare, & Domini miſericordiam implorare, vt Draconem ſubuertere dignaretur. Circa verò mediam noctem ſurgens beatus Magnus dixit ad *Tozzonem*; mitte mecum hominem, qui me ducat ad locum vbi Draco iacet. Reſpōdit *Tozzo*; timeo igitur ſi te illuc adduxero, ab eo deuoreris. Ad hæc vir Sanctus. *Si Deus pro nobis quis contra nos?* Pergamus ergò fiducialiter, quia qui liberauit Danielem de lacu leonum, poteſt & me eripere de manu huius beſtiæ: itaque cùm hoc dixiſſet, miſit in peram ſuam panem ſanctificatum, & manu ſua ſumens picem & recinam, atque cambuttam S. Galli, crucemque in collo ſuo appendens, perrexitque, & dixit: Deus omnipotens, qui eduxit me de longinqua regione, ipſe ſicut Tobiæ famulo ſuo mittet Angelum ſuum mecum, qui liberet me ab ore ipſius Draconis, & oſtendat nobis locum ſalutaribus deſiderijs aptum. Et hæc dicens, muniuit ſe ſignaculo Sanctæ crucis, & de pane ſanctificato miſit in os ſuum, & paululū aquæ; ſicque venit ad locū, vbi draco iacebat, relinquēs omnes ſocios in tabernaculo præter ſolum ducem itineris. Cumque vidiſſet eum Draco, illicò ſurrexit impetum faciens ſuper eum. Ille habens in manu picem & recinam proiecit in os eius inquiens: adiuua me Domine Deus meus. Et cum hoc dixiſſet, cōfeſtim Draco cœpit ardere & mortuus eſt. vt vidit ille qui cū eo erat hoc actū ſurrexit continuò, & peruenit ad ſocios, & dixit: Surgite, venite & videte, quia iſte Magnus vir Draconem interfecit. Surrexerunt ergo & inuenerunt B. Magnū iacentem in oratione, & gratias Domino referentem: dignū quippe erat, vt quod diuino inchoabat amore, inſtantiſſima prece Domino commēdaret, quoniam Dominus ſicut per os beati *Narciſſi* Epiſcopi diabolum iuſſit interficere Draconē; ita & per manus tanti viri ſocium eius fecit interire. Vt viderunt autem Draconem interfectum, deſcenderunt ad rupem, de qua idem Draco impetū facere niſus eſt ſuper Sanctum virum: Preſbyter *Tozzo* dixit: gratias tibi agimus Domine, qui nobis talem virum, & tam magnū oſtendere dignatus es, vt per merita ſua iſta loca purificentur, efficianturque habitabilia, quæ ante erant inutilia.

Daniel. 6.

Tob. 5.

Draconē interfecit.

De Eccleſia, quam beatus Magnus conſtruxit, & Vvictberpus Epiſcopus Auguſtenſis dedicauit, quam populus cellam Sancti Magni nuncupauit.

CAP. XXIII.

FActa verò oratione tranſierunt illū anguſtū locum, & venerūt per viam, iuxta *Licum* flumen ad locum ſpecioſum, qui

non

**ſ planities.*

Reliquiæ Sanctorũ in veneratione.

non habebat nomen, erat tamen planies bona. Habebat autem beatus Magnus Diaconus pendentem in collo crucem, in qua continebantur reliquiæ Beatæ Dei genitricis Mariç, & de ligno Sãctæ crucis atque Sanctorum Martyrum Mauricij & ſociorũ eius, nec non beatorum Confeſſorum Columbani & Galli. Inuenit ergo ſupra præfatum flumen locum valde honeſtum, & formoſum, in quo loco arborem ſtantem pomiferam valde decoram, ſuſpenditque cruciculam in ipſa arbore, & vocauit Tozzonem Preſbiterum, atque proſtrauerunt ſe pariter coram crucicula in orationem. Tum vir venerabilis B. Magnus huiuſmodi preces emiſit. Domine Ieſu Chriſte, qui pro ſalute generis humani de virgine naſci, & mori dignatus es, ne deſpicias deprecationem meam, ſed permitte nos conſtruere in hoc loco oraculum in honore Genitricis tuæ, & præpara hîc habitationem tuis ſeruitijs aptam. Finita verò oratione cœperunt conſtruere fundamentum & ædificauerunt Eccleſiam. Qua conſtructa inuitauerunt *Vuicterpum* Epiſcopum, vt veniret & eam Domino & Sanctæ Mariæ dedicaret. Venit ergò præfatus Epiſcopus ad illum locum admirans valde quomodo illuc venire poſſint niſi per gratiam Dei, & dedicauit Eccleſiam in honore Dei genitricis Mariæ, & Sãcti *Floriani* Martyris Chriſti, & ſic adminiſtrare cœperunt ad laudem Chriſti in illo loco diuina officia. Igitur cum fama virtutum, quas Dominus per beati Cõfeſſoris ſui merita piè quærentibus exhibere dignatus eſt, vt lõgè lateque circum poſitorum mulceret aures populorum, cœperunt vndique alacri deuotione ad tanti Patris ſuffragia poſtulanda cõcurrere, eundemque locum ob ſuæ dignitatis memoriam, cellã S. Magni nuncupare, & multiplicibus ſubſtantiæ ſeu poſſeſſionum amplificare donarijs.

Eccleſiã conſtruit quã à Vuicterpo Epiſcopo Auguſtano dedicatur.

cella S. Magni.

De eo, quod beatus Magnus de loco, qui dicitur Fauces dæmones expulit, & oratorium conſtruxit quod Vuicterpus Epiſcopus Auguſtenſis dedicauit.

CAPUT XXIIII.

S. Magnus ad Fauces venit.

Cumque res hac largitate fideliũ accidiſſent collatæ, ſeceſſit vir beatus propter multitudinem populorum, & perrexit ad vicina loca, quæ vocantur *Fauces* quatenus ibi familiarem locum Domino annuente ſibi conſtrueret ad manendum, relinquens præfatum Preſbyterum Tozzonem in Eccleſia populum illuc venturum cuſtodiendum, vocauitque ipſum locum Synagoga, id eſt, congregatio populorum. Ergo cum circa meridiem cauſa quietionis vitæ ad paruum locum tenderet, & in ſupradicto loco requieſceret, ſubito dæmones à monte vicino magno cũ ſtrepitu de vertice montis proximi quaſi vna voce vocauerunt, alios in pelago, fluuij *Lechi* cõſiſtẽtes, quaſi nominatim. Cũq; & hi, qui vocabantur prçſto ſe eſſe reſponderent, aiunt ipſi de monte, ſurgite nobis in adiutorium, vt peregrinum iſtum peſſimũ & magnũ eijciamus de his ſedibus, quoniã ipſe more Galli ſui ſimulachra noſtra contriuit, & populũ qui nos ſequebatur, per ſe auertit, inſuper & Dracones noſtros interfecit: commoueat autem vos iniuria quam patimur, & iuncti viribus præſentem hoſtem communem a noſtris terminis funditus expellamus. E contrario ipſi de profundo reſponderunt: heu quid de veſtris narratis anguſtijs, nos ex noſtris iam percipimus calũnijs; nã Angelus eius iam nos in pelago premit, & nec auſi ſumus ex pelago trãſire, nec quicquam eius contingere, quia inuocato nomine Domini, Angelus cum flagellis igneis nos flagellat, & recedere compellit. quapropter nec vobis prodeſſe valemus, nec nobis, quia tã fortis bellator eſt iſte, vt noſtræ verſutiæ ſaltem nec fimbriam veſtimenti eius ſuperare queant. His auditis vir Dei B. Magnus muniuit ſe vndique ſignaculo Sãctæ Crucis, & dixit illis; in nomine Domini mei Chriſti non pro meis meritis; ſed per merita B. Galli Confeſſoris Chriſti adiuro vos, vt recedatis ab iſto loco, & vlterius neque hic manere, nec neminem lædere præſumatis. Et his dictis feſtinus redijt ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ, quam conſtruxerat, narrauitque Tozzoni Preſbytero omnia quę audierat in illo loco, cumque voluiſſent veſpertinum tempus pſallere, auditæ ſunt dirę voces dæmoniorum per montium ſummitates, quaſi diſcedentium eiulatus cum terrore profuſi. Et hæc audientes ſerui Dei proſtrauerunt ſe in orationem Domino laudes & gratias perſoluentes, qui eos liberare dignatus eſt de terrore malignorum Spirituum. Sequẽti verò die Beatus Magnus cum Preſbytero Tozzone regreſſus eſt ad præfatum lo-

Dæmones expellit.

Oratoriũ conſtruit, quod Vuictherpo Epiſcopo dedicatur.

cum, & ibi conſtruere cœperunt oraculum paruiſſimum, accerſituſque eſt à Tozzone *Vuictherpus* Epiſcopus & dedicauit ipſum oratorium in honore & ſub nomine Sancti Saluatoris.

De eo, quod Pipinus Rex per interuentum Vuictherpi Epiſcopi Auguſtenſis Monaſterium Beati Magni, quod dicitur ad Fauces donis regalibus dotauit.

CAP. XXV.

Igitur cum fama virtutum per Confeſſoris ſui merita, quas Dominus illo in loco exhibere dignatus eſt Venerabili Epiſcopo nota facta ſunt quoſdã religioſos clericos in diſcipulatus eius memoriam commendauit, qui diuino amore ſuccenſi, per viginti quinque annorum curricula obſequia præbentes ad laudem Chriſti, die ac nocte, horis atque momẽtis iuſſu ſuo obediẽtes. Relicta itaque Venerabili Patri quæ neceſſaria erãt ibidẽ degentibus, profectus eſt præfatus Epiſcopus *Vuictherpus* ad glorioſum Regem Pipinum, qui tunc temporis Germaniam totam Galliámque regebat ſecum Epiſtolam portans Beati Columbani, quam ad Lotharium direxit, flagitans pro Sanctis viris Gallo & Magno conſiſtentibus in regno ſuo, vt eos benigne per amorem Domini foueret, eiſque familiaria loca prout oportunum foret, in ſua mercede tribueret: ſed hoc Lotharius minime implere valuit, propter diuerſorum inimicorum Dei * infeſtationibus. Præfatus Rex propter amorem & petitionem Fratris ſui *Karlomanni*, qui propter Deum relinquens temporalem regni gloriæ pompam, monaſterio ſe tradidit, qui eleemoſynæ ſuæ largitate, nec nõ & per petitionem præfati Epiſcopi ipſum locum ſublimare in aliquo ſolatio dignaretur. Cumque glorioſus Princeps accepiſſet Epiſtolam compunctus expetitione fraterna diligenter exquirere cœpit qualis ille locus eſſet, quem præfatus Epiſcopus poſtulaſſet. Tunc dux eius nomine *Gũzo* ex Prouincijs *Auguſtenſe* & *Rhetiæ* reſpondens dixit: verè Domine Rex, ille locus tenuis quidem facultate eſt, ſed optimus ſi impeditio vermium deeſſet ad venandum, quia plurimi cerui, Damulæ, & Hinnuli, ibicéſque diuerſi morantur, Vrſorum quoque ac luporum multitudo plurima. Tunc Epiſcopus cœpit narrare de virtutibus Beati viri, quomodo Domino adiuuante draconem interfecit, & cæteras virtutes, quas Dominus per merita ipſius & orationes in illis locis oſtendere dignatus eſt, & quomodo à vermibus locus ille mundatus eſt. Hæc audiens glorioſus Rex Pipinus commotus valdè animo dixit.

Vuictherpus locum S. Magno à Pipino Rege petit.

** infeſtationes.*

In veritate comperi, quia quamuis locus tam tenuis ſit facultate, tamen pro meritis tanti viri celebri erit diffamatus rumore, ſicuti auditum habemus iam locũ eſſe, vbi corpus Beati Galli requieſcere videtur. Inquiſiuit ergo à præfato Gunzone, quomodo in vicina loca potuiſſet tributarios inuenire de eodem pago, qui vectigalia annuatim reditibus regijs inferre debebant, & inuenit in ipſo vicino loco pagum, quod vocatur *Geltinſtein* ſibi per omnia annuatim tributa perſoluere. Inter cætera ergo munificentiæ ſuæ dona, quæ impertiuit Beato viro, dedit ei totum ipſum ſaltum, cum marcha firmitatis, quæ in Epiſtola ſua fecit conſcribi, & vectigalia CXIII, quæ ex præfato pago inferre debeant annuatim, quatenus pro memoria beneficiorum eius perpetuò ibi permaneret, & ne quiſquam ex ſucceſſoribus eius tanti obſiſteret boni, fecit conſcribi ſuæ firmitatis Epiſtolam, atque vt mos eſt Regum circumſpecta roborari cautela, quatenus deinceps tam ipſe dum viueret, quàm omnes loci illi ſicuti marcha continetur in eodem ſaltu ad Sanctam Mariam, & ad Sanctam Afram per Regiam traditionem abſque vllius violentia præfatus Epiſcopus *Vuictherpus* omnéſque ſucceſſores eius obtinerent auctoritatem. His Regiæ poteſtatis *Vuictherpus* Epiſcopus adornatus ſolacijs, & ſublimatus honoribus, impertitiſque donis optimis Beato Magno à Rege Pipino lætus ad patriam regreditur, iniungens Beato viro ea cum omni diligentia, danſque ei poteſtatem, vt in loco ſibi commendato ad ſuplendas Beatæ Mariæ excubias & Sanctæ Afræ omnem ordinem Canonicam inſtrueret vitam. Ex illo tempore ipſe locus à Beato viro Magno exordium ſanctitatis accipiens, augmẽtatus autem & ſublimatus à Pontificibus *Auguſtenſis*, Chriſti nomen vſque hodie ibi laudabiliter dilatari non deſinit.

Pipinus Rex S. Magno locum ad Fauces cõcedit, & dotat.

De eo, quod Vvictberpus & Theodorus coronam ſplendidam in nubibus fulgentem ſuper caput S. Magni deſcendentem viderunt.

CAPVT XXVI.

HIs itaque prælibatis cum audiſſet *Theodorus*, qui apud caſtrum campidonenſe morabatur, beatum Magnum conſolidatum in loco, quem Dominus diſpoſuerat, cœpit properare partes in illas, vt videret qualiter & quomodo Domino annuente in his locis moraretur. Vt autem ad eum peruenit ſalutantes ſe inuicem, & deoſculantes oculos pariter & manus, narrauit ei *Theodorus* inumerabilia, quæ paſſus eſt à Pagenſibus *Hilargaugienſis*, ſed tamen quamuis tantas iniurias & calamitates ab eis ſuſtinuerit, ædificauit ibi Eccleſiam paruam ſuper littus *Hilaræ*, quam poſtulabat vt apud *Vvicterpum* Epiſcopum impetraret, quatenus illuc proficiſcens, ipſam Baſilicam Domino in honore Sanctæ Mariæ genitricis eius conſecraret. Venerunt quippè ambo ad locum, qui dicitur *Eptaticus*, repereruntque ibi ſupra ſcriptũ Epiſcopum in oraculo ſuo ſedentem & orantem, ergo vt obtutibus eius adpræſentati ſunt, narrauit ei beatus Magnus Abbas de *Theodoro*, qualiter cum magno labore Eccleſiam conſtruxiſſet in loco Campedonenſe, & quomodo deprecabatur, vt ille illuc properaret, ipſamque Eccleſiam Domino conſecraret. Audiens hæc venerabilis Epiſcopus reſpondens dixit ad eos: Dicam prius vobis venientibus quæ cogitabam, & ſic congruo tempore Domino annuente proficiſcar. Verè chariſſimè pater Magne nunc ſedens hîc cogitabam, vt tanquam Deus omnipotens, te ita magnificatum habet in illo permulta miracula eius acceſſirem te futuræ venturæque ſolemnitatis ieiuni ſeptimi menſiſ & Sacerdotij dignitatem ſupernis gratijs fauentibus te promouerẽ; inclinato denique capite beatus Magnus inquit: Cur hanc obiectionem aſſeris pater: peccatorũ meorum ſqualoribus & flagitijs fœtere me video. Idcircò vita mea non eſt talis, vt amabilis paternitas tua me ad tantam dignitatem promouere queat. Ergo noli deprecationem noſtram pro peccatis abijcere, ſed Domini prouocatus mandatis, incipe ſalubre iter, viamq; veritatis deſiderantibus aperi. Poſtea mihi ſeruo tuo indigno, quãdo paternitati tuæ placuerit, ſecundũ benignitatis munus impende, ne refutare videar, quæ à Domino diſpoſita ſunt ſuper me ſeruo ſuo, & cũ hęc diceret, viderũt ambo *Vvicterpus* Epiſcop⁹ & *Theodorus* coronam ſplendidiſſimam inhætẽtem capiti ſuo in modũ rotæ circa ſolem in nubibus fulgentem. Continuò autẽ ſurgens amplexatus eſt eum & oſculans, oculos & os eius, dixit: Deus omnipotens, qui per potentiam maieſtatis ſuæ in te tantam virtutem oſtẽdere dignatus eſt, vt pro eius amore patriam tuam derelinqueres, & præcepta eius conſeruares. Ipſe te faciat locum tibi ab eo deſtinatum cuſtodire & ſublimare cooperãte gratia Spiritus ſancti tecum. Reſpondit *Theodorus*, Amen. Ad hæc iterum inquit Epiſcopus: Bene vocatus iſte locus *Eptaticus*, quia in medio cõſtat inter Monaſterium S. Affræ & cellam tuã: Ideoque ſcias quia per diſceſſum meũ hanc hæreditatem permanere cupio ad Sãctam Mariam & ad Sanctam Afram, quatenus, quaſi mediator ſit locus iſte ſucceſſoribus noſtris inter Monaſterium tuũ & ciuitatẽ S. Auguſtẽſæ Eccleſiæ. His dictis, ſurrexit venerabilis Epiſcopus, & profectus eſt ad Caſtrum *Campidonenſe*, deſcenditque cũ illo beatus Magnus ſimul cũ eis *Theodoro*, & venerunt ad Caſtrum. Conuocata autem multitudine populi in die ſolemni dedicationis Eccleſiæ, vir venerabilis Epiſcopus prædicationis dulcedine auidorũ corda refecit: Sicque iuſſu ſuo beatus Magnus ea quæ viderat tanta ſapientiæ luce veſtiuit populorũ corda, vt ſũma cũ gratulatione auditus, & ineffabili veneratione à cunctorum ordine ſit ornatus. Video itaque ibidem manentes cum gratiarum actione, populuſque benedictione tanti patris armatus, & ab Epiſcopo oſculo pacis tributo ſua reuerſi ſunt. Venerabilis Epiſcopus & Sanctiſſimus Abbas relinquentes *Theodorum* adcuſtodiendam Eccleſiam Campidonenſium.

Vvicterpus & Theodorus coronam ſplendidiſſimã in capite S. Magni conſpexerũt

De eo quod beatus Magnus factus Presbyter, in monte Suilinc urſo monſtrante venas ferri inuenit.

CAP. XXVII.

BEatus itaque Magnus morans in cœnobio ſuo, quod ſibi parauerat ad Fau-

ces per viginti quinque annos magnas virtutes ibi operatus eſt Deus per eum, illuminās cæcos, præbens ſurdis auditum, dæmonia à pluribus eijciens, claudicātibus greſſum tribuens. Sicque docuit populum, & conuertit ad fidē Chriſti, & ad credulitatem eius, relinquentes idola vana & ſurda, & credētes in Dominum Ieſum Chriſtum, inſuper etiam per orationem eius oſtendit Deus venas ferri in montibus gyro impoſitis ita: poſt ſuſceptam autem benedictionem ſacerdotalem, cum ipſe circuiret mōtes & colles, per diuerſa loca explorans & intuens plurima loca apta ad manendū, quodam die aſcendens in montem excelſum, qui vocatur *Suiling*, inuenit ibi plurimos vrſos, commorantes in maxima ferocitate. Sed facta oratione cœperunt ante eum tam mites effecti aggredere, vt veluti boues qui ante bubulcum pergunt, ita irent ante eum, vir ergo Sanctus proſtrauit ſe in figuram crucis ad terram, & preces Domino deuotius effudit, vt populo pago in illo moranti aliquod adminiculum præberet ad victualia acquirēda. Intereà vrſus vnus appropinquās ad eum, cū magna mitigatione cœpit cū pede monſtrare abietē magnā, & quaſi ſignificās quod ſub ipſa arbore copia venarum ferri conſiſteret. Hoc vt homo Dei vidit dixit ad feram: præcipio tibi in nomine Domini vt ad ipsā abietem eas, & quia gladium non habemus, neque foſſorium vt poſſimus radices eius incidere, tu in nomine Domini cū pedibus & dentibus tuis euelle, rumpendo radices eius, quatenus nobis Dominus demonſtret ſuam voluntatem in adiutorio populi terræ iſtius. Ad eius ergo præceptum bellua conuerſa cœpit radices arboris rumpere, & cum dentibus frangere, donec ipſa arbor cum radice funditus ab vrſo effoſſa corruit, ſicque monſtratę ſunt diuerſæ venæ ferri ad ſumendum. Vir denique benigniſſimus gratias Deo agens, aſſumens panem de pera ſua, quam ſecum habebat integrū famulanti porrexit, & ei ita præcepit. In nomine Domini mei Ieſu Chriſti panem iſtum manduca, & ſequere me, atque ad iſtum locum hominem quem tibi monſtrauero, abſq; vlla læſione adducere ſtude, defendens eum ab alijs feris, ſi eum lædere voluerint. Et hoc facto circumpoſitos montes & colles cum alijs feris habeto communes, ita vt nullum hic hominem lædatis, neque pecora eorum. Et his dictis, reuerſus eſt beatus vir Magnus ad cellulam ſuam, ſecutuſque eſt eum vrſus, ſicuti canis, qui ſequitur Dominum ſuum. Ergo vt ad cellam appropinquarat vocauit hominem ſuum nomine *Liuto*, & præcepit eum venire, & adferre ſecum ſecurē & foſſorium atque aſciam, & commendauit eum vrſo, & dixit, iſtum hominem ſanum & incolumem perduc ad iſtum locum, quem Dominus oſtendit nobis, & caue ne aliquam læſionem ab alijs feris patiatur. Bellua itaque conuerſa obediens iuſſioni eius, cœpit pergere ante hominem & aperire viam, atque mōſtrare ſemitam. Sicque adduxit eum ad locum incolumē, vbi arbor corruerat. Nullam aliam feram permittens ad eum appropinquare, donec vir effodiens ſarcinulam ſuam compleuit, & per eādem ſemitam vſque ad cellulam viri Dei reduxit. Hoc facto vrſus ad ſaltum reuerſus eſt. Homo verò proſtrauit ſe ad pedes B. Magni, & dixit: verè Domine nūc cognoſco, & certus ſum, quia Dominus omninò eſt tecum, quoniam & beſtiæ eremi obediunt tibi veluti Ieſu Chriſto: nam me vrſus tam præuidit & cuſtodiuit, vt nec ſaltem alias feras ad me accedere permitteret: ille autem dixit ei, caue diligenter ne alicui hoc dicas, dum ego vixero, ſed præpara aditum cęteris hominibus ſicuti vrſus te duxit, quatenus viam noſcant illuc proficiſcēdi, & Domino annuente, deinde opem habeant ad victualia, cæteraque neceſſaria per ferrum arquirenda. Ab illa ergo die nota facta ſunt incolis terræ illius in ipſo loco, & gyro diuerſæ venæ ferrium, quæ permerita beati Magni permanent vſque in præſentem diem.

S. Magnus vrſo monſtrāte ferri venas inuenit.

De vltima infirmitate beati Magni, & eius obitu & exequys, ac ſarcofago mirifice procurato.

CAP. XXVIII.

Cvmque trāſiſſent viginti quinque anni, & Dominus illum locum per merita tanti viri ſublimare, dilatareque dignatus eſt *Vuicterpo* Epiſcopo defuncto XIIII. Kalendarum Maiarum Tozzo per electionem beati Magni ad Pontificatus honorem à *Pipino* glorioſo rege iam in vltimis ſuis deductus eſt. Sed finitis viginti quinque

Vuicterpo Auguſtanenſi Epiſcopo ſuccedit Tozzo.

que annis, beatus pater ægrotare cœpitatq; infirmitate fæbrium lãgueſcere. Miſit ergo ad *Theodorum* ſodalem ſuum, qui tunc temporis in Campidonenſe cellula morabatur, & accerſiuit eum vt accelerarct atque eum viſitaret, & ſua viſitatione refoueret fidiſſimum amicum, audiens hoc *Theodorus* commotione maxima de inualitudine tanti viri, animoque mœſto, celeriter partes in illas profectus eſt, ſumens ſecum prout potuerat ea, quæ in infirmitate laboranti nouerat congruere, veniens autem ad præfatam cellulam, inuenit beatum virum in maxima infirmitate detentum, & miſit celeriter ad Tozzonem Epiſcopum, intimans ei vt accelerarct. Et tantũ patronum prius quàm ab hac luce ſæculari diſcederet, viſitare veniret. Cũ audiſſet igitur hoc præfatus Epiſcopus velociter partes in illas profectus eſt, & peruenit ad cœnobiũ beati viri. Cũq; Magnus Patronus in infirmitate maxima laboraſſet, vidẽs eũ Tozzo Epiſcopus cœpit flere & dicere. Heu, heu pater amande, heu doctor egregie, in his periculis quaſi orphanum me dimittis? ad hæc beatus vir Magnus inquit. Noli flere venerabilis præſul, quia me in tot mundialium perturbationum procellis laborantem conſpicis, quoniam credo in miſericordia Dei, quod anima mea in immortalitatis libertate ſit gauiſura; tamen deprecor vt orationibus tuis Sanctis mihi peccatori, & animæ meæ non deſinas adiuuare. Inter hæc verba beatus Magnus per dies tredecem laborans expletis 26. annis morationis ſuæ in illo cœnobio, ætatis verò ſuæ annis. 73. In die Sancto Dominico & in 8. Idus Sept. Commendans ſe Domino & venerabili Pontifici in ſenectute bona, circa horam 9. diei ipſius Dominici Sanctam animam Deo reddidit, de huius vitæ liberatus ergaſtulo, Flentibus autem Epiſcopo & Theodoro coram lectulo eius, audita eſt vox. Veni Magne, veni, ſuſcipe coronam, quam tibi Dominus præparatam habet. Audita ergo hac voce, dixit Tozzo ad Theodorum. Ceſſemus flere frater, quia potius nobis oportet gaudere de animæ eius in immortalitate ſumptæ in hoc ſigno audito, quam luctum facere. Sed eamus ad Eccleſiam & pro tam chariſſimo amico ſalutares hoſtias Domino immolare ſtudeamus. Finito itaq; fraternæ cõmemorationis obſequio, inuenerunt ambo *Sarcofagum* opti num lapideum, à quodam Duce antiquis temporibus nomine *Abuzaco* conſtructum, qui & ipſum Caſtrum conſtruxit & à ſuo nomine ſimiliter *Abuzacum* vocauit, vnde fuit in ipſo ſarcofago poſitus, neque ſepultus quiſquã. Purgato ergo ipſo ſarcofago, aſſumpſerunt Sanctũ corpus & recondiderunt in loco vbi pater ipſe ſibi oraculum conſtruxerat & cooperuerunt humo, ponentes eius vitam in capite ſuo ſcriptam, virtutibuſque plenum ſub auctoritate *Theodorita*.

S. Magnus febri laborat.

Excedit à vita.

Sepelitur.

Proteſtatio Theodori Monachi, quod fideliter ſcripſerit vitam beati Magni.

CAP. XXIX.

EGo itaque Theodorus Monachus ex Monaſterio S. Galli iuſſu Tozzonis Epiſcopi, ſicut à *Theodegiſelo* monacho S. Columbani, de tanti viri conuerſationibus ſimul cum beato Columbano comperui, & oculis meis ipſe vidi & auribus audiui, ſeu poſtea, quã me reliquit in cellula *Campidonenſe*, ſicut poſtea à præfato venerabili Epiſcopo *Tozzone* de virtutibus eius didici plurima, ſed non omnia in Epitaphio meo ſcribere curaui, & ad caput eius poſui reconditum cum ſepulchro, quatenus futuris temporibus quãdo Domino reuelante corpus eius ſanctum inuentum fuerit, ſicut Domino annuente illi, qui tunc temporis paſtores & rectores Sanctæ Eccleſiæ fuerint, inuenerint iuſtum & dignum fore, ita ea corrigant, quæ corrigenda ſunt, & quæ emendanda ſunt, emendent, nec nõ pro me ſeruo Chriſti intercedere non dedignentur, quatenus orationibus tanti patroni ſuffultus anima mea in requiem ſempiternam procedat.

Tozzo patrocinus cœnobij S. Magni meritur.

De eo, quod Tozzo Epiſcopus cœnobium S. Magni in neceſſarijs ſemper adiuuit.

CAP. XXX.

VIr ergò venerabilis Epiſcopus *Tozzo*, poſt obitum beati Patroni Magni prout potuit ipſum cœnobium ſemper cum ſuis cuſtodibus cuſtodiuit, ſecundum facultatem loci regens

Proteſtatio authoris.

& gubernans, atque diſponens ea, quæ ad ipſum Monaſterium iure pertinere debebant, cuſtodiens Sanctum corpus cum clericis & officijs diuinis atque luminaribus vſque ad obitum ſuum, qui permanẽs poſt diſceſſum B. Magni in Epiſcopatu annos quinque & menſes tres XVII. Kal. Febr. vitam ſæcularem finiuit, tradens ante obitum ſuum hæreditatem ſuam ad ſepulchrũ beati Magni cum firmitate & ſtipulatione ſecundũ legem Alamannorum, ſepultusq; à clero ſuo eſt Auguſtenſe ſub teſtimonio in eadem hæreditate.

De eo, quod poſt obitum Pipini Regis Theodorus ad Sanctum Othmarum venit, eique omnia, quæ de beato Magno acciderant, narrauit.

CAPVT XXXI.

Theodorus author huius vitæ ad Othmarum venit.

DEnique poſt obitum glorioſi Regis *Pipini* filijs ſuis litigantibus, erectus eſt Vrilo in Ducatu *Baioriorum* & *Gotafrid* in regimine Alamannorum; Sicque orta magna ſeditione & rixa inter *Baiorios* & *Alamannos* deuaſtantes & deprędãtes ſeu ſpoliantes omnia quæ in Marchis duorum regnorum conſiſtebãt, minime quiuit *Theodorus* fidelis monachus S. Galli & Magni cuſtodire locum *Campidonenſem* propter varias perſecutiones, & malorum hominum à pagenſibus ipſius loci oppreſſiones in ſuis & ſua nec nõ in ſemetipſo, idcirco relinquens illum locum profectus eſt ad Monaſterium Sancti Galli, inuenitque beatum *Othmarum* ipſius Monaſterij iam ſenem & grandæuum prouectæque ætatis, ſed Domini gratia, & Spiritu Sancto plenum, & diuinis virtutibus imbutum, narrauit ei omnia, de beato Magno Confeſſore Chriſti, quæ acciderant, & de loco *Campidonenſe* ſeu de perſecutione plurima quam paſſus eſt à Paganis, vel à malis Chriſtianis. Hæc audiens beatus *Othmarus* dolens & mœrens de tanta perſecutione, ſeu etiam & de ſua ipſa, quam iam à peſſimis comitibus *Vvarino*, & *Ruodhardo*, qui tunc temporis quaſi totius Alamanniæ curam adminiſtrabant, patiebatur, quędam de fratribus eius *Berthgozum* Monachũ optimum virum & prudentem, cum quatuor Monachis alijs illuc direxit, qui ipſum locum cuſtodirent donec Domino opitulante pace reddita iterum à rege *Karolo* ſublimaretur, permittẽs Theodorum morari in Monaſterio beati Galli, vſque ad obitum ſuum.

De eo, quod Karolus Rex per Sempertum Epiſcopum Auguſtenſem Monaſterium Sancti Magni & alia deſtructa reparauit.

CAPVT XXXII.

Carolus Rex Eccleſias reædificat & Monaſterium S. Magni reparat.

IGitur *Karolo* rege conſolidato & cõfirmato in Prouincia Galliæ, reſtaurans & reædificans Eccleſias, quæ à malis inuaſoribus deſolatæ erãt, totam *Germaniam* Dominus ſub ſuo iugauit imperio interfectis principibus *Germaniam* poſſidentibus. Cumque audiſſet de beato *Othmaro* iniuſtè acta, & ad finem obitus vſque perducta, necnon de cœnobio *Campidonenſe* imò de ciuitate Auguſtenſe quippe de Monaſterio S. Afræ, & cellam Sancti Magni pœnè deſtructam & deſolatam, compunctus corde, iterum reædificare cœpit ipſas Eccleſias, & ſublimare. Conſtituit autem Epiſcopum *Sintpertum* nomine in ipſa ciuitate, & dedit ſecundum morem regum per firmitatis præceptum ad præfata loca omnia, quæ ab anteceſſore ſuo *Pipino* illuc tradita fuerant; inſuper & addidit plurima. Suſceptumque Epiſcopatum *Sintpertus* profectus eſt ad Auguſtam Vendelicum, & per annos triginta ferè rexit ipſe Eccleſiam conſtruens baſilicam Sanctæ Afræ, & reſtaurans cœnobium S. Magni, parochiam verò in ambarum partium *Lechi* fluminis per auctoritatem Domini *Leonis* tunc temporis Papæ, & confirmationem Domini *Karoli*, iam facti imperatoris, in vtróque regno ſimul Domino fauente coadunauit.

De tranſlatione corporis beati Magni per Lantonem Epiſcopum Auguſtenſem.

CAPVT XXXIII.

Tranſlatio corporis S. Magni.

QValiter ergo corpus beati Magni repertum ſit, & inter cæteras virtutes, quæ ante ſepulchrum eius Dominus per merita ſua reuelare dignatus eſt, quã maximam virtutem tunc repetiente corpore ſuo non eſt ſilendum. Defuncto autem *Sintperto* Epiſcopo, ſucceſſore

Eccleſia S. Magni conſtruitur.

ſor eius *Lanto* in Epiſcopatu paſtorali dicium ſumpſit. Sed cũ non amplius quã ſeptẽ annos in Pötificatus honore ipsã Eccleſiam regere viſus eſt, minime quiuit aliquid ex his rebus ſublimare, niſi tantum in *Baſcariam* propter ſuam progeniem quam ibi præſentem habebat; ea quæ potuit ad ipſam Eccleſiam acquiſiuit. Functis autem pertranſactis ſeptem annis temporibus ſuis, ſucceſſores eius, qui in ipſa Eccleſia ſancta conſtituti ſunt, primus cœpit *Niceatus* à fundamentis Eccleſiam beati *Magni* conſtruere, cæteri verò præſules eum ſubſequentes, prout potuerunt, ſimiliter conſtruxerunt, tamen non fuit aula Baſilicæ ad perfectionem operis perducta.

Finis vitæ Sancti Magni Confeſſoris.

TESTIMONIA DE SANCTO MAGNO.

Ex Notkeri Martyrologio 8. Idus Septemb.

NAtiuitas ſancti Magni Confeſſoris, diſcipuli & comitis ſancti Galli, mirabilis atque ſanctiſſimi viri.

Ex Trithemio.

Magnus Monachus, & diſcipulus S. Galli, Abbas, vt fertur, in Faucibus, vir Sanctus & Deo dilectus, multis in vita miraculis claruit, ſicuti in geſtis eius, quæ diligenter ſcripta ſunt, legitur. Magnam prædicandi gratiam à Deo conſecutus multorum corda populorum ad diuinum amorem conuertit. Claruit anno Domini. 660. Mortuus eſt autem anno ætatis ſuæ 70. Octauo idus Septembris. *Hæc Trithemius. lib. 3. de viris illuſtribus ordinis Sancti Benedicti, cap. 107. Quis Theodorus fuerit, ſcire licet ex ipſa hac vita S. Magni, cuius diſcipulus fuit Theodorus, & oculatus teſtis eorum, quæ conſcripſit.* Metzlerus *de Theodoro hæc*: Campidoni excitato Monaſterio hæſit, vſque dum Sanctus Magnus vita fungeretur. Sed cum poſtea duorum regũ imperium affectantium prælia etiam ad illas partes pertingerent, ad Sanctum Gallum Monaſterium ſuum rediit, atque à S. *Othmaro*, qui tunc Monaſterio præerat, retentus, & pro ſe quinque aliis fratribus (quorum princeps fuit *Perechtgozus*, vt ipſe *Theodorus* hîc teſtatur) eò deſtinatis, ibidem reliquum, quod erat vitæ in magna ſanctitate ſub eodem S. *Othmaro* tranſegit, atque ad Deum opinione omnium ſanctus migrauit, ſepultuſque eſt in Monaſterio. Nondum tamen quod ſciam inter Diuos relatus. *Hæc Metzlerus.*

DE SANCTO MAGNO.

Incerti auctoris, Monachi tamen S. Galli atque vt videtur, Hartmanni propter quoſdam eius verſus quos habet etiam in litania Humili prece.

CArmina nunc feſtis Pſallamus rite choreis,
Obuia lætantes pectora qui ferimus.
Aurea iam reſonent redimitis carmina bombis,
Quæ variis mixtim vocibus aura ferat.
Ni ſic perſpicuum poterit vox clara referre,
Vt decet in tali nunc patris obſequio.
Sic deuota tamen pandamus ora, canentes,
Pectore de puro hos referendo ſonos.
Iſtuc iam properans Domini dilecte propinqua,
Quo tibi condigna corporis aula nitet.
Hic tibi perpetuis reſonent concentibus ædes
Oſſibus & ſacris ſemper habetur honos,
Dum læti famuli celebrant hic feſta benigni
Laudibus inſtantes nocte, dieque tuis.
Lætus ob hoc noſtros blanduſque inuiſito fines,
Atque pius ſeruis auxiliare tuis.
Iam nunc ſeruitiis famulûm conſueſce tuorum
Proſper & hunc vultum flecte ſerene tuum.
Dirige corda pius, & tempora dirige noſtra,
Atque dies lætos ducere da famulos.
Vt ſemper valeant tibimet cantare quieti,
Te quoque cœleſti cernere luce poli;
Sternere ſupplicibus iſthæc modo patria notis;
Et venerans canti ſuſcipe membra viri.
Ipſas omnigeno decorans tum flore plateas
Lumina perpulchris obuia lampadibus.
Adueniunt pariter, nec non comitantur eundem,
Perſpicui fratres, angelici proceres.
Qui ſancti feretrum circumuolitando beatum
Alarum expanſu vndique membra tegunt.
Inde Colũbanus *noſter pater atque Magiſter*
Alpibus excurſis aeriiſque viis
Hic adeſt præſens, alacriſque ad gaudia tanta
Agmina coniungit conſociata ſimul
Coniunguntur ei celeres, greſſuſque fatigant,
Tres quoque Francorum Scotigenæ pariter

Quos volitans fama aſciſcens ad gaudia tanta,
Vuitos tulerit dulcibus obſequijs.
Obuius hinc proprios Gallus *producit alumnos*
Longius occurſu approperans rapido.
Hunc circum medium numeroſis catibus auctus
Denſatur nitidus cælicolum populus.
Omnes qui pariter ſancta de voce ſalutat
Et proprios Lares Magne *ſubire rogat*
Vt quos ætherei retinet communio templi,
Hic quoque conſortes iungat honoris amor.
Interea Othmari *præſtabit cura Beati,*
Manſio constructa quoque parata fiat.
Vt nil diſpliceat venietis hoſpitis ori,
Omnia ſplendenti ſed niteant facie.

VITA
SANCTI KILIANI
FRANCIÆ ORIENTALIS,
QVÆ ET FRANCONIA DICITVR
Apoſtoli,

EPISCOPI VVIRZBVRGENSIS : ET SOCIORVM Kolomanni Presbyteri, & Totnani Diaconi Martyrum.

AVCTORE ANONYMO

Integrè & ſine ſtyli mutatione,

EDITA
EX

MEMBRANIS M.S. MONASTERII VVINDBERGENSIS & Rebdorfenſis.

Et habetur apud Henricum Caniſium tom. 4. Antiq. lect.

PROLOGVS VITÆ ET MARTYRII
S. KILIANI, ET SOCIORVM EIVS.

SANCTORVM Martyrum certamina quoties ad memoriam redeunt, toties mentē ardore cōpunctionis tangunt, quo fit, vt fraternæ charitati multum videatur impendere, qui Martyrum hiſtorias ſtylo ſtudet memoriæ commendare. Et quamuis culpis retardantibus, iter rectitudinis aſſequi non valeat, incedentibus tamen in patriam, veritatis tramitem monſtrat. Alioquin miſerrimum eſt, feliciter nauigantibus, ſi inuideat portum ſalutis, qui patitur damna periculoſæ nauigationis. Idcirco beatiſſimi Martyris Kiliani ac ſociorum eius geſta, prout poſſumus, literarum notis aſſignare curamus, vt fraterna ſtudia ad amorem boni operis incitemus. Quia enim phialam dare Fratribus non poſſumus, ſaltem cyathum propinemus.

VITA
ET MARTYRIVM
SS. KILIANI EPISCOPI,
COLOMANNI PRESBYTERI
& Totnani Diaconi.

FESTVM S. KILIANI CELEBRATVR 8. IDVS IVLII.

BEATVS Kilianus Scotorum genere, nobilibus ortus parentibus, diuinæ tamen gratiæ factus eſt nobilitate clariſſimus. * Scotia, quæ & Hibernia dicitur, Inſula eſt maris Oceani, fœcunda quidem glebis, ſed ſanctiſſimis clarior viris; ex quibus *Columbano* gaudet Italia, *Gallo* ditatur Alemannia, *Kiliano* Teutonica nobilitatur Frãcia. Qui, vt diximus, nobili proſapia editus, à pueritia liberalibus ſtudijs traditus, ſimul cum literarum incrementis diligenter cœpit indagare viam veritatis. Tandem præueniente ſe gratia Dei, ſpretis humanarum literarum ſtudijs, omnibuſq; huius mundi illecebris Monaſterium petijt, abnegauit ſemetipſum ſibi, tulitque crucem ſuam & ſecutus eſt Chriſtum.

**frequens eſt apud ſcriptores quoſdam, vt Scotiã pro Hibernia dicãt inquit, Serarius hic.*

Kilianus fit monachus.

In Monaſterio igitur poſitus, quantæ obedientiæ, quantæque frugalitatis, quantæq; fuerit Vigiliarum & orationũ inſtantiæ, vitæ præſentis terminus declarauit. Quamuis etenim martyrij palma per gratiam magis, quàm per meritum conſtet, bonis tamen adimpletur operibus. Videntes itaque Monaſterij Fratres in virtutum profectibus beati viri perſeuerantiam, primo eum per Eccleſiaſticos gradus ad Preſbyteratus Officium precibus aſcendere, deinde eiuſdem Monaſterij regiminis curam ſumere coegerunt. Ille autem ſciens perfectionem charitatis ſine proximi dilectione perfectè conſtare non poſſe, paſſus eſt in proprijs ſe aliquantulum minorari, vt Fratrum prodeſſe poſſet vtilitati, imitatus Apoſtolum, cupientem anathema fieri à Chriſto pro Fratribus & cognatis ſecundum carnem.

Fit Preſbyter & præfectus Monaſterij.

Rom. 9.

Veruntamen cum fama beati viri longè latéque crebreſceret, metuens ipſe, ne popularis fauor maculæ ſibi rugam infigeret, cœpit meditari, qualiter notos & propinquos relinqueret, peterétque longè ſepoſitas terras, vbi obſcurus fama, & vilis genere poſſet haberi, quo liberius diuinis cultibus vacare valeret. Deliberatione itaque recedendi * facta collectis ſocijs, in quibus idem feruor dilectionis ardebat, ad vicinam Scotiæ Britanniam peruenit, quam non longa nauigatione præteriens, Galliam attigit. Qua permetata in Prouinciam Germaniæ deuenit, quæ ab incolis terræ ipſius Orientalis Francia vocitatur, ibique in oppido, quod * *Vvirzeburg* eorum lingua dicitur, Latina verò lingua, virorum interpretari Caſtellum poteſt, moram ſe facturum diſpoſuit, non veritus incredulæ gentis feritatem, eo quod intrepidus coronam optaret martyrij. Sed tamen * prædicationis interim abſtinuit, donec Romano ſe Pontifici præſentaret, quatenus apud Romanam ſedem & integrum Chriſtianæ Religionis dogma, & licentiam prædicandi acciperet.

** Vvind-berg. facta & peracta.*

** VV. MS. Vvirzburch.*

** VV prædicatione. Nota obſeruantiã erga Romanum Pontificẽ.*

** VV. Iberniæ.*

* Hibernia ſiquidem olim Pelagiana fœdata fuerat hæreſi, Apoſtolicáque cenſura damnata, quæ niſi Romano iudicio ſolui non poterat. Idcirco vir Sanctiſſimus coram Primate Apoſtolicæ Sedis, eiuſdémque miniſtris, vt ſibi ſemina diuini verbi gentilibus erogare liceret, ſtudio diuini amoris expetiuit.

Tunc autem præerat Romanæ Eccleſiæ * *Konon* Pontifex, humanis, diuiniſque literis pollens, Pontificali Officio congruus, in ordinandis Eccleſiaſticis rebus diſcretor

** VV. Conon.*

idoneus. Qui audita fide præfati viri charitatis nexibus * illigata, Deo gratias retulit, eique ſeſe charitatis amore impertiuit, exultans ſemina diuini eloquij ab inſulanis, ac longe poſitis Doctoribus augeri.

** V. Valligata.*

Erat igitur apud egregium Pontificem non modica exultatio, quia cernebat paulatim euacuari fraudem antiqui hoſtis, creſcentibus diuinę miniſtris operationis. Tūc ex conſenſu totius vrbis beatiſſimum virum in Præſulatûs * officium conſtituit, quo & chriſma conficere, & Eccleſias dedicare, & ſacros ordines conſecrare irreprehenſibiliter valeret. His ita peractis dimiſit eum, monens, vt cœpto operi inſiſteret, à Domino ſibi parato præmio æternæ retributionis. Beatus itaque Kilianus vrbe egreſſus, peracto itinere cum *Colomanno* Presbytero, *Totmanno* Leuita, ad locum ſibi deſtinatum peruenit, Columbano in Italia relicto. Nam Romam pergens Gallum in Alemannia, febre grauatum dimiſit.

** VV. Officio conſtituit vt ſacros ordines conſecrare.*

Ordinatur Epiſc.

Veniens igitur ad prædictum oppidum Orientalis Frāciæ * *Vvirziburg*, non eum, quem in eadem Prouincia Ducem reliquerat, inuenit, ſed alium nomine *Gozbertum.* Porrò venerabilis vir paulatim cœpit pabula diuini verbi incredulis populis miniſtrare. Tantam enim Dominus ei gratiam contulerat, vt in breui tempore gentis loquelam perdiſceret, & eis proprio ſermone ſemina veritatis erogaret. Mirabantur autem omnes non ſolum nouitatem doctrinæ, ſed exuberātiam quoque eloquentiæ, facundiam etiam ſermonis comitabatur efficacia virtutis. Impletum eſt in illo, quod veritas Apoſtolis promiſit. *Ego*, inquiens, *dabo vobis os & ſapientiam.* Et iterum: *Opera, quæ ego facio, & vos facietis.* Sed cum iam diuini ſemina ſucceſcerent eloquij, & plebs gradatim minueretur errore gentilitatis, vſque ad Principes populi, Sancti viri fama peruenit, vt Ducem quoque Prouinciæ non lateret. Qui eundem Sanctum virum ſibi præſentari iuſſit, experiri cupiens, quæ eſſet hæc doctrina, quam prædicabat, hactenus ſibi incognita. Erat verò idem Princeps naturali ingenio præditus, licet gentilitatis errore fœdatus. Ad quem, cum à beato viro peruentum eſſet, conſtanter veræ dogma religionis inſinuare cœpit, docens, vnum eſſe Deum viſibilis & inuiſibilis creaturæ authorem, in Trinitate perſonarum, & vnitate diuinitatis conſiſtentem. Ieſum Chriſtum, à Iudæis crucifixum, in vna perſona verum DEVM, verumque hominem, in natura diuinitatis æqualem Patri, in natura humanitatis factum mortalem, [a] tertiā tamen in Trinitate perſonam, per quam rationabilis mortaliſque creatura, inuidi hoſtis fraude decepta, ſit miſericorditer reparata. Præfatus autem Princeps [b] adiuuans tanti viri conſtantiam, & ſermonum inſuperabilem [c] veritatem, quia, vt diximus, naturali pollebat ingenio veris ſe ſuperatum ſententijs vidēs, ad tempus eius diſtulit auditionem, volens frequenti apud ſe tractare rimatu, vtrum quē Kilianus docebat, an Dianæ cultus præponendus foret. Diana namque apud illum ſumma veneratione habebatur. Veruntamen egregius vir iugi inſtantia laborabat, vt Deo redderet animas, quas diabolus perdere conabatur. Lucerna igitur ſupra candelabrum poſita, omnibus reſplendebat, & ciuitas in monte conſtituta ab omnibus videbatur.

** VV. Vvitzeburch.*

Luc 21. Ioan. 14.

a Melius ſecundā: jod MS. Vvindbergenſe, ſic habet, tertiam tamen in Trinitate perſonā; Spiritū ſanctum, per quam &c.

b admirans.

c VV. virtutem.

Mat. 5.

Porrò prænominatus Dux cernens perſeuerantiam Prædicationis egregij viri, ſecretò venit ad eum, cupiens doctrinis eius inſtrui, quatenus cognito tramite veritatis abigere valeret anfractus erroris. Sed à beatiſſimo viro Catholicæ fidei documentis diligenter inſtructus proximo die Dominicæ Reſurrectionis cum multis alijs dato nomine, aqua lotus baptiſmatis, abſolutionem priſtini promeruit erroris. Sicque factum eſt, vt tota penè Prouincia Orientalis Franciæ, relicto dæmonum cultu diuinæ religioni operam daret. O beatiſſimum virum Apoſtolicæ dignitati comparandum. Ad iudicium namque Domino veniente, Petrus Iudæam, Andreas Achaiam, cæterique ſecum diuerſa regna trahēt, inter quos Beatus Kilianus Teutonicam Frāciam ducet. Quanta tunc erit exultatio Patris in prole, & prolis in Patre, quando omnibus mundi conſumptis periculis, neque memoria reſtabit tribulationis. Sed iam tempus eſt, vt ad beati viri, ſociorumque eius martyrium ſuccinctè pergamus, ita tamen, vt moderata breuitas & ſtudioſo Lectori ſatisfaciat, & deſidioſo faſtidium tollat.

Dux Frāconiæ credit & baptizatur cum multis alijs.

Prædictus Dux Gozbertus monitu aſſiduo beatiſſimi Præſulis ad meliora de die in diem proficiebat. Erat illi tamen coniux ſecundum gentilitatis ritum, quæ quōdam

Fratris ipſius coniugio fuerat copulata. Hæc * Geilena nomine dicebatur. Præclarus autem vir Dei idcirco in initio fidei noluit tale prohibere cōiugium, ne in pœnitudinem credulitatis, grauitate monitus princeps prælibatus duceretur. Et hoc eſt, quod Apoſtolus in fide nondum perfectus dicebat: tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam. Perfectorū enim eſt ſolidus cibus. Ideoque egregius Martyr, quod grauius nouerat, diſtulit in futurum, ſimulque diuino reuelante Spiritu, ſciens in hac re ſibi & ſocijs cauſam conſtare Martyrij, vt multis interea prodeſſet, interim omiſit tale damnare coniugium, licet cuperet diſſolui, & cum Chriſto eſſe, imitatus Apoſtolum, qui in ſporta per murum a fratribus dimiſſus eſt, non vt mortem timeret, ſed vt multis ante mortem prodeſſet.

*Alij Giſilam, Alij Gailanam vocant.

1. Cor. 3. Hebr. 5. Act. 9.

Veruntamen cum quadam die venerabilis Præſul Ducem familiariter alloqueretur, dixiſſe fertur inter cætera: Fili mi, quem per Euāgelium genui, gaudeo valde in profectu fidei tuæ, ſed multum me mouet, quia illicitis nuptijs detineris, & vereor nimis, ne à recto itinere tali coniugio retarderis. Legitur enim ſapientiſſimo dicente viro: *Qui in vno offendit, multa bona perdit*, Iacobo Apoſtolo teſtante, *quia qui totam legem ſeruauerit, offendit autem in vno, factus eſt omnium reus.* * Propterea in baptiſmate innouatur homo, & non ex parte, ſed totus: vt autem totus innouari poſſit, nihil priſtini retinere deberet erroris. Audiens hæc princeps, primo hæſit ſtupore, deinde alta ſuſpiria trahens (valde enim diligebat eam, quam habebat vxorē) demū tale fertur dediſſe reſponſum: Audiui pater te docente, quia dominus Ieſus monet nihil præferēdū ſuo amori, non Patrē, non matrē, non filios non vxorem, & idcirco quamuis vnicè diligam iunctam mihi vxorem, præpono tamen diuinum amorem. Sed nunc non adeſt mihi otium inquirēdi qualiter eam dimittam, quia contra hoſtes noſtræ reipublicæ feſtino, cum autem fuero reuerſus, inuenta opportunitate dimittendi ſeparabor ab illa. Hæc verò cum ad aures Zeilanæ perueniſſent (quis enim fallere poſſet amātem?) graui incanduit ira, perinde vt raptis catulis leæna, diuque ſecum bacchata, ex eo cœpit quærere, * quomodo ſanctos viros extingueret; neque enim abſente marito tanto ceſſaret cardine rerum.

Eccl. 9. Iac. 2.

*Præterea

*f. opportunitatem

* ceſſarat

Felix *Kiliane*, qui Heliæ & Ioanni dignus es comparari. Helias namque Iezabelis inſidias pertulit, Herodiadis fraude Ioannes Martyrium accepit, tu Gailanæ Zelo truncaris, tribus tamen vna eſt cauſa laboris, teſtificatio videlicet veritatis. Helias non nuptias prohibuit, ſed mulieris improbitatem damnauit, ideoque tamen euaſit, quia Dominus eum abſcondit. Ioannes & *Kilianus*, quia nuptias vetuerunt illicitas, fœmineo veneno mortem pertulerunt. Nulla ſiquidem feritas beſtiarum in hoc mundo ſimilis mulieris malæ. Ad huius rei exemplū ſufficiunt duo omnibus alijs incomparabiles viri. Samſon inuicti roboris, Dux Iſraeliticæ plebis, & Salomon inexhauſta ſapientia laudabilis, quorum vterque fœmineis fraudibus ceſſit, hic idola colendo, ille quo priuari fortitudine poſſet monſtrando. Nulla igitur beſtia in hoc mundo ſimilis eſt mulieris malæ. Igitur ad propoſitum redeamus.

Geilā Ducis coniux meditatur cædem S. Kiliani.

Iud. 16. 3. Reg. 11.

Nefanda mulier, de qua nobis ſermo eſt, callida meditatione perquirebat, qualiter ſine populari ſtrepitu, & vulgi cognitione ſanctos viros perderet. Armabatur nāq; impatientia iræ, & libidinis furore. Et quia diabolus iniqua cupientibus fomenta malitiæ ſubminiſtrat, inuenti ſunt duo miniſtri crudelitatis, qui promitterent, ſe ſatisfacturos *Geilanę* deſiderijs, datis ſibi muneribus miſerrimæ executionis: atque ita factū eſt, vt accepto præmio nefandi operis peruenerint ad votum fœmineæ crudelitatis. Solebat namque beatiſſimus Martyr *Kilianus* poſt paruam dormitionem neceſſitatis, ad ſtudium vigilare propenſæ orationis. Quadam verò nocte cum leues ſomnos carperet S. *Kilianus*, ita vt nec dormiret integrè, nec vigilaret apertè, apparuit ei vir habitu formaque pulcherrimus, qui diceret: Amice *Kiliane*, ſurge; volo te diutius laborare, vno duntaxat certamine tangeris, & ſic iugiter victor mecum eris. His dictis abſceſſit. Euigilās autē egregius vir, intelligens diuinam ſibi adeſſe viſitationē, conuocatis fratribus, inquit, Fratres euigilemus, citò aderit Dominus, & pulſabit ianuam; Cauendum ergo eſt, ne nos ſomnō torpentes inueniat. Addamus oleum lampadibus, dum tēpus eſt, ne ſi defecerit, tūc incipiamus quærere, quando non poterimus inuenire. Illis itaque circa medium

Viſio S. Kiliani.

Matth. 25

noctis orationibus vacantibus, carnifices ſtrictis gladijs locum, in quo orabant, penetrarũt. quos cum ſacer vir intuitus eſſet, ait, Amici ad quid veniſtis? implebitis præceptum, * conſummabitis curſum. His dictis interfecti ſunt, ibique terræ mandati, ne quis ſcire poſſet, quid factum foret. Veſtimenta quoque, cum quibus diuina officia peragebant, ſacrique libri ſimul cum eis defoſſa ſunt, ne quod indicium necis eorũ deprehendi poſſet, ſed clam diſceſſiſſe putarentur cauſa ſolitæ peregrinationis. Erat tamen quædam nobilis mulier, *Burgunda* nomine, quæ à principio prædicationis eorum ſanctis adhæſerat viris, habens cellulã iuxta oratorium Sanctorum, quo facilius diuinis laudibus intereſſe valeret: Hæc intenta vigilijs, quæ facta fuerint, diligenti ſtudio inueſtigauit, recedentibuſque carnificibus Linteolo fuſum ſanguinem Sanctorum collegit, ac terræ diligẽter infodit, vigilijs & orationibus, vacans vbi Sanctorum corpora obruta nouerat, excolebatq; locum veneratione, qua poterat, licet ſilenter, ne ſicut poſtea factum eſt, *Geilanæ* iuſſu remoueretur.

**Conſummabimus. cæditur S. Kilianus cum ſocijs.*

Rebdorf. linteolo mundo.

Eadem ſceleratiſſima mulier ſtratis quoque * plancis, ſtabulum equorum, in loco, vbi Sancti Martyres humati erant, fieri iuſſit, ne quo indicio ſacra corpora proderentur. Ferunt tamen ab his qui tunc fuêre, poſteris relatum, quod animalia ibi ſtabulata ſuper ſepulchra Martyrum, nec ſtercora, nec vrinam iacerent, honorem Martyribus exhibentia, vt quod de capite Propheta vaticinatus eſt, hoc in eis mẽbris reperiretur. Cognouit, inquiens, bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, Iſraël non cognouit. Talique modo, vt dictum eſt, Sanctorum corpora hominibus pœnè ignota forent, niſi præfata *Burgunda* in extremo vitæ poſita, quibuſdam fidelibus, vbi poſita eſſent, * reuelauerit.

** plantis.*

Eſa. 1.

** reuelaret.*

Contigit autem vt Dux peracta militia reuerteretur ad locum, vbi Sanctos viros dimiſerat. quos cum nõ inueniſſet, ſtudioſe cœpit perquirere, quando & quam cauſa receſſerint, quouè abierint; eius enim vxor veneno malitiæ fœdata, aliquando * rubore perfuſa, aliquando pallore depreſſa, aliquando confidentia roborata, diuerſos anfractus nequitiæ ſuæ fraudibus prætendebat dicens; non ſe eos cuſtodiſſe, neque cuſtodes adhibuiſſe; quando voluerant veniſſe, quando ſibi placuit receſſiſſe, quò peregrinationis ſuæ ſeruarent propoſitum. Quẽ fœminea verba non emolliunt, quem à ſtatu rectitudinis nõ retrahunt? Credulus itaque verbis coniugis Princeps aliquantulum cœpta ab inquiſitione quieuit. Sed enim iuxta Dominicam vocem, nihil opertum, quod non reueletur, & occultum, quod non ſciatur.

** verecũdia rubore*

Matth. 10

Cum ea quæ facta fuerant paulatim obliuioni traderentur, vnus eorum, qui ſanctos viros gladio inuaſerant, ſubitò à dæmone arreptus, ingenti voce clamare cœpit, *Kiliane* acriter me perſequeris, ſiquidem igne conſumor, quod feci celare non poſſum, video mihi imminere gladium ſanguine tuo reſperſum. Talia diu vociferans, & proprijs ſe dentibus lanians, à præſenti migrauit in æternam pœnã. De talibus quippe ſcriptum eſt: Duplici contritione contere eos Domine. Alter verò mortis ſanctorum conſcius, in rabiem verſus, gladio ſemet aperijt, effuſiſque viſceribus per tormenta præſentis temporis ad æterna peruenit.

Percuſſor martyrũ ſeſe prodit arreptus à dæmone.

Ierem. 17.

Quis *Geilana*, tibi cernenti talia ſenſus tunc erat? infelix cruciatibus acta furebas.

Non multo poſt & ipſa bellua, de qua loquimur dæmonibus arrepta, quanta poterat voce clamabat, iuſtè torqueor, quę ſanctis viris tortores adhibui, rectè crucior, quæ cruciatus paraui. Acriter inſtas *Kiliane*, ignem accendis *Kolomãne*, fomenta miniſtras *Totmanne*. Sufficiat vobis viciſſe, nimis veſtras vlciſcimini iniurias. A calice *Kiliane* diceris, ſed valde amara pocula mihi infũdis. His dictis, miſerabiliter vexabatur, ita vt à multis vix teneri poſſet. Tandẽ cũ magno cruciatu ad cruciatum diabolo paratũ peruenit. Cernimus impletum quod veritas in Euangelio inquit, Dominus non faciet vindictam electorum ſuorum clamantium ad ſe die & nocte, & patientiam habebit in illis. Amen dico vobis quia citò faciet vindictam illorum.

Geilam occupat dæmon & ſecum ducit in tartara.

Luc. 18.

His ita geſtis aiunt *Gotzbertum* à proprijs ſeruis interemptum, filiumque eius principatu deiectum, cognatos affineſque eorum à contribulibus talia perpeſſos, vt vix aliqua eis reipublicæ dignitas in eadem prouincia manſerit. Cur autem hæc prouenerint, verum quia fidem rectam ſeruabant, ab his, qui ab ea deuiarant, talia paſſi ſint;

Gosbertus Dux à ſerui proprijs interimitur

ſint; an quia ipſi poſt obitum Sanctorum Martyrum à tramite veritatis receſſerant, vindictam hanc à Deo illatam ſibi pertulerint, viderit ipſe, quem nullum latet ſecretum; dũmodo nil talium pudeat nos ignorantia rerum * Enimuerò, quia ad finem operis tendimus operæpretium arbitramur, ſi virtutum beati Martyris ſaltem vnũ miraculum fateamur. Venerabilis virgo Gertrudis Pipini Regis Francorum filia, cum virum accipere nollet, cui eam pater ſociare volebat, auxilio matris, quamdiu potuit, paternis in tegnis latuit. Sed cum diutius latere non poſſet, venit in partes ſupradictę Orientalis Franciæ, in locum, qui nunc corruptè * *Carleburg* vocitatur, ibique de facultatibus ſuis in honorem beatiſſimæ Virginis Mariæ Monaſterium conſtruxit, quod vſque in præſentem diem permanet, vbi * *Atalongum* Presbyterũ, & Bernardum Diaconum, quos ſecum adduxerat, ordinauit. Ipſa dehinc ad propriam terram rediit, quia procum ſui coniugij obiiſſe cognouit, quæ vſque ad vitæ terminum in virginitate permanens, virginitatis ſimul, & morum probitate, Deo complacuit. Prædictus autem *Atalongus* ignorabat Kilianum, forſitan vt vix eius audiuerit famam, * quę paulatim ignorantia abſoleuerat.

* Hucuſque tauiũ Surius & Serarius hanc vitã produxerunt, ſed Caniſius integrã, vt hic habetur, commemorat

* Karliburg.

* Attalongum.

* quam paulatim l. abſolebat.

Erat tamen ſacerdos diuinis eruditus literis, diuiniſque deditus mandatis; ſed vt diximus, meritum beati Martyris ignorabat. Veruntamen cum quadam die puerorum claſſes, quas ad ſtudium literarum erudiebat ante ſe, vt materiem * dicendi ab eis perquireret, aſtare iuberet, cœperũt hi, qui iunioris ætatis erant, diuino impulſi ſpiritu vociferati dicentes: Kilianus ſigna facit, de loco, in quo indignè iacet, tolli debet. Quod cum venerabilis Presbyter audiſſet, ſtupore repletus eſt; præſertim, quia puerilis timiditas nullatenus magiſtralem auſteritatẽ verebatur; minas tamen eis intulit, vt ſi * nunquam tale fari auderent, quod vtilitate careret, grauiter verberibus premerentur. Factum eſt autem inter hæc, vt ſolis curſũs noctis tenebris interpolaretur, præfatuſque presbyter poſt cibi potuſque neceſſitatem reſolueretur in ſomnum. Qui tam graui ſomno preſſus eſt, vt phantaſtico videretur premi * veſtigio. Inſtante aurora, cum grauitas illa dormitionis deficeret, vidit per ſomnia venerabilem ante ſe aſtare virum, lumine terribilem, qui diceret, *Niſi credideris, non videbis.* Quod & Dominus Iudæis Prophetico affamine comminatus, dicens: *Niſi credideritis, non intelligetis.* Orto autem die, cum iam ſol ſecundam tangeret lineam, interrogauit miniſtrum, vtrum Phœbus adhuc emerſerit marinis vndis, attamen cum cognouiſſet, quod iam diei produceret horas, defigens in Phœbeos radios obtutus luminis, apertis oculis nil vidit. Intelligens tamen quod ſibi ſomnium prætulerit vaticinium cæcitatis, ac temeritatem ſuam ad mentis oculos reuocans, puerorum præconia preſagium intellexit diuinæ operationis. Tunc flens & eiulans cœpit dolere, nõ tantum cęcitatem corporis, quam præſumptionem mentis. Hinc ab incolis loci illius, in quo morabatur, ſciſcitari cœpit, quis fuerit *Kilianus*, cuius laudes etiam puerilis lingua fatebatur. Interea adfuit quidam ruſticus, qui, quamuis dignitatem hiſtoriæ * proſequi non poſſet, materiam tamen facti verbis, quibus valuit, patefecit, dicens: Ex longinquis Kilianum partibus aduenisse, fidemque Chriſtianæ Religionis habitatoribus ipſius prouincię oſtẽdiſſe, muliebrique fraude extinctum, ignorantia ſimul vulgi, temporiſque interſtitio aliquantulum obliuione interlitum. Quod cum venerabilis ſacerdos audiſſet, inquiſita Martyrum ſepultura, ſe illuc deducendum popoſcit, ibique orationibus atque vigiliis inſtanter poſcebat, vt interceſſione venerabilis Martyris, ſociorumq; eius ſibi Dominus amiſſum redderet lumen; damnans in ſe ignorantiam diſcretionis, temeritatemque ſermonis. Tandem beneficiis Sanctorum recepto lumine, non ceſſabat publicè pandere, quibus poterat, facta in ſe miracula diuinę operationis, adeo vt venerabilem Archipræſulem Bonifacium, qui tunc Moguntiæ præerat Eccleſiæ, adiens, quanta ſibi fecerit Deus meritis beati Kiliani, ſociorumque eius, diligenti narratione proſequeretur.

* diſcendi

* vnquam

* preſſi.

Reb. * perſequi

Erat autem idẽ *Atalongus* fama & moribus non ignobilis, ideoq; non ſolum Sancto viro Bonifacio, verum etiam omnibus recta fateri videbatur. Ex eo itaque tempore inueſtigabat Archipræſul * venerabiliſſimus, qualiter oppidum, vbi Sanctorum corpora poſita erant, Epiſcopali dignitate ſublimaret. Et quia ad finem hu-

* venerabiliſsimus.

Vn

ius operis tendimus, hîc terminum narrationis ponamus. Qualiter autem venerabilis Pontifex publicitùs Epiſcopalem ſedem * Vvirziburg primus promeruit, & quomodo Martyrum corpora de loco, vbi indecenter poſita fuerant, ſuſtulerit, in vita ipſius, prout poterimus, manifeſtare curabimus, ad laudem & gloriam Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat, Deus per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

* *Vvirzb.*

De Hiſtoriæ huius auctore.

Surius, Nicolaus Serarius, & H. Caniſius, qui eandem ediderunt, ingenuè fatentur Auctorem ipſis adhuc incompertum eſſe, Caniſius verò coniecturam facit fuiſſe Egilvvardum Monachum cœnobij S. Burchardi prope Herbipolim, qui teſti Trithemio ſcripſit vitam S. Burchardi, quæ extat apud Surium tom. 5. 14. Octob. Quod ex hoc colligit, quod auctor huius vitæ Sancti Kiliani in fine promittit vitam S. Burchardi his verbis: In vita ipſius (*S. Burchardi*) prout poterimus, manifeſtare curabimus. *Et ſi quis ille fuit, omnes in eo conſentiunt quod fide digniſſimus ſit cum ait:* Nihil eiuſmodi aſſeramus quod incompertum habemus. *Serarius inſuper dicit D. Ioannem Erforditenſem illigaſſe eandem hiſtoriam verſibus ante annos 250. eoſque verſus ſic incipere.*

Sanctorum mer { ita { norunt compungere m { entes.
Cura ſolic { ita { ſtudioue pio recol { entes.

THADÆI ABBATIS SCOTORVM RATISBONÆ

FRAGMENTVM CHRONICON

De S. Kiliano. S. Virgilio, & S. Lullo, &c.

Ego frater Thadæus Abbas Scotorum Ratisbonæ, ad petitionem Domini Conradi præpoſiti in Illminſter, infra ſcripta extraxi de Cronica fundationis Scotorum, folio vicesimo nono, Anno Domini milleſimo, quadringenteſimo, quinquageſimo ſeptimo, vndecima die menſis Martij, indictione quinta.

TEmpore Pipini Regis Romanorum venit egregius Epiſcopus, celebris vir, magnæ virtutis, de Hibernia, nomine *Kilianus*, cum duobus ſocijs ſuis Colonato & Totnano. Iter direxit Romam in peregrinationem, more * Scotorum, magni maris pericula euadentibus. Ad Flandriam proſpero comitatu peruenerunt, vbi per Angelicam viſionem reuelatum fuit beatiſſimo Kiliano, vt per Alemaniam iter dirigeret verſus Romam: & ſic peruenit Romam. Tantæ gratiæ fuit coram Deo, vt cuiuſlibet linguæ ignotæ interpretationem populis expediret. Pater Apoſtolicus percipiens ſancti viri prudentiam, & ſacræ ſcripturæ intelligentiam, in Alemaniam ad partes Franconicas ipſum deſtinauit, vt prædicaret verbum vitæ genti Idololatricæ. Quod adimpleuit vſque ad tempus ſui Martyrij apud Herbipolim, vt in eius geſtis plenius habetur.

* *Hibernorum.*

Dono linguarum præditus fuit S. Kilianus.

Tempore eodem venit honorabilis turma Sanctorum de Hibernia, videlicet S. Virgilius Epiſcopus cum alijs ſeptem Epiſcopis ſanctis, multiſque alijs ſocijs, qui propoſuerunt

ſuerunt Domini veſtigia, ac Sanctā terram corporeis oculis videre, ſolito more reuerendorū Patrum Scotorum. Angelus quidā Domini ad S. Virgilium locutus eſt, dicens, Placuit Creatori omnipotenti, vt deſiſtatis ab incepto itinere ad Apoſtolorū limina. Et veſtra reſurrectio ſit, exuto carnis onere, apud ciuitatem Saltzburgam Comites quidem veſtri ſint diſperſi vndique per Bauariam, Karinthiam, & Sririam, in Dei ſeruitio. Sermone Angeli expleto. S. quoque Virgilius Saltzburgæ Epiſcopus eſt factus. Cæteri eius Coëpiſcopi Saltzburgæ in miniſterio operis Dei remanſerunt vſq; ad diem obitus eorum.

Quis negare poteſt hic & ſuperius per Scotos Hibernos intelligi

Cæterum eorum ſocius, videlicet B. Lullus, apud *Illminſter* glorioſis operibus intrepidus permanſit. Et B. *Declanus* cum alijs duobus *Friſingiam*, duoque alij apud *Rote* beata oſſa ſua terræ commendauerunt. Et Sanctus *Alto* apud *Altenminſter*. Et ſic Sanctus grex beatorum virorum diuiſim in diuerſis locis regna cæleſtia ſunt adepti.

Ex Martyrologio Rhabani. VIII. Idus Iuly.

In pago Auſtriæ, & Caſtro nomine *Vvirzburg* iuxta *Moin* fluuium Sanctorum natale Chiliani Martyris, & duorum ſociorum eius, qui ab *Hibernia Scotorum Inſula* venientes, nomen Chriſti in prædictis locis prædicauerunt. Ibique ob veritatis confeſſionem à quodam iudice iniquo nomine *Gozberto* trucidati ſunt, & poſtea multis ſignis, veri Chriſti Martyres eſſe claruerunt.

** Colomanni.*

Ex Mariano Scoto.

Sanctus Kilianus de Hibernia Inſula natus, Vvirtziburgēſis Epiſcopus clarus habetur.

Ex Chronologia Cardinalis Bellarmini.

S. Kilianus Monachus Hibernus per hæc tempora Francis Orientalibus Euangelizat fidem, & eorum appellatur Apoſtolus.

Ex Martyrologio S. Notkeri. viij. Idus Iulij.

In pago Auſtriæ, id eſt, nouæ Franciæ Caſtro, imo ciuitate, vt Teutonico nomine prodit *Vvirzburg* iuxta *Moin* fluuium ſita, Paſſio S. Chiliani, primi eiuſdem ciuitatis Epiſcopi, & duorum diſcipulorum eius * *Colonati* ſcilicet Preſbyteri, & *Totnani* Diaconi. qui ab *Hibernia Scotorum Inſula* venientes, & à Pontifice Sedis Apoſtolicæ authoritate accepta, nomen Chriſti in eodem loco & in circuitu prædicauerunt. Cumque multum populum idem vir Apoſtolicus ſignis & verbo Domino adquireret, à Duce locorum eorundem nomine *Cozperto* pro eo quod eum à coniugio vxoris fratris ſui diſiungere niteretur, factione eiuſdem inceſtuoſiſſimæ *Geilæ*, cum ſocijs eodem zelo feruentibus, eſt interemptus. Ad quorum memorias cum plurima ſemper fiant miracula, his tamen indicijs prætioſa mors eorum primùm mortalibus eſt commendata. Nam is, qui eos in oratione poſitos nocturno tempore ſilentio peremit, huc & illuc amens diſcurrendo, ac ſe reum necis Sanctorum clamitando, ſéque ipſum dentibus ſuis ianiando, quia igne inuiſibili à Sancto Chiliano ſibi videbatur exuri, commiſſum ſuum ipſe publicauit. Geilam quoque etiam ipſo nomine *Petulcam* ſpiritus malignus inuaſit, & indignam eius vitam digniſſima morte finiuit. *Gosbertum* verò ſerui ſui occiderunt gladio. Filium autem eius populi propulerunt de regno. Ad augmentum quoque ſanctitatis Martyrum declarandum, cum poſt annos plurimos transferendi gratia detegerentur, contra naturam eiuſdem regionis ſupra modum humidæ, libri eorum ac veſtimenta omnia pariter cum eis ſubterrata, ita ſunt illæſa reperta, quaſi in ſcrinio ſuper terram poſito eſſent incluſa.

EX NOTATIONIBVS NICOLAI SERARII
Societatis Ieſu in Vitam S. Kiliani. Tomo primo.

De Sancti Kiliani nomine.

Variò nomen hoc ſcriptum inuenio. Nam alicubi legitur Quillianus, alibi Chilianus, Chillianus, & Kilianus, in ipſius etiam Epitaphio, & quibuſdam manuſcriptis codicibus Kilena & Kyllena, *& cætera ibidem de eiuſdem nominis Etymologia.*

De S. Kiliani patria, an ipſe ſcilicet Scotus, an Hibernus fuerit.

Scotiam Sancto Kiliano patriam fuiſſe auctor indicat. Idémque aſſerunt *Sigebertus*, *Vvernerus*, *Leslæus*, *Thomſonus*, & Sanctus ipſe Bonifacius ad Zachariam Romanum Pontificem Epiſtola Scotigenem appellat. Hiberniam alij ei tribuunt. Mariani Scoti

verba ſunt. *Sanctus Kilianus de Hibernia Inſula natus, Vvirtziburgenſis Epiſcopus clarus habetur.* Sciendum videlicet etiamſi hodie Scotia propriè vocetur ea Britanniæ pars, quæ ipſi Angliæ continens ad Septentrionem vergit, olim tamen eo nomine Hyberniam notatam fuiſſe, vt oſtendit V. Beda, cum è Scythia, Pictorum gentem in Hyberniam veniſſe ait, ibique Scotorum gentem inueniſſe. *Eſt autem*, inquit, *Hybernia Inſula omnium, poſt Britanniam, maxima, ad Occidentem Britanniæ ſita.* Narratque deinceps, quomodo iſti à Scotis refutati, Septentrionalem Britanniæ regionem occuparent, cum Auſtralem iam antea Britones occupaſſent, & venientes ad ſe Scotos in eandem regionis occupatæ partem admiſerint. Ruſumque quomodo eadem Hybernia ſerpentes nullos habeat, imo eius terra, ſi in Britanniam feratur, potuique detur, noxios ſerpentum morſus ſanet. Ad extremum ſubiungit. *Hæc autem propriè patria Scotorum eſt. Ab hac egreſſi vt diximus: tertiam in Britannia Britonibus & Pictis gentem addiderunt. Et poſtea. Anno*, inquit, *Dominicæ Incarnationis 684. Ecfridus Rex Nordanhumbrorum, miſſo in Hyberniam cum exercitu, duce Berto, vaſtauit miſerè gentem innoxiam, & nationi Anglorum ſemper amiciſſimam; ita vt nec Eccleſijs quidem, aut Monaſterijs manus parceret hoſtilis.* Et ſtatim eandem Hiberniam vocat Scotiam. *Quomodo*, ait, *anno præcedente, noluerat audire Reuerendiſſimum Patrem Egbertum, ne Scotiam nihil ſe lædentem impugnaret, datum eſt illi ex pœna peccati illius, ne nunc eos, qui ipſum ab interitu reuocare cupiebant, audiret.* In Martyrologio etiam ita loquitur. *Natale S. Kiliani Martyris, & duorum ſociorum eius, qui ab Hybernia Scotorum Inſula venientes, nomen Chriſti prædicauerunt.* Mariani Scoti, quæ ſupra poſui, verba clariſſima ſunt: idem tamen Anno 674. *Hybernia* inquit, *Inſula Scotorum Sanctis viris plena habetur.* Hoc enim Scotorũ nomẽ, etſi ex impreſſis abeſt hactenus, eo tamen loci reponendũ oſtendit vetuſtus manuſcriptus Marianus, quemadmodum Reuerendus, & doctus ſenex D. Ioannes Latomus, Francofurtenſis Eccleſiæ S. Bartholomæi Decanus, de Catholica Eccleſia meritus optimè; domi ſuæ habet, mihique ſuis cum notationibus, paucis abhinc hebdomadibus, Moguntiam eunti monſtrauit. Ionas verò S. Columbani æqualis, in eius vita cap. 2. *Columbanus*, ait, *qui & Columba vocatur, in Hybernia ortus eſt. Eam Scotorum gens incolit, quamquam cæterarum gentium legibus carens, attamen Chriſtianæ Religionis dogmate florens, ita vt omnium vicinarum gentium fidem excellat.* Quid pluribus? ipſe author noſter, *Scotia* inquit, *quæ & Hybernia dicitur, Inſula eſt Oceani, fœcunda quidem glebis, ſed viris ſanctiſſimis clarior.* Et, *vbi deliberatum illi* (S. Kiliano) *fuit è natali ſolo diſcedere cum ſocijs in vicinam Scotiæ Britanniam peruenit.* Et inferiùs. Porrò Cæſarius, *Qui de Purgatorio*, inquit, *dubitat, Scotiam pergat, Purgatorium S. Patricij intret, & de Purgatorij pœnis amplius non dubitabit.* Vbi Hiberniam quidem, & Scotiam ille confundit, prout in margine à quodam rectè notatum; ſed confuſione illa vetere, qua idem ſunt Scotia, & Hibernia. Sancti verò Burchardi vitæ auctor Egilvualdus, ipſum, & Sanctum Bonifacium ex Anglia, ſeu Britannia veniſſe docet, Sanctos verò Kilianum, Columbanum & Gallum è *Scotia*, idémque de ſe ipſo profitetur ipſemet S. Bonifacius: de eodem, & de ipſo S. Burchardus: ſed Kilianum è *Scotia* huc in Franciam veniſſe aſſerit. Licet igitur in hodierna recentiore Scotia, in vrbe *Roſmarkey*, D. Bonifacij patriam collocet Thomſonus, ea tamen olim, vt audiuimus, Anglia vel Britannia dicebatur, & Hiberniæ Scotiæ ſibi nomen etiam vendicabat. Quia tamen ex Hibernia iſta, Scotorum pars quædam egreſſa eſt, in eaque Britanniæ ora, quam Picti iam habebant, vti ſupra dictum; conſederunt, ij quidem, Principio, à Duce ſuo Rheuda, Dalrheudini dicti fuerunt, vt ait V. Beda, Poſtea tamen Pictos inde ipſos exegerunt, & Boreale totum illud latus obtinuerunt, eique vetus gentis ſuæ nomen indiderunt, ita vt Scotorum gens vna fuerit, ſed Scotia duplex facta ſit; vna vetus, & propria in Hibernia, recentior altera in Septentrionali Britannia.

Non in moderna Scotia ſed in Hibernia qua cum Scotia) vocabatur purgatorium S. Patricij habetur.

De S. Kiliani tempore in Franconiam aduentus, & martyrij ibidem ſuſcepti.

Sanctum Kilianum bis Herbipolim veniſſe, narrat Author noſter. Primum quidem, cum è patria in Germaniam ingreſſus eſt: Deinde cum Roma, quò vt infra dicetur, hinc profectus erat, redijt. Et poſterioris huius aduentus tempus ab Auctore noſtro monſtratur, cum ait. *Tunc præerat Romanæ Eccleſiæ Conon Pontifex.* At Cononi huic Pontificatus impoſitus eſt anno Domini 686. Calendis Nouembribus, tantumque menſes 11. dies tres, eum geſſit, quemadmodum docet Sigebertus, Contractus, alijque veteres, quos & Onuphrius

Onuphius ſequitur, vt facilè mendum in Mariano Scoto appareat, cùm eidem annum vnum menſes XI. tribuit. Ipſemet enim ſubiungit illum die XXVII. Septẽbris anno 687. obijſſe, ideoq; hoc ipſo 687. huc repedauit. S. Kilianus, cũ Pontificalẽ ab illo poteſtatẽ accepiſſet. Sunt qui ſcribant à Benedicto Papa, qui Ioannẽ, Cononẽq; anteceſſit, in Germaniã vel ductũ, vel miſſum, vel Epiſcopum creatum. Sed errant, Sigebertus enim à quo his obiectus error videtur, Anno 685. tẽpore Benedicti Pontificis, nihil eiuſmodi narrat, ſed hiſce tantum verbis vtitur; S. *Quilianus Scotus Vvirzibùrgenſis Epiſcopus claret*; Non quod tunc Epiſcopus iam eſſet, ſed quia poſtea fuit Epiſcopus, & in Sanctorum numero habitus, ideo ita loquitur. Crediderim verò huius ipſius Benedicti tempore, ideo claruiſſe; quia tunc primũ, fidei propugnandæ zelo, patriam exierit, longinquaſque nationes iſtas petierit. Rheginonis verba ſunt *Anno 612. Chilianus Epiſcopus Vvirzibùrgenſis, & Arnualcius diſcipulus clareſcit.* At repugnant omnes. Martyrij verò annum Herbipolitani Annales annum tradunt 689. Itemque ipſum Sanctorum Epitaphium, de quo infra & Sancti Burchardi hiſtoria, quæ diſertè ſic. *Acta eſt noua inſtitutio noui Pontificatus apud vrbem Vvirceburg, Anno Dominicæ Incarnationis 752. Anno verò 62. poſt paſſionem Sanctorum Martyrum Kiliani, ac ſociorum eius, quæ incidit in annum incarnationis Dominicæ 789.* Ita vt errare certum ſit faſciculi temporum Auctorem Vvernerum, cum ad annum 694. & multo magis Sigebertum, cum ad 697. Sanctiſſimam eorum mortem reuocat, &c.

Quæ S. Kiliano Romam hinc proficiſcendi cauſa.

Cauſam monſtrat auctor ipſemet. *Vt apud Romanam*, inquit, *ſedem, & integrum Chriſtianæ Religionis dogma, & licentiam prædicandi acciperet. Hibernia ſiquidem olim Pelagiana fœdata fuerat hæreſi, Apoſtolicaque cenſura damnata, quæ niſi Romano iudicio ſolui non poterat.* Hæreſis Pelagianæ decreta erant, Dei gratiam homini ad ſalutem minimè neceſſariam eſſe; Originale peccatum non eſſe: ſolis naturæ viribus poſſe nos rectum, beatumque vitæ curſum tenere: Eccleſiæ orationes, vti fides, vel infidelibus daretur, vel infidelibus augeretur, contemnendas, Aliaque id genus perabſurda, quæ notant, & explodunt Diuus Hieronimus, Diuus Auguſtinus, Sanctus Proſper, Venerabilis Beda & alij. Cœpit illa ſtatim poſt Domini annum 400. Arcadij, Honorijque temporibus, ſed valde cum tegeretur, cœpit anno 405. apud Chryſoſtomum, & Iſidorum Peluſioten, ab Eccleſiæ paſtoribus, & Doctoribus paulatim notari; Apud Hieronimum anno 410. apertius etiam anno 413. apud eundem, & magis magiſque deinceps. Cumque ex eo tempore, ad Sancti Kiliani conſtitutam iam ætatem, anni 260. Et quod excurrit; eſſent, nondũ tamen ea errorũ Zizania erãt in Hibernia omnino ſublata, & extirpata. & inferius: Tãto verò altiores egit in Hibernia radices Pelagianiſmus, quanto fuit ijs Pelagius propior, & acceptior. *Brito enim erat Scotorum pultibus*, inquit Diuus Hieronimus, *prægrauatus, Scoticaque gentis è Britannorum vicinia progeniem habebat.* Et poſſent hæc quidem vtrique Scotorum generi, de quo ante, accommodari, Brito tamen cum vocetur, ei potius accommodanda, quod in Britannia hærebat. Nam vt ex Proſpero conſtat, Auſtralem, Borealemque primò Britanniam occupauit, & non longo inde pelago, vt eſſet omnino Pelagius, in Hiberniam tranſmiſit. *& infra.* Exinde verò, cum pura tritici ſegete, Pelagiana filix enata, ob quam ſeſe S. Kilianus ad Apoſtolicam ſedem conferre voluit; vt quemadmodum cum Sancto Petro. S. Paulus Euangelium contulit, ſic ipſe ab illa purum, ſincerumque Catholicæ fidei dogma perciperet, Apoſtolicaque illa in Prouinciam contorta cenſura liberaretur.

Quænam Apoſtolica Hiberniæ cenſura fuerit.

Tria ſunt Eccleſiaſticarum cenſurarum genera, excommunicatio, ſuſpenſio, interdictum. [a] Excommunicatio hîc eſſe non poteſt, quia in ciuitatem, vniuerſitatem, corpuſque huiuſmodi aliquod conferri non poteſt. [b] Suſpenſio, & interdictum poteſt quidem: De ſuſpenſione tamen loqui auctor haud videtur, quia in eo quem ſuſpenſio aſtringat, culpam eſſe aliquam oportet; S. Kilianus verò Catholicus cum eſſet, nulla hæreſeos, ob quam inflicta hæc erat, culpa obligabatur. [c] Neque ſuſpenſio vniuerſæ Prouinciæ, aut populo, ſed Eccleſiaſticis tantum perſonis imponitur: Interdictum ergo ſupereſt, quod [d] excõmunicatio impropriè vocatur. De interdicto perſonali tantũ, nullus Auctori ſermo, cum Hiberniæ Prouinciam nominet: neque de locali tantũ, cùm extra Hiberniam nullus

[a] cap Romana de ſent excõ. in 6.
[b] cap. ſi ſententia eodem titulo.
[c] Nauar. c. 27.
[d] ...atip l. à 640.

eo teneretur. Perſonale igitur & locale ſimul fuit, idque non particulare, ſed generale, cum certis perſonis, aut locis nullis circumſcribatur, ſed Hibernos omnes quoquo in loco, vbi hoc ipſum reſciſcerent, etiamſi eorum nullum proprium delictum eſſet complectatur. *ita enim interdictio fieri quandoque ſolet. Et planum eſt in Hibernia multos tùm bonos, Sanctos, Catholicoſque viros fuiſſe. Quemadmodum enim diuinitùs illatæ morborum, bellorum, tempeſtatumque calamitates bonos etiam ſæpenumero, inſonteſque comprehendunt: ita & Eccleſiaſticum interdictum. Sed cum eo diuina tantum officia, ſacramenta, ſolenniſque ſepultura vetentur, nonnè, interdicto quamuis attinerentur, poterat S. Kilianus diuinum verbum ſerere? Si ſolius verbi miniſter, vt hodierni Hæretici, eſſe voluiſſet: poterat ſanè: ſed Baptiſmi etiam Confirmationis, Euchariſtiæ, aliorumque Eccleſię Catholicæ myſteriorum miniſter eſſe volebat: ideoque & interdicto abſolui cupiebat. Verum enimuerò, antequam Romam veniſſet: num cenſemus tanto ipſum tempore, Preſbyter cum eſſet: num ipſius Sympreſbyterum Colomannum, ſacris operatum non eſſe? Non opinor, ſed ſacra penè quotidiana peregiſſe. Ideoque potius exiſtimarem fuiſſe interdictum Hibernia ſola incluſum: viros tamen Sanctiſſimos; ne qua vllis aut hæreſeos, aut Hibernicæ cenſuræ ſuſpicio hæreret, neue vllum ab vllo ſcandalum caperetur, & vt ſuam in SS. ſedis Apoſtolicæ iuſſa omnia egregiam obſeruantiam conteſtarentur, rogaſſe, vel præſentes, vel certè, ſi aliter nequirent, abſentes, vt omni eiuſmodi vinculo ſoluerentur. Eſt verò in veteri* Breuiario, S. Kilianū cum Romā pergeret, reliquiſſe in Lemannia S. Gallum febre grauatum: cum verò rediret S. Columbanum in Italia.

ad dicta ca. ſi ſententi.

ab ipſo autea citato.

De Sancti Kiliani ſocijs.

Duos fuiſſe diſertim ſcribit in Martyrologio Beda, eorumque hæc ab Auctore noſtro nomina, & officia ponuntur, Colomannus Preſbyter, Totnanus Leuita, ſeu Diaconus. *Et Paulo poſt.* Lectionarius Moguntinus liber enumerat Colonatum, Gallonem, Arnuuildem Preſbyteros, Tornatum diaconum, ſeptemque alios.

Qui ſacri libri ſacris cum corporibus defoſſi.

Erant ſacrarum literarum libri, Catecheſeon, precationum, rituumque Chriſtianorum, è quibus ſacra faciebant: & ſupereſt adhuc hodiè, in prima *vrbis huius æde ſacer Euangelij codex, quo Sanctiſſimi Martyres vſi ſunt. Scribunt Centuriatores, & non ita pridem Arnoldus Vvyon, ab illo vnum contra peregrinos cultus volumen conſcriptum, de quo hac in Eccleſia, neque legẽdo, neque interrogando, cognoſcere quidquā vſque potui. Leſtæus ſtrenuè ipſum Hæreticis reſtitiſſe affirmat. Sed hoc etiamſi librum nullum ſcripſerit, fieri potuit. In Maguntiacenſi volumine, ſic, *Illorum capſa, & crux, & Euangelium, aliaque Pontificalia veſtimenta ſimul cum illis in ſepulchro poſita ſunt.*

** Herbipolitana.*

2. p. ligni vitæ c. 35.

An primus Herbipolitanorum Epiſcopus S. Kilianus.

ſupra ini tio vitæ.

S. *Burchardum* primum vocant Lambertus, Marianus, Breuiarium Pergamenum, alijque codices. Kiliano tamen eam laudem vendicandam oſtendit* Auctor *conſenſu* ait, *totius vrbis, etc:* Similiter etiam cum S. BurKardum in Epiſcopali hac ſede conſtituit, loquitur S. Bonifacius, omneſq; in templis, locis, operibuſque ſtatuę, imagines, & ſigilla S. Kilianum Pontificem demonſtrant. Cauſa tamen cur S. Burchardus, primus interdum vocetur duplex eſt. Vna, quia ab eius Epiſcopatu cœpit Epiſcopalis dignitas, & ſedes Herpiboli fixa, & conſtituta eſſe: cum S. Kilianus ad conuertendi tantum populi vtilitatem, & ſuſcepti muneris functionem Epiſcopus factus fuiſſet, non vt Herbipoli thronum, quem ſucceſſores aliqui tenerent, conſtitueret: prout S. BurcKardus Pontificis maximi auctoritate poſtmodum fecit. Altera, quia dum plura in aliquem honoris nomina, & tituli conueniunt, is ferè qui pręcipuus, explicari ſolet. Cum igitur & Epiſcopus, & Martyr. S. Kilianus ſit, Martyrij potius, quam Epiſcopatus cognomento celebratur.

De Sancti iam occiſi miraculis.

Beda in Martyrologio de Sanctis noſtris, *ob veritatis*, ait, *confeſsionem, ſub quodam Iudice Gosberto trucidati ſunt, & multis poſteà ſignis veri Chriſti martyres eſſe claruerunt.* Auctor noſter duo tantùm refert. Vnum de brutis animantibus, quæ ſacrorum corporum reliquiis, cùm obſcœno in equili, contemptè defoſſa, vilibuſque plancis ſeu aſſeribus obtecta illa eſſent, honorem habuerunt. Alterum de diuina in eos, qui mortem intulerunt vindicta,

qui

qui ſunt, Geilana, eiuſque crudelitatis adminiſtri, & carnifices. Sed in priori miraculo,
quemadmodum quidpiam conſputare, commeiere, alijſue ſordibus conſpurcare, igno-
miniam, & contemptionem infert; ita eo in loco, vbi humati Sancti ſunt excrementa iſta
continere, neque quamuis aliqua flagitet neceſſitas, effundere, honoris certè, laudatio-
niſque genus quoddam eſt. Tantum quæritur, quonam modo equi ratione nulla prædi-
ti, eo ſanctitatis ſenſu affici potuerint, vt quod naturæ alioquin impulſu feciſſent, haud
fecerint? Reſpondeo, eodem illo modo hi neque ſtrigarunt, neque fimi quidquam de-
iecerunt, quo veneratus eſt olim coruus Eliam, Leones Danielem; vaccæ Arcam, vipera
S. Paulum, ignis ipſe collocatos in fornace pueros, Ægyptiæ ranæ, ſenipes, cynomyæ,
locuſtæ, ac tenebræ filios Iſraël, vel ſua in Goſena, vel alibi poſitos. Facta enim hæc
omnia, non naturali, ſed ſupernaturali, & mirabili Dei. O. M. auxilio, quod, duobus mo-
dis ad huiuſmodi beſtiarum, rerumque inanimarum miracula concurrit. Nam eo ipſo ad
Sanctiſſimarum rerum cultum & venerationem, vel agunt ipſe quippiam, quod naturali-
ter alioquin non agerent; vel non agunt, quod alioquin agerent. Vtrumque genus in
exemplis iam enumeratis apparet. Quemadmodum verò * S. Vincentij corpus, & coruus *Auguſt. ſerm. 13.*
& lupus venerari, ne, quod auidiſſimis alioqui faucibus feciſſent, id vel morſu minimo at- *de ſanctis.*
tingerent: ita & iumenta hæc noſtra, S. Kiliani, & ſociorum ſubiectas, occultatáſque
reliquias, ne minimo quodam vrinæ, aut excrementorum aliorum, à quibus nunquam
abſtinuiſſent, egeſtu conſpurcarunt. Deus enim vel ne cibi, aut potionis reliquiæ vllæ ſu-
peruacaneæ redundarent, cauit; vel ſuum ne quid egerere poſſent, neue ſuis in concep-
taculis retentæ fæces nocerent, concurſum ſubduxit; vel certè vt earum in aërem, aliud-
ue aliquod corpus reſolutio prius fieret, quàm egerendi neceſſitas adeſſet, effecit. Neque
enim trium iſtorum verbum vllum apud Deum impoſſibile. Sex verò alia miraculorum
genera, in Burchardinæ * hiſtoriæ Commentario leguntur. Primum, Fragrantia Sancto- *l. 2. c. 2.*
rum corporum, dum effoderentur admirabilis. 2. Eorum, quæ cum ipſis defoſſa fuerant,
veſtimentorum & librorum integritas. 3. Tanta ſanitatum, & miraculorum variorum co-
pia, vt in fide nutantes valdè confirmarentur, 4. * Diuina candelarum trium ardentium
viſio, qua locus, vbi recondenda illa forent, indicabatur. 5. * Ad eorum ſepulchra, ſeu vt *Ibid. c. 7.*
Auctor loquitur, ad tumbas, aut confeſſiones, creberrima cæcorum, ſurdorum, claudorũ *Ib. c. 7.*
leproſorum. ægrorumque curatio. 6. * quod S. Bonifacij auctoritate cõmẽdatum, prout, *& l. 2. c. 9.*
ipſum, ipſe Francis quondam noſtris retulit, audiamus: *Primus*, ait, *fundator veſtræ fidei* *Ib. l. 2. c.*
Kilianus, ab Apoſtolica vobis Paſtoralitate tranſmiſſis, fidem, quam verbis docuit, hoc ipſo in lo- *9.*
co, martyrij teſtimonio compleuit. Ecce idipſum præſentis tumuli loquitur confeſſio, vbi ad eius,
ſociorumque eius corpora, per ſanitates & miracula, credulitatis veſtræ exercetur die noctuque
confirmatio. Hæc mihi primum gratia Chriſti, per quendam fratrem noſtrum, Adelhelmum ſci-
licet Presbyterum, qui lumen oculorum Dei iudicio ſibi ablatum, hic iuxta glebas Martyrij, me-
ritis eorumdem recepit. Deinde numeroſis tanta ſanctitudo ſignis in noſtra Diœceſi manifeſtata,
viſa eſt tam mihi, quam cunctis circumquaque fratribus noſtris non eſſe negligenda. Ad iſta
verò miracula reſpicit ſequens Epitaphium, quod quamuis rudiore temporum illorum
Minerua, veritatem tamen, & rem ſimpliciter ipſam proponit.

Annis ſexcentis, octogeniſque nouenis
Iſtic Killenam ſcimus fontis prope venam:
Et Colonatum, necnon Tothnanque Beatum
Ob Saluatorem proprium fudiſſe cruorem.
Hinc fuit, eſt, & erit ſalus illi, qui piè quærit.
Eſt cæcus, mutus, claudus, ſurduſque ſolutus.
Septingenteſimo, quinquageſimoque ſecundo,
A Bonifacio Burckardo conſociato
Hi ſunt ſublati, ritè quoque canonizati.
Hos pete deuotè. qui ſint oramine pro te.
Septingenteſimo, nonageſimo quoque primo
Burchardus moritur, corpuſque ſuum ſepelitur
Iuxta Sanctorum tumulum, ceu ſcribitur; horum
Per Megengaudum ſucceſſorem reuerendum.

Extat bellum quoddam, & vtile de Sanctis noſtris Hexaſtichon, cuius Auctor eſt D. Engelhardus Funkius Decretorum Doctor, qui vixit circa Annum Domini M. D. XIII. prout tradit Ioannes Gantzhornius in ſuis Monaſterij noui antiquitatibus.

Verſus Epitymbij.

Hi ſunt Herbipolis, qui Te docuêre, Magiſtri
Qua verum coleris religione Deum.
Impia quos tandem iuſſit Geilana necari,
Celauitque ſub hunc corpora cæſa locum.
Ne turpi ſine laude, ſitu, defoſſa iacerent
Corpora Burkardus ſub monumenta locat.

Qui plura tum curioſa tum vtilia de ſancto Kiliano *ſcire deſiderat, conſulat ipſum Serarium in ſuis opuſculis Theologicis, ex quibus hæc pauca deſumpſimus. Videat etiam Trithemium de viris Illuſtr. lib 4. c. 172. & lib. 3. c. 131.*

VITA

SANCTI VIRGILII
APOSTOLI KARINTHIÆ
EPISCOPI SALISBVRGENSIS,

Auctore

SANCTI EBERHARDI EPISCOPI
Saliſburgenſis Diſcipulo.

Quæ habetur apud H. Caniſium tum 6. tum 2. tomo Antq. Lect.

PROLOGVS AD VITAM S. VIRGILII.

AD præſentem beatiſſimi Patris noſtri Virgilij memoriam, ſuperna beatorum ſpirituum curia, & cœleſtis mater noſtra congratuletur Eccleſia, quæ dum tantæ prolis fœlici fœliciter aſſumptione dominatur, multorum multo fœlicius, per eam filiorum quotidie acquiſitione multiplicatur. Exultet & ſupernæ ciuitatis filia, in huius adhuc peregrinationis exercenda militia, quæ patronum iam ſibi videt in cælis, quem Paſtorem habebat in terris, quem ſicut in via Ducem, ſociumque laboris acceperat, ſic per eius ſuffragia particeps ipſius conſolationis in patria fieri non deſperat; præcipua verò ac ſingulari lætitia ad tanti viri præconia, noſtra ſpecialiter concurrat *Salzburgenſis* Eccleſia, quam ab idololatriæ nuper purgatam erroribus, primus ipſe in *Karinthia* verbo prædicationis excoluit, ſanctitatis exemplo fœcundauit, & miraculorum inſignibus mirabiliter adornauit. Ecce ſummi Patris agricola,
Pſal. 51. ſicut oliua in domo Domini fructifera, quod ſeminauit in lacrymis, in gaudio recepit, qui quot ſpiritales Domino filios, verbo ſalutis peperit, quaſi tot animarum ma-
Pſal. 125 nipulos veniens in Reſurrectionis exultatione portabit. Ecce fidelis Dominicæ pecuniæ diſpenſator & prudens, in gaudium Domini ſui intromiſſus fœliciter exultat, quia ſuſce-
Luc. 12. pta verbi menſura familiam Domini fœliciter aluit, & ſapienter inſtruxit, qui collatum ſibi diuinæ gratiæ talentum in aliorum ædificatione multiplicatum Domino reſtituit, ad cuius vitam temporalem inueſtigandam miracula, quæ per eum Dominus operatur, nos diligentius hortantur.

VITA

VITA
SANCTI VIRGILII EPISCOPI
SALISBVRGENSIS.

FESTVM S. VIRGILII CELEBRATVR 10 DECEMB. APVD ALIOS 27 NOVEM.

BEatiſſimus igitur *Virgilius* in *Hibernia* inſula de nobili ortus proſapia, litterarũ ſtudijs ita animũ appliauit, vt inter doctos ſui tẽporis atque climatis, doctiſſimus haberi potuiſſet. Motum etiam honeſtate nihilominus clareſcere ſtuduit, & tamen non vittute relicta inuidiam quorumlibet placando dictum illud exoptabile in ſe digne meruiſſet transferri, Dilectus Deo & hominibus, cuius memoria in benedictione eſt, cuius nomen exquiretur à generatione

Eccli. 42.

in generationem. Vt itaque Dominus miſericordiam ſuam à progenie in progeniẽ oſtenderet, ſeruum ſuum *Virgilium* ſtrenuũ vtique Dominicæ vineæ plantatorem, & futurum *Karinthiæ* Apoſtolum de natali ſolo *Hiberniæ* ad *Franciam* miſit. Vbi ab Illuſtri Francorum rege *Pipino*, qui maior Domus dicebatur, apud *Kariſiacum* honeſte exceptus fuit. Et quia litterarum ſcientia cum morum honeſtate in ipſo exuberauit, Rex eum ſicut tubam Euangelicæ prædicationis libẽter audiendo ſecum ferè duobus annis propter Dei amorem retinuit. Temporibus verò *Ottilonis* ducis *Bauarorum*, qui tunc cum tota *Norica* Prouincia ſubiectus fuit prædicto Regi Francorum, *Salzburgenſis* Eccleſia, quæ ab antiquo vocabulo a Iuuando dicta fuit *Iuuauia*, proprio carebat Epiſcopo. ſed Rex Pipinus princeps per omnia Chriſtianiſſimus, ad incrementum Eccleſiæ Dei nõ modico ſuſpirãs deſiderio, Epiſcopatum Salzburgenſem pro debito regiæ magnificentiæ, ſancto cõceſſit *Virgilio*, eumque prænominato Duci Noricorum vtpote amico charіſſimo trãſmiſit, ſummo cum honore excipiendum. Vir itaque Domini diſſimulata ordinatione fermè duorum annorum ſpatiis, habuit ſecum laboris & coronæ participem Epiſcopum comitantem de patria nomine *Dobda* ad perſoluendum Epiſcopale officium. Poſtea ad inſtantiam populi, nec non aſſidua coepiſcoporum ſuorum exhortatione inductus, ab ipſis vnctionem Epiſcopalem ſuſcipere cõſenſit, ordinatuſque eſt à Prouincialibus Pręſulibus anno natiuitatis Domini ſeptingẽteſimo, ſexageſimo ſexto XVII. kal. Iulij. Deinde prout commiſſæ 2. Cor. 6.
diſpenſationis auctoritas exigebat, quod ore, die noctuque, docuit, operis exhibitione implere non ceſſauit in Vigilijs, in ieiunijs, & in charitate demum non ficta. Ea etiam quæ ad exterioris pertinebant vtilitatem prouiſionis, tanto ſolicitius ſtuduit promouere; quanto ſtatus *Salzburgenſis* Eccleſiæ, tunc nuper initiatus, & exiguus, poſtea Deo cooperante, vt liquidò apparet religione & poſſeſſionibus famoſiſſimus, id expoſtulare videbatur. Quippe fabricam, monaſterij immenſo opere, & egregia diſpoſitione à fundamento conſtruxit, corpuſque S. *Rudberti*, quod poſt obitũ ſuum, in Eccleſia S. Petri principis Apoſtolorum requieuit, vnâ cum ſede Epiſcopali, quę in prætaxata Eccleſia, ſimiliter per aliquot annos extiterat, diuina commonitus inſpiratione, tranſtulit in eum videlicet locum, in quo vſque ad præſentia tempora perdurauit.

Temporibus verò glorioſi regis Francorum *Dagoberti*, *Samo* nomine, quidã *Sclauus* manens in *Quarantanis*, fuit Dux gentis illius. Qui, venientes negotiatores *Dagoberti* regis, iuſſit interficere, & regia expoliauit pecunia. Quod dum comperit Rex *Dagobertus*, miſſo exercitu ſuo, dãnum quod ei *Samo* contumaciter intulerat, iuſta præcepit vltione puniri, & ſic demum Regis ſeruitio ſubacti ſunt.

Non multo poſt tempore cœperunt *Huni* eoſdem *Quarantanos* hoſtili ſeditione grauiter affligere, fuitque Dux tũc eorũ *Boruth* nomine, qui *Hunorum* exercitum contra eos videns interim *Bauaris* nunciare fecit, rogans eos ſibi in auxilium venire. At illi cum magna feſtinatione venientes expugnauerunt *Hunos*, & obfirmauerunt *Quarantanos*, ſeruitutique eos regum ſubiece-

runt, ſimiliter & confines eorũm. Duxerũtque inde obſides ſecum in *Bauariam*, inter quos erat filius *Boruth* nomine * *Karaſtus*, quem pater eius more Chriſtiano nutriri & Baptizari poſtulauit, quod ita factum eſt. Similiter de * *Chetimaro* filio fratris ſui; fieri rogãuit; Mortuo autẽ * *Boruth* iuſſu Frãcorũ, Regis Bauari *Karaſtum* Chriſtianũ factũ, petentibus eiſdem *Selauis* remiſerunt, & illi eum Ducem fecerunt, ſed poſtea ille tertio anno defunctus eſt. Iterum autem permiſſione Domini *Pipini* Regis, populis idem petentibus *Chetimarus* Chriſtianus ducatum ſuſcepit* Suggerente verò quodam Preſbytero, nomine *Maiorano*, qui à S. *Virgilio* in Iuuauo Monaſterio manus impoſitionem acceperat, quem ſecum propter Doctrinam Chriſtianæ Religionis detinuit, ad *Iuuauenſe* Monaſterium ſpecialiter caput ſuum in ſeruitium Dei declinauit, ſingulis annis quo dum vixit, in ſignum ſubiectionis ſuæ aliquod obſequium illuc perſoluendò. Peractis autem aliquantis temporibus, prænominatus Dux *Karantenorum* petijt, ſanctum *Virgilium* Epiſcopum viſitare populum gentis illius, eoſque in fide firmiter confortare. Quod etiam ille implere minime valuit, ſed ſua vice, miſſo ſuo Epiſcopo nomine *Modeſto*, ad docendam illam plebem, & cum eo *Vvatonem*, *Reginbertum*, *Gozarium*, atque *Latinum* Presbyteros ſuos, & *Exibardum* Diaconum cũ alijs clericis, dans eis licentiam conſecrare Eccleſias, ordinare iuxta Canonum definitionem, nihilque ſibi vſurpare, quod decretis Sanctorum Patrum contrairet. Qui venientes *Karantanis*, dedicauerunt ibi Eccleſiam Sanctæ Mariæ Virginisglorioſæ, & aliam in *Liburnia* ciuitate & in alijs quam plurimis locis, ibique *Modeſtus* Epiſcopus permanſit, vſque ad finem vitæ ſuæ. Eo igitur defuncto Epiſcopo, poſtulauit iterum *Chetimar* Dux *Virgilium* Epiſcopum, ſi fieri potuiſſet, ad ſe veniret; quod ille renuit, orta ſeditione quod *Carnula* adicimus, ſed inito conſilio dimiſit ibidem *Latinum* Preſbyterum. Et non multo poſt orta alia ſeditione, exiuit inde ipſe *Latinus* Preſbyter. Ea verò ſedata, miſit iterum Virgilius Epiſcopus *Madelbohum* Preſbyterum, & poſt eum *Vvargiamnum* Presbyterum. Mortuo autẽ *Ketimaro*, & orta tertia ſeditione, aliquot annis nullus Presbyter ibi erat, vſque dum

**al. Cacatius ſic & poſtea ſemper.*

**al. Chetumaro, vt & poſtea.*

**Coruth.*

**al. add. eius etiam Lupo Presbiter ordinatus Iuuauenſi ſedi, dedit nepotem ſuum, nomine Maioranum Presbyterum iam ordinatũ. Et quia eum Pater eius erat idem Lupo Presbyter decuit eum, vt ad Iuuauenſe Monaſterium ad Chriſtianitatis officium ſubderet. Quem ſuſcipientes ijdem populus Ducatum illi dederunt. Ille verò ſecum habens Maioranum Presbyterum in Iuuauenſi Monaſterio ordinatũ Presbyterum qui admenuit ipſum ad illud Monaſterium ſuũ caput declinare in ſeruitium Dei. Ille ita fecit ac promiſit ſe ad ipſã ſidem ſeruiturum, ſicut & fecit atq; annis ſingulis ibidem ſuum ſeruitiũ perſoluebat, & inde ſẽper doctrinã & officiũ Chriſtianitatis percepit vſque dũ vixit.*

Vvatune Dux eorum miſit iterum ad Virgilium Epiſcopum, & intentè poſtulauit, vt ad confortandã in fide prædictã terram aliquos deſtinaret Presbyteros. Petitioni igitur memorati Ducis, & incremento ſanctæ Eccleſiæ conſulens, miſit * *Hermonem* & *Reginbaldum* Presbyteros, atque *Maioranũ* Diaconum, cum alijs clericis viris vtique Religioſis & honeſtæ conuerſationis. Et non multo poſt miſit ibidem iterùm eundem *Heimonem* & *Dupliterum* ac *Maioranum* Presbyteros, alioſque clericos cum eis. Iterum miſit eis *Gozarium*, *Maioranum*, *Erkembertum* & *Auguſtinum* Presbyteros. Poſt eos *Rembaldum*, Reincharitum Presbyteros. Item *Remboldum Gimtharium*.

His ita geſtis ad extirpandam funditùs & eliminandam, ſi qua in re viſa eſt barbaricæ ſuſperſtitionis idololatriam, atque ad confortandum penitus in fide frequenti prædicatorum diligentia plantatam ſuæ diœceſis Eccleſiam prouidens, ac prouida circumſpecti Paſtoris vigilantia, per villas & Prouincias verbum vitæ vbertim ſeminando, diu deſiderabiliter optatam ouibus ſuæ propriæ viſitationis pręſentiam exhibuit. O quanta principum cuiuſcumque Religionis obuiam illi cum pompa præcedentium exultatio, quàm laudabilis ſpiritalium virorum viciſſim ſtipatim, imo certatim Dominum & Patrem ſuum inuitantium deuotio! quorum profectò petitionibus, vir ille ſanctitatis & gratiæ plenus omnibus omnia factus, vt omnes lucrifaceret, Zelo pietatis obediens, Eccleſias cõſeçrauit, & per *Karinthiam* ſenſim tranſeundo ad fines *Hunorum* vbi * *Trabus* influit *Danubium*, quo etiam poſtea tempore *Arnonis* primi Archiepiſcopi territorij *Salzburgẽſis*, termini, * Chonicis aſſentantibus, extendebantur, ſaluberrimæ viſitationis vſus officio pertranſijt, palmiteſque cæleſtis vineæ propagando clericis ad ſacros ordines promouendis, vt ſingulos arbitrabatur dignos, benedictionis ſuæ manũ impoſuit. Inæſtimabilis igitur ſanctitatis & meriti, beatus Dei præſul Virgilius fœliciter ac ſtrenuè ſui laboris curſu conſummato, poſt emenſas pelagi mundani tempeſtates, ad metam huius peregrinationis, & ad portum ſalutis Ieſum Chriſtum declinans, diſſolutionem ſui * corporis, iuxta neceſſitatem conditionis humanæ imminentem

**Infra Heimenẽ.*

**al. Dru*

**al. Chronicis atteſtantibus.*

**corporis deeſt.*

neutem diuinitùs ſibi reuelatam longè antè præſciuit, quam Euangelicæ Dominus vineę ſub perſona patris familias ex conuẽtione diurni denarij corona immortalitatis remuneraturus, pro tẽporalibus æterna, pro terrenis fœlici cõmercio tribuẽs cœleſtia, de carnis ergaſtulo liberandus, huiuſmodi vocibus creditur inuitaſſe; Virgili, ſeruus me^9 es tu, quia in te cõplacuit animæ meę ingredere iá in L.C.& L.S.H. Quę verò miſericordia & ineffabilis diuinæ diſpẽſationis effulget prouidentia, quæ dũ Sanctum ſuum *Iunauæ ſi* Cathedıæ præficiendum, olim ab vltimis occidentalis *Heſperię* partibus aduexerat, ibidem pariter diſpoſitionis ei mauſoleum de medijs *Pannoniæ* finibus reuertenti præparabat. Rediens itaque celerius, & memoratam illam ciuitatem ſuam intuitus, amariſſimè fundendo lachrymas hunc viſus eſt decantare verſiculum, *Hæc requies mea*, &c. Celebrato denique diuini ſacramẽti myſterio, leni morbo correptus, anno Dominicæ incarnationis DCCLXXXIIII. Kalend. Decembris obdormiuit in Domino; cuius corpus in latere meridiano Monaſterij, cuius ipſe duodecim annis fabricator, & in tertio decimo conſecrator extitit, prout tantum decuit pontificem, honorifice fuit repoſitum, ſacer autem ſpiritus eius, ciuium conſortio gaudet ſupernorum.

De miraculis S. Virgilij Epiſcopi.

ANno verò Dominicæ incarnationis MCLXXXI. Decimaquarta indictione, XIIII. Kalen. Martij, ſub Alexandro Papa III. Apoſtolatus ipſius XXI. Et vltimo, regnante ſereniſſimo Principe *Friderico* Romanorum imperatore Auguſto, anno regni eius 33. & conregnante ſibi filio eius Henrico Romanorum rege glorioſiſſimo. *Otto* de *Vwittelinſpach*, inclito Duce Bauariæ Ducatum tenente ſupra memorati fabrica monaſterij, quæ ſchiſmatis perſecutione conflagrante ante aliquos annos diruta & diruenda deperierat, ſumptibus & iuſſu Paſtoris *Chunradi* præclariſſimi *Saltzburgenſis* tunc Archiepiſcopi, Apoſtolicæ ſedis, tunc in Alemannia legati Cardinalis Presbyteri ſancti Marcelli Sabinenſis Epiſcopi, modo autem Moguntinenſis Archipræſulis, dum à fundamentis cœpere ędificari, ſancti ſpiritus cooperante gratia, & diuinæ maieſtatis ſuffragante clemẽtia, corpus beati *Virgilij*, quod ob immenſi temporis antiquitatem ab omnibus ignorabatur, contigit reuelari. Quadam die factum eſt, vt lapides è muro elapſi aliquantulum intro ſpectandi, aditum tranſeuntibus præbuiſſent; diligentius aliquibus licet ipſum conſiderantibus cõcauitatis potuerunt, indicia & picturæ vetuſtioris deaurata illic viſa ſunt ſtemmata. Porrò Canonicis huius ei nouiter perquirentibus, & latius eiuſdem muri aperturas patefacientibus inuenta B. Virgilij, octaui poſt Sanctum *Rudbertum* Saltzburgenſis Epiſcopi tumba, & depicta imago, eiuſdemque imaginis huiuſcemodi Epigramma.

Virgilius templum conſtruxit Schemate pulchro.

Et prætereà dies obitus eius, V. Kal. Decemb. Iſdem verò dignus Deo Pontifex; vt in annalibus noſtris reperimus, Maioris Eccleſiæ, & in qua & ſepultus fuit, primus extitit fundator. Et beati *Rudberti* ac ſedis Epiſcopatus in ipſam Eccleſiam, qua nunc eſt, Pius tranſlator. Tempus etiam quo dictus Pontifex obierat anno Incarnati Domini. DCCLXXX. in eiſdem annalibus inuenimus. Ad tantę igitur rei ſpectaculum plurimis nouarum rerum cupidis; vt fieri ſolet, confluentibus, non pauci à doloribus diuerſis ſunt alleuati. Cunctis autem, qui accurrerant viri Dei reliquias venerantibus, iuuenis quidam Diaconus & Eccleſiæ eiuſdem canonicus, inter cæteros dictum locum patefaciens, ille vana curioſitate magis, quàm pia deuotione accedẽs; pręſumptuoſè effoſſa humo manum ſiniſtram venerandis oſſibus iniecit, omnibus eum redarguentibus, & prohibentibus, & in proſperum hoc ipſum, ſicut rei probauit euentus, ſucceſſurum non fore aſſerentibus. Verùm ille hæc omnia corde obſtinato parui pendens, nihil de ſanctarũ violatione reliquiarum, quæ tot annis intactę ac decenti veneratione abſconſę latuerãt, curabat. Intereà fama inuentionis ſancti Præſulis crebreſcente, mulier de ciuitate Saltzburgenſi, cum in partu multis diebus laborans periclitaretur, per reuelationem nocturnam admonita, candelam ad menſuram ſui corporis, ſuper famuli Dei ſepulchrum tranſmiſit, candelaque incenſa, ſtatim puerum enixa conualuit.

Quædam autem ipſius mulieris Conuicania cum irremediabili & diuturno viſce-

rum dolore torqueretur, fidem eius ſecuta, eodem modo candelam tranſmiſit, & ſubito curata eſt.

Tertio quoque miraculo, mulier, quæ manuum contractione detinebatur, ad ſepulchrum viri Dei deferens, in itinere ſanata eſt.

Poſt hæc infans cæcus quinque ab ortu habens hebdomadas, à parentibus illius delatus, viſum recepit.

Item mulier quædam à lippiditudine oculorum curata eſt ibi. Sanè Diaconus ille, quem præmiſimus, horum miraculorum incredulus, oblationes fidelium, quæ iam pia deuotione à plurimis illuc deferebantur, rapere, & vſibus ſuis attrahere non timuit, nec ea temeritate contentus, mulierculam ibidem orantem, ipſe ſanctas reliquias ſubſannans, irreuerenter præſumpſit repellere. Iuſtè igitur diuina vltione ſtatim correptus à dæmone oculis terribilibus, ore hianti circumquaque diſcurrens ſacrarium introiuit, primamque vexationis ſuæ & veſaniæ notam in quodam Presbytero, eccleſiæ Theſaurario, quem tunc fortè ſolum illic repererat oſtentans, ipſum Presbyterum pugnis alapis cæſum vnguibuſque diutiſſimè laniauit. Superueniente autem vno ex manſionarijs Eccleſiæ, cum Presbyter præfatus è manibus arreptici, ſublatus interius ſacrarij cubiculũ, oſtio poſt ſe clauſo, confugiſſet, ipſe arreptitius dæmone plenus, ad ſui ipſius internecionem cœpit armari, & cum iam alium non videret, in quem furorem ſuum effunderet, veſtibus omnibus exutus, vtpote nullum vulneribus habens obſtaculum, raſorium corripuit, plurimiſque ictibus valido conatu pectus cœpit transfodere, Presbytero & Manſionario prædicto intuentibus, & præ pauore nimio accedere, aut inhibere eum non audentibus. Verùm cum pectus & manus vulneribus multis cruentaſſet, nec tamen vſquequaque Deus ipſũ ad maiorem & euidentiorem famuli ſui Virgilij oſtentationem reſeruauit, præcordia perforaſſet, collapſus ad terrã, toto conatu collum & guttur incidere tentabat. Tunc itaque Presbyter & Manſionarius, qui prius ab eo refugerant, collapſum & in terra volutantem vidẽtes, audaciter erumpentes ſuper ipſum irruunt, ferrumque de manu eius eripiunt. Iam verò plurimi clamore excitati, ad ipſum Iuuenem concurrere cœperunt, ſed ipſe elapſus in tenebris, quia erat crepuſculum, curſu velociſſimo turrem conſcendit, & negotio perambulante in tenebris, eum * ad alia necis ſuæ conuertitur argumenta, funemque *Campanæ laquei vice collo circundans de feneſtra turris exiliuit.

*forte in-
*inſtigante

Duo autem è pueris è veſtigio ipſum inſecuti, vbi turrem aſcendebant, pendentẽ eum & palpitantem inuenerunt, retractumque Dei gratiâ iuuenem à laqueo abſoluunt, & inter manus trahentes ad inferiora deducunt. Porrò cum ad viciniam ſepulchri beati Virgilij eſſet adductus, intra ſemetipſum frendens cœpit obuiti, & retrorſum labi & corruere, manumque oculis ne ſanctum videret ſepulchrum, admouere. Reportatur igitur ad ſacrarium, concurrit clerus vniuerſus, Pſalmi, exorciſmi, litaniæ, ſine intermiſſione dicuntur; Cũ in ipſis litaniæ precibus nomen Sancti Virgilij inculcaretur, malignus ille inhabitator, qui vas illud poſſederat, auditum * ſancti nominis non ſuſtinens, frendens & dentibus horribiliter ſtridens, rugitum teterrimum emittebat, Iuuenemque infirmum crudeliter diſcerpebat. Euidenter itaque cunctis qui aderant, quod ob illatam ſanctis oſſibus iniuriam, ita vexaretur conijcientibus, ad tumulum præfati caput & membra terribiliter, quatiens, ſpumamque eiectans refertur, ſonantibuſque campanis plebs totius ciuitatis conuenit. Admotus autem ſepulchro, ipſum ſepulchrum conſpuebat, dæmonque iam apertè incendium, quo à ſancto Virgilio pateretur proclamans, ac manum ſepulchri violatricem tentans & geſtiens dentibus corrodere, niſi ipſa manus abſcinderetur, ſe non exiturum teſtabatur: Tum vero tantus ab vtróque ſexu clamor exortus eſt, vt vox continuata cum lachrymis, non poſſe finiri videretur. Effertur deinde ab Eccleſia, & in lecto reponitur. Vbi dæmon à ſacerdotibus per tremendum iudicium, & his ſimilibus adiuratus, cur vas Dei in ſuam redegiſſet poteſtatem, in hæc verba prorupit: Ego non ſponte, ſed coactus veni, candelas & alias oblationes à viri Dei ſepulchro ego abſtuli, & niſi quantociùs eæ reſtituantur, Magiſter meus cum ſeptem nequioribus inhabitabit ſpiritibus, & in perpetuum hîc manebit. Cum verò candelæ diu quæſitæ rurſum ad dæmonis indicium inuentæ eſſent

* nomen.

&

& allatæ, addidit idem dæmon corpus miſerabile ſcopis * numero purificatis candelarum cædendum, ipſique iuueni poſt redditam ſanitatem, diebus viginti ieiunandum. Poterat autem in afflicto iuuene, in quo regnabat & dominabatur iniquitas, videri miſeria, & vnde non præſentes, ſed & abſentes non paruum potuiſſent percipere terrorem: Scopis enim allatis candelis etiam relatis & incenſis in Eccleſia, iuuenis præmemoratus ad ſepulchrum beati Præſulis totius multitudinis precibus & lachrimis comitatus refertur. Vbi dum ſcopis, ſicut oſtenſum fuit, diutius cæderetur, aſtanteſque vniuerſi auxilium & miſericordiam beatæ Dei genitricis Mariæ, nec non & Sanctorum *Nicolai Rudberti*, Virgilij præcipue ſuſpirijs intimis expoſcerent, ſpiritus ille nequam cum ſtrepitu & ſibilo non modico aufugit, multis circumſtantium diſceſſum eius & impetũ ſentientibus. Liberatus ille à dæmonio, & refectus Sacramento viuifico, ad lectum ſemiuiuus reportatur. Ibi per triduum mutus permanens, indicijs manuum & ſcriptis intentionem animi expoſuit, quod lingua non potuit, quia taciturnitas hæc, ſicut poſtmodum patuit, incredulitatis pœna fuit. Admonitus verò à reuerendis ſacerdotibus, vt fidem circa ſe geſtis adhiberet, & Sanctum Virgilium miraculis clareſcere crederet, manu & ſcripto renuit, & quandiu renuit, vſum loquendi nõ recepit. Tandem cum mutus & animo & corpore deficiens in proximo moriturus crederetur, rurſuſque dominico Sacramento communicaſſet, & ſacerdos ſubintuliſſet, ſi credis Virgilium Dei famulum, aperiat os tuum, qui aperuit os Zachariæ Prophetæ; ſubito gutture & lingua reſoluta, credo exclamauit, ſtatimque loquendi vſũ cum ſanitate priſtina recepit. Cum autem eo modo ſanatus reſpiraſſet, Monaſteria etiam & Eccleſias ſingulas, gratias Deo & Sanctis agens, circuiſſet, quia fæx eius nondum fuerat exinanita, ad priſtinum reuerſus eſt reatum, ſanctique illius meritis, ſine intermiſſione in vicinia ſepulchri, & in conſpectu populi exprobrans iterato meruit caſtigari, quia caſtigatus noluit emendari. Interrogatus enim, ſi circa ſe geſtorum meminiſſet? Contumelioſè ſubiunxit: ſe Sepulchrum ſancti Pontificis, ſi non ab interrogatione quieſcerent, profanaturum & omnimodis euerſurũ.* Nec mora, quaſi percuſſus ad terram decidit, & ab aſſiſtentibus eleuatus, aliquãtulum conualuit. Nec contentus eo; cum vnus ex canonicis infirmus ad ſepulchrum ipſa nocte fuiſſet delatus, ipſe iuuenis cum reliquis canonicis pro infirmi ſalute illò oraturus occurrit, virum temeratiè & cũ ſubſannatione, vt infirmũ ſanaret orauit, alioquin ſe non crediturum aliquos meritis ipſius ſancti liberari. Sed & his ſimilia adijciens non orando, ſed ſubſannando, opem allata infirmo flagitabat. Confeſtim igitur tumulo ſupereminẽs tectum cum fragore maximo ita * intremuit, vt lapidibus grandinis concuſſum eſſe videretur. Iuuenis etiam ille, qui à dæmonio liberatus, & pro ſua quoque frequenter præſumptione caſtigatus, adhuc in ſua pertinacia permanebat, iam denuò percuſſus coram omni plebis multitudine proſtratus incendio ſe conflagrare & mori proclamabat. Deportatus itaque ab Eccleſia tandiu intollerabili dolore eſt detentus, donec ſe in ſanctum Dei peccaſſe confitens, ad plenum credidit; & ad plenum liberatus eſt. Curatus autem demum, ea quæ priùs cælauerat, vexationis ſcilicet ſuæ ordinẽ expoſuit. Quod nimirum tempore illo, quo ſicut prædictum eſt, mulierẽ a ſepulchro ſancti repulit; ſpiritus ille immundus cum vento vehementi in ſpecie veſpertilionis os eius intrauit. Deindè cũ tempus curationis eius adeſſet, beatum Nicolaum quem ipſe ſpecialiter venerabatur, & præterea ſanctum Virgilium aduenisſe, velumque nigerrimum & longiſſimum, & nigerrimum vtroſque ab ore eius protraxiſſe ſanctumque Nicholaum ſubintuliſſe: in fratrem noſtrum grauiter peccaſti, veruntamen pro tua apud Deum interceſſimus ſanitate.

margin: * mundè purificatis. — * ha: in hora. — * introiuit.

Iſtis admirandis & plura admiranda ſunt addita, quod mulier de * *Louffen* cæca & clauda ad ſepulchrũ viri Dei, & viſum recepit & greſſum. Itẽ mulier de ciuitate Salzburg; neruis crurium longo tempore contractis, greſſum retinere non valens, noctu diuinitus admonita ad tumbam Sancti Præſulis, venit, & curata eſt.

margin: * *Luffen.*

Alius quidam de ipſa ciuitate dorſum habens inclinatum, & omnino ſurſum non valens reſpicere, pedes etiam & manus habens debiles hocque tormento annis duodecim detentus, ad ſepulchrum iam dictum

repentè ſanatus eſt.

Item alius ciuis * *Louffenſis* ex quadam neruorum diſſolutione carens greſſu ad tumulum reptans manibus deuenit, & aliquandiu viri Dei auxilium implorans, plantis conſolidatis ſanus effectus eſt.

* *Louffenſis.*

Item homo quidam de * *Punnigen*, ſeu *Pruningen*) eodem morbo laborans ad ſepulchrum prætextatum effectus eſt incolumis. Mulier quoque de villa *Gredieb* manibus & pedibus contracta, ad tumulum eundem, cum magno omnium gaudio & admiratione ſana receſſit.

* *Pemaingen.*

Duæ præterea mulieres conuenerunt, vna de ciuitate Salzburg, altera de * *Aneua* (ſeu *Anff*) villa, ambæ oculorum lumine priuatæ, prior quidem annis viginti ſubſequens autem tribus, & ad ſepulchrum cũ magna deuotione accedentes, viſum vtræque repente receperunt.

* *Auena ſeu Anana*

Alio item tempore mulier * *Pongonnenſis* tribus annis contracta, & plurimis infirmitatibus detenta, ad iam dictum locum magno labore deducta, ſanata eſt.

* *Pongdonenſis.*

Ipſo tempore quidam infans de *Halle*, pedibus contractus erectus eſt. Item homo quidam Salzburgenſis, * nota perſona, pluribus annis cæcus, illuminatus eſt ibidem. Quatuor deinde mulieres ſingulæ cæcæ, plurimis aſtantium notiſſimæ, viſum ibi receperunt, quarũ vna de ciuitate Saltzburg, reliquæ de viculis adiacentibus aduenerant, de *Biſchach Glaſz* & *Alben*, inter quas quæ de *Alben* venerat viginti annis cæca fuerat.

* *vnotus.*

Subſequenti igitur tempore, duę mulieres, vna cæca, altera dorſum ad genua habens inclinatum, curatæ ſunt.

Ipſo tempore puella cruribus contracta, & mulier ſurda & muta ſanatæ ſunt. Dehinc alia mulier cæca, viſum ibi recepit.

Nec reticendum putamus, quæ Deus in remotis partibus per merita Sancti Virgilij eodem tempore operari dignatus eſt, hîc enim ex veracium teſtimonio audiuimus virorum.

Frater quidam apud *Ronenhaſlach* amplius annis quadraginta in habitu Monachico religioſiſſimè cõuerſatus, *Hernioſus*, & circa inteſtina ruptus multo fuerat tempore, eaque paſſione vires ſuas excedente, humano deſtitutus auxilio defecerat. Cum interim fama ſignorum beati Præſulis Virgilij, ad aures ipſius venit: cœpitq; Dominũ intimis deuotiſſime ſuſpirijs deprecari, vt per merita famuli ſui Virgilij, priſtinæ ſanitati mereretur reſtitui. Hęc eo orante inteſtina cœperunt ad ſuperiora ad locũ antiquũ paulatim relabi, vt triduo vix expleto totus factus incolumis, modũ ſuæ curationis omnibus aduenientibus prædicaret.

Alio item tempore Paraliricæ duæ ad tumulum ſancti viri delatæ, mulier ſcilicet ætatis prouectę de *Veetsreben*, & puella duodennis de *Vualvvieſſ*, ſanitatem priſtinam receperunt.

Quidam de pago *Chiemgovv* cæcus ad ipſum tumulum veniens deuotiſſimè viro ſancto ſe commendans, domum rediens in media itineris ſui via viſum recepit.

Quædam etiam puella de *Maiſee* curuam à natiuitate habens manum ibidem in præſẽtia cleri, & totius multitudinis curata eſt.

Item puella de *Perndorff* manũm, habens aridam & curuam, ſanata eſt.

Item puer de *Tuſindorff* annos quatuor habens ab ortu, & adhuc prorſus incedere non valens, à patre delatus eſt ad tumulum, & pro debito naturæ & ætatis ambulare cœpit. Puer quinquennis de *Bochenburg* mutus & cruribus contractus à natiuitate, deportatus ad tumulum à matre, & vſum loquendi recepit, & greſſum. Quidam puer de *Inebten* mutus, & paraliticum habens brachium, vt nec ori poſſet applicare ad comedendum, optabilem recepit vtriuſque mali curationem.

Clericus quidã diaconus de *Piene* meritis B. Virgilij derogare præſumens, dicebat: nulla Dominum pro eo, vel propter eum operari miracula, ſtatimque correptus à dæmonio, tamdiu caſtigatus eſt, quovſque ad ſepulchrum viri Dei tractus diuina miſeratione, & inſtanti fidelium ſupplicatione meruit liberari.

Adoleſcens quidam filius Henrici de *Lahmingen*, Idemque *Chunonis* ex ſorore nepos, à natiuitate ſurdus, ad ſepulchrum B. Virgilij auditum recepit.

Item infans de *Tuſendorff* contractis pedibus à matre ſua, ſepulchro ſuperpoſitus, greſſu recuperato, ſurrexit curatus.

Puer quidam de *Vvinberingen* curuus diſtantia locorũ venire præpeditus, ad tumbam Beati Virgilij, per itinerantes miſit candelam, ad menſuram ſui corporis factam, qua allata & incenſa, ſoſpitatis ille conſecutus eſt beneficia.

Qui-

Quidam ciuis *Hallenſis* cambiendos ferens denarios dum * equo vectus ad ciuitatem *Salzburg* tenderet, ſepulchrum Beati Virgilij viſitare, & pro facultate ſua oblationem ponere, ſecum tacitùs propoſuit. Veniens autem vel negotij occupatione, aut obliuione diſtractus, inſalutatis reliquijs domum redire cœpit. Dum igitur ab vrbe longius proceſſiſſet, equus licet calcaribus vrgeretur, non tantum progredi recuſauit, ſed & reſtitit, quinimò ad ciuitatem regreſſus, hoſpitium vnde exierat redijt. Hoſpita vero domus, qua nunc cauſa redijſſet, interrogante, cuiuſdam negotij agendi gratia, ſe reuerſum confeſſus eſt. Rurſus iter arripiens domumque tendens, non longè proceſſus ab vrbe, ſicut anteà factus retrogradus, hoſpitium ſuum iteratò petijt. Hoſpita iterum ſciſcitante cauſam ſui reditus & ſatis mirante, finxit aliud ſibi ſuperfuiſſe negotium, ſimili reditu diſpenſatione diuina, tertia vice in facta iudicauit deniq; rei veritatem, quo accepta via totiens reuocatus fuiſſet, quoniam iuxta propoſitum ſuum Beato Virgilio votiuam * hoſtiam offerre neglexiſſet, quo facto, recto calle domum pertexit.

*etiam.

*precum.

Item duo milites ſepulchrum Beati Virgilij viſitaturi, clientulum quendam auditu carentem * currus moderatorem, & aurigam ducebant, quibus ad Sancti Virgilij tumulum oblationes ſuas præſentantibus, & preces Domino fundentibus, ille dictus miniſter eorum ſimul cum iſtis aſtabat, & quia non eſt perſonarum acceptor Deus, ipſe præ dominis audiri meruit. Auditum enim ſine mora recepit. Quidam ciuis *Hallenſis* puerum habens calculoſum, medico aduocato rogauit eum, vt ferro lapidem excideret, ſicque dolorem filij ſui finire tentaret: qui dum cultrum & alia inſtrumēta * applicare cœpiſſet, dictus puer, vtpote difficultatem medicinæ ſuſtinere non valens, ad fletus quoque patrem commouit. Miſeriæ igitur pueri dolentis, affectu paterno compatiens, amoto medico, & infecto adhuc negorio, ſanctum Virgilium obnixe & humiliter cœpit inuocare, vt cuius meritis innumerabiles per Dei clementiam eſſent curati, ſuus quoque filius priſtinæ redderetur ſanitati. Nec mora, inter ipſa precantis verba, calculus à puero elapſus in manibus patris apparuit.

*perterras.

*applicare deſit.

Quidam puer de *Rrarburch* à dæmonio vexatus, & à matre ſua ad ſepulchrum B. Virgilij delatus, precibus fidelium, & maternis fletibus meruit liberari.

Seruiens *Ratiſponenſis* Epiſcopi in die Paſchali, communione Dominici corporis ſuſcepta, eadem die, videlicet Dominica, tabernam præſumpſit intrare, vbi potationibus & ebrietati deditus, laſciuiæ potatorum interfuit. Meritam pro factis ergo pœnam recipiens, in tantam verſus eſt amētiam, vt octo continuis diebus nec cibū caperet, nec mentis veſaniā deponeret. In viſu deniq; noctis, à Beato Virgilio ſalubriter admonitus, modū reformandæ ſanitatis edidicit, eo videlicet tenore, quatenus tūbam, iam dicti præſulis humili prece viſitaret, ſicque aſpirante Dei clementia ſanitati priſtinæ reſtitui non deſperaret, qua viſione quibuſdam expoſita, iuſſu Domini ſui *Ratiſponenſis* Epiſcopi, cuſtodibus ſibi deputatis, ad ſepulchrum beati ductus eſt Pontificis. Cui ſuperincumbens, & preces quas poterat, Domino effundens, ſimul etiam lachrymis fidelium aſtantium adiutus, omnimodæ ſoſpitati panem ibidem oblatum nihilo hæſitans comedit, & ſenſus vigorem recepit.

Quædam mulier de *Selebuben* grauiſſimo dolore præuenta tanto languore præuenta eſt, vt omnibus de vita ipſius deſperatis, in extremo mortis articulo agonizaret. Quæ dum pro ſe Deum implorare, vtpotè rationis vociſque beneficio deſtituta, minimè ſuffeciſſet, aſtantium multitudo fidelium Domini ac Saluatoris noſtri, pro ipſa cœpit inuocare auxilium: facta quoque commemoratione Beati Virgilij cum ſumma deuotione: vnde factum eſt, vt in ipſo momento mulier de lecto ſurgere, & priſtina ſanitate recuperata, ſequenti ſtatim die ſepulchrum Beati Virgilij cum laudibus & gratiarum actione viſitaret.

Cum infinita chriſtianæ profeſſionis turba ad tumbam viri Dei de longinquis partibus confluerēt, vt à varijs animæ vel corporis curarentur languoribus. Quidam homo de *Megelingen* diues & notiſſimus, incolis de vicinia regionis ad ſepulchrum Beati Virgilij tendentibus, ſolus ipſe neglexit * venire, hoc videlicet in animo * pertractans, quod nullis premeretur aduerſis, vt pote ſuis rebus domeſticis * in ſumēda proſperitate compoſitis. Hæc eo cogitante, vni-

*retractans.

*inſumma.

-lachrymas illuminata cæcitatem depoſuit.

Plebanum de *Theraz*, ætate grandæuum bonæ conuerſationis virum & honorabilem, paralyticæ paſſionis morbus incurabilis adeo depreſſerat, vt dextri lateris, pes atque manus corpori debitum non poſſent impendere ſeruitium, imo quod erat grauius, lingua continuum perurgebat ſilentium. Conſolationis igitur diuinæ fiducia roboratus, reliquias Beati Virgilij viſitauit, quibus decenti veneratione ſalutatis, pedis officium gradiendo, vocis autem beneficium magnalia Dei prędicando, recepit: manus etiam languorem, in bona parte alleuiatum omnibus euidenti veritate innotuit.

Vir quidam de *Benſtorff*. paruum habēs filium, tanta ægritudinis mole grauatum, vt ſine ſubleuante nequaquam loco moueri poſſet, audita quanta Deus omnipotens per Beatum Virgilium operatur miracula, votum vouit, vt ad tumbam dicti præſulis puerum deferret. Nec mora, iter arripiens inclinata iam die villam hoſpitandi gratia intrauit, vbi paruulum præ nimia debilitate deficientem, & quaſi moribundum relinquere propoſuit. Eadem igitur nocte, candelam ſtaturæ pueri comparem fecit, quatenus cœptam viam conſtanter emenſurus pro ſalute filij ſui, viuentis vel morituri, ad tumbam beati Pontificis deportaret, quem mane facto diſceſſurus omnimode ſpopondit ſoſpitati reſtitutum inuenit.

Sacerdos quidam cum intra ſacramenta Miſſæ plebem admoneret, vt in die placito, ad viſitandas ſeruorum Dei reliquias, Beati Virgilij & *Eberhardi*, vnanimiter conueniret, a voto conſentientis populi, quædam & honorata fœmina, non ſolum diſſenſit, ſed etiam prorumpens, ſe nullatenus ſepulchra famulorum Dei viſitaturam apertè proclamauit. Huius autem præſumptionis contumaciam Dei patientia non ſtatim repreſſit, ſed poſtquam a luminibus excluſa eſt Eccleſię in amentiam cōuerſa, domum ſuam deducitur, vbi inuſitata & mirabili inſania correpta, facie humotenus bruti animalis inſtar humiliata, geſtus & proprietates porci ſimillimas expreſſit, vt iam non humana ratione, ſed pecuali ſenſualitate vteretur. Omnibus autem qui aderant, vehementi ſtupore repletis, à quibuſdam altioris conſilij viris ſacerdos nomine Ioſeph aduocatur, per cui' largas Pſalmorū lectiones, & efficacea benedictiones, quantulamcunque rationis partem recuperauit, vt & verba confeſſionis recitaret, & in Sanctum Dei Virgilium ſe peccaſſe recognoſceret, plenariam exinde ſatisfactionem Deo, pollicens, tumbam memorati præſulis viſitare celebri voto propoſuit, ſtatimque Dominica communione percepta, priſtinæ mentis redintegrato vigore, ſecum omnibus ſuis, & pręfatum ſacerdotem largis refecit epulis.

Quidam puer de Eccleſia S. Mariæ, manum curuam habens præſente magna hominum frequentia ad tumulum Beati Virgilij delatus, omnibus pro ſanitate eius ad Dominum orantibus, carne rupta, & neruis crepantibus incolumitati eſt redditus.

Et quomodo ceſſet lingua carnis magnificentiam ſaluatoris extollere, qui de lapidibus procreauit filios Abrahæ. Innouando enim ſigna & immutādo mirabilia, prophetam nobis & Archiatrum, diuina bonitas ſuſcitauit, cuius virtutum potentia, de lapidibus filios Abrahæ, id eſt, de incredulis fideles, de peruerſis compunctos reformauit. quis autē videntium prodigia, quæ fiunt in populo veteris fermenti vitia non exuat, quis pænitentię fructus dignos per fontem lachrymarum & contritionem cordis non faciat?

Cum puero de *Hartſpech* in articulis manuum contracto, interceſſio B. Virgilij, in ipſa monumenti ſui præſentia ſoſpitatem priſtinam compenſat.

Cæci ergo accedite ad eum & illuminamini, & qui in grabatis paralytici iacetis ipſo confortante glutinamini, quia ne longe exempla petantur: puerum quendam de *Muelſtat* vndecim annorum curuum & cęcum à natiuitate: Nec non de celle in * *Cylarn* puellam quindecim annorum paralyticam plenariè curatos oculata fide conſpeximus. * Cylarn.

Quantus ergo noſtra opinione reputandus, quam thronis & dominationibus proximus eſt exiſtimandus, per cuius inuocationem fœmina quædam de *Aſpach*, manibus contracta, & alia mulier de *Suben* in * vno brachiorum ſimili morbo debilitata, cæleſtis remedij ſenſerunt efficaciam. * vtroq.

Nunc & omne genus humanum, Do-

mini Ieſu Chriſti prædicet clementiam, de cuius munere venit, vt beatus Pontifex Virgilius omnibus ſibi deuotis adſit propitius: Nam ex tumba eius oleum ſanitatis cuidã puellæ manibus & pedibus contractæ largiter emanauit, & eiuſdem ſaluriferæ vnctionis gratia, quidam paruulus de *Rientovv*, mutus à natiuitate, vocis organum recuperauit.

Adoleſcens quidam de *Dirnſtein*, in vicinia *Frieſaci* manum habens aridam, & inutilem, exoratam & optatam à ſancto Virgilio ſuſcepit valetudinem.

De ciuitate *Ratiſpona* inſtitores ad nundinas per alueum Danubij, in loco qui dicitur *Ardacher*, cum naue maxima mercibus onuſta deſcendentes, periculum illud ex concitatione fluctuum aſſidua vocatum *Spielberg*, inciderunt nec mora procellarum impetuoſiſſima vertigine inuoluti; multotiens girãdo aquarum violentia ſcopulum in medio gurgitis eminentẽ, à quo cauſa tẽpeſtatis illius procedit, vellẽt nolẽt ſtatim paſſuri naufragium acceſſerunt, vbi demũ tanta fluminis importunitas æſtuantis, miſeris illis incubuit, vt turbo voraginis proram carinæ aqua ſemiplenæ ſorbendo puppim in ſublime attolleret, omneſque vniuerſaliter, tam nautas quam cæteros adeo de vita deſperatos redderet, vt armamenta remigrandi, tanquàm nil penitus conferentia proijcerent, & quod ſolum reſtabat in articulo mortis conſtituti: Dominum redemptorem mundi pro ſalute animarum ſuarum intentiſſimè flagitarent. Tũ verò gens illa inter confuſos naufragij tumultus clementiſſima Domini ſaluatoris dignatione commonita, mitiſſimi Confeſſoris & antiſtitis S. Virgilij, de cuius miraculis & virtutibus plurimis, ante nõ pauca didicerant, omnes vnanimi ore cordeque ſuppliciter inuocabant auxilium, quatenus ille cæleſtis atque ſupremus humani generis inſtaurator, qui omnium beati Pontificis nomen implorantium velox & copioſus eſt propitiator, per merita famuli ſui, ſolitam & neceſſariam tribulatis exhibet ſuæ conſolationis præſentiam. Ad huius ſupplicationis ſuffragium memorata nauis ſubmerſione ſua mortis exitium breuiter cunctis impoſitura, ſuper vndas altius eleuata ſuſtollitur, & contra ictum fluuij decurrentis veluti funibus alligata trahetur, ſine detrimento rerum & hominum ſecreto quodam & potenti nauclero, ad ripam vſque perducitur.

Miles quidam de *Pilſtein*, ab alio milite captiuatur, filium ſuum bonæ indolis iuuenẽ obſidem pro ſe depoſuit, qui per viginti hebdomadas & amplius duriſſimis vinculis in carcere compeditus, laborioſam & miſerabilem vitam exegit. Memoratus autem iuuenis, videns ſe parentum adiutorio deſtitutum, in commemoratione B. Virgilij Confeſſoris Chriſti mitiſſimi cœpit diuinum ſubmiſiùs implorare præſidium, de cuius miſeratione confeſtim poſt expletam orationem à vinculis abſolutus, ſine mora dilationis vrbem *Salzburg* adijt reliquias ſanctorum viſitaturus, & condignas Deo liberatori ſuo ſanctiſque omnibus, præcipuas verò S. Virgilio referens gratias. Rem geſtam nobis expoſuit veracius. Diffuſo itaque rumore, hoc virtutum odore placãtur audientes, vt balſamo accurrunt fide ſitientes ad domum gratię, & ſecundum multitudinem dolorum ſuorum conſolatione percepta, refecti ſunt in ſaturitate. Regna multa prouocant, quæ per Sanctũ Virgilium fiunt magnalia, & velut *Bethſaidæ* aquis, ſic eius beneficijs ſanitatis cauſa ſe immergit multitudo copioſa. Vndè & quædam in Vngariæ finibus nobilis matrona, cum iam diu oculis obtenebrata non videret, duos filios ſuos ad ſanctum direxit, vt viam complerent, quam ipſa non potuit vt ſub eorum oratione impetraret quod credidit. At illi continuò iniunctum conſummant obſequium, iter arripiunt, & itinere proſperantes, *Iuuauum* citiùs peruenerunt. O quam commendabile miraculum! quadam ſexta feria, cum iam opus fieret diuinum, obtulerunt filij, & eadem hora lux reddita eſt matri: Mirum in modum vna & eadem hora ſanctus Dei præſentem ſuſcepit hoſtiam & abſentem illuminauit cæcam. Huius rei neſcij diſcedunt confeſtim filij: At illis in obuiam nuntiatur, quòd lux reddita ſit matri. Hora verò inquiſita & cognita, Dominum laudant & benedicunt mirabilẽ & glorioſum in virtute ſua. Verè laude dignus in Domino cõſiſtit, qui vbiq; præſens adſuit, vt hîc filiorum ſuſciperet munera, & ibi matrem illuminaret à cæcitate ſua. Sed quid referam? in Auſtria per ſanctum Dei patratum fuiſſe multorum relatione cognoui.

Quidam à iudicibus patriæ captus eſt, in qua-

quadriga ligatur, diſtenditur, & ſic in ciuitatem quandam plectendus ducitur. At ille pre timore pœnitens infæliciter lamentatur, ad beatum Virgilium vertit ſuſpiria, ab illo petit protegi, à cuius ope nullum credebat refutare. Vice igitur Ieſu Chriſti latroni crucifixo miſeretur & releuat, diſtentum ſoluit & liberat, fugientem ne capiatur confortat. Verè laudandus eſt Chriſti Confeſſor, qui mortis reum à morte ſaluat. Noluit enim mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat. Qui taliter ouili Dominico hominem reſtaurat ne pereat. Quomodo etiam ouem ſuam eſuriente lupo illæſum cuſtodierit, fidelis attendat.

In confinio quoque noſtro, in villa, quæ dicitur quâtele, populus inter ſe beato Virgilio collectam fecit, & ille vitulum, ille agnum, quilibet prout potuit attribuit. Ex quibus arietem quodam die lupus arripuit & concito fugiens ſecum ad ſyluam famelicus prouexit. Vndè non modicum doluit cuius animal fuit, hinc ſeipſum indignum iudicat, ſe ſimul & ſua ſancto diſplicere formidat. A filio igitur ſuo agnum expetijt vt reddat. At ille patris damna ſubſannans negat. Sed ecce mirabile, cum iam craſtina dies illuxit, coram oculis aſtantium in medio gregis lupum aries traxit. quò relicto, arripuit filium, qui ſanctis oblata reprobās, nō cōdoluit Pateri. Patet ideo quod leuiter abhoſtili manu defendat hominem, qui ſic eſurienti lupo illæſum cohabitare fecit ouem. Huic miraculo concordat illa prophetia quę dicit: habitabit lupus cum agno, &c.

Item quidam homo de *S. Ypolito*, per duos annos, & fere dimidium cęcitate percuſſus, cum iam audiſſet quæ fiebant per ſanctum, lumen petiturus acceſſit; ſed quia adhuc forte indignus erat, quod volebat non obtinuit. Vndè non modicè dolens, pœnitentia ductus mente cœpit compungi, pœnam quam patitur ſuis commiſſis imputat, & confeſtim Deo & Sacerdoti ſeipſum deuotè accuſat. Pœnitentem itaque infixit pœnam indicens emeritam. At ille altius ſeipſum iudicans ab eſu carnium annalem petit abſtinentiam, vt eo purior effectus meritis ſancti ſalutem mereretur conſequi optatam. Humanam verò fragilitatem Cōfeſſor conſiderans vix rogatus conceſſit. At ille libens ſuſcepit, inchoauit, & fæliciter conſummauit. Euoluto ferme anno, cæcus petit *Iuuauum*, ſed ecce in via veniens ſancto præſtante Virgilio lumen recepit optatum.

Quidam miles de villa, quæ dicitur *Dienge*, cum eſſet cæcus, audita fama viri Dei, ſpe ſimul & fide præuentus, ſanctum petijt Virgilium, quo dum iter arripuit, ecce via veniens, optabile lumen recepit. Cum itaque S. Virgilij longè latèque fama diffuſa crebreſceret, ex diuerſis nationibus confluxerunt languidi, & ex eius conſolatione finem dabant mœrori.

Inter quos vnus de *Erpheſzfort* acceſſit, vtraque contractus tibia, ſed ab ipſo, quē fide portat, vt iam in via melius haberet veniendo portatur, & in die S. Virgilij aduenien plenè ſanatus eſt. Reuertitur ſaliens, qui claudicabat adueniens, & qui antea infirmus fuit, iam ſanus glorificabat Deum in omnibus quæ audierat & viderat. Sicut ille de occidente, ſic alter de *Auſtria* quæ eſt in oriente cæcus aduenit, ſed ſancti meritis illuminatus videns abſceſſit. Simile huic citò contigit, quia in inuentione S. Virgilij, quædam *Ratiſponenſis* cæca lumen recepit. Et pulchrè in die inuentionis ſancti illuminatur, vt quanta meritorum luce reſplendeat, qui inuentus eſt, in hoc miraculo teſtificetur.

Item quidā ciuis *Friſacenſis*, *Ruze* nomine, miniſterialem quendam Ducis de *Stire*, *Ottonem* ſcilicet de *Grezen*, quatenus neſcio offenderat, à quo vindictę cauſa inſidijs circumuentus quid faceret neſciebat. Cum ecce humanum deſperat auxilium, velut ſe ſcuto fidei, & ad B. Virgilium peregrinando fugiens, ſua petit virtute defenſari: Vndè mirum in modum redeunti obuiat aduerſarius, ſed ecce per ſanctum compeſcitur, nudum pertimeſcit armatus, in tantū vt ita deficeret, quaſi continuò moriturus. Vocato igitur ſacerdote cōfeſſus pœnituit, pacis fœdus cum ciue miles pepigit, & ſic Sanctum Virgilium petens conualuit. Sicque contigit quod metuens ſecurus, & qui fortior, factus eſt timidus, pauperi ſubdidit diuitem, & principi præpoſuit impotentem.

Finis vitæ Sancti Virgilij.

TESTIMONIA DE S. VIRGILIO.

EX VITA SANCTI RVPERTI

EPICOPI SALISBVRGENSIS.

Hildeber.

EIſdem igitur temporibus, ſcilicet *Otilonis* Ducis *Bauariæ*, qui tunc ſubiectus fuit regi primo Francorum, venit vir quidam ſapiens, & bonus doctor, de *Hibernia* inſula, nomine *Virgilius* ad prædictum regem in Franconia loco vocato *Karſiaco*. Qui propter Dei amorem retinuit eum ſecum ferè duobus annis: & comperto eo benè docto, miſit eum præfato Duci *Otiloni*, ac conceſſit ei Epiſcopatum *Saltzburgenſem* rectore vacantem. Qui diſſimulata ordinatione ferme duorum annorum ſpacijs, habuit ſecum proprium Epiſcopum comitantem de Patria nomine *Dobdagreum*, ad perſoluendum Epiſcopale officium. Poſtea verò populis petentibus, & Epiſcopis regionis illius, conſenſit Virgilius cōſecrationem accipere; ordinatuſque eſt à comprouincialibus præſulibus ad Epiſcopum anno ſcilicet natiuitatis Domini DCC.LXVII. ſub die XVII. Kal. Iulij.

**Dobdagreum.*

Ex Baronio ad annum 162.

Hoc item anno Virgilius atque Sidonius viri religioſi, qui & ipſi Dei nutu propagandi Euangelij cauſa venerunt in Boiariam (Ex Hibernia verò Virgilius, Sidonius vnde neſcimus) Bonifacio noti, cuius & ſubditi erant diſciplinæ, &c.

Ex Gaſpare Bruſchio, in ſuo de Monaſterijs Germaniæ libro.

S. Virgilius ex Hiberniæ nobili genere & familia prognatus: vir pietate & doctrina clarus, præficitur & Epiſcopatui & Abbatiæ S. Petri ab Odilone præpotenti Bauarorū Duce anno 754. Præfuit Epiſcopatui triginta annis, Abbatiæ verò tantum viginti, ſubſtituens ſibi in Abbatiæ gubernatione pium & doctum quendam Monachum Bertricum. Virgilius anno Domini 764 Videns fideles Dei in Iuuauienſi Epiſcopatu & ditione valdè creuiſſe, pluribus templis opus eſſe ratus: aliam ſedem Epiſcopalem erexit, & inſignem Baſilicam nouam in honorem S. Ruperti primi Salisburgenſium Doctoris & Antiſtitis conſtruxit, quam anno Domini 774. abſolutam, ipſe conſecrauit, & in eam S. Rupertum duoſque eius ſacellanos, ſanctos viros Giſillarium & Chunialdum ex æde S. Petri vna cum Epiſcopali ſede tranſtulit.

Ex Metropoli Salisburgenſi tomo primo Auctore VV. Hundio, &c.

** Dobdagreus, legendum, qui fuit Hibernus natione, non Græcus, vt habent alij authores ex additione literæ c. in medio.*

B. Virgilius natione Hibernicus, ex nobili progenie ortus à Stephano Papa & Pipino Rege Francorum ad adminiſtrationem Epiſcopatus Iuuauienſis deſtinatus eſt, ſed à rege per duos ferè integros annos propter eximiam eruditionem & ſanctimoniam vitæ retentus eſt; Poſtea verò honorificè ad *Otilonem Boiorum* tum temporis Ducem dimiſſus, ab eo Epiſcopatum accepit. Diſſimulata autem conſecratione, pænè duorum annorum ſpatio Pontificem ſecum habuit proprium * *Dobdan* nomine Græcum, qui ipſum ſequutus erat ex patria: Is interim ipſius munere fungebatur. Poſtulantibus deindè ſubditis, *Boijſque* Pontificibus conſecratus eſt anno Chriſti 767. 17. calendas Iulij: Græco autem illi Magiſter & ſacerdoti *Dobdan*, tradidit *Otilo* ſedem Chirmenſem, vbi aperuit ille Scholam, & agmina diſcentium quamplurima habuit, anno Chriſti 767. D. Virgilius fundamenta templi auguſtiſſimi amplitudine admiranda poni curabat: totum illud templum intra annos 12. abſolutum, & anno 13. dedicatum eſt in honorem D. *Rudperti* in quo ſedē Epiſcopalem conſtituit. Eodem anno B. Virgilius oſſa, D. *Rudperti* tranſtulit ab Eccleſia S. Petri, atque in ſummo templo collocauit vnà cum duobus eius *Symmyſtis Chunaldo & Giſſario*. Eo autem tempore, quo templum D. Virgilius condere cœpit, coniecit pecuniam ſeu mercedem in peluim, ex qua nemo operariorum plus accipere valuit, quàm quantum labore meruiſſet. Idem B. Virgilius tempore *Taßilonis* Ducis *Bauariæ*, *Carentanos* ad Chriſti fidem conuertiſſe ſcribitur, illiſque dediſſe Epiſcopum nomine Modeſtum à ſe conſecrato in loco, *Liburnia* dicto. Præfuit autem B. Virgilius dignitati Epiſcopali annis 30. & viuis exceſſit cum magno ſuorum mœrore anno Chriſti 784. alias 785. quinto Kalendas Decembris; tumulatus eſt in templo quod ipſe extruxit ante altare.

VITA

LEGENDA
SIVE VITA ET MARTYRIVM
S. DYMPHNÆ VIRGINIS,
FILIÆ REGIS HIBERNIÆ,
ET PATRONÆ MVNICIPII
Gelenſis in Brabantia.

FESTVM SANCTÆ DIMPHNÆ CELEBRATVR XV. MAII.

POST Reſurrectionis & Aſcenſionis Domini completa myſteria, ſicut antè prædixerat per Prophetas, cum in toto terrarum orbe per Apoſtolos iam diffuſa proficeret religio Chriſtiana, Fuit in Hibernia Rex Gentilis, qui licet timore Dei contempto ſuperſtitioſis ac vanis Idolorum cultibus deſeruiret: Tamen opum gloria, ac militię ſecularis vigore potenti, cæteros antecelleus omnibus glorioſior apparebat.

Erat autem ei vxor ex illuſtri orta progenie, quam Rex ipſe vehementi diligebat affectu, quoniam iuxta humanæ carnis formam, tantæ erat pulchritudinis vt illius faciei & corporis ſpecioſitas ad ſe mentes alliceret inſpectorum. Hi vero filiam genuerant decoris venuſtate matri valde cõſimilem, meritis & nomine Dympnam, vt ex ſui nominis præſagio, poſtmodum Deo digna ſuccederet profutura.

Dympna clam ſe curat baptiſari. Quæ in domo patris nobiliter educata, dum annos pueritiæ tranſegiſſet, choreárum aſſultus & ioculatorias cantilenas, quæque circa tales fieri requirit celſitudo regalis, mente deſpiciens, occultè Baptiſmum ſuſcepit, & ſe toto corde & corpore Chriſto deuouit perpetuò ſeruituram. Intereà matre eius Regina defuncta cum Rex inde ſuperuacuis doloribus laboraret, tandem conſilio ſibi aſſiſtentium per ſingulas regni ſui prouincias, & eidem contiguas nationes legatos miſit, qui virginem adoleſcentulam, genere ſpectabilem, & decore iam defunctæ ſimilem, tanto Regi matrimonio coniungendam requireret, & ſibi cũm honore adduceret. Milites ergò moribus & eloquentia periciſſimi iter arripiunt, patrias peragrantes & vrbes, contemplantur nobilium facies puellarum.

Cumque diu morando regiones plurimas circuiſſent, & quod optabant minimè reperiſſent, redierunt ad Regem. Et ingreſſi palatium, ſalutato eo, ſic fari cœperunt: O Rex excellentiſſime, quod tua iuſſit imperialis Maieſtas, longius exulati reperire nequiuimus, ſed ſi placet, Ecce filiam tuam Dymphnam decoram valde & adeo matris ſuæ conſimilem, vt in eius imagine reuiuiſci ferè mortua videatur; iube tibi feliciter matrimonio copulari. *Nefarium aulicorũ cõſilium.* Quid plura? deteſtabile vix hoc verbum finierant, cum mox Diabolus, qui ſanctam virginẽ ad Idololatriam reducere volebat, Regem amore illicito & impudicitiæ faſcibus inflammauit, & exhinc cœpit Rex leuiter blandiendo puellæ votum ſuum detegere, & omnem mundi gloriam promittere, ſi eius matrimonio conſentiret. Hoc audiens virgo Chriſti reſpondit, illud ſe nunquam facturam, quia non eſt, inquit, iuſtitiæ, neque legis, imo abominationis & erroris, quod filia maculet thorum patris. *Eius pater vult eam habere coniugẽ.* Cum ille vehementius inſtaret precibus, & illa fortiùs negaret: tandẽ Rex iratus dixit: ſiue vellet, ſiue nollet, eam acquieſcere oportere. Tunc illa quaſi obtemperatura, quadraginta dierum petiuit ad cautelam inducias. Interim ornamenta, & cætera quę ſpectabant ad decentiam puellarem ſibi dari depoſcens, acſi nitidius patri vellet glorioſior apparere.

Rex hoc audiens lætus efficitur, &

omni ambitione iuſſit, quæ virgo poſtulauerat procurari. Intereà virgo ſe Chriſto orationibus iugiter commendans, vt patris libidinem effugeret, patriam ſuam relinquere cogitabat. Erat tunc temporis in Hibernia eximiæ ſanctitatis & doctrinæ Sacerdos quidam, nomine *Gerebernus*, qui occultè in illa gentilitate, quos poterat ad Dominum conuertebat. Et reginæ defunctæ Chriſtum colentis in hac vita genitricis ſanctæ Dympnæ, Confeſſor eſſe ſolebat. Qui & ipſam Dympnam pridem baptizauerat, & eam fidem Catholicam, atque ſacram ſcripturam docuerat: etenim ab eo regina defuncta, & Dympna eius filia Euchariſtiæ ſacramentum recipere conſueuerunt. Hunc acceerſiens ſecretè Beata Virgo, quomodo pater ſuus in horrendæ corruptionis baratrum eam demergere diſpoſuerat flebiliter reſerauit. Tunc vir Sanctus conſuluit Virgini, quatenus ad partes fugeret alienas & pauper ſpiritu, Chriſtum pauperem ſequeretur. Quid plura? Cum horam fugæ aptam inuenit, Virgo ſancta, aſſociatis ſibi ſancto *Gereberno*, ac ioculatore patris cum eius vxore, quatenus ſub ioculatorum ſpecie ſecretius proficiſci poſſent propoſitum iter cœpit. Et perueniens ad portum, mare conſcendit, & annis ac ventis proſperantibus, ad quoddam caſtrum, quod *Antuerpia* dicitur Cameracenſis diœceſis applicuit, & ibidem aliquãtulum commorati quærebant locum, vbi poſſent ſecretiùs Domino famulari: nam ſtrepitus ſæculares ferre mens in Chriſto deuota nequibat. Abhinc per nemoroſa deuia ad villam, cui *Gheel* nomen eſt, olim ab antiquis impoſitum peruenerunt, & ibi locum ad vitam ſolitariam aptum inuenerunt. Qui altera die villam circumeuntes, vnicam Eccleſiam in honorem Beati Martini Pontificis dedicatam, in qua Dympnæ Virginis ſanctum corporis nunc requieſcit. Et non longè à dicta Eccleſia in loco, qui *Zammale* appellatur, conſtruẽdum ſibi habitaculum, elegerunt, in quo per contemplationis dulcedinem Deo debitum redderent famulatum. Extirpatis igitur arboribus, & ſpinis habitaculum ſibi congruum conſtruxerunt, in quo tribus menſibus commorantes, & ieiunijs, & orationibus intendentes, vitam quodammodo angelicam deducebant. In prædicta autem Eccleſia Beati Martini, ſanctus ſacerdos *Gerebernus* Miſſas celebrabat. Excolebatur enim tunc temporis villa de *Gheel* raro inhabitatore, quia in ea quindecim tantummodo hoſpitia, quæ etiam nemorum denſitate fere per ſex milliaria fuerunt circumſepta.

Gerebernus inſignis Preſbyter.

S. Dymphna fugit è patria.

Commoratur in pago Gheele.

Intereà rex pater Virginis, qui filiæ nuptias cum gaudio expectabat, audiens fugam eius turbatus eſt, & omnis curia cum illo, & ſciſſis veſtibus, poſt gemitum & dolorem diutiùs iteratos, rex ambitione militum ſtipatus filiam ſuam, per ſe ipſum requirere definiuit. Quam requirens per ciuitates & montium ſolitudines, cum non inueniſſent mare aſcendit, & ad caſtrum quod *Antuerpiam* nominant vſque peruenit, cum ſuo multiplici comitatu. Et egrediente illo de naui fit concurſus populi, vt moris eſt, videre regem cupientes. Moram autem faciens legatos mittit per adiacentes prouincias, ſi forte de filia ſua, rumorem aliquem audire poſſet. Proficiſcentibus igitur diuerſis per loca diuerſa, quidam illorum ad villam rurenſem, cui *Vveſterlo* nomen eſt, peruenerunt, & ibidem hoſpitati: cum mane hoſpiti expenſas ſoluerẽt ille nummos eorum inſpiciens ait: Habeo nummos iſtis valde conſimiles, quorum pretium penitus ignoro. Et requiſitus ab eis, à quo talem pecuniam receperat, ipſe neſciens cur hoc peterent. Reſpondit quod virgo alienigena aſpectu, & corpore pulcherrima ibi propè in deſerto habitans, quæ de Hibernia, ibi aduenerat, ſecum habens venerandum ſacerdotem valde ſenem, & ioculatorem cum eius vxore, pro emendis victualibus, illa mihi aſſidue tales nummos mittit. Cumq; illi ſe eò adduci feciſſent, ſanctam protinus ſtantem cognouerunt inter cæteros à remotis; Et *Antuerpiam* ſtatim regreſſi viſa & audita regi cum gaudio retulerunt. Tunc rex ſpiritu reuiuiſcens, iter cum ſuis arripuit ad locum, in quo virgo ſanctiſſima habitabat. Quam cum reperiſſet & dulciter ſalutaſſet, rex virginis cernens faciem ſpecio nimis formoſam libidinis igne accenſus.

Pater eius eam inſequitur.

Hanc affari valde cœpit ſuauiter dicens: O vnica filia Dympna amor meus, & deſiderium meum, & dulcedo, quæ te mouit neceſſitas, vt regali dignitate contempta, inter gentes extraneas habitares, & terram tuæ natiuitatis relinqueres, ac filialis dilectionis oblita, Patrem regem dimitteres,

Inuentæ blanditur ſtimulante eum libidine.

iſtique ſeni decrepito ſacerdoti tãquam filiæ adhæreres & ipſius in omnibus obtemperares mandatis. Vt quid regni Hyberniæ vnica hæres poſt Patrẽ, aulam regiam ſpreuiſti? noſtro igitur acquieſce conſilio & nobiſcum ad Hyberniã reuertere, quoniam ſi paternis affectibus aſſenſũ præbueris diademate regali coronaberis, & ſuper omnes principes matronas ac virgines regni mei principatum tenebis. Inter deas inſuper templum tibi de marmoreis candidiſſimis ædificari præcipiam, & in eo ex auro & lapidibus prætioſis ſecundum tuam ſpeciem fieri mandabo imaginem ab omnibus adorandam.

Filia blãditur inceſtuoſus pater.

Ad hæc cum vellet virgo reſpondere Beatiſſimus *Gereb̃ernus* reſponſionem anticipãs, Regem dura ſeueritate redarguit, eum ſceleratiſſimum & abominabilẽ clamãs, velut qui propriam filiam fœdare volebat, quod etiam luxurioſis & fornicatoribus eſt viliſſimum cogitare. Monuit inſuper, vir ſanctus, virginem ſanctam, vt nũquam Regi conſentiret ne æterni regis ſpõſi ſui, cuius dulcedinẽ prægustauerat, indignationem incurreret. Tunc Rex, & omnes qui cum eo erant, Sanctũ *Gerebernum*, morte dignum clamauerunt. Tanquam fugæ virginis authorem, & illius ſubuerſorem Et ſequeſtrãtes eum à virgine, omnes in eum irruerunt, manuſque violentas iacentes in eum, laceſſitum iniurijs peremerunt. Sicque glorioſus Martyr Domini de tyranno triumphum accipiens vitę curſum capitis amputatione impleuit. Et coronam Martyrij à Domino ſuſcepit. Iſte cultor dei *Gerebernus* forma iuſtitiæ, caſtitatis exemplum, ſtupri nefas deteſtans, regem incredulum de inceſtu reprehendit, non odio, ſed amore. Hic propter caſtitatis amorem regis iram, & odium & tandem mortem incurrit. Tunc Rex iterum conuerſus ad virginem roſeo decore nitentem, vt ſibi acquieſceret arctius inſtare cœpit, & ſic ad Sanctam Virginem inquit. O filia mea Dymphna, cur pateris tuum patrem tãtis anxiari doloribus? miſereri cur renuis, & illum ſpernis, quem allicit amor tuus? Tãtummodo conſentire mihi, & quodcũque petieris dabo tibi. Inſuper & celebre nomen tuum inter deas ſacratiſſimas per totius regni mei confinium præcipiam numerari. Tunc virgo deuotiſſima, quæ potiùs eligebat affligi pro Domino, quam tẽporalis peccati habere iucunditatem, patri cum indignatione reſpondit. Cur infelix tyranne, promiſſis fallacibus à pudoris propoſito ſubuertere me conaris? Putas miſer, quod a ſtabilitate propoſiti reſiliam corpuſque meum polluendo Chriſtum meum amatorẽ dilectiſſimum offendam? Tuas regales delicias tota mente contemno, & illas promiſſiones Domini mei Ieſu Chriſti, quæ cuncta ſuperant deſideria, iam ex totis viſceribus concupiſco, dea cerni reſpuo, & honorem imaginis vilipẽndo, talem mihi nec præſumas vlterius ſuadere ſermonem. Tunc Rex ferus animo, libidini deditus, atque cultor præcipuus idolorum, quãto magis fidẽ Chriſtianitatis in ea feruere cognouit, tãto magis contra eam totis viribus inſurrexit, & inquit; Ne in vanũ malitioſa de cætero nos fatiges, ſtatim explè quod opto, vel tui patris iram incurres, ſicut ille malignus doctor tuus *Gerebernus*, & ideò capitis amputatione occubuit. Flori igitur parce iuuentutis tuæ, & mihi aſſenſum præbè, etiam dijs noſtris ſacrifica, aut ſecura ſis quòd morieris, ſicq; mortis tuæ exemplo omnes regum filiæ paternis imperijs cõtradicere formidabũt.

S. Gereber nus eum reprehendit.

Gereb. nus interficitur.

Adulatur Rex iterũ.

Præclara reſponſa S. Dymphna.

Tunc virgo deuotiſſima reſpondit. Qua de cauſa crudelis tyrãne, occidiſti electum Domini ſacerdotem, in quo nullum peccatum reperiſti? Dei omnipotentis iudiciũ non euades in hoc facto, deos deaſque tuas vt figmentum deteſtor, & Domino Ieſu Chriſto tota mente & deuotione me cõmitto. Ille ſponſus meus, gloria mea, ſalus & deſiderium meum. Pœnas omnes quas inferre poteris læta mente parata ſum pro Domino ſuſtinere. Hæc audiens Rex, quaſi demens effectus eſt, & nimio furore ſuccenſus, ſuam deceptionem, & Deorum ſuorum iniurias vindicare volens iuſſit eam celeriter decolari. Sed cùm nullus eorum, qui aderant in Regis Collegio, tam crudelè præceptum implere præſumeret, ne regis poſt factum pœnitentis iram incurreret. Quod videns crudelis Rex antiquæ nobilitatis & regalis clementiæ oblitus gladio quo fuerat accinctus ſacrum caput glorioſæ virginis, diuinam implorantis miſericordiam amputauit; quam Dominus Ieſus Chriſtus, eius ſponſus ſumma cum lætitia in cœlo coronauit. Sicque ſimul Rex cùm ſuo comitatu remeans ad propria, Sanctorum corpora volatilibus

S. Dymphna ſugulatur à Patre.

tulit viſionem, ſupplicando quatenus bigę ſuæ impoſitum corpus venerabile debitæ venerationis ad locum celeriter reportarent. Ridebant nonnulli, atque eam ſuper hac re deriſui habentes delirare credebant, donec victi precibus reluctantis ſine vlla grauamine corpus beatiſſimum ſuſtulerunt, & quadrigæ impoſuerunt, & à vitulo nulli apto operi cum magna leuitate pondus ingens, cum ſumma lętitia ad propriam Eccleſiam eſt reductum, in qua per venerandæ Virginis & Martyris Dymphnæ merita, innumerabilia coruſcãt miracula. Poſtea verò nobiliores, & ditiores incolæ de *Gheel* in vnum congregati, vas de auro, & argento, ac lapidibus prætioſis fieri fecerunt, in quo corpus tam venerabilis Virginis repoſuerunt. Vndè Epiſcopus Cameracenſis cum ſuo clero, & caterua populorum, & nobilibus perſonis vtriuſque ſexus, generis & ætatis, cum immenſo vulgi ignobilis comitatu honorificum corpus Sanctæ Dymphnæ de tumba lapidea, in vas aureum & argenteum tranſlocauit. Cũ autem aperiret tumbam Epiſcopus, inuentus eſt in ea lapis rubeus iacẽs ſupra pectus venerandæ Virginis, in quo ſcriptum erat: *Hîc iacet S. Dymphna virgo & Martir.* Per lapidem rubeum ab Angelis ſupra pectus ſanctiſſimæ Virginis poſitum, eius Martyrium deſignatur. Prædicta autem corporis venerandæ Virginis tranſlatio facta eſt decima quinta die Maij, in qua eius feſtum celebratur. Decolata verò fuit die triceſima Maij circa annum. Domini ſexingẽteſimũ. Anno ætatis ſuæ decimo quinto.

Et quoniam diuerſa conſcripta miracula, omnium annumerationem dignè, quæ Dominus noſter Ieſus Chriſtus per hanc glorioſam Virginem & Martyrẽ ſponſamq; ſuã Dymphnã mũdo dignatus eſt oſtendere, longum eſſet enarrare, propterea breuitatis cauſa omittuntur. Cùm etiam obſeſſi à dæmonibus de die in diem per eam liberantur, qui ad eius venerabile templũ in *Gheel* afferuntur, vbi hæc ſanctiſſima virgo & Martir Dymphna ſuam paſſionem ſuſtinuit, & corpora requieſcũt. Inſuper hęc Chriſti Virgo & Martir digniſſima ſuis deuotis cultoribus, alia verò infinita impetrat beneficia apud Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui cum Patre & Spiritu Sancto, viuit & regnat in ſæcula ſempiterna Amen.

Hæc legenda ſeu vita S. Dymphnæ Virginis, & Martyris Patronæ de Gheel *deſcripta eſt ad inſtantiam R. D. Dom. Laurentij Sedgarui Seminariorũ Hibernorum in Belgio ſuperioris, per Dominum Benedictum Paſchaſium, Canonicum Eccleſiæ Collegiatæ S. Dymphnæ de* Gheel, *quã cum ſuo originali concordare propria manus ſubſcriptione teſtatus eſt.*

SEQVENTIA S. DYMPHNÆ VIRGINIS, ex Officio Eccleſiaſtico eiuſdem ſanctæ.

Laudes Dymphnæ plebs noſtra decantat
Alleluya.
Cælos ſcandit Dymphna, quę cum Deo viuit
Martyr alma,
Hæc eſt virgo ſapiens, quam dilexit ſol, de ſtella
Regis proles Hybernię Dymphna fulſit
Facie ſemper clara
Matri fide ſtabilis iam defuncta ſimilis,
Pari forma
Spretis Patris nuptijs, minis, nec blandicijs
ſit corrupta.
Vires infernalium crebro ſedat ignium
Valle noſtra
Inſiſtentis operi manum ſanat miſeri
Carne ſumpta:
Ferri vincula reſerat, & captiuos liberat
Vt mens noſtra deſerat eſſe cæca.
Obſeſſos dæmonibus, ſenſus reddit, vſibus
Præpotens virtutibus hæc prædicta,
Nunc regis filia mortis ſupplicia ne Patiatur
gens miſera
Prece propitia nobis conſilia, quem genuit
puerpera, Alleluya.

EX IOANNE MOLANO IN NATALIBVS Sanctorum Belgij.

IN Brabantia, villa quæ *Gela* nuncupatur, ſanctæ Dymphnæ virginis & martyris. Quæ propter fidem & amorem caſtitatis decollata eſt à proprio genitore, rege pagano. Cũ enim pater, reginâ defunctâ, nouam quæreret eiuſdem pulchritudinis vxorem, monetur

à militibus, vt filiam ſuam accipiat, matri ſuæ adeo conſimilem, vt in eius imagine mortua reuiuiſcere videatur. Quod deteſtabile facinus cùm pater vi perficere vellet, illa quaſi obtemperatura quadraginta dierum inducias petijt, & interim conſultore *Gereberno*, eximiæ ſanctitatis & doctrinæ ſacerdote, qui ipſam pridem occultè baptizauerat, & ei ac matri Euchariſtiæ ſacramentum porrigere conſueuerat, cum ipſo & patris ioculatore, eiúſque coniuge, per mare peruenit ad Caſtrum, quòd *Antuerpia* dicitur. Inde autem ad villam perrexerunt, cui nomen *Gele* eſt antiquitùs impoſitum, quæ tunc temporis raro inhabitatore excolebatur, quia erant in ea non niſi quindecim domus, eæque nemorum denſitate fere per ſex milliaria circumſeptæ. Inuenerunt autem in ea vnicam ſancti Martini Eccleſiam, in qua *Gerebernus* Miſſas celebrabat, & in *Zammale* non longè ab ea Eccleſia habitaculum ſibi conſtruxerunt, in quo tribus menſibus ieiunijs, & orationibus vacantes, vitam quodammodo Angelicam ducebant. Intereà rex per fugam turbatus, naui *Antuerpiam* venit, & inde quaquauerſum legatos mittit. Quidam autem peruenerũt ad villam rurenſem *Vveſterloo*, & cùm hoſpiti expenſas ſoluerent, ait ille, ſe nummos habere conſimiles, quorum pretium prorſus ignoraret. Et interrogatus vndè eos haberet, reſpondit, à virgine de Hibernia, quæ prope in deſerto habitat cum venerando ſene ſacerdote, quę pro emendis alimentis id genus nummos mittit. Hac occaſione pater ad eam iter arripuit. Quam primùm, libidinis igne accenſus, ſuauiter affatus eſt. Sed pro ea reſpondens *Gerebernus*, patrem de abominatione redarguit: filiam nè vnquam conſentiret eſt adhortatus. Tum verò omnes in eum, tanquam fugę authorem, & filiæ euerſorem irruerunt: & exagitatus iniurijs, vitæ curſum capitis amputatione compleuit. Rex autem iterum acriùs inſtabat, vt filia illi acquieſceret. Sed cùm Chriſtum vnicum amatorem ſe offendere nolle, aliáque multa conſtanter reſponderet, pater furore incenſus, iuſſit eam decollari, & cùm nullus tam crudele facinus exſequeretur, nè regis poſtea fortaſſis doliturí iram incurreret, ipſemet regalis nobilitatis & clemẽtiæ oblitus, gladio, quo fuerat accinctus, ſacrum caput virginis amputauit. Et relicta ſunt corpora beſtijs terrę deuoranda: quæ poſtea à quibuſdam iuxta habitantibus in ſpecu ſunt condita. Poſt multa verò annorum curricula pro ſtupenda ſignorum exhibitione, clerus & populus eorum corpora quæſiuerunt, eaque in duobus ſarcophagis niue condidioribus repererunt. Quod opus Angelorum, vt ſanctorum caſtitas ſignificaretur, eſſe cognouerunt: cùm non eſſent in regione illa niſi petiæ fuligine nigriores.

PRÆFATIO S. BERNARDI ABBATIS,

IN VITAM S. MALACHIÆ EPISCOPI.

SEmper quidem operę pretium fuit illuſtres Sanctorum deſcribere vitas,
vt ſint in ſpeculum & exemplum, ac quoddam veluti condimentum vi-
tæ hominum ſuper terram. Per hoc enim quodammodo apud nos etiam
poſt mortem viuunt, multoſq; ex his, qui viuentes mortui ſunt ad veram
Matth.24 prouocãt & reuocãt vitam. Verùm nunc maximè id requirit raritas ſan-
ctitatis, & noſtra planè ætas inops virorum. Quam ſanè inopiam ſuper nos adeo inua-
luiſſe ſentimus, vt nulli ſit dubium illa ſentẽtia nos feriri: Quoniam abundauit iniquitas,
Iob.14. refrigeſcet charitas multorum. Et, vt ſuſpicor ego, aut præſto aut prope eſt, de quo ſcriptũ
eſt: Faciem eius præcedet egeſtas. Ni fallor, Antichriſtus eſt iſte, quem fames ac ſterili-
Matth.6. tas totius boni & præit, & comitatur. Siue igitur nuntia iam præſentis, ſiue iam iamque
affuturi prænuntia, egeſtas in euidenti eſt. Taceo vulgus, taceo vilem filiorum huius ſæcu-
li multitudinem, in ipſas Eccleſiæ columnas voluo oculos leues. Quem mihi oſtendas vel
de illorum numero, qui videntur dati in lucem gentium, non magis de ſublimi fumantem
quàm flãmantem? Et ſi lumen quod in te eſt, inquit, tenebræ ſunt, quantæ ſunt tenebræ?
niſi

niſi tu illos fortè, quod non credo, lucere dixeris, qui quæſtum æſtimant pietatem: qui in
hæreditate Domini, nõ quæ Domini, ſed magis quæ ſua ſunt quæritant. Quid dico, quæ ſua
ſunt? Perfectus ſit & ſanctus etiam ſua quærens, ſuaque retinens, ſi ab alienis cor manuſ-
que contineat: meminerit tamen qui ſibi vſque hoc fortè perueniſſe videtur, eundem
exigi ſanctitatis gradum & ab ethnico. An non milites ſuis iubentur contenti fore ſtipen-
dijs, vt ſalui fiant? Magnum verò Eccleſiæ doctori, ſi ſit ſicut vnus militum, aut certè
(quod ad illorum improperium propheta loquitur) ſi vt populus, ita & ſacerdos fuerit. *Eſa 24.*
O deformitatem! Itane ſummus meritò reputandus erit, qui à ſummo corruens gradu,
hærebit vix infimo, ne abyſſo abſorbeatur? Quam rarus tamen iſte ipſe in clero! quem
item das mihi contentum neceſſarijs, contemptorem ſuperfluorum? Lex eſt tamen præ-
fixa ab Apoſtolis, Apoſtolorum ſucceſſoribus: Victum & veſtitum habentes inquiunt, *1.Tim.6.*
his contenti ſimus. Vbi forma hæc? In libris cernimus eam, ſed non in viris. Habes verò
de iuſto, quia lex Dei eius in corde ipſius, & non in codice. Nec perfectionis is gradus. *Pſal.36.*
Perfectus, carere & neceſſarijs paratus eſt. At gratis illud. Vtinam ſuperfluis ponatur mo-
dus, vt iam non cupiamus in infinitum? Sed quid? Fortè reperias qui hoc poſſit. Id quidẽ
difficile, ſed vide quid egimus. Quærebamus virum optimum, multorum liberatorem, &
ecce laboramus in inueniendo, qui ſeipſum ſaluum facere poſſit. Optimus hodie eſt, qui
non eſt nimis malus. Vndè quoniam a terra defecit ſanctus, videor mihi non ſuperuacuè
ex his, qui empti ſunt de terra, reuocare ad medium, Malachiam Epiſcopum, virum verè
ſanctum, & noſtrorum quidem temporum ſingularis ſapientiæ & virtutis. Iſte erat lu-
cerna ardens & lucens, nec extincta eſt tamen, ſed ſubmota. Quis mihi iure ſuccenſeat,
ſi readmouero eam? Imò verò nõ eſt quod mihi ingrati eſſe mei ſeculi homines debeant,
& omnis deinceps generatio ventura, ſi quem conditio tulit, reuocem ſtilo: ſi mundo re-
ſtituam, quo dignus non erat mundus: ſi ſeruem memoriæ hominum hominem, cuius
memoria in benedictione ſit omnibus, qui legere dignabuntur: ſi me excitante amicum
dormientem, vox turturis audita fuerit in terra noſtra dicens: Ecce ego vobiſcum ſum
omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. Deindè ſepultus apud nos eſt, no-
bis ſpecialiter hoc opus incũbit. Quid, quod me inter ſpeciales amicos ſanctus ille habe-
bat, & eo loci, vt nulli in hac parte gloriæ ſecundum fuiſſe me credam? Nec mercede
vacat mihi tanta familiaritas ſanctitatis. Primitias iam accepi. In extremis poſitus erat,
imò in principijs, iuxta illud: Cum conſummatus fuerit homo, tunc incipit. Accurri *Eccl.18.*
ego vt benedictio morituri ſuper me veniret. At ille, cum iam membra alia mouere non
poſſet, fortis ad dandam benedictionem, eleuatis ſanctis manibus ſuper caput meum,
benedixit mihi, & benedictionem hæreditate poſſideo: & quomodo ego illum ſilere
queam. Poſtremò tu id mihi Abba Congane iniungis, reuerendus frater, & dulcis ami-
cus meus, ac tecum pariter (vt ex Hybernia ſcribis) veſtra illa omnis Eccleſia ſanctorum,
libens obedio, præſertim quod non eloquium exigitis, ſed narrationem. Dabo verò
operam, vt ea ſit pura & luculenta, deuotos informans, faſtidioſos non onerans. Sa-
nè narrationis veritas ſecura apud me eſt, intimata à vobis, haud alia proculdubiò
proteſtantibus, quam quæ certiſſimè comperta ſunt vobis.

ſocietas alteri ad alterum, non plus quàm luci ad tenebras: meos ex Deo eſt, & ſcio quæ in illo donata ſunt mihi. Indè mihi interim adhuc innocentia vitæ, inde continentiæ decus, inde iuſtitiæ fames, inde quoque illa eò ſecurior, quòd ſecretior gloria mea eſt teſtimonium conſcientiæ meæ. Nil horum mihi tutum ſub principe mundi. Deinde habeo theſaurum hunc in fictili vaſe. Verendum ne impingat & frangatur, & effundatur oleum lætitiæ, quod porto: Et quidem non impingere inter ſaxa & ſcopulos diſtortæ & anfractuoſæ viæ & Vitæ huius, difficillimum. Itane in momēto perdam ſimul omnes, quibus ab initio præuentus ſum, benedictionis dulcedine? Reſigno illi potius à quo ſunt, & me pariter. Et ego enim ipſius. Perdo ipſam ad tempus animam meam, ne perdam in æternum. Et quod ſum, & quæ habeo omnia, vbi mihi æquè ſalua, vti in manu auctoris? Quis ita ad ſeruandum ſollicitus, ad retinendum potens, ad reſtituendum fidelis? Seruabit tutò, reſtituet oppottunè. Sine retractione modo ad ſeruiendum illi de donis ſuis. Non poteſt mihi perire ex omnibus, quæ in opus pietatis expendero. Fortè & ſeparare plus aliquid licet. Solet reddere cum vſuta, qui dat gratis. Ita eſt, etiam cumulabit, & multiplicabit in anima mea virtutem. Hęc cogitauit & fecit, ſciens abſque facto vanas eſſe cogitationes hominū. Erat homo in ciuitate* Ardinachia, ipſa eſt, in qua alitus eſt Malachias, & homo ille ſanctus, & auſteræ ad modum vitæ, inexorabilis caſtigator corporis ſui. Cellam habens iuxtam Eccleſiam, in ea manebat, ieiunijs & obſecrationibus ſeruiens die ac nocte. Adhunc ſe contulit Malachias, formam vitæ accepturus ab eo, qui viuum ſe tali damnauerat ſepultura. Et vide humilitatem. A primæua ętate in ſancta arte magiſtrum (quod dubium non eſt) habuerat Deum, & ecce factus eſt denuò diſcipulus hominis homo mitis, & humilis corde. Si neſciebamus, hoc vel ſolo nobis ipſe probauit. Legant hoc qui docere, quę non didicêre, conātur, diſcipulos ſibi coaceruātes, qui nunquam diſcipuli extitere, cæci duces cæcorum. Malachias doctus à Deo, doctorum nihilominus quæſiuit hominē, & quidem cautè & ſapienter. Quid ſimile quęſo afferre quibat, in quo æquè daret caperetve experimentum profectus ſui? Si

*Ardmachia.

Malachiæ exemplum eis pro minimo eſt; Pauli opus attendant. Nonne Euangelium ſuum, quod non ab homine acceperat, ſed à Chriſto, cum hominibus tamen cenſuit conferendum, ne fortè in vacuum curreret, aut cucuriſſet? Vbi ille ſecurus non eſt, nec ego. Si quis hoc ſcit, viderit, ne non ita ſecuritas ſit, quàm temeritas. Sed hæc alterius temporis. Nunc verò ſonuit in ciuitate quod factum eſt, commota eſt vniuerſa ad inopinatam nouitatem. Stupebant autem omnes, & virtutem mirabantur, eòque amplius, quò minus viſitatam in gente fera. Videres tunc reuelari ex multorum cordibus cogitationes. Plerique humano affectu penſantes factum, plangere & dolere, quod dilectus omnibus delicatuſq; adoleſcens duris ſe adeo laboribus mancipaſſet. Alij ſuſpicati leuitatem propter ætatem, diffidere de perſeuerantia, timuere de caſu. Nonnulli temeritatem cauſantes, indignari &, fremere in eum, quod ſupra ætatem & vires inconſultè rem arduam fuiſſet aggreſſus. Verùm ille ſine conſilio egit nihil. Nam habuit conſilium à Propheta, qui ait: Bonum eſt homini, ſi portauerit iugum ab adoleſcētia. Et addit: Sedebit ſolitarius, & tacebit, quia leuauit ſe ſupra ſe. Sedebat ſibi iuuenculus ſecus pedes *Imary*, hoc enim nomen viro, & aut diſcebat obedientiam, aut ſe didiciſſe docebat. Sedebat vt quietus, vt manſuetus, vt humilis. Sedebat & tacebat, ſciens & ſecundum prophetam, cultum iuſtitiæ eſſe ſilentium. Sedebat vt perſeuerans, tacebat vt verecundus, niſi quod ſuo illo ſilentio in Dei auribus loquebatur cum ſancto Dauid: Adoleſcentulus ſum ego & contemptus, iuſtificationes tuas non ſum oblitus. Et ſedebat interim ſolitarius, quia & ſine ſocio, & ſine exemplo. Quis enim ante Malachiam diſtrictiſſimum viri propoſitum vel cogitaret attentare? Nempè mirabile omnibus habebatur, non imitabile. Malachias imitabile perſuaſit ſedendo duntaxat & tacendo. Intra paucos dies habuit imitatores non paucos, prouocatos exemplo ſui. Ita qui primò ſolitarius ſedit, & vnicus patris ſui, fit jam vnus ex multis, fit ex vnigenito primogenitus in multis fratribus; Et vt prior in cōuerſione, ita in cōuerſatione ſublimior: & qui ante omnes venit, omnium iudicio ſupra omnes eminuit in virtute. Et dignus viſus eſt epiſcopo pariter & magiſtro, qui

Thren. 3.

Ibidem.

Psal. 18.

ad diaconij gradum promoueretur. Et coegerunt eum. Hinc iam Leuita Domini publicè ſe ad omne opus pietatis accinxit, plus verò ad eas, in quibus aliqua iniuria videretur. Denique cura erat ei maxima in ſepeliendis defunctis pauperibus, quod hoc ſibi non minus humilitatem ſaperet, quàm humanitatem. Nec defuit nouo noſtro Tobiæ rediuiua à muliere tentatio, imò à ſerpente per mulierem. Germana eius indignitatem (vt ſibi videbatur) officij exhorrens. Quid facis (inquit) ô inſane? Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos. Et hoc illi quotidiè exprobrans ingerebat, ſed reſpondebatur mulieri ſtultę iuxta ſtultitiam ſuam: Miſera, tu eloquij caſti vocem tenes, ſed virtutem ignoras. Ita miniſteriũ, ad quod coactus acceſſerat, deuotus tenuit, indefeſſus exercuit. Vndè & cenſuerunt etiam ſacerdotale officium imponendum illi. Et factum eſt ita. Erat autem cum ſacerdos ordinatus eſt annos natus quaſi viginti quinque. In qua eius vtraque ordinatione, ſi quid præter canonum formã proceſſiſſe videtur, vt verè videtur (ſi quidem infra viceſimum quintum annum Leuiticũ miniſterium, infra triceſimum adeptus eſt ſacerdotij dignitatem) donandum ſane zelo ordinatoris, tum meritis ordinati. Ego verò iſtud nec in ſancto redarguẽdum, nec vſurpandum, conſulo ei, qui ſanctus non fuerit. Nec contentus Epiſcopus, etiam vices ſuas commiſit ei, ſeminare ſemen ſanctum in gente non ſancta, & dare rudi populo, & ſine lege viuenti, legem vitæ & diſciplinæ. Suſcepit ille mandatum in omni alacritate, ſicut erat ſpiritu feruens, nec talentis incubãs, ſed inhians lucris. Et ecce linguæ ferculo cœpit euellere, deſtruere, diſſipare: de die in diem factitans praua in directa, & aſpera in vias planas. Exultabat vt gygas ad diſcurrendum vbique. Diceres ignem vrentem in conſumendo criminum vepres, diceres ſecurim vel aſciam in deijciendo plantationes malas, extirpare barbaricos ritus, plantare eccleſiaſticos. Veternoſas omnes (neque enim paucæ inueniebãtur) abolere ſuperſtitiones, ſeu quaſlibet vbicunque deprehendiſſet malignitates immiſſas per angelos malos. Denique quicquid incompoſitum, quicquid indecorum, quicquid diſtortum obuium habuiſſet, non parcebat oculus eius: ſed velut grando groſſos è ficubus, & ſicut puluerem ventus à facie terræ, ſic coram facie ſua eiuſmodi nitebatur totum pro viribus exturbare ac delere de populo ſuo. Et pro his omnibus tradebat iura cœleſtia optimus legiſlator. Leges dabat plenas iuſtitiæ, plenas modeſtiæ & honeſtatis. Sed & Apoſtolicas ſanctiones, ac decreta ſanctorum Patrum, præcipuéque conſuetudines ſanctæ Romanæ Eccleſiæ in cunctis Eccleſijs ſtatuebat. Hinc eſt quod hodieque in illis ad horas canonicas cantatur & pſallitur iuxta morem vniuerſæ terræ: nam minimè id antè fiebat ne in ciuitate quidem. Ipſe verò in adoleſcentia cantum didicerat, & in ſuo cœnobio mox cantari fecit, cum necdum in ciuitate, ſeu in epiſcopatu vniuerſo cantare ſcirent, vel vellent. Deindè vſum ſaluberrimum Confeſſionis, Sacramentum confirmationis, Cõtractum coniugiorum, quæ omnia aut ignorabãtur aut negligebantur, Malachias de nouo inſtituit. Et de his iſta pro exemplo ſufficiant. Nam & per totum hiſtoriæ textum breuitatis ſtudio plurima præterimus.

CVm eſſet illi ſtudium & zelus maximus circa cultum diuinorum, & venerationem Sacramentorum, ne forte de his aliquid conſtitueret, vel doceret ſecus quam ritus haberet vniuerſalis Eccleſiæ: ſubijt animum adire Epiſcopum *Malchum*, qui ſe plenius de omnibus informaret. Hic erat ſenex plenus dierum & virtutum, & ſapientia Dei erat in illo. Natione quidem Hybernus, ſed in *Anglia* conuerſatus fuerat in habitu & propoſito monachali *Vintonienſi* monaſterio, de quo aſſumptus eſt in Epiſcopum in *Leſmor* ciuitate *Momoniæ*, & ipſa nobiliore inter cæteras regni illius. Ibi tanta ei deſuper collata eſt gratia, vt non modo vita & doctrina, ſed & ſignis clareret. Quorum idem duo pono exempli cauſa, vt omnibus innoteſcat qualem in ſcientia ſanctorum Malachias habuerit præceptorem. Puerum mente captum ex his, quos lunaticos vocant, inter cõfirmandum ſacra vnctione ſanauit. Hoc ita notũ certũq; fuit, vt illũ mox cõſtituerit oſtiariũ domus ſuæ, vixeritque idem puer incolumis in eo officio vſque ad virilem ætatem. Surdo auditum reſtituit, in quo idem mirabile quiddam confeſſus eſt, quod cum ſanctus vtrique auriculæ hinc inde digitos immiſiſſet, duos quaſi procellos ex ipſis exire ſenſerit. III

Pro his, atque huiuſmodi fama crebreſcẽte, nomẽ grande adeptus eſt, ita vt ad eum Scoti Hybernique confluerent, & tanquã vnus omnium pater ab omnibus coleretur. Ad hunc ergo Malachias accepta benedictione patris *Imarij*, & ab Epiſcopo miſſus, cum proſperè perueniſſet, benignè à ſene ſuſceptus eſt. qui annos aliquot cum eo manſit, vt per hanc temporis moram hauriret plenius de pectore veterano, ſciens ſcriptum, quia in antiquis eſt ſapientia. Sed neç hoc quoque ad cauſam defuiſſe reor, quod magnus ille prouiſor vniuerſorum voluit ſeruum ſuum Malachiam in loco tam celebri notum fieri omnibus, qui erat omnibus profuturus. Nec enim poterat, non eſſe gratus, quibus notus fuiſſet. Denique vnũ interim accidit, per quod ex aliqua parte, quod notum Deo erat in illo, manifeſtum fecit hominibus. Inter Regem *Momoniæ*, quæ eſt Hyberniæ pars auſtralis, & germanum eius orta ſimultate, & fratre facto ſuperiore. Rex pulſus regno, confugit ad Epiſcopum *Malchum*, non tamen vt ope illius regnum recuperaret, ſed magis princeps deuotus dedit locum iræ, & neceſſitatem in virtutem conuertit, priuatam eligens ducere vitam. Cumque Epiſcopus Regem ſuſcipere debito honore pararet, abnuit ille, ſe malle inquiens tãquam vnum ex illis eſſe pauperibus fratribus, qui illi adhærerẽt, regium faſtũ deponere, & communi paupertate fore contentum, expectare potiùs Domini voluntatem, quàm per vim recipere regnum, nec velle pro ſuo honore terreno ſanguinẽ humanum effundere, qui contra ſe clamet ad Deum de terra. quo audito, exultat Epiſcopus & admiratus deuotionem, ſatisfacit voto. quid plura? Traditur regi paupercula domus ad habitandum, & Malachias in magiſtrum: ad victũ panis cũ ſale & aqua. Porrò ad delicias ſufficiebat Regi Malachiæ præſentia, vita atque doctrina, ita vt diceret ei. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo. Ad hęc per ſingulas noctes lachrymis ſuis ſtratum ſuum rigabat, ſed & quotidiano aquæ frigidæ balneo malè calentem extinguebat in carne libidinem. Et orans Rex, cum rege dicebat. Vide humilitatem meam & laborẽ meum, & dimitte vniuerſa delicta mea. Et non amouit Deus orationem eius & miſericordiam ſuam ab eo. Et exaudita eſt

Nota deuotionem regis.

Pſal. 118.

ibid. 6.

Pſal. 24.

oratio eius, etſi ſecus quàm intenderet ipſe. Nam is quidem ſolicitus erat pro anima ſua: ſed vindex innocentiæ Deus, hominibus oſtendere volens, quoniam ſunt reliquiæ homini pacifico, parabat interim facere iudicium iniuriam patienti: quod ille penitus non ſperabat & ſuſcitauit Deus ſpiritum vicini regis, neque enim vnum eſt Hyberniæ regnum, ſed diuiſa in plura. Hic itaque videns quæ facta ſunt, repletus eſt zelo, & hinc quidem indignans prædonum, libertati, & inſolentiæ ſuperborum: inde verè miſeratus regni deſolationem, & regis deiectionem, deſcendit ad cellulam pauperis. Suadet reditum, ſed non perſuadet. Inſtat tamen, ſpondet opem, de effectu non diffidere monet: Deum affuturum promittit, cui non poterunt reſiſtere omnes aduerſarij eius. Proponit eam oppreſſionem pauperum, patriæqȝ vaſtationem, & non proficit. Cæterùm accedente mandato Epiſcopi, & Malachiæ conſilio, de quibus ille pendebat totus, vix tandem acquieſcit. Sequitur Rex regem, & iuxta verbum Regis ſicut fuerat voluntas in cœlo, tota facilitate pulſis prædonibus reducitur homo in ſua cum exultatione ſuorũ, regnoque reſtituitur ſuo. Dilexit ex tunc rex ille, & ſemper reueritus eſt Malachiam, eòque propenſius, quò plenius in ſancto viro digna veneratione & amore comperit. Cuius enim tantam meruit in ſua aduerſitate familiaritatẽ, ſanctitatem ignorare non potuit. Propterea magis in ſua proſperitate perpetibus illum amicitijs deuotiſque colebat obſequijs, & libenter audiebat eum, & audito eo multa faciebat. Et de his ſatis. Veruntamẽ non fortuitu factum reor, quod ita iam tunc manifeſtauit eum Dominus in conſpectu Regũ: ſed quia vas electionis ſibi erat ille, portaturus nomen ſuum coram regibus & principibus.

Hibernia tempore S. Bernardi in plura regna diuiſa.

IV.

MOrtua eſt interim ſoror eius illa, quã præfati ſumus. Nec prætereundæ viſiones quas vidit de ea: Huius ſiquidem ſanctus carnalem exhorruerat vitam & tanto zelo, vt ſe deuouerit non viſurũ eam in carne viuentem. At illa carne ſoluta, ſolutum eſt votũ, & cœpit videre in ſpiritu, quam in corpore noluit. Quadam nocte audiuit per ſomnium vocem ſibi dicentis, ſororẽ eius ſtare foris in atrio, & ecce per totos triginta dies nihil guſtaſſe. Qui

euigilans citò intellexit, cuius eſcæ inedia marceret, & diligenter diſcuſſo numero dierum, quem audierat, ipſum eſſe reperit, ex quo pro ea panem de cœlo viuum non obtuliſſet. Tum ille, qui ſororis non animã oderat, ſed peccatum, beneficentiam, quam intermiſerat, rurſum adoritur. Neque id fruſtrà. Non multum poſt viſa eſt illi perueniſſe ad limen Eccleſiæ, nec dum tamen poſſe intrare, apparere etiam in veſte pulla. Cumque ille perſeuerarer curans, nequa die ſolita ſtipe fruſtraretur, ſecundò vidit eam in veſte ſubcandida, admiſſam quidẽ intta Eccleſiam, ſed altare contingere nõ permitti. Tertiò tandem viſa eſt aggregari cœtui candidatorũ, & in veſte candida. Vides lector, quantùm valeat deprecatio iuſti aſſidua. Verè regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Nonne tibi videtur Malachiæ oratio vicem quodammodo effractoris exhibuiſſe cœleſtibus portis, quando peccatrix mulier fraternis obtinuit armis, quod ſuis meritis negabatur? Hanc vim Ieſu bone, tu qui pateris facis, validus & pius ad ſaluandum, faciens miſericordiam & potẽtiam in brachio tuo, & in Sacramento tuo ſeruans Sanctis, qui in terra ſunt vſque in conſummationem ſeculi. Hoc planè Sacramentum potens peccata conſumere, debellare obuias poteſtates, inferre cœlis reuertentes de terra.

Nota deprecationem pro defunctis.

V

ET Dominus quidem in regione *Leſmorenſi* ſic præparabat dilectũ ſuum Malachiam ad gloriam nominis ſui. Verũ qui miſerant eum, minimè iam ferentes abſentiam eius, miſſis epiſtolis reuocant illum. Quo reddito ſuis, & quidem inſtructiore de omnibus quæ oportebat, in opus a Deo paratum & ſeruatum Malachiæ. Vir diues & potens, qui locum *Benchor*, & poſſeſſiones eius tenebat, inſpiratus à Deo confeſtim in manu ſua omnia dedit, & ſe quoque. Et is auunculus eius: ſed Malachiæ ſpiritus, quàm carnis propinquitas pluris fuit. Ipſum quoque locum *Benchor*, tradidit ei princeps, vt ædificaret ibi Monaſterium, vel potiùs reædificaret. Nempè nobiliſſimum extiterat antè ſub primo patre *Congello* multa millia monachorũ generans, multorum monaſteriorum caput. Locus verè ſanctus, fœcunduſque ſanctorum copioſiſſimè fructificans Deo, ita vt vnus ex filijs ſanctæ illius congregationis nomine *Luanus*, centum ſolus monaſteriorum fundator extitiſſe feratur. Quod idcirco dixerim, vt ex hoc vno conijciat lector, quàm ingens fuerit reliqua multitudo. Denique ita Hyberniam, Scotiamque repleuerunt genimina eius, vt ea potiſſimũ tẽpora Dauidici illi verſiculi præcinuiſſe, videãtur. Viſitaſti terrã & inebriaſti eã, multiplicaſti locupletare eam. Flumen Dei repletum eſt aquis: paraſti cibum illorum, quoniam ita eſt pręparatio eius. Riuos eius inebrians, multiplica genimina eius: in ſtillicidiis eius lætabitur germinans. Et in hũc modum cæteri qui ſequuntur. Nec modo in præfatas, ſed in exteras etiam regiones, quaſi inundatione facta, illa ſe ſanctorum examina effuderunt. E quibus ad has noſtras Gallicanas partes ſanctus Columbanus aſcendens, *Lexouienſe* conſtruxit monaſterium factus ibi in gentem magnam. Aiunt tam magnam fuiſſe, vt ſuccedentibus ſibi viciſſim choris continuarentur ſolemnia diuinorum, ita vt ne momentum quidem diei ac noctis vacaret à laudibus. Hæc de antiqua dicta ſint *Benchorenſis* monaſterij gloria. Hoc olim deſtructum à piratis, ob inſigne dignitatis antiquæ, Malachias veluti quendam replantaturus paradiſum amplexus eſt, & quia multa corpora Sanctorum ibi dormirent. Nam vt taceam illa quæ in pace ſepulta ſunt, ferunt nongentos ſimul vna die à piratis occiſos. Erat quidem ingens loci illius poſſeſſio, ſed Malachias ſolo contentus loco ſancto, totas poſſeſſiones & terras alteri ceſſit. Siquidem à tempore, quo deſtructum eſt Monaſterium, non defuit, qui illud teneret cũ poſſeſſionibus ſuis. Nam & conſtituebantur per electionem etiam, & Abbates appellabantur, ſeruantes nomine (etſi non re) quod olim extiterat. Cùmque ſuaderent multi non alienare poſſeſſiones, ſed totũ ſimul retinere ſibi, non acquieuit pauperrtatis amator, ſed fecit eligi iuxta morem, qui eas teneret, loco (vt prædiximus) retento ſibi & ſuis. Et fortaſſis conſultiùs, vt poſt apparuit, integrum retinuiſſet, ſi non magis ſuę proſpexiſſet humilitati quàm paci. Itaque ex mandato patris *Imary* aſſumptis ſecum decẽ circiter fratribus, veniens ad locum cœpit ædificare. Vbi quadem die, cum in ſecuri ipſe ſecaret, caſu ex operarijs vnus, illo vibrante in aëra ſecurim, locum incautè occupauit, quo ictus deſtinabatur

Bencorẽſis Monaſtery laus

Pſalm. 74

S. Columbanus Monach⁹ Bencorenſis in Hybernia.

nongenti Monachi à piratis occiſi.

nabatur,& cecidit ſuper ſpinam dorſi eius, tanto vtique impetu, quanto ille conatu impingere valuit. Corruit ille ; accurrêre omnes putantes, aut percuſſum ad mortẽ, aut mortuum. Et tunica quidem ſciſſa à ſummo vſque deorſum: homo verò illæſus inuentus eſt, tam modicè & ſummatim perſtricta cute, vt vix in ſuperficie veſtigiũ appareret. Stabat homo incolumis quem ſecuris proſtrauerat,intuentibus & ſtupentibus qui circumſtabant. Vndè & facti alacriores , promptiores exinde ad opus inuenti ſunt. Et hoc initium ſignorum Malachiæ. Porrò oratorium intra paucos dies conſummatum eſt de lignis quidem leuigatis,ſed aptè firmiterque contextum,opus Scoticum, pulchrum ſatis. Et exinde ſeruitur Deo in eo ſicut in diebus antiquis,ſimili quidem deuotione, etſi non pari numero. Præfuit Malachias loco illi tempore aliquanto, patre *Imario* ita conſtituente, ipſe rector, ipſe regula fratrum. Legebant in vita eius quomodo conuerſarentur, & ipſe ante illos præibat in iuſtitia & ſanctitate coram Deo: niſi quod præter inſtituta communia, multa ſingulariter faciebat, in quibus potiùs præibat omnes, & aliorũ nemo illum poterat ad tam ardua ſequi. Eo temporis & eo loci quidam infirmabatur, cui aſſiſtens diabolus & aperte loquens ſuggerebat ne vnquam crederet monitis Malachiæ, ſed ſi intraret ad ſe, cultello eũ peteret & occideret. Quo cognito,qui illi miniſtrabant,ipſo infirmo prodente,verbũ perferunt ad Malachiam præmunientes. at ille ſolita arma orationis arripiens, impauidus hoſtem aggreſſus,& infirmitatem fugat & dæmonem. Erat autem nomen viro *Malchus*. Frater eſt iſte ſecundum carnẽ *Chriſtiani* noſtri *Melliſontis* Abbatis, ambo enim ſuperſtites adhuc ſunt, ſibi in ſpiritu modò germaniores. Nam ille vt liberatus eſt, continuò non ingratus, loco eodem conuerſus ad Dominum ,habitum ſimul animumque mutauit. Et cognouere fratres malignum inuidere bonis eorum:& ædificati ſunt facti de reliquo cautiores.

Clericum nomine *Michaelem* dyſenteria laborantem,& deſperare,mittens ei aliquid de menſa ſua , eodem loco ſanauit. Secundò eundem ipſum grauiſſima infirmitate corruptum & corpore pariter curauit & mẽte. Illico enim adhæſit Deo & Malachiæ ſeruo eius, timens ne deterius aliquid ſibi contingeret, ſi denuo ingratus tãto inueniretur & beneficio & Miraculo. Et nunc, vt audiuimus, præeſt cuidam Monaſterio ſito in partibus Scotiæ:& hoc nouiſſimum omnium quæ ille fundauit. Pro huiuſmodi augeſcebat in dies & opinio & congregatio Malachiæ , & grande ei nomen intus & foris, non tamen re grandius. Nempe ibi demorabitur etiam factus Epiſcopus, quod locus eſſet vicinus ciuitati. VI.

VAcabat tunc temporis Epiſcopalis ſedes in vna ciuitatum , & iam diu vacârat, Malachia nolente aſſentire , ſiquidẽ ipſum elegerant. Perſiſtentibus tamen illis tandem aliquando ceſſit , accedente ad vim faciendam mandato magiſtri ſui, nec non & Metropolitani. Triceſimo ferme ætatis ſuę anno Malachias conſecratus Epiſcopus introducitur *Connereth*; hoc .n. nomen ciuitatis. Cum autem cœpiſſet pro officio ſuo agere, tunc intellexit homo Dei non ad homines ſe, ſed ab beſtias deſtinatũ. Nuſquam adhuc tales expertus fuerat in quantacunque barbarie. Nuſquam reperierat ſic proteruos ad mores , ſic ferales ad ritus, ſic ad fidem impios , ad leges barbaros, ceruicoſos ad diſciplinam , ſpurcos ad vitam. Chriſtiani nomine, re pagani. Non decimas, non primitias dare, non legitima inire coniugia, non facere confeſſiones: pœnitentias nec qui peteret, nec qui daret penitus inueniri. Miniſtri altaris pauci admodum erant. Sed enim quid opus pluribus, vbi ipſa paucitas inter laicos propemodum otiola vacaret? Non erat quod de ſuis fructificarent officijs in populo ne quã. Nec enim in Eccleſijs aut prædicantis vox aut cãtãtis audiebatur. Quid faceret athleta Domini? Aut cedendum turpiter , aut periculosè certandum, ſed qui ſe paſtorem non mercenarium agnoſcebat, elegit ſtare quàm fugere , paratus & animam ſuam dare pro ouibus ſi oportuerit. Et quanquã omnes lupi,& oues nullæ, ſtetit in medio luporum paſtor intrepidus, omnimodis argumentoſus quomodo faceret oues de lupis. Mouere communiter, ſecretò arguere , flere per ſingulos : nunc aſpere, nunc leniter conuenire ; prout cuique expedire videbat. In quibus per hæc minus profeciſſet, cor contritum & humiliatum offerebat pro eis. Quotiẽs noctes totas peruigiles duxit, extendens manus in oratione.

Et cum venire ad Eccleſiam nollet, per vicos & plateas occurrebat inuitis, & circuiens ciuitatem perquirebat anhelus quē Chriſto acquireret. Sed & foris rura & oppida nihilominus ſæpius percurrebat cum ſancto illo comitatu diſcipulorum ſuorum, qui nunquam deerant lateri eius. Ibat & erogabat vel ingratis cœleſtis tritici menſuram. Nec vehebatur equo, ſed pedes ibat, & in hoc virum ſe Apoſtolicū probans, Ieſu bone, quanta paſſus eſt pro nomine tuo bellator tuus a filiis ſceleratis? quanta ſuſtinuit ab ijs ipſis, quibus, & pro quibus loquebatur bona tibi? Quis dignè exprimat in quantis vexatus, quibus affectus ſit contumelijs, quibus iniurijs laceſſitus, quotiens laſſatus inedia, quotiens afflictus in frigore & nuditate? Attamen cum ijs, qui oderunt pacem, erat pacificus, inſtans nihilominus opportunè importune. Blaſphematus obſecrabat, iniuriatus opponebat ſcutū patientię, & vincebat in bono malū. Quidni viciſſet? perſeuerauit pulsãs, & ſecūdū promiſſionē tandē aliquando pulſanti apertum eſt. Quomodo poterat non ſequi quod veritas prænunciauerat ſecuturum, Dextera Domini fecit virtutem: quia os Domini locutum eſt veritatem. Ceſſit duritia, quieuit barbaries, & domus exaſperans paulatim leniri cœpit, paulatim correptionem admittere, recipere diſciplinā. Fiunt de medio barbaricæ leges, Romanæ introducuntur. Recipiuntur vbique Eccleſiaſticæ conſuetudines, contrariæ reijciuntur. Reædificantur baſilicæ, ordinatur clerus in illis, Sacramentorum rite ſolemnia celebrantur. Confeſſiones fiunt, ad Eccleſiam conueniunt plebes, concubinatus honeſtat celebritas nuptiarum. Poſtremò ſic mutata in melius omnia, vt hodie illi genti conueniat, quòd Dominus per Prophetam dicit: Qui ante non populus me*, nunc populus meus. Contingit poſt annos aliquot deſtrui ciuitatē à rege Aquilonaris partis Hiberniæ: quia ab Aquilone pāditur omne malum. Et fortè malum illud benè vtentibus bonum fuit. Quis ſcit enim, ſi tali flagello Deus delere voluit mala antiqua populi ſui? Huiuſmodi Malachias neceſſitate compulſus & ipſe exiit cum turba diſcipulorum ſuorū. Nec otioſus exitus eius. Hac occaſione monaſterium *Ibracenſe* conſtructum eſt eunte illò Malachia cum ſuis numero centum viginti fratribus. Ibi occurrit ei *Cormacus* Rex, ipſe eſt qui olim regno pulſus ſub cura Malachiæ de miſericordia Dei conſolationem accepit. Et locus ille ſitus in regno eius. Gauiſus eſt rex viſo Malachia, ſe & omnia ſua exponens ei, & ijs, qui cum eo erant, vtpotè non ingratus nec immemor beneficij. Adducta incontinenti animalia multa ad vſus fratrū, multa inſuper in auro & argento ad ſumptus ædificiorum pro regia liberalitate collata. Ipſe quoq; erat intrans & exiens cum eis ſedulus & officioſus, habitu quidē Rex, ſed animo diſcipulus Malachiæ. Et benedixit loco illi Dominus propter Malachiam & in breui factus eſt magnus, rebus & poſſeſſionibus & perſonis. Vbi velut in nouo inchoans legem & diſciplinam, quā aliis imponebat, magis ipſe portabat Epiſcopus & magiſter. Ipſe in ordine vicis ſuæ coquinæ miniſterio inſeruiebat, ipſe fratribus cum recumberent, miniſtrabat. Inter ſuccedentes ſibi inuicem fratres ad cantandum legendumve in Eccleſia non ſe præteriri patiebatur, ſtrenuè implens & ipſe officium loco ſuo tanquam vnus ex illis. Sãctæ paupertatis non modo participē ſed & principem ſe exhibebat, ipſius præcipuè ſuper omnes abūdantius æmulator exiſtēs.

Rex Cormacus.

VII. DVm hæc ita aguntur, contigit infirmari Archiepiſcopum *Celſum*, ipſe eſt qui Malachiam in diaconum, Presbyterum, Epiſcopumq; ordinauit. Et cognoſcens quia moreretur, fecit quaſi teſtamentum, quatenus Malachias deberet ſuccedere ſibi, quod nullus videretur dignior qui Epiſcoparetur in ſede prima. Hoc præſentibus indixit, hoc mandauit abſentibus, hoc ſpecialiter ambobus *Momonię* Regibus, & maioribus terræ, ſancti Patricij auctoritate præcepit, cuius reuerentia & honore tanquam Apoſtoli illius gentis qui totam patriam conuertiſſet ad fidem ſedes illa, in qua & viuens præfuit, & mortuus requieſcit, in tanta ab initio cunctis veneratione habetur, vt non modò Epiſcopi & Sacerdotes, & qui de clero ſunt, ſed etiam regum ac principum vniuerſitas ſubiecta ſit Metropolitano in omni obedientia, & vnus ipſe omnibus præſit. Verùm mos peſſimus inoleuerat quorundam diabolica ambitione potentum ſedem ſanctam obtentum iri hæreditaria ſucceſſione. Nec enim patiebātur Epiſcopari, niſi qui eſſent de tribu & familia ſua. Nec parum proceſſerat

ceſſerat execranda ſucceſſio, decurſis iam hac malitia quaſi generationibus quindecim. Et eò vſque firmauerat ſibi ius prauum, imò omni morte puniendam iniuriam generatio mala & adultera, vt etſi interdum defeciſſent clerici de ſanguine illo, ſed Epiſcopi nunquam. Denique iam octo extiterant ante *Celſum* viri vxorati & abſque ordinibus, literati tamen. Indè rota illa per vniuerſam Hiberniam, de qua multa ſuperiùs diximus, diſſolutio Eccleſiaſticæ diſciplinæ, cenſuræ eneruatio, religionis euacuatio. Inde illa vbique pro conſuetudine Chriſtiana, ſæua ſubintroducta barbaries, imo paganiſmus quidam inductus ſub nomine Chriſtiano. Nam quod inauditum eſt ab ipſo Chriſtianitatis initio, ſine ordine, ſine ratione mutabantur & multiplicabantur Epiſcopi pro libitu Metropolitani, ita vt vnus Epiſcopatu vno non eſſet contentus, ſed ſingulæ penè Eccleſiæ ſingulos haberent Epiſcopos. Nec mirum. Nam quomodo tam morbidi capitis membra valerent? Pro his Celſus atque huiuſmodi malis populi ſui vehementer dolens (erat enim vir bonus & timoratus) curauit omnimodo habere ſibi ſucceſſorem Malachiam, quod per ipſum cōfideret poſſe explantari malè radicatam ſucceſſionem, qui charus eſſet omnibus, & quem omnes æmularentur, & Dominus erat cum eo. Nec fruſtratus eſt à ſpe ſua. Nam illo mortuo ſubſtitutus eſt Malachias, non tamen mox, neque id facilè. Ecce enim de ſemine nequam qui occupet locum *Mauritius* nomine. Is per quinquēnium fretus potentia ſæculari incubauit Eccleſiæ, non Epiſcopus, ſed tyrannus: nam vota piorum magis in Malachiam conuenerant. Denique ſuadebant eum ſubire onus iuxta conſtitutionem *Celſi*: ſed ille, qui omne ſublime haud ſecus quā ſuū præcipitiuū declinabat, bonam ſibi videbatur nactus occaſionem excuſandi, quod per id temporis introire ſeis pacificus eſſe non poſſet. Inſtabant tam ſancto operi, & ſolicitabant omnes, duo potiſſimum Epiſcopi, *Malchus* & *Gilelbertus* quorū prior ipſe eſt ſenior *Leſmorenſis*, de quo ſupra mentio facta eſt: alter, quem aiunt primâ functum legatione Apoſtolicæ ſedis per vniuerſam Hyberniam: Qui triennio iam decurſo in hac præſumptione Mauritij, & Malachiæ diſſimulatione, non ferentes vlteà Eccleſiæ adulterium, dedecus Chriſti, conuocatis Epiſcopis & principibus terræ, vno ſpiritu adeunt Malachiam parati vim facere. At ille tenuere primùm, prætendere ſiquidem difficultatem rei, nobilis illius proſapiæ multitudinem, fortitudinem, ambitionem, multū eſſe ad ſe pauperculum opponere ſe tot, tantis, talibus, taliter radicatis, qui iam annos fermè ducentos quaſi hæreditate poſſediſſent ſanctuarium Dei, & nunc quoque id præoccupaſſent: non poſſe illos extirpari, nec eſſe motibus hominum quidem: ſua non intereſſe fundi humanum ſanguinem occaſione ſui: poſtremò iunctum ſe ſponſæ alteri, quàm dimittere non liceret. Verùm illis è contra inſtantibus & clamantibus, quia à Domino ſermo egreſſus eſt, ſed & tota auctoritate iubentibus ſubire onus, atque intentantibus anathema. Ad mortem (inquit) ducitis me, ſed obedio ſpe Martyrij, hac tamen conditione, vt ſi iuxta fidem veſtram res in melius cedat, & vindicet ſibi Deus ſuam hæreditatē à diripientibus eam: tunc demùm omnibus conſummatis, & Eccleſia pacem habente, liceat redire ad priorem ſponſam meam, & amicam, de qua rapior paupertatē, & pro me illic alium ſubſtituere, qui tunc fortè repertus idoneus fuerit. Nota lector virtutem viri, & animi puritatem, nec honorem ſcilicet affectantis, nec formidantis mortem pro Chriſti nomine. Quid hoc animo puritis, quidve fortius, vt ſe exponens periculo & labori, alteri fructum cedat ipſam in loco principatus ſecuritatem & pacem? Facit hoc, cum liberum ſibi ex pacto retinet reditum ad paupertatem, pace & libertate Eccleſiæ reſtituta. Spondentibus illis demùm acquieuit voluntati eorum, vel potius Dei, à quo ſibi iam olim præoſtenſum recordabatur, quod de ſe modo dolebat fieri. Nēpe iam ægrotante Celſo, apparuit Malachiæ, & quidem longè poſito & neſcienti, mulier proceræ ſtaturę, & reuerendi vultus. Percunctanti quænam eſſet, reſponſum eſt eſſe vxorem Celſi; Quæ tradens ei virgam paſtoralem, quam manu tenebat, diſparuit. *Viſio S. Malachiæ*

Paucis decurſis diebus Celſus moriens miſit baculum ſuum Malachiæ tanquam ſibi ſucceſſuro: quem vt vidit, agnouit ipſum eſſe quem viderat. Huius præcipuè recordatio viſionis terruit Malachiam, ne ſi

quod diu ſatis diſſimulârat, vltra teneret, diuinæ iam viderêtur reſiſtere volũtati. Verumtamen ciuitatem non intrauit, quamdiu ille incubator vixit: ne hac occaſione contingeret mori quemquam ex his, quibus vitam magis miniſtraturus veniebat. Ita per biennium (nam id temporis ſuperuixit ille) agens extra vrbem, ſtrenuè in vniuerſa prouincia opus Epiſcopale exercuit. Illo igitur celeri morte facto de medio, rurſũ *Nigellus* quidã, imò verò nigerrimus ſedẽ præripuit. Et in hoc animæ ſuæ Mauritius adhuc viuens prouiderat, vt hunc haberet hæredem, in quo, qui damnandus exibat, operibus adijcere damnationis perſiſteret. Erat enim & ipſe ex damnata progenie cognatus Mauritij. Cæterùm Rex, & Epiſcopi, & fideles terræ nihilominus conuenerunt, vt introducerent Malachiam. Et ecce conſilium malignantium ex aduerſo. Quidam de filijs *Belial* promptus ad malitiam, potens in iniquitate, ſciens locum vbi pariter conuenire decreuiſſent, multis aggregatis ſibi latenter, vicinum occupat collẽ eminentem è regione, vnde illis tractantibus alia, repentino impetu ſuper incautos irruerent, & interficerent innocentes. Condixerât enim etiam Regem cum Epiſcopo trucidare, vt non eſſet qui vindicaret ſanguinem iuſtum. Res innotuit Malachiæ, & intrans Eccleſiam, (erat enim propè) eleuatis manibus orauit ad Dominum. Et ecce nubes & caligo, ſed & tenebroſa aqua in nubibus aëris, diem verterunt in noctem. Fulgura quoque & tonitrua & horribilis ſpiritus procellarum diem vltimum minitantur, vicináque elementa intentant omnia mortem. Et vt ſcias, lector, quod oratio Malachiæ concuſſerit elementa: ſolos intercepit tempeſtas qui quærebant animã eius: ſolos turbo tenebroſus inuoluit, qui parauerant opera tenebrarum. Denique ipſe, qui princeps extiterat tãti mali, fulmine percuſſus interijt cum tribus alijs, & fuere conſortes mortis, qui fuerant participes ſceleris. Quorum ſequenti die inuenta ſunt corpora ſemiuſta & putrida, hærentia ramis arborum, vbi quemque Spiritus eleuans alliſiſſet. Alij quoque tres ſemiuiui inuenti ſunt, cæteri omnes circumquaque diſperſi. Illos autem, qui cũ Malachia erãt, quamuis proximos loco, tempeſtas omninonon tetigit, nec quicquã moleſtiæ intulit. In facto iſto recens capimus experimentum veritatis verbi illius, quia oratio iuſti penetrat cœlos. Sed & nouum antiqui exemplum miraculi, quo olim tota Ægypto verſante in tenebris, ſolus Iſraël in lumine manſit, dicente Scriptura: Vbicunque Iſraël erat, lux erat. Huc mihi accurrit & factum ſancti Heliæ, nunc quidẽ ab extremis terræ nubes & pluuias educentis, nunc verò ſuper blaſphemos euocantis, ignem de cœlo. Et modò de ſimili clarificatus eſt Deus in ſeruo ſuo Malachia. *Exod. 10.*

V

ANno ætatis ſuæ tricesimo octauo pauper Malachias pulſo incubatore intrauit Ardinacha pontifex & Metropolitanus totius Hiberniæ, rege verò cæteriſq; qui introduxerãt eũ, ad propria remeãtibus ipſe remanẽt in manu Dei, & remanẽt illi foris pugnæ, intus timores. Nam ecce viperea ſoboles frendens & vociferans ſe exhæredari, tota ſe intus & foris ſuſcitat aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius. Porrò *Nigellus* videns ſibi imminere fugam, tulit ſecum inſignia quædam ædis illius, textum, ſcilicet Euangeliorum, qui fuit beati Patritij, baculumque auro tectum gemmis pretioſiſſimis adornatum: quem nominant baculum Ieſu, eo quod ipſe Dominus (vt fert opinio) eum ſuis manibus tenuerit atque formauerit. Et hæc ſummæ dignitatis & venerationis in gente illa. Nempe notiſſima ſunt celeberrimaq; in populis, atque in ea reuerentia apud omnes, vt qui illa habere viſus fuerit ipſum habeat Epiſcopum populus ſtultus & inſipiens. Ibat homo gyrouagus, & alter Satanas circuibat terram, & perambulabat eam, inſignia ſacra circumferens. quæ vbique oſtentans, vbiq; eorum gratia receptabatur, concilians ſibi per hæc animos omnium, & à Malachia quoſcunque potuiſſet auertens. Hæc ille. Erat autẽ princeps quidam de potentioribus iniquæ progeniei, quem Rex priuſquam ciuitatem exiret, iurare coëgerat pacem tenere Epiſcopo, acceptis ab eo inſuper obſidibus multis. Is poſt regis exitum nihilominus ciuitatem ingreſſus, conſilium habuit cum propinquis & amicis quomodo ſanctum dolo tenerent, & occiderent. Timebant verò plebem. Et coniurantes in necem Malachiæ, conſtituêre locum & diem, traditor dedit eis ſignum. Ipſo die cum veſpertina iam ſolemnia in Eccleſia celebraret antiſtes

*Ardmacha.

Inſignia Ec[illegible]a Ardmachana.

Antiſtes cum vniuerſo Clero & multitudine populi, mittit ad ipſum nequam ille in verbis pacificis in dolo, rogans quatenus ad ſe dignetur deſcendere vt faciat pacem. Reſpondentibus qui aſſiſtebant, ipſum potiùs ad Epiſcopum debere venire Eccleſiam eſſe competentiorem locum firmandæ pacis (ſiquidem perſenſerant dolum) ſubiungunt qui miſſi erant, hoc tutum non eſſe Principi, timere eum capiti ſuo, nec ſe credere turbis, quæ ſe ante hos dies cauſa, Epiſcopi propemodum interemiſſent. Contendentibus in hunc modum illis quidem vt iret, iſtis verò, ne iret: Epiſcopus cupidus pacis, & mortis non timidus. Sinite, inquit, fratres, ſinite me imitari magiſtrum meũ. Sine cauſa ſum Chriſtianus, ſi Chriſtum non ſequor. Fortè flectam humilitate tyrannum: & ſi non, vincam tamen exhibens oui paſtor ſacerdos laico, quod mihi ille debuerat. Vos quoque quod in me eſt non parum ædifico exemplo tali. Quid enim ſi cõpar occidi? non recuſo mori, vt vos vitę ex me teneatis exẽplum. Oportet Epiſcopũ (vt an Epiſcoporũ princeps) non dominari in clero, ſed formã fieri gregis. Haud aliam ſane formam, quam ab illo accepimus, qui humiliauit ſemetipſum factus obediens vſque ad mortem. quis mihi det hanc relinquere filiis ſignatam ſanguine meo? Experimini certè, an ſacerdos veſter dignè ſatis à Chriſto didicerit mortem non timere pro Chriſto. Et ſurgens cœpit ire, flentibus cunctis & ſupplicantibus, ne tantum cuperet pro Chriſto mori, vt tantum Chriſti gregem deſolatum relinqueret. Verùm ille totam ſpem ſuam ponens in Domino, tota alacritate perrexit, tribus tantum comitatus diſcipulis paratis mori cum eo. Qui vt calcato limine domus repentè ſe medio intulit armatorum, ſcuto fidei ipſe munitus concidêre facies omnium, quia pauor irruit ſuper eos, ita vt dicere poſſet Epiſcopus: Qui tribulant me inimici mei, ipſi infirmati ſunt, & ceciderunt. Hoc verbum verum eſt. Videres hoſtiam ſtantem, carnifices ferro armatis manibus vndique circumſtantes: & qui immolaret non erat. Putares ſtupere lacertos: ſic non fuit qui extenderet manum. Nam & is quoque, qui caput malitiæ videbatur, aſſurgit ei potius, quàm inſurgit. Vbi quæſo ſignum ô homo, quod dederas in mortem pontificis? Hoc magis honoris ſignum quàm mortis indicium. Deferre eſt hoc non mortem inferre. Res mira. Pacem offerunt, qui necem parauerant. Non eſt quod abnuat, qui & vitæ periculo quæſierat eam. Itaque facta eſt pax, & tam firma, vt ab illa die hoſtem ſacerdos non modò pacatum habuerit, ſed ſubditum, ſed deuotum. Quo audito fideles quique gauiſi ſunt: quod non modò ſaluatus ſit ſanguis innoxius in die illa, ſed & nocentiũ multorũ animæ Malachiæ meritis euaſerint ad ſalutem. Et apprehendit omnes circumquaque timor audientes quomodo duos inimicorum eius, qui viderentur ferociores & fortiores in generatione ſua, ſic ſubita virtute proſtrauit Deus, illum loquor, qui in manibus eſt & eum, de quo ſuperius dixi. Alterum n. terribiliter mulctatum in corpore, alterum miſericorditer mutatum in corde, ambos mirabiliter comprehendit in conſiliis quæ cogitabant. His ita peractis cœpit iam in ciuitate Epiſcopus tota libertate diſponere & ordinare de omnibus pertinentibus ad miniſterium ſuum, non tamẽ ſine continuo diſcrimine vitę ſuæ. Nam etſi iam nemo, qui palam noceret, ab inſidiantibus tamen nec locus ſatis tutus Epiſcopo erat, nec tempus feriatum. Et deputati ſunt ei viri armati ad cuſtodiam diẹ ac nocte, ſed ille magis in Domino confidebat. Fuit verò conſilium, præfatum ſchiſmaticum inſequi, eo quod ſeduceret multos ex inſignibus, quæ ferebat, ſuadẽs omnibus ſe Epiſcopum eſſe debere, & ſic ſolicitans plebes aduerſus Malachiam, atque Eccleſię vnitatem. Et fecit ſic. Et ſine difficultate ita & breui vniuerſas ſepiuit vias eius, per gratiam ſibi à Domino datam, & quam habebat ad omnes, vt malignus ille coactus ſit dare manus, reddere inſignia, & quieſcere de reliquo in omni ſubiectione. Ita Malachias, licet per multa pericula & labores proſperabatur in dies, & confortabatur magis, ac magis abundans in ſpe, & virtute Spiritus ſancti. Nec modò malefactores, ſed & detractores Malachiæ corripuit Deus. Quidam, verbi gratia, gratiam habens principum & potentum etiam ipſius regis, quod eſſet adulator & garrulus, & potens in lingua, fauebat per omnia aduerſariis Malachiæ, & procaciter tuebatur partem eorum, ſancto verò & præſenti reſiſtebat in facie, & detrahebat abſenti, ira-

reuerenter occurrens ei in omni loco, *detractor punitur.* maximéque vbi celebrioribus illum ſciret intereſſe conuentibus. Sed citò digna linguæ procacis mercede donatus eſt. Intumuit & computruit lingua maledica, vermibus ex ea ſcatētibus & defluentibus roto ore blaſphemo: quos per ſeptem fermè dies inceſſanter vomens, tandem cum illis miſeram expuit animam. Loquente corām aliquando Malachia, & populum exhortante, mulier quædam infœlix auſa eſt interrumpere ſermonem clamoribus improbis, non deferens ſacerdoti & ſpiritui, qui loquebatur. Erat autem de progenie impia, & ſpiritum habens in naribus, blaſphemias contumeliaſque euomebat in ſanctū, dicens hypocritam, & inuaſorem alienæ hæreditatis, ſed & caluitiei illius improperans. At ille nihil reſpondit ei, ſicut erat verecundus & mitis, ſed Dominus reſpondit pro eo. Verſa illa in inſaniam eſt, Domino iudicante: & crebris vocibus clamitans ſe ſuffocari à Malachia, morte demū horrenda luit peccatum blaſphemiæ. Sic miſera aſſumens aduerſus Malachiam improperium Heliſæi, verè illum ſibi alterum experta eſt Heliſæum. Porrò quia cauſa peſtilentiæ cuiuſdam ortæ in ciuitate, multitudinem cleri & populi ſolemniter cum memoria Sanctorum tunc foras eduxerat; ne hoc quidem prætereundum, quod otante Malachia peſtilentia illicò conquieuit. *peſtilentiam expulit.* Ex hoc iam qui mutiret aduerſus eum nō fuit dicentibus, qui de ſemine Chanaā ſunt. Fugiamus Malachiam, quia Dominus pugnat pro eo. At ſerò iſtud, quia zelus Domini vbique occurrens eis, perſecutus eſt eos vſque ad internecionem. Quomodo intra paucos dies perijt memoria eorum cum ſonitu? Quomodo facti ſunt in deſolationem, ſubitò defecerunt, perierunt propter iniquitatē ſuam? Grande hodieq; miraculū facit tam velox generationis illius deletio, his præſertim qui eorum nouerant ſuperbiam atque potentiam. Multa quidem & alia ſigna fuere, quibus Deus glorificauit nomen ſuum, & ſeruum ſuum inter ſudores & pericula confortauit. Quis dignè cōmemoret? Non tamen omnia prætermimus, & non ſufficimus ad omnia. Propter ſeriem autem narrationis, ne impediatur, aliqua quæ dicturi ſumus, reſeruamus in finem.

IGitur Malachias intra triennium reddita retributione ſuperbis, & libertate Eccleſiæ reſtituta, pulſa barbarie, & reformatis vbique moribus Chriſtianæ religionis, videns omnia in pace eſſe, cœpit cogitare & de ſua pace. Et memor propoſiti ſui cōſtituit pro ſe *Gelaſium* virum bonum & dignum tali honore conniuentibus clero & populo, quin potiùs ſuſtinentibus propter pactum. Nam alias durum viſum omnino. Quo conſecrato, regibuſque ac principibus attentius commendato ipſe clarus miraculis & triumphis ad ſuam parœciam redit. Non tamen *Connereth*, & audi cauſam dignam relatu. Diœceſis illa duas fertur habuiſſe antiquitus Epiſcopales ſedes, & duos extitiſſe Epiſcopatus. Id viſum melius Malachiæ. Itaque quos ambitio conflauit in vnum, Malachias reuocauit in duos, partem alteri Epiſcopo cedens, partē retinens ſibi. & propterea non venit *Connereth* quod in ea iam Epiſcopum ordinaſſet, ſed *Dunum* ſe contulit, diſterminans parœcias, ſicut in diebus antiquis. O purum cor! ô oculum columbinum! locum tradidit nouo Epiſcopo qui videretur paratior, & principalior haberetur, locum in quo ſederat ipſe. *Nota.* Vbi ſunt qui de terminis litigant, pro vno viculo perpetes adinuicem inimicitias exercentes? Neſcio ſi quod genus hominum magis quam iſtos antiquum vaticinium tangat. Secuerunt prægnantes *Galaad* ad dilatandum terminus ſuos. Sed hæc aliàs.

MAlachias factus Dunenſis Epiſcopus confeſtim more ſuo curauit aſciſcere ad ſolatium ſibi de filijs ſuis cōuentum regularium clericorum. Et ecce rurſus accingitur quaſi nouus Chriſti tyro ad ſpirituale certamen, rurſus induitur arma potentia Dei, ſanctæ paupertatis humilitatem, rigorem diſciplinæ cœnobialis, otium contemplandi, orandi aſſiduitatem. Quæ tamen omnia voto magis valuit diu tenere, quam actu. Etenim vniuerſi confluebāt ad eum, nec modò mediocres, ſed & nobiles & potentes illius ſe ſapientiæ, & ſanctitati inſtituendos, corrigendos ac regendos committere feſtinabant. Et ipſe interdum ibat & exibat ſeminare ſemen ſuum, diſponens & decernens tota auctoritate de rebus Eccleſiaſticis tanquam ex Apoſtolis vnus. Et nemo illi dicebat: In qua poteſtate hæc facis? videntibus cunctis ſigna & prodigia quæ faciebat, & quia vbi Spiritus Domini, ibi libertas. Viſum tamen

men ſibi nō tutè ſatis actitari iſta abſq; ſedis Apoſtolicæ auctoritate: & Romam proficiſci deliberat: maximéque quod metropoliticæ ſedi deerat adhuc & defuerat ab initio pallij vſus, quod eſt plenitudo honoris. Et viſum eſt bonum in oculis eius, ſi Eccleſia pro qua tantum laborarat: quem hactenus non habuerat, ſuo acquireret ſtudio & labore. Erat & altera metropolitica ſedes, quam de nouo cōſtituerat Celſus, primæ tamen ſedi, & illius Archiepiſcopo ſubdita tanquam primari, & huic quoque optabat nihilominus pallium Malachias, confirmarique auctoritate ſedis Apoſtolicæ prærogatiuam, quam beneficio Celſi adipiſci meruerat. Innoteſcente propoſito diſplicuit fratribus, nec non & magnatibus, & populo terræ. Omnes enim intolerabilem ſibi iudicabant tam diutinam omnium pij parentis abſentiam, & quod metuerent de morte ipſius.

Vſus pall'ij

Chriſtianus Epiſcopus.

Contigit interea mori germanum eius, *Chriſtianum* nomine, virum bonum, plenum gratiæ & virtutis. Epiſcopus erat, illi quidem fœcundus in celebri opinione, ſed vitæ ſanctimonia & iuſtitiæ zelo fortè non impar. Huius deceſſus magis terruit vniuerſos, & diſceſſum Malachiæ reddidit moleſtiorem. Dicebant autem nullo modo aſſentiendū vnici peregrinationi patroni vt non deſoletur omnis terra, ſi duabus tantis columnis ſub vno momento temporis deſtituatur. Ergo omnes pariter contradicunt. Et vim faciebant, cum ille diuinam vltionem minatus eſt. Non tamen deſtitêre illi, niſi miſſa ſorte, prius Dei voluntas ſuper hoc interrogaretur. Prohibente illo nihilominus mittunt, ſed illa pro Malachiæ parte ter reſpondiſſe inuenta eſt. Nec enim vna contenti vice fuere, cupidi retinēndi eum. Demum cedentes dimittunt illum non tamen ſine ploratu & vlulatu multo. Sed ne quid imperfectū relinqueret, tractare cœpit quomodo defuncti fratris ſemen ſuſcitaret. Et accerſitis ad ſe tribus diſcipulis ſuis, anxius æſtuabat quiſnā dignior ad hoc opus ſiue vtilior videretur. Et diligenter intuitus ſingulos? Tu, inquit, ô *Edane* (ſic enim vocabatur vnus) ſuſcipe onus. Illo cunctante & flente, Ne timeas, ait; tu enim mihi à Domino deſignatus es, quia annulum aureum quo deſponſandus es, iam nunc præuidi in digito tuo. Acquieuit ille, & Malachias eo conſecrato proficiſcitur. Cumque egreſſus de Scotia perueniſſet *Eboracum*, ſacerdos quidam *Sycarus* nomine, intuitus eum, agnouit. Nec enim faciem eius viderat ante, ſed cum haberet ſpiritū prophetiæ, reuelatum fuerat ei iampridem de illo. Et tunc incunctanter circumſtantibus digito eum demonſtrans, hic eſt (inquit) de quo dixeram, quia de Hibernia ſanctus veniet pontifex, qui ſcit cogitationes hominum. Sic non potuit latere lucerna ſub modio prodente eam per os *Sycari* ſpiritū ſancto, qui illam accenderat. Nam & multa ſecreta deeſſe ſuo ſuorumque dicta ſunt ei à *Sycaro*, quæ ita eſſe vel fuiſſe omnia recognouit. Sed & focijs Malachiæ percunctantibus de ſuo reditu, reſpondit *Sycarus* incunctanter, quod poſt rei probauit euentus, paucos videlicet admodum de numero illo cum Epiſcopo redituros. Illi audito hoc ſuſpicati ſunt mortem; ſed Deus aliter adimpleuit. Nempe rediens ab vrbe, quibuſdam apud nos, quibuſdam & in alijs locis ad diſcendam conuerſationis formam relictis, iuxta verbum *Sycari* cum paucis admodum repatriauit. Hæc de *Sycaro*. In ipſa vrbe *Eboracenſi* acceſſit ad eum vir nobilis ſecundum ſeculum, *Vualleluus* nomine, tūc Prior, in *KyrKebam* regularium fratrū, nunc verò Monachus & Monachorum pater in *Mailros* monaſterio ordinis noſtri, qui deuotis Malachiæ ſe orationibus ſatis humiliter commendauit. Is aduertens multos habere Epiſcopum ſocios, & equos paucos, (nā præter miniſtros & clericos alios, quinque cum eo erant preſbyteri, & equi non niſi tres) obtulit ei ſuum quo ipſe vehebatur, hoc ſolum dolere ſe inquiens, quod eſſet runcinus dure portans. Et addidit: Libentius dediſſem ſi melior fuiſſet: ſed ſi dignamini, ducite qualemcunq; vobiſcum. Et ego (ait Epiſcopus) eo libentius accipio, quo prædicas viliorem, quia non poteſt mihi vile eſſe quicquid tam pretioſa voluntas obtulerit. Et conuerſus ad ſuos, Hunc (inquit) ſternite mihi, quia commodus ſatis & ſufficiens erit in longū. Quo facto aſcendit: & primo quidem durum, vt erat ſentiēs, poſtmodum mira mutatione valdè commodum ſibi & ſuauiter ambulantem inuenit. Et ne caderet ſuper terram de ſermone quem dixerat, vſque ad nonum annum quo mortuus eſt ipſe, non defecit ei, factus optimus & pretioſiſſimus

Sycarus Propheta

Nota miraculum.

palefridus. Quodque euidentius miraculũ cernentibus fecit, de ſubnigro cœpit albeſcere, & non multò poſt vix inueniebatur albior illo. Mihi quoque in via hac datum eſt videre virum, & in eius viſu & verbo refectus ſum, & delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitijs: & ego viciſſim, peccator licet, inueni gratiam in oculis eius ex tunc & deinceps vſque ad obitum ipſius, ſicut in procemio præfatus ſũ. Ipſe etiam dignatus diuertere ad *Claramuallem*, viſis fratribus compunctus eſt, & illi non mediocriter ædificati in præſentia & ſermone eius. Et acceptans locum & nos, atque intimis viſceribus colligens valedixit nobis, & abijt. Qui tranſalpinas `cum veniſſet *Iporiam* ciuitatem Italiæ hoſpitis ſui paruulum filium qui malè habens moriturus erat, continuò ſanauit.

XI. ERat tunc temporis in ſede Apoſtolica fœlicis memoriæ Innocentius ſecundus Papa, qui eum benignè ſuſcepit, humanè ſatis illi ſuper longa peregrinatione compaſſus. Et primò quidem Malachias quod altius infixerat animo, cum multis lacrymis implorabat, licere ſibi viuere & mori in *Claraualle*, permiſſu & benedictione ſummi pontificis. Et petiit hoc non oblitus ad quod venerat, ſed, affectus quo venerat deſiderio *Clarȩualliſ*. Non autem obtinuit, quod vir apoſtolicus lucris potiùs vberioribus aucupandum decerneret. Nec tamen omnino fruſtratus eſt à deſiderio cordis ſui, cui mori ibi, etſi non viuere, donatum eſt. Menſem integrum fecit in vrbe, loca ſancta perambulans & frequentans cauſa orationis. Cumque per id temporis ſæpè ac diligenter ab eo & ab ijs qui cũ eo erãt, ſũmus põtifex inquiſiſſet eſſe patriȩ, mores gentis, ſtatum Eccleſiarũ, & quanta in terra Deus per eum operatus fuiſſet, parenti iam repatriare commiſit vices ſuas, per vniuerſam Hyberniam, *Legatum* illum conſtituens. Significatũ ſiquidẽ erat ei ab Epiſcopo *Gilleberto* (qui vt ſupra memòrauimus, tunc *Legatus* extiterat) quod iam non poſſet præ ſenio & debilitate corporis villicare. Poſt hæc petit Malachias confirmari nouæ Metropolis conſtitutionẽ, & vtriuſque ſedis pallia ſibi dari. Et confirmationis quidem priuilegium mox accepit: de palliis autem, oportet, ait ſummus pontifex, ſolemnius agi. Cõuocatis Epiſcopis, & clericis, & maioribus terræ, celebrabis generale concilium, & ſic conniuentia & communi voto vniuerſorum per honeſtas perſonas requiretis pallium, & dabitur vobis. Deinde tollens mitram de capite ſuo impoſuit capiti eius, ſed & ſtolam cum manipulo dedit illi, quibus vti inter offerendum ſolebat. & ſalutatum in oſculo pacis dimiſit eum apoſtolica fultũ benedictione & authoritate. Qui reuertẽs per *Claramuallem* ſuam ſecundam nobis largitus eſt benedictionem. Et alta ſuſpiria trahens quòd non liceret ſibi pro ſuo deſiderio remanere, hos, inquit, interim pro me oro vt retineatis, qui à vobis diſcant quod nos poſtmodum doceant. Et infert: Erunt nobis in ſemẽ & in iſto ſemine benedicẽtur gentes: & illæ gentes quæ à diebus antiquis monachi quidem nomen audierunt, monachum non viderunt. Et dimiſſis quatuor à latere ſuo abiit. qui probati & digni inuenti, monachi facti ſunt: poſt aliquod tempus cum iam ſanctus eſſet in terra ſua miſit alios & factum eſt de illis ſimiliter. Quibus per aliquantum tempus inſtructis & eruditis corde in ſapientia, dato eis in patrẽ ſancto fratre Chriſtiano, qui erat vnus ex ipſis, emiſimus eos, adiungentes de noſtris quanti ſufficerent ad numerum Abbatiæ. Quæ concepit & peperit filios quinque, & ſic multiplicato ſemine augeſcit in dies numerus monachorum, iuxta deſiderium & vaticinium Malachiæ. Nunc iam repetamus ordinem narrationis. Malachias profectus à nobis proſperè peruenit Scotiam. Et inuenit Dauid Regem, qui adhuc hodie ſupereſt, in quodam caſtello ſuo, cuius filius infirmabatur ad mortem. Ad quem ingreſſus honorificè à Rege ſuſceptus & humiliter exoratus vt ſanaret filium ſuum, aqua, cui benedixit, aſperſit iuuenem, & intuens in eum ait: Confide fili, non morieris hac vice: dixit hoc, & die ſequenti dictum ſecuta eſt ſanitas, ſanitatem lætitia patris, clamor & ſtrepitus totius exultantis familiæ. Exijt ſermo ad omnes: nec enim quod in domo regia & Regis acciderat filio, latere potuit. Et ecce vbique reſultans gratiarum actio, & vox laudis, tum pro ſalute Domini, tum pro miraculi nouitate, *Henricus* eſt iſte, nam viuit adhuc vnicus patris ſui, miles fortis & prudens, patriſſans (vt aiunt) inſectando iuſtitiam & amorem veri. Et amauit vterque Malachiam quamdiu

diu

diu vixit, tanquam qui illum à morte reuocaſſet. Rngabant eum manere per aliquot dies, ſed ille declinans moram non ſuſtinuit, & mane carpebat iter.

Tranſeundi igitur per villam, nomine *Crugeldum*, occurrit puella muta. Orante autem illo ſolutum eſt vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. Dehinc villam ingrediens, quam nominant Eccleſiam ſancti Michaëlis, oblatam ſibi mulierem phreneticam, & vinctam funibus coram omni populo curat, & dimiſſa incolumi, proficiſcitur. Perueniens verò ad portum *Lapaſperi*, tranſitum ibi aliquot dies præſtolabatur, ſed mora minime tranſit otioſa. Cõſtruitur interim de virgis in ſepem textis oratorium, ipſo iubente, ipſo operante pariter. Conſummatum circumdedit vallo, atque interiacens ſpatium in cœmiterium benedixit. Sanè merita benedicentis, miracula ſatis declarant, quæ vſque hodie ibi actitari feruntur. Inde eſt quod de finitimis locis infirmos & malè habentes illò portare conſueuerunt, & ſanantur multi. Mulier totis diſſoluta membris, plauſtro vecta illuc, pedibus ſuis remeauit domum, vna duntaxat nocte non fruſtra in loco ſancto præſtolata miſericordiam Domini. Alia quædam ibidem pernoctabat in oratione, quam fortè reperiens ſolam homo barbarus accenſus libidine, & ſui minime compos, irruit rabioſus in eam. Conuerſa illa & tremefacta ſuſpiciens, aduertit hominẽ plenum diabolico ſpiritu: Heus tu, inquit, miſer quid agis? Conſidera vbi es, reuerêre hæc ſancta, defer Deo, defer ſeruo eius Malachiæ: parce & tibi ipſi. Non deſtitit ille furiis agitatus iniquis. Et ecce (quod horribile dictu eſt) venenatum & tumidũ animal (quod bufonem vocant) viſum eſt reptans exire de inter fœmora mulieris. Quid plura? Terrefactus reſiliit homo, & datis ſaltibus feſtinus oratorio exiliit. Ille confuſus, receſſit, & illa intacta remanſit, magno quidem & Dei miraculo & merito Malachiæ, & pulchrè operi fœdo & abominando fœdum interuenit & abominabile monſtrum. Non prorſus aliter decuit beſtialem extingui libidinem, quàm per frigidiſſimum vermem: nec aliter temerarium frænari auſum, fruſtrari conatum, quàm per vilem inutilemque beſtiolam. Et hæc loco iſto ſufficiant pauca de pluribus. Nunc iam reliqua proſequamur.

Libido extinguitur miraculo.

AScendit Malachias nauem, & proſperè nauigans applicuit Monaſterio ſuo *Benchorenſi*, vt primi filij primam reciperent gratiam. Quid animi putas geſſiſſe illos ſano de via tam longa recepto patre, & illo patre? Nec mirum ſi ſe tota in gaudium effuderunt viſcera eorum in reditu eius, quando & exteris circumquaque gentibus incredibilem mox lætitiam velox rumor inuexit. Denique de ciuitatibus & caſtellis & vicis occurrunt ei, & quocunque diuertat, ſuſcipitur exultatione vniuerſæ terræ. Veruntamen nõ ſapit honor, opus exercetur legationis. Multis in locis celebrantur conuentus multi, ne qua regio ſeu portio regionis legationis fructu & vtilitate fraudetur. Seminatur ſuper omnes aquas, non eſt qui ſe abſcondat ab opere ſollicitudinis eius. Non ſexus, non ætas, non conditio, non profeſſio reputatur. Vbique ſemen ſpargitur ſalutare, vbique Intonat tuba cœleſtis. Vbique diſcurrit, vbique irrumpit euaginato gladio linguæ ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis: terror eius ſuper facientes mala. Clamat, iniquis, nolite iniquè agere; & delinquentibus, nolite exaltare cornu. Religio vbique plantatur, propagatur, fouetur. Oculi eius ſuper eos; & cura eius ad neceſſitates eorum. In concilijs, quæ paſſim celebrantur, repetuntur antiquæ traditiones, quas tamen bonas fuiſſe conſtiterit, abolitas verò negligentia ſacerdotum. Nec modò vetera inſtaurantur, cuduntur & noua. Et quæcunque promulgauerit, tanquam cœlitùs edita acceptantur, tenentur, ſcripto mandantur ad memoriam poſterorum. Quidni cœlitùs miſſa crederentur, quæ tot cœleſtia confirmant miracula? Et vt fidem dictis faciam, perſtringam nonnulla paucis. Quis enim cuncta enumeret? Quanquam libentiùs fateor imitandis immorer, quàm admirãdis. Et meo quidem iudicio primum & maximum miraculum quod fecit, ipſe erat. Vt enim taceam interiorem hominem eius, cuius pulchritudinem, fortitudinem, puritatem ſatis indicabant mores ipſius & vita: ipſum exteriorem ita vno ſemper modo ipſoque modeſtiſſimo & decentiſſimo geſſit, vt nil prorſus appareret in eo quod poſſet offendere intuentes. Et quidem qui non offendit in verbo, ille perfectus eſt vir. At verò in Malachia quis vnquam etiam ſi

Pſalm 74

curioſus obſeruârit: deprehendit otioſum non dico verbum, ſed nutum?

Quis manum pedemve, mouentem fruſtra? Imò quid non ædificans in eius inceſſu, aſpectu, habitu, vultu? denique vultus hilaritatē nec fuſcauit mœror, nec leuigauit riſus. Totum in eo diſciplinatum, totū inſigne virtutis, perfectionis forma. Per omnia ſerius, ſed nō auſterus: remiſſus interdum, diſſolutus nunquam: negligens nihil, etſi pro tempore multa diſſimulans: quietus ſępè, ſed minimè aliquando otioſus. Adie primo conuerſionis ſuæ vſque ad extremum vitę ſuę ſine proprio vixit. Non ſeruos, non ancillas, non villas, non viculos, non denique quicquā redditũum Eccleſiaſticorum ſecularium ve vel in ipſo habuit Epiſcopatu. Menſæ Epiſcopali nihil prorſus conſtitutum vel aſſignatum vnde Epiſcopus viueret? Nec enim vel domū propriam habuit. Erat autem penè inceſſanter circumiens parœcias omnes Euangelio ſeruiens, & de Euangelio viuens, ſicut conſtituit ei Dominus, dignus eſt, inquiens, operarius mercede ſuâ. Niſi quod frequentius ipſum Euangelium ſine ſumptu ponens de laboribus ſuis ſuorumque ferebat, vndè ſe & alios, qui ſecum laborabant in opere miniſterij, ſuſtentaret. Porrò ſi interdum quieſcere oporteret, in ſanctis hoc faciebat locis, quæ ipſe per Hiberniam ſparſerat vniuerſam. Apud quos verò moram facere libuiſſet, illorum ſe conformauit moribus & obſeruantijs, communi contentus vita & menſa: non fuit in victu, non fuit in veſtitu, in quo potuiſſet Malachias dignoſci inter fratres: in tantum cum maior eſſet, humiliauit ſe in omnibus. Denique cum exiret ad prædicādū, cum peditibus pedes & ipſe ibat, Epiſcopus & *legatus*. Forma Apoſtolica hæc, & inde magis mira in Malachia, quò rara nimis in alijs. Verus profectò Apoſtolorum hæres eſt iſte, qui talia agit. Sed aduertere eſt quomodo diuidat hæreditatē cum fratribus ſuis æquè nepotibus Apoſtolorum. Illi dominantur in clero, iſte dum eſſet liber, ab omnibus, omnium ſe ſeruum fecit. Illi aut non euangelizantes manducāt, aut euangelizant vt manducent. Malachias imitans Paulum manducat vt euangelizet. Illi faſtum & quæſtum æſtimāt pietatem, Malachias hæreditate vendicat ſibi opus & onus. Illi fœlices ſe credunt, ſi dilatauerint terminos ſuos: Malachias in dilatanda charitate gloriatur. Illi congregāt in horrea, & dolia replent, vnde onerēt mēſas: Malachias colligit in deſerta & ſolitudines, vndè impleat cœlos. Illi cum accipiant decimas & primitias, & oblationes, inſuper & de Cæſaris beneficio telonia, & tributa, & alios redditus infinitos, ſolliciti ſunt nihilominus quid manducent, aut quid bibant: Malachias nihil horum habens, multos tamen locupletat de promptuario fidei. Illis nec cupiditatis nec ſollicitudinis vllus eſt finis: Malachias cupiēs nihil, non nouit tamen cogitare de craſtino. Illi à pauperibus exigunt quod dent diuitibus: iſte ſollicitat diuites pro pauperibus ſuſtētandis. Illi marſupia vacuant ſubditorum: iſte pro peccatis eorum altaria cumulat votis hoſtiiſque pacificis. Illi alta palatia erigunt, turres, ac mœnia ad cœlos leuant: Malachias non habens vbi caput reclinet, opus facit Euangeliſtæ. Illi equos aſcendunt, cum turba hominum gratis māducantium, panem & non ſuum: Malachias ſeptus ſanctorum fratrum collegio pedes circuit portans panes Angelorum, quibus ſatiet animas eſurientes. Illi plebes ne agnoſcunt quidem: iſte erudit. Illi potentes & tyrannos honorant: iſte punit. O virum Apoſtolicum, quem tot & talia nobilitant ſigna Apoſtolatus ſui. Quid ergo mirum, ſi mira eſt operatus ſic mirabilis ipſe? Imò verò non ipſe, ſed Deus in ipſo alioquin tu es Deus (inquit) qui facis mirabilia. *Pſalm. 76*

Comparatio S. Malachiæ cum alijs Prælatis.

VIII

ERat mulier in ciuitate* *Culratim* dæmonium habens. Vocatus eſt Malachias, orat pro adducta, vrget inuaſorem, exit Sed nondum exſaturata nequitia eius, miſeram inuadit mulierculam, quæ fortè propè aſſiſteret. Et Malachias non ad hoc, inquit, tibi illam tuli, vt hanc peruaderes, exi & ab ea. Paret, ſed repetit priorem: à qua denuo pulſus recurrit in alteram. Ita per aliquod ſpatium alternatim vexabat illas, hinc inde refugiens. Tunc Sanctus indignans ſibi illudi à dæmone, colligenſque ſpiritum, infremuit, & totis viribus fidei facto impetu in aduerſarium, ab vtraque fugauit, & quidem nō minus vexatum his quas vexauerat ipſe. Cęterùm quod moram fecit ſancto, non putes lector fuiſſe virtutis eius, ſed diſpenſationis diuinæ, vt videlicet ex hoc

**f. Culrathin.*

hoc manifeſtior fieret & maligni præſentia, & victoria Malachiæ. Denique audi quid alibi fecerit, non autem per præſentiam ſuam. Et vtique potuit præſens, quod abſens valuit. In regione Aquilonaris partis Hiberniæ iacebat infirmus in domo, nec dubium, quin dæmonum maleficio. Nam quadam nocte audiuit eos loquentes, dicentes alter ad alterum: Vide ne miſer ille hypocritæ illius ſtratum ſtramenve contingat, & ſic effugiat manus noſtras. Cognouit homo quòd Malachiam alloquerentur, quem non multo ante in eadem domo meminerat pernoctaſſe, & adhuc ſtramen in locos ſumptaq; fiducia, & quo potuit conatu cœpit repere debilis corpore, ſed fide fortis. Et ecce in aëre clamor & vociferatio: Prohibe eum, prohibe: retine eum, retine, amittimus prædam. Verum is, quem portabat fides & deſiderium euadendi, quantò plus clamabant illi, tantò magis genibus manibuſque nitens ad remedium feſtinabat. Et perueniens aſcendit lectulum, volutatur in ſtramine, audit vlulatum plangentium: Heu, heu, ipſi nos prodidimus, decepti ſumus, euaſit. Et dicto citius receſſit ab eo dæmonum terror & horror, quê patiebatur, & omnis pariter ægritudo. In *Leſmor* ciuitate homo à dæmonio vexatus, per Malachiam liberatus eſt. Item tranſeunti aliquando *Planginiam* oblatus illi infans habens dæmonium, ſanus relatus eſt.

In regione eadem ligatam funibus phreneticam ſolui iuſſit, & in aqua, quam benedixit, lauari: lota eſt & ſanata. Alteram quoque in *Saballo* regione *Vlydiæ* mēbra propria dentibus laniantem, orando & tangendo curauit. Amentem hominem multa prædicentem futura, amici & propinqui adducunt ad Dei hominem vinctum funibus fortiter, quod fortem ad nocendū rabies ipſa feciſſet, & terribilē valdè. Orat Malachias & incontinenti æger ſanatur & ſoluitur. Factum eſt hoc loco quodam, cuius nomen tacemus, quod nimis barbarum ſonet, ſicut & alia multa. Alio tempore in præfata ciuitate *Leſmor* puellam mutam parentes eius in media platea offerūt tranſeunti cum multa ſupplicatione rogantes, vt ei ſubuenire dignetur. Stat Malachias, & facta oratione tangens digito linguam eius, ſpiritum miſit in os eius, & loquentem dimiſit. Exiens de quadam Eccleſia, obuium habuit hominem cum vxore ſua quæ non poterat loqui. Rogatus vt eius miſereatur, ſtat in porta populo circumſtante: & data benedictione ſuper eam, iubet Dominicā dicere orationem. Dixit illa, & populus benedixit Dominum. In ciuitate, cui nomen *Oëntreb*, decumbens lectulo quidam diues, iam dies duodecim priuatus linguæ officio, ad iuſſionem viſitantis ſe ſancti, loquelam recuperat: Euchariſtiam ſumit, & ita munitus extremum in bona confeſſione efflauit ſpiritum. O oliua fructifera in domo Dei! ô oleum iucunditatis vngens & lucēs! Et ſplendore miraculi illuſtrauit ſanos, & ſuauitate beneficij vnxit infirmū, cui mox morituro ſalutarem cōfitendi & communicandi obtinuit facultatem. Intrauit ad eū quidam de nobilibus habens ei aliquid dicere. Qui inter loquendum, fide plenus, tres iuncos piè furatus de lectulo, in quo ille ſedebat, tulit ſecum, & multa Deus de furto pietatis eſt operatus fide illius, & præſulis ſanctitate.

Fortè venerat in ciuitatē, nomine *Duenuania*, & cum ſederet ad menſam, ingreſſus vir nobilis de ciuitate ipſa humiliter ſupplicat pro vxore prægnante, quæ iam ſolēne præteriſſet tempus pariendi, ita vt mirarentur omnes & nemo aliud quam vitæ periculum crederet, imminere. Rogat & cum eo *Nehemias* Epiſcopus illius ciuitatis, qui iuxta eum ſedebat, rogāt & cęteri quotquot aderāt ſimul diſcūbentes. Tū ille: Cōpatior ei, inquit, quòd bona mulier ſit & pudica. Et porrigens viro poculum, cui benedixerat, vade (inquit) da illi bibere, ſciens eam ſumpto benedictionis potu, & ſine mora, & ſine periculo pariturā m. Factum eſt quod præcepit, & nocte ipſa ſubſecutū eſt quod promiſit. Sedebat in campo cum Comite *Vlydiæ* aliqua tractans, & multitudo copioſa circa eos. Venit mulier grauida, & verè grauida, indicat ſe contra omnes naturæ leges retinere partum iam quindecim menſibus, & diebus viginti. Compaſſus Malachias ſuper nouo & inaudito incommodo orat, & mulier parit, & qui adſtant lætati ſunt, & mirati. Omnes enim viderunt in qua facilitate & velocitate loco eodem enixa ſit, & triſte negati partus periculum miraculo commutatum iucundiori. Accidit ibidem quiddam pari quidem miraculo, ſed ſorte diſpari. Vidit hominem qui publicè tenere diceretur concubinam

fratris, & hic erat miles miniſter Comitis. Et publicè conueniens inceſtuoſum alterū ei Ioannē exhibuit: non licet tibi, inquiens, concubinam habere fratris tui. At ille alterum ipſi nihilominus Herodem redhibens, non modò non audiuit eum, ſed & ſuperbè reſpondit, & coram omnibus iurabat nunquam ſe dimiſſurum. Tum commotus Malachias, ſicut erat pro iuſtitia vehementer zelans, & Deus, inquit, te ab illa ſeparet vel inuitum. Paruipendens ille, ex inſtāti abijt indignabundus, offendenſque mulierem non longè à turba conſtituta in loco, vi oppreſſit eam, ſicut erat Satanæ totus, cui paulò ante traditus fuerat: nec latuit flagitium. Ancilla, quæ dominam comitabatur, recurrens domum (nempe haud procul aberat loco) nuntiat anhela quid mali acciderit. Ad quam vocem germani illius, qui domi erant, zelantes ſororis ſtuprum tota illò feſtinantia peruolant, pudicitiæ hoſtem ipſo in loco & opere ſceleris deprehenſum multis confoſſum vulneribus interimunt: necdum conuentus ſolutus erat, cùm ecce armiger illius, quod euenerat, nuntiauit. Et mirati ſunt vniuerſi; quod ſententia Malachiæ tam celerem habuiſſet effectum. Timuerunt quoque flagitioſi audito hoc verbo (nam multi erant in terra) & territi purgati ſunt lauantes manus ſuas in ſanguine peccatoris. *Diarmitium* Comitem multo iam tempore decumbentem lecto, duriter quidem, increpans, quòd malus homo eſſet, immoderatius ſeruiens ventri & gulæ, benedictâ aſperſū aquâ ſine mora ſurgere fecit, & ita ſe valentē vt illicò equum aſcenderet, & vtique præter ſpem ſuam ipſius & ſuorum.

In vrbe *Caſelenſi* venit homo ante eum cū filio paralityco, rogans illū ſanari. Qui orās breuiter, vade (inquit) filius tuus ſanabitur. It, & craſtino redit cum filio, ſed minimè ſanato. Tum ſurgens Malachias, & ſtans ſuper eum diutius orauit, & ſanatus eſt. Et conuerſus ad patrem. Offer, inquit, illum Deo. Annuit homo, ſed non tenuit. Poſt aliquot annos ille iam iuuenis recidit in idipſum, ſine dubio propter inobedientiam patris, & pacti tranſgreſſionem. Alius quidam veniens de longinquo cum eſſet Malachias in finibus *Momoniæ*, attulit ad eū filium pedum penitus officio deſtitutum. Percunctatus quonammodo illi accidiſſet, vt ſuſpicor, inquit, dæmonum malignitate, & addit: Ludenti in prato ipſi (ni fallor) immiſere ſoporem, euigilanſque puerulus ſic ſe inuenit: Hæc dicens, cum lacrymis precem fundit, efflagitat opem. Miſertus eius orauit Malachias, iubens ægrum interim dormire ibidem ſuper ſolium. Dormiuit, & ſurrexit ſanus. Hunc ipſe, quia de longè venerat, aliquandiu in comitatu ſuo retinuit, & erat ambulans cum eo.

In monaſterio *Benchorenſi* pauper quidā, fratrum eleemoſynis ſuſtentabatur, & erat quotidianam accipiens ſtipem, aliquid officij factitans in piſtrino. Is claudus ab annis duodecim humi manibus repens, poſt ſe trahebat pedes emortuos. Quem die quadam ante cellam ſuam Malachias mœſtum & mœrentem inueniens, cauſam percunctatur. Et ille, Vides, inquit, quam ex longo miſellus affligor, & manus Domini ſuper me; & ecce ad cumulum ærumnæ, homines qui miſereri debuerant, irrident me potiùs, miſeriæ exprobrātes. Quem vbi audiuit, pietate motus ſuſpexit in cœlum, manus pariter leuans. Facta autem breui oratione ipſe intrauit cellam, & ille ſurrexit, Et ſtans ſuper pedes ſuos mirabatur ſi verè eſſet quod erat, penè ſomnium ſuſpicatus: cœpit tamen ſe pedetentim mouere, neque enim poſſe ire ſatis credebat. Tandem quaſi è graui ſomno euigilans cognoſcit miſericordiam Domini ſuper ſe, firmiter graditur, & in piſtrinum reuertitur, exiliens & exultans, & laudans Deum. Viſo eo, qui ante viderant & cognouerant, repleti ſunt ſtupore & extaſi, phantaſma putantes. Virum item hydropicum orando ſanauit, qui illicò remanſit in monaſterio paſtor ouium factus.

Ciuitas Hiberniæ nomine *Corragia* vacabat Epiſcopo: tractatum eſt de electione, diſſenſere partes, quibuſq; (vt aſſolet) præſulem volentibus conſtituere ſuum, non Dei. Venit illuc Malachias audita diſſentione. Conuocato clero & populo, etiam corda & vota diſcordantium vnire curauit, & perſuaſis illis totum negotium ſibi debere credi, cui, potiſſimùm ſollicitudo incumberet illius, ſicut & aliarum per Hyberniam Eccleſiarum, in continenti nominat eius non quempiam de nobilibus terræ, ſed magis quendam hominem pauperem, quem ſciret ſanctum & doctum, & hic erat alienigena. Quæritur ille, nuntiatur decūbere lecto, & ita debilis, vt nullo

Modus eligendi Prælatos.

lo pacto exeat, niſi in manibus portatus miniſtrantiũ. Et Malachias: Surgat, inquit, in nomine Domini, ego præcipio: obedientia ſaluum faciet eum. Quid faceret ille? Parêre nolebat, ſed imparatum ſe ſentiebat. Quod etſi poſſet ire, Epiſcopari reformidabat. Ita cum voluntate obediendi pugnante gemino hoſte pondere languoris, & metu oneris: vicit illa tamen: datâ ſibi in adiutorium ſpe ſalutis. Itaque conatur, mouet ſeſe, tentat vires, inuenit ſe ſolito fortiorem. Creſcit pariter fides cum viribus, & rurſum facta fortior fides dat viciſſim viribus incrementum. Iam ſurgere per ſe valet, iam meliuſculè gradi, jam nec ſentire in ambulando laſſitudinem: demũ expeditus & alacer peruenire ad Malachiã ſine hominis adiutorio. qui aſſumens eum miſit in cathedram, clero & populo collaudante. Hoc ita in pace factum eſt, quia nec illi auſi ſunt Malachiæ voluntati in aliquo obuiare, videntes ſignum, quod fecerat, nec ille parêre dubitauit tam euidenti argumento, factus ſecurior de Domini voluntate.

Mulier quædam fluxum ſanguinis patiebatur, & hæc nobilis chariſſima Malachiæ, plus tamen ob morum quàm generis nobilitatem: quæ ex toto deficiens (nimirũ cum ſanguine exhauſtis viribus) iam poſita in extremis, miſit ad Dei hominem, vt (quod ſupererat) animæ ſubueniret, qui ſe iam non eſſet viſurus in corpore. Audiens Malachias moleſtè tulit, quòd mulier virtutis foret, & vita huius fructuoſa opere & exemplo. Et videns ſe non poſſe ſatis currere tempeſtiuè, accito *Malcho*, quod iuuenis eſſet, & expeditus (ipſe eſt cuius ſupra meminimus frater *Chriſtiani* Abbatis) accelera, inquit, fer illi tria poma hæc, ſuper quæ nomen Domini inuocaui. Confido in ipſo, quòd vbi ex eis guſtauerit, non guſtabit mortem priuſquam nos videat, etſi tardiuſculè ſecuturos. Feſtinat *Malchus* ſecundum mandatum, & veniens intrat ad morituram, alterum ſe exhibens puerum *Heliſæi*: niſi quòd huius efficacior opera fuit. Iubet miſſam ſibi à Malachia benedictionem accipere: & guſtare, ſi quo modo valuerit. At illa exhilarata, audito nomine Malachiæ, vt obedire poſſit, nutu ſignat pauliſper ſe erigi velle, nã verbo nõ poterat. Erigitur, guſtat, guſtato confortata eſt, loquitur, & gratias agit. Et immiſit Dominus ſoporẽ in eam, & ſuauiſſimè requieuit in eo, cuius vſu diu caruerat, ſicut & eſu. Stetit interim ſanguis, & poſt modicum expergefacta ſanam ſe reperit, niſi quòd longa inedia & ſanguinis minutione adhuc debilis erat. Si quo minus, die ſequenti deſideratus Malachiæ aduentus aſpectuſque perfecit.

Habitabat vir nobilis in vicinia *Benchorenſis* Monaſterij, cuius vxor cum infirmaretur ad mortem, rogatus Malachias, vt deſcenderet, priuſquam moreretur, infirmam vncturus oleo deſcendit, & intrauit ad eam. Quo viſo exultat illa, ſpe animata ſalutis. Et cum pararet vngere eam, viſum eſt omnibus differendũ potius vſque mane, erat enim veſpera. Acquieuit Malachias, & data benedictione ſuper ægram, exiuit cum his qui ſecum erant. At verò poſt modicum ſubitò clamor factus eſt; plãctus, & ſtrepitus multus per totã domũ, ſiquidem inſonuit quòd mortua eſſet. Accurrit Malachias tumultu audito, & ſecuti ſunt eum diſcipuli eius. Et accedens ad lectum, vt certo comperit exſpiraſſe, conſternatus eſt animo, ſibi imputans quod fraudata gratia Sacramenti obierit. Et eleuatis in cœlum manibus, obſecro Domine (inquit) inſipienter egi, ego peccaui, qui diſtuli, non iſta, quæ voluit. Hæc dicens: conteſtatus eſt in audientia omnium, nullam ſe recepturum conſolationem, nullã daturum requiem ſpiritui ſuo, niſi quam tulerat, liceret reſtituere gratiam. Et ſtans ſuper eam tota nocte laborabat in gemitu ſuo, & pro oleo ſancto, largo imbre lacrymarum perfundens mortuam, vicem illi vnctionis quã poterat, exhibebat. Ipſe quidem ſic. Ad ſuos autẽ, Vigilate, inquit, & orate. Itaque in Pſalmis illi, ille in lacrymis noctem duxêre peruigilem. Et mane facto exaudiuit Dominus Sanctũ ſuum, quia Spiritus Domini erat poſtulans pro eo, qui poſtulat pro ſanctis gemitibus inenarrabilibus. quid plura? Aperit oculos, quę fuerat mortua, & vt ſolent, qui de graui ſomno euigilant, fricans ſibi manibus frõtem & tempora, ſuper lectum ſe erigit, & agnito Malachia inclinans deuotè ſalutat eum. Et verſo luctu in gaudium, ſtupor apprehendit omnes & qui viderunt, & qui audierunt. Sed & Malachias gratias agens, benedixit Dominum. Et vnxit eam nihilominus, ſciens in hoc ſacramento temitti *Extrema vnctio.*

peccata, quòd oratio fidei ſaluet infirmũ. Poſt hæc abüt ille, & illa conualuit, & viuens incolumis tempore aliquanto, vt gloria Domini manifeſtaretur in ea peracta pœnitentia, quam ſibi Malachias iniunxerat in bona confeſſione iterum obdormiuit, & migrauit ad Dominum.

Fuit iterum mulier, cui ſpiritus iracundiæ & furoris in tantum dominaretur, vt non ſolum vicini & cognati fugerent conſortium eius, ſed filij quoque ipſi vix ſuſtinerent habitare cum ea. Clamor & rancor, & tempeſtas valida vbicunque fuiſſet: audax, & ardens, & præceps, metuenda lingua & manu, importabilis omnibus & inuiſa. Dolentes filij tum pro illa, tum pro ſeipſis, trahunt illam ad præſentiam Malachię, lacrymabilem cum fletu querimoniam deponentes. Vir autem ſanctus & periculum matris & incommodum miſerans filiorum, ſeorſum aduocat illam, fueritne confeſſa aliquãdo peccata ſua ſollicitè percunctatur. Reſpondit, nequaquam. Confitere, inquit. Paret: & ille iniungens pœnitentiam confitenti, oranſque ſuper eam, vt Dominus omnipotens det ei ſpiritum manſuetudinis in nomine Domini Ieſu, ne vltra iraſcatur, iubet. Sequitur tãta manſuetudo, vt pateat omnibus non eſſe aliud, quàm admirabilem mutationem dexteræ excelſi. Fertur adhuc hodie viuere, & tantæ eſſe patientiæ & lenitatis, vt quæ omnes exaſperare ſolebat, nullis modò exaſperari damnis, contumeliis, afflictionibus queat. Silicet & me iuxta Apoſtolum abundare in ſenſu meo, accipiat, quiſque vt volet, ego iſtud, ſuperiori ſuſcitatæ miraculo mortuæ cenſeo præferendum, quòd exterior quidem ibi, hic verò interior reuixerit homo. Et nunc curramus ad reliqua.

Vir ſecundum ſæculum honorabilis, ſecundum Deum timoratus, veniens ad Malachiam queſtus eſt ſuper ſterilitate animæ ſuæ, ſupplicans vt ſibi obtineret ab omnipotente Deo gratiam lacrymarum. Et ſubridens Malachias, quod gratum haberet in homine ſæculari deſiderium ſpirituale, ſuam maxillam maxillæ illius quaſi blandiendo coniungens, fiat, inquit, tibi ſicut petiſti. Tantos exindè, & pene continuos exitus aquarum deduxerunt oculi eius, vt illud Scripturæ ei poſſe aptari videretur: Fons hortorum, puteus aquarum viuentium.

Eſt inſula maris in Hibernia ab olim fœcunda piſcium, & mare ibi piſcoſum valdè. Peccatis (vt creditur) habitantium adempta copia ſolita, quæ multos habebat filios infirmata eſt, & à tanta funditus ſui commoditate emarcuit. Dolentibus accolis, & iacturam grauem populis ægre ferentibus, reuelatum eſt cuidã mulieri precibus Malachiæ poſſe afferri remedium: idque innotuit omnibus ipſa prodente. Nutu Dei contigit adeſſe Malachiam. Dum enim circuiret & repleret Euangelio regionem, diuertit illuc, vt & ipſis eandem gratiam impartiret. At Barbari quibus erat maior cura de piſcibus, omni inſtantia flagitant, vt potius reſpicere dignetur ſuper ſterilitatem inſulæ ſuæ. Qui cum reſponderet ſe minimè ad hoc veniſſe, hominum magis quàm piſcium deſiderare capturam: videns tamen fidem eorum, flexis in littore genibus orauit ad Dominum, vt licet indignis, indultum olim beneficium tanta fide repetentibus non negaret. Aſcendit oratio, aſcendit & piſcium multitudo, & fortè vberior quàm in diebus antiquis, & ipſa populo terræ perſeuerans vſque in hodiernum diem. Quid mirom ſi oratio iuſti, quę penetrat cœlos, penetrauit abyſſos, & de profundo maris tantas piſcium copias euocauit? *Locus natiuitatis S. Brigidæ Virginis.*

Venerunt aliquando tres Epiſcopi in villam *Forbart*, quem dicunt locum natiuitatis *Brigidæ* virginis, & quartus erat Malachias. Ad quem Preſbyter, qui hoſpitio ſuſceperat eos: Quid faciam, inquit, quod piſces non habeo? Quo reſpõdente vt quæreret à piſcatoribus: Biennium eſt, ait, quod non inueniuntur piſces in flumine, vnde & piſcatores prorſus diffiſi, etiam arti ſuæ renuntiauerunt. Et ille, Præcipe, inquit, laxari retia in nomine Domini. Factum eſt, & capti ſunt ſalmones duodecim. Secundò miſerunt, & captis totidem, inopinatũ inferunt menſis & ferculum & miraculum. Et vt clarè liqueat Malachiæ meritis hoc datum fuiſſe, alijs quoque duobus ſequentibus annis eadem nihilominus ſterilitas perdurauit.

Fuit quidam clericus in *Leſmor*, probabilis, vt fertur, vitæ, ſed fidei non itá. Is ſciolus in oculis ſuis, præſumpſit dicere in Euchariſtia eſſe tantummodo Sacramentum, & non rem Sacramenti, id eſt, ſolam ſanctificationem,

ſtificationem, & non corporis veritatem. Super quo à Malachia ſecretò & ſæpè cōuentus, ſed incaſſum, vocatus ad medium eſt ſeorſum tamen à laicis, vt ſi fieri poſſet ſanaretur, & non confunderetur. Itaque in cōuentu clericorum data facultas homini eſt pro ſua ſententia reſpondendi. Cumque totis ingenij viribus (quo non mediocriter callebat) aſſerere & defendere conaretur errorem, Malachia contrà diſputante & conuincente, iudicio omnium ſuperatus, de conuentu confuſus quidem exijt, ſed non correctus. Dicebat autem ſe non ratione victum, ſed Epiſcopi preſſum auctoritate. Et tu, inquit, ô Malachia ſine cauſa me hodie confudiſti, aduerſus profectò veritatem locutus & contra tuam ipſius conſcientiam. Mœſtus Malachias pro homine ſic indurato, ſed magis fidei dolens iniuriam, timens periculum, Eccleſiam conuocat, errantem publicè arguit, publice monet vt reſipiſcat. Suadentibus hoc ipſum Epiſcopis & vniuerſo clero, cum non acquieſceret, contumaci anathema dicūt, hæreticum proteſtantes. Nec ſic euigilans, omnes, inquit, fauetis homini potius, quàm veritati. Ego perſonam non accipio, vt deſeram veritatem. Ad hoc verbum ſubſtomachans Sāctus; Dominus, inquit, fateri te veritatem faciat, vel ex neceſſitate quo reſpondente, Amen, ſoluitur conuentus. Tali ille inuſtus cauterio fugam meditatur, infamis atque inhonorus fore non ſuſtinens. Et continuò ſua tollēs exibat, cum ecce ſubita correptus infirmitate ſiſtit gradum, viribuſque deficiens eodem loco iactat ſe ſuper ſolum anhelus & feſſus. Forte incidens in id loci vagabundus inſanus offendit hominem. quidnam ibi agat percunctatur. Reſpondet grauiſe in firmitate teneri, & neque procedere neque redire valentem Et ille, infirmitas iſta haud alia, quàm ipſa mors eſt. Hoc autem non dixit a ſemetipſo, ſed pulchrè Dominus per inſanum corripuit eum, qui ſanis acquieſcere noluit conſilijs ſenſatorum, Et addit: Reuertere domum, ego te iuuabo. Denique ipſo duce reuertitur in ciuitatem, redit ad cor, & ad miſericordiam Domini. Eadē hora accitur Epiſcopus, agnoſcitur veritas, abiicitur error. confeſſus reatum abſoluitur, petit viaticum, datur reconciliato, & vno penè momento perfidia ore abdicatur, & morte diluitur. Ita mi-

Hæreticus infirmitate punitur.

rantibus cunctis ſub omni celeritate completus eſt ſermo Malachiæ & ſcripturæ pariter dicentis, quia vexatio dat intellectum auditui.

Inter populos quarundam regionum orta aliquando grauis diſcordia eſt, interpellatur Malachias de componenda pace inter eos. Et cum eſſet alias impeditus, iniungit negotium hoc vni Epiſcoporum. Illo excuſante, & negante, & dicente, Malachiā non ſe quæſitum, ſed ſe contemptum iri, fruſtra fatigari nolle: Vade inquit, & Dominus erit tecum. Et ille: Acquieſco, ſed ſi me non audierint, ſcito me ad tuam paternitatem appellaturum. Subdidens Malachias, fiat, inquit. Tunc Epiſcopus conuocatis partibus dictat formam pacis: acquieſcunt, reconciliantur ad inuicem, fide hinc inde data, ſtabilitur pax: & ſic dimiſit eos At pars vna videns hoſtes factos ſecuros imparatos eſſe (quippe qui pace facta, mali nihil ſuſpicarentur) loquebantur mutuò, & dicebat homo ad proximum ſuum: quid volumus facere? Victoria prè manibus eſt, & vltio de inimicis: & cœpere inſequi illos. Innotuit Epiſcopo quod fiebat, & accurrens cōuenit ducem eorum ſuper iniquitate & dolo, ſed ſpretus ab illo eſt. Inuocauit nomen Malachiæ aduerſus eum, & nihili pendit, irridenſque Epiſcopum: Putaſne, inquit, propter te amittere debeamus malefactores, noſtros quos Deus tradidit in manus noſtras? & recordatus verbi ſui Epiſcopus, quod habuerat cū Malachia, flens, & eiulans verſo vultu ad monaſterium eius: Vbi es, ait, homo Dei, vbi es? nonne hoc eſt pater mi, quod tibi dicebam? Heu, heu, veni vt facerem bonū, & non malum, & ecce per me omnes illi in corpore, iſti in anima pereunt. Multa in hunc modum loquebatur lamentans & plangens, & quaſi præſentem ſollicitans & compellens Malachiam aduerſus malignātes. Interim verò impij cum quibus fecerant pacem, inſequi nō deſiſtebant ad perdendum eos, & ecce ſpiritus mendax in ore quorundam virorum, qui eos deciperet. Et occurerunt illis in via viri nunciantes factā irruptionem in terras ipſorum ab aduerſarijs, in ore gladij conſumi omnia, & diripi bonā eorum, vxores quoque ac liberos tolli & abduci. His auditis reuerſi ſunt feſtinanter. Sequebantur vltimi primos, quò irēt, aut quid acciderit neſcientes, nec enim

Miraculum in prænaricatores pacis.

omnes audierant viros loquentes. Cumq; veniſſent & inuenifſent nihil horum, quæ nuntiata erant, confuſi ſunt, deprehenſi in malitia ſua. Et cognouerunt ſpiritui erroris ſe traditos propter nuntium Malachiæ, quẽ deceperũt, & nomen eius ſpreuerũt. Porrò Epiſcopus audiens fruſtratos proditores iniquitate ſua, quam cogitauerant, cum gaudio remeauit ad Malachiam, referens omnia per ordinem, quæ acciderant ſibi. Sciens Malachias eiuſmodi occaſione pacem eſſe turbatam, nactus opportunum tempus, pacem per ſemet inter ipſos de nouo reformare curauit, & firmare reformatam, datis, & receptis altrinſecus fide & iuramento. Verùm illi quibus antè pax fracta fuit iniuriæ memores, neglecto pacto, & præcepto Malachiæ, tractauerunt de vice reddenda. Et congregati omnes in vnũ ibant, vt impactos præoccuparent, redderentque in caput eorum malum, quod ſibi ipſi facere cogitaſſent. Et magno flumine, quod intererat, facillimè tranſuadato, fluuiolo quem non procul ab illo offendere, retenti ſunt. Neque enim iam fluuiolus, ſed planè fluuius ingens apparuit vbique ſui tranſire volentibus tranſitum negans. Mirari omnes tantum nunc eſſe, tantillum ante hac fuiſſe ſcientes, & loqui inter ſe: Vndè inundatio hęc? Aër ſerenus eſt, imbres non ſunt, nec proximè fuiſſe meminimus. Et ſi multùm pluiſſet, quis veſtrûm vnquam hactenus meminit in quãtacunque illuuie ita intumuiſſe, vt operiret terram, ſata & prata perunderet? Digitus Dei eſt iſte, & Dominus ſepit vias noſtras propter ſanctum ſuum Malachiam, cuius ſumus præuaricati pactum, tranſgreſſi mandatum. Ita & hi infecto negotio ad ſua æque confuſi repedauerunt. Diuulgatum eſt verbum per vniuerſam regionem, & benedicebant Deum, qui comprehendit ſapientes in aſtutia ſua, & confringens cornua peccatorum, ſublimauit cornu Chriſti ſui.

Simile miraculum priori.

Aliquis de nobilibus infenſus Regi, reconciliatus eſt per manum Malachiæ: nec enim Regi ſatis fidebat ille, vt pacem cum eo faceret, niſi mediante Malachia, aut quẽ Rex æquè revereretur: nec immeritò, vt poſt apparuit. Nam factum ſecurum, & minime iam cauentem ſibi, captum truſit in vincula odio antiquo captus plus ipſe. Requiritur homo à ſuis de manu mediatoris: (nec enim aliud amici expectare, quã mortem.) Quid faceret Malachias? Nõ eſt quod poſſit, niſi vt recurrat ad ſuum illud ſolitum vnicumq; refugium. Congregato exercitu forti nimis, turba magna diſcipulorum ſuorum adit hominem, requirit vinctum, negatur. Et Malachias: Iniquè, inquit, agis contra Dominum, & contra me, & contra teipſum, pactum præuaricans. Si diſſimulas tu, ſed non ego. Credidit ſe homo fidei meæ, ſi contingat mori, ego prodidi eũ, ego reus ſanguinis eius. Quid tibi viſum eſt, me proditorem, te præuaricatorem conſtituere? Noueris me donec liberetur nihil guſtatorum, ſed neque iſtos. Sic locutus intrat Eccleſiam, Deum omnipotentem ſuis, ſuorumq; anxiis gemitibus interpellat, vt iniuſtè addictum dignetur eripere de manu præuaricatoris & iniqui. Et ea die cum nocte ſequenti in ieiunio & oratione perſtiterunt: perlatum ad Regem quid fieret, & magis inde induratũ eſt cor eius, vndè emolliri debuerat. Init fugam, veritus homo carnalis, ne ſi propè remaneret, orationis non poſſet ſuſtinere virtutem. Quaſi verò vel abſconditum non inueniat, vel non perueniat ad remotum. Tu metas pouis miſer orationibus Sanctorum? nun eſt oratio iacta ſagitta, vt fugias à facie arcus? Quò ibis à Spiritu Dei, qui eam portat? & quò à facie eius fugies? Denique fugientẽ inſequitur, inuenit latitantem. Eiſque cæcus & non videns, vt melius videas & intelligas, quoniam durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Denique ſenti vel nunc, quia ſagittę potentis acutæ peruenerunt ad te: quæ etſi reſilierunt à corde, quia ſaxeum eſt, ſed non ab oculis. Vtinam per feneſtras ſaltem oculorum perueniant vſque ad cor, & vexatio det intellectum cæcitati. Cernere erat Saulum denuò ad manus trahi, & duci ad Ananiam, ad ouem ſcilicet lupum, vt refunderet prædam. Refudit, & recepit viſum, quod Malachias vſque adeo ouis eſſet, vt ſit miſertus & lupo. Diligenter ex his aduerte lector cum quibus habitatio Malachiæ, quales Principes, & quales populi. quomodo non & is frater fuit draconum, & ſocius ſtruthionum? Et ideo dedit ei Dominus virtutem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, alligare reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Deinde audi quid ſequatur.

IX. IS cui *Benchorenſis* monaſterij ceſſerant poſſeſſiones, ingratus beneficio, ex tunc & deinceps inſolẽtiſſimè ſemper ſe habuit aduerſus eum, & ſuos; in omnibus infeſtus ei, vbique inſidians dettahenſque actibus eius. At non impunè hoc. Erat ei vnicus filius qui imitator patris audens aliquid & ipſe in Malachiã, eodem anno mortuus eſt. Mortuus autem ſic: viſum eſt Malachiæ debere conſtrui in *Benchor*, oratorium lapideum, inſtat illorum qui in alijs regionibus extructa conſpexerat. Et cum cœpiſſet iacere fundamenta, indigenæ quidam mirati ſunt, quod in terra illa necdum eiuſmodi ædificia inuenirẽtur. Verùm ille nequam: ſicut erat præſumptuoſus & inſolens, non modò miratus eſt, ſed & indignatus. Ex qua indignatione concepit dolorẽ, & peperit iniquitatem. Et factum ſuſurro in populis, nunc ſecreto detrahere, nunc blaſphemare palam, notare leuitatem, nouitatẽ horrere, ſumptus exaggerare. Iſtiuſmodi venenatis ſermonibus ſollicitans & inducens multos ad prohibendum. Sequimini me, inquit, & quod non niſi per nos fieri debet contra nos fieri non ſinamus. Itaque cum pluribus, quibus ſuadere valuit, deſcendit ad locum, repertum conuenit hominem Dei, primus ipſe dux verbi, qui erat principium mali. O bone vir, quid tibi viſum eſt noſtris hanc inducere regionibus nouitatẽ? *Scoti ſumus, nõ Galli. Quænam leuitas hæc? quid opus erat opere tam ſuperfluo, tam ſuperbo? vnde tibi pauperi & inopi ſumptus ad perficiendum? quis perfectum videbit? quid iſtud præſumptionis, inchoare quod non queas, non dico perficere, ſed nec videre perfectum? quanquam amentis magis eſt quã prudentis conari quod modum excedit, vincit vires, ſuperat facultates; Ceſſa, ceſſa, deſine à veſania hac: alioqui nos nõ ſinim⁹, non ſuſtinemus. Hoc dixit prodens quid vellet, non quid poſſet conſiderans. Nam de quibus præſumebat, & ſecum adduxerat, viſo viro mutati ſũt, & iam non ibant cum eo. Ad quem vir ſanctus tota libertate vtens: Miſer, inquit, opus quod inchoatum vides, & inuides ſine dubio perficietur, perfectum videbunt multi. Tu verò quia non vis, non videbis, & quod non vis, morieris: attẽdito tibi ne in peccato tuo moriaris. Ita eſt, ille mortuus eſt, & opus completum eſt, ſed ille non vidit, qui vt præfati ſumus, anno eodem mortuus eſt. Interim pater, audito mox quid de filio vir ſanctus prædixiſſet ſciens verbum eius viuum & efficax eſſe: interfecit, inquit, filium meum. Et inſtigante diabolo tanto furore exarſit in illum, vt coram duce & maioribus *Vlidiæ*, falſitatis & mendacij arguere non vereretur hominem, qui veraciſſimus eſſet, veritatis & diſcipulus & amator, & contitium intulit, ſimiam appellans. Et Malachias quidem doctus non reddere maledictum pro maledicto, obmutuit & non aperuit os ſuum dum conſiſteret peccator aduerſus eum. Sed non Dominus oblitus ſermonis ſui quem dixerat: Mihi vindictã, & ego retribuam. Eadẽ die domum reuerſus homo, luit linguæ effrænis temeritatẽ ipſo vltore quo inſtigatore laxarat. Attreptum in ignem proiicit dæmon, ſed mox manibus aſſiſtentium extractus eſt, adustus tamen corporis parte, & mente captus. Et dum inſaniret, vocatus Malachias venit, reperitque maledicum ſpumantia ora torquentem, horrendis vocibus & motibus terrentem omnia, ac toto corpore agitatũ vix poſſe teneri à pluribus: & orans pro inimico vir totius perfectionis, exauditus eſt, ſed ex parte. Nam illicò quidem ſancto orante ille aperuit oculos, & ſenſum recepit. relictus eſt autem ei Spiritus Domini malus, qui eum colaphizet, vt diſcat non blaſphemare. Credimus eum viuere vſque adhuc, & vſque adhæc tempora luere peccatum grande, quod peccauit in ſanctum: certis temporibus tamen ferunt lunaticum eſſe. Porrò prædictæ poſſeſſiones, cum iam pro ſui imbecillitate & inutilitate eas tenere non valuit, in pace ad locum cuius extiterant, redierũt. Nec renuit Malachias poſt multam demum vexationem, pacis obtentu. Sed iam ad opus ædificij quod Malachias aggreſſus eſt, ſermo recurrat. Et quidem non erat Malachiæ, non dico vnde perficeret, ſed vnde faceret, quicquam. Erat autem cor eius fiduciam habens in Domino. Dominus verò prouidit, vt etſi non ſperanti in pecuniæ theſauris, pecunia non deeſſet. Quis enim alius fecit, vt theſaurus eo loci reponeretur, repoſitus nõ reperiretur vſq; ad tẽpus & opus Malachiæ? inuenit Dei famulus in Dei marſupio quod defuit ſuo. Meritò quidẽ. quid enim iuſtius, quam vt cui pro Deo non erat

Oratoria lapidea ante Malachiam non erant vel in Hibernia vel ſaltẽ in Vlidia.

** Hic apparet quod tẽpore S. Bernardi, Hiberni appellati fuerunt Scoti.*

Prophetia

filium maledicus moritur.

Pater in Sanctum iniurioſus à Dæmone arripitur.

proprium, cum Deo iniret conſortium & marſupium vnũ eſſet amborũ? Fideli denique homini totus mundus diuitiarũ eſt. Et quid eſt ille, niſi quoddã marſurpium Dei? Denique ait: Meus eſt orbis terræ, & plenitudò eius. Inde eſt quod Malachias repertos argenteos multos non repoſuit, ſed expoſuit. Nam totum munus Dei, in Dei opus iubet expendi. Non ſuas, non ſuorum conſiderat neceſſitates, ſed iactat cogitatum ſuum in Domino :ad quem vtique recurrendum non dubitat quoties neceſſitas poſtulârit. Nec dubiũ Dei opus eſſe, quod Deo reuelante Malachias præuidit. Contulerat primùm cum fratribus de opere illo, & multi præ inopia minus libenter aſſentiebant. Inde anxius dubiúſque quid ageret, cœpit inter orandum vehementer inquirere quænam foret voluntas Dei. Et die quadam de * vita regrediens, cum jam loco appropiaret, proſpexit eminus, & ecce oratorium apparuit magnum lapideum & pulchrum valdè. Et intuens diligenter ſitum, formam & compoſitionem, cum fiducia arripit opus, prius quidem indicata viſione ſenioribus fratribus, paucis tamen. Sanè totum quod attente annotauit de loco, & modo, & qualitate, tanta diligentia obſeruauit, vt peracto opere factum viſo ſimillimum appareret, ac ſi & ſibi cum Moyſes dictum audierit. Vide, vt omnia facias ſecundum exemplar, quod tibi oſtẽſum eſt in monte. Eodem viſionis genere id quoque quod in *Saballino* ſitum eſt antequam fieret, præoſtenſum eſt illi, non modò oratorium, ſed & monaſterium totum. Tranſeunte illo per quandam ciuitatem, & multitudine magna cõcurrente ad eum, caſu vidit iuuenem inter alios videndi ſe curioſum: Aſcenderat lapidem, & ſtans ſuper ſummos articulos, extento collo oculis & animo intendens in eum, quendam illi de nouo Zachæum exhibebat. Nec latuit Malachiam, ſancto quidem Spiritu reuelante, verè illum veniſſe in ſpiritu & virtute Zachæi. Diſſimulauit tunc tamen taciturſque pertranſijt. Cęterùm in hoſpitio nocte ipſa narrauit fratribus, quomodo illum vidiſſet, & quid præuidiſſet de illo. Die autem tertia: an ille cum viro quodam nobili Domino ſuo, qui aperiens votum, & deſiderium iuuenis, rogabat vt à ſe commendatum recipere dignaretur, & habere de cætero inter ſuos. Et Malachias agnoſcens eum. Non eſt opus, inquit, vt quem jam Deus commendauit, homo commendet. Apprehenſumque manu ſua credidit Abbati *Congano* noſtro, & ille fratribus. Ipſe verò iuuenis (adhuc ni fallor viuens) primus conuerſus laicus *Suricenſis* monaſterij teſtimonium habet ab omnibus quod ſanctè conuerſetur inter fratres ſecundum ordinem Ciſtercienſem. Et cognouerunt diſcipuli etiam in hoc Malachiam Prophetiæ ſpiritum habuiſſe. Non ſolum autem, ſed & in eo quod ſubjecturi ſumus. Cum Sacramenta offerret, & appropiaſſet ei Diaconus facturus aliquid pro officio ſuo, intuitus eum Sacerdos ingemuit, quod ſenſiſſet penes illum latere quod non conueniret. Peracto ſacrificio, ſecretò percunctatus de conſcientia ſua, confeſſus eſt & non negauit illuſum ſibi per ſomnium nocte ipſa. Cui iniungens pœnitentiam: Non debueras (inquit) hodie miniſtraſſe: ſed verecundè te ſubtrahere ſacris, & deſeruire tantis tamque diuinis myſteriis, vt hac humilitate purgatus, dignius exinde miniſtrares. Item alia vice ſacrificante illo, & orante horá ſacrificij, ea quidem ſanctitate & puritate cordis qua ſolitus erat, aſtante Diacono, viſa eſt columba intrare per feneſtram in claritate magna. Ea ſacerdos perfunditur totus, ea ſubobſcurior baſilica tota refulget. Columba verò aliquandiu circumuolitans, tandem reſidet ſuper crucem ante faciem ſacerdotis. Obſtupuit Diaconus, & pauens tum pro luminis, tum pro volucris nouitate, quod illa ſit rara auis in terra, cecidit ſuper faciem ſuam, & vix palpitans ſeſe erigere auſus eſt, vel quãdo officij ſui neceſſitas poſtulauit. Poſt miſſam ſeorſum conuentus à Malachia, ſub periculo vitæ iubetur nullatenus ſecretum prodere quod vidiſſet quoad viueret ipſe. Aliquando cum in *Ardinacha* eſſet cum quodam Coepiſcopo ſuo, de nocte ſurgens cœpit memorias Sanctorum, quæ in cœmiterio ſancti Patricij multæ ſunt, orando luſtrare: & ecce vnum de altaribus ſubito ardere conſpiciunt. Ambo enim viderunt viſionem hanc magnam & ambo mirati ſunt. Et Malachias intelligens ſignum eſſe magni meriti illius, vel illorũ, quorum ſub altari illo corpora requieſcerent, currẽs & ſe medijs immergens flãmis, expãſis brachijs ſacrã amplexatus eſt aram. Quid ibi fecerit, quidve ſenſerit, nemo

qui

ſ. via.*

Viſio facta Sãcto circa conſtructionẽ Oratorij Benchorẽſis.

Item circa Monaſteriũ Saballinum

Cognoſcit ſecreta.

Columba circũuolitas cum hora ſacrificij.

**Ardmacha.*

qui ſciat, ſed quod amplius ſolito cœleſti igne ſuccenſus ex illo igne exierit, fratrum, qui cum eo tunc erant reor neminem eſſe qui neſciat.

X. HÆc dicta ſunt pauca quidem de pluribus, ſed multa pro tempore. Non enim ſignorum tempora hæc ſecundum illud: Signa non vidimus: iam non eſt propheta. Vnde ſatis apparet Malachias meus, quantus in meritis fuit, qui tam multus in ſignis extitit, & in charitate tanta: quo enim antiquorum geuere miraculorum Malachias non claruit? *Multiplicitas gratiarum, & miraculorum varietas.* Si benè aduertimus, pauca ipſa, quæ dicta ſunt, non prophetia defuit illi, non reuelatio, non vltio impiorum, non gratia ſanitatum, non mutatio mentium, non denique mortuorum ſuſcitatio. Per omnia benedictus Deus, qui ſic amauit, & ornauit eum, qui & magnificauit eum in conſpectu Regum, & dedit illi coronam gloriæ. Amor probatur in meritis, ornatus in ſignis, magnificatio in vltione inimicorum, glorificatio in præmiorum retributione. Habes, diligens lector, in Malachia quid mereris, habes & quid imiteris: nunc iam quid tibi ex his ſperandum ſit, ſtudioſus attende. Nam finis horum pretioſa mors eſt.

XI. PErcunctatus aliquando quonam in loco, ſi optio detur, extremum malit agere diem: (de hoc ſiquidem fratres quærebant inter ſe, quem ſibi quiſque diligeret;) cunctatur, & non reſpondet. Inſtantibus illis: ſi hinc migro, inquit, nuſquam *Dictum memorabile.* libentius, quàm vnde vnà cum noſtro Apoſtolo reſurgere poſſim. Dicebat autem ſanctũ Patricium; Si peregrinari oportet, & ita permittit Deus, Claramuallem delegi. Requiſitus item de tempore, diem reſpondit ſolemnem omnium defunctorum. *Locum & tempus ſua mortis optatũ obtinet.* Si ſimplex votum putatur, impletum eſt: ſi Prophetia, ne iota præteritur. Sicut audiuimus, ſic vidimus de loco pariter & de die. Dicamus breuiter quo ordine iſtud, quave occaſione prouenerit. Ægrè ſatis ferebat, Hiberniam vſque adhuc pallio caruiſſe, vtpote æmulator Sacramentorum, quorum ne vno quolibet gentem ſuam vellet omnino fraudari. Et recordatus ſibi à Papa Innocentio fuiſſe promiſſum, inde *Cauſa profectionis Sancti ex Hibernia.* magis triſtari, quòd dum adhuc ille ſuperfuit, non fuit miſſum pro eo. Et nactus occaſionem quod Papa Eugenius ſummam regiminis teneret, & eo temporis vſque in Franciam appropiaſſe nuntiaretur, opportunitatem requirendi ſe inueniſſe gauiſus eſt. Præſumebat autem de illo, vtique viro tali, & de tali aſſumpto profeſſione. Magis verò quod ſuæ Claræuallis ſpecialis filius extitiſſet, nec timeret apud illum ſe vllam ſuſtinere difficultatem. Itaque conuocatur Epiſcopi, concilium cogitatur, tractata triduo quæ tempori imminerent, die quarto aperitur conſilium de pallio requirendo. Placet, ſed ſi per alium requiratur. Tamen quia breuior via, & ob hoc tolerabilior peregrinatio videretur, non fuit, qui eius obuiare præſumeret conſilio & voluntati. Et Malachias ſoluto conſilio arripit iter. Proſequuntur eum, qui conuenerant fratres vſque ad littus, non multi tamen, ipſo nimirum prohibente. Ad quem vnus illorum, *Catholicus* nomine, flebili voce & fletu: Heu tu abis, inquit, & in quanta penè quotidiana vexatione me deſeris non ignoras, nec fers opem miſertus mei. Si ego dignus, qui patior, fratres quid peccauerunt, qui vix diem noctemve vllam à tam laborioſa cura & cuſtodia mei feriatam habere ſinuntur? His verbis & lacrymis filij (flebat enim) paterna viſcera concuſſa ſunt, & amplexatus eſt eum blandiendo, impreſſoque pectori eius ſigno crucis. Certus eſto, inquit, te eiuſmodi nil paſſurum donec redeam. Erat autem epilepticus, & cadebat frequenter, ita vt interdum non ſemel, ſed ſæpius pateretur in die. *Epilepticũ curat.* Hoc iam per ſex annos morbo horrido laborabat, ſed ad verbum Malachiæ perfectè conualuit. Ab illa hora nil tale perpeſſus eſt, nil tale vt confidimus deinceps perpeſſurus, quia Malachias deinceps rediturus non eſt. In ipſo aſcenſu nauis accedunt duo ex ijs, qui illi familiariùs adhærebant, audientes & petentes aliquid ab eo. Quibus ille: Quid vultis? Non dicemus, inquiunt, niſi ſpondeas te daturum. Spondet. & illi: volumus nobis certò promitti à tua dignatione, te in Hiberniam incolumem reuerſurum. Inſtare & cæteri omnes. Tum ille parumper deliberans, pœnitere primò quod ſe alligâſſet, qua exiret non inueniens. Anguſtiæ vndique dum nil occurreret ab alterutro tutũ periculo, voti videlicet, an promiſſi. Viſum eſt tandem id potius eligendum, quod impræſentiarum plus* vigeret, reliquum ſupernæ committendum diſpoſitioni. Annuit triſtis *f. * vrgeret.*

quidem, ſed magis illos noluit contriſtari; & reſpondens eis, vt volunt, aſcendit nauem. Et cum jam ferè medium iter æquoreum peregiſſent, ſubitò contrarius ventus nauem repellit, & reducit in terram Hiberniæ. Deſcendens de naui in ipſo portu, in quadam ſua Eccleſia pernoctauit. Et lætus gratias egit diuinæ conſilio prouidentiæ, quo factum eſt, vt jam fecerit ſatis pro ſua promiſſione. Manè verò intrans nauem, ipſa die proſpero curſu transfretauit, & venit in Scotiam. Die tertia peruenit ad locum, qui viride ſtagnum dicitur, quem fecerat præparari, vt ibi ſtatueret Abbatiam. Et relicto illic de filiis ſuis fratribus noſtris, monachorum conuentu, & Abbate, nam ſecum ad hoc ipſum eos adduxerat, valedicens eis profectus eſt. Et cum tranſiret, occurrit ei Rex Dauid, à quo receptus cum gaudio, & retentus per aliquot dies, multaque operatus placita Deo, inchoatum repetit iter. Et pertranſiens Scotiam, in ipſo introitu Angliæ, diuertit ad Eccleſiã *Giſburnenſem*, vbi habitãt viri religioſi canonicam degentes vitam ab antiquo familiares ei pro ſua religioſitate & honeſtate. Ibi adducta eſt ad eum mulier patiens morbum, quem cancrum vulgò appellant, ipſo horrendum viſu: & ſanauit eam.

Mulierẽ à Cancro ſanat.

Nam vbi aqua, cui benedixit, aſperſa ſunt vlcerum loca, dolorem non ſenſit. Die verò ſequenti vix vlcera apparebant. Abiens indè ad mare venit, ſed negatur tranſitus. Cauſa, ni fallor, fuit orta ſimultas quædam inter ſummum pontificem & Regem Angliæ, quòd Rex neſcio quid mali ſuſpicaretur de bono illo homine, ſi tranſiret. Nam neque alios Epiſcopos tranſire ſinebat. Quod quidem impedimentum fuit contrarium Malachiæ voluntati, ſed non voto. Dolebat differri à deſiderio ſuo, neſciens magis per hoc impletum iri. Nam ſi in continenti tranſiſſet, oportebat tranſire etiam Claramuallem, vt ſummum pontificem ſequeretur. Iam enim abierat, & erat Romæ, aut propè Romam. Nunc verò intercedente dilatione factum eſt, vt tardius tranſfretans, ad locum & horam ſanctiſſimi ſui obitus opportunè occurreret.

XI. QVi à nobis ſuſceptus eſt tanquam verus ab occidente veniens viſitauit nos oriens ex alto. O quantùm noſtrę Claræualli irradians ſol ille, claritatis adauxit, quàm iucundus ad eius introitum dies feſtus illuxit nobis. Hæc dies, quam fecit Dominus, & exultatum, & lætatum in ea! Quam celer & ſaliens, tremulus ac debilis mox ipſe occurri! Quàm lætus in oſcula rui, quàm lætis brachiis miſſam cœlitùs mihi amplexatus ſum gratiam! Quàm alacri vultu & animo, mi pater, introduxi te in domũ matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ! Quàm feſtiuos deinde tecum duxi dies, ſed paucos! Quid verò ille viciſſim nobis? Nempe hilarem, nempe affabilem peregrinus noſter omnibus ſe præbebat, omnibus incredibiliter gratum. Quàm bonum & quàm iucundum agebat hoſpitem apud eos, quos nimirum videre venerat à finibus terræ, non auditurus Salomonem, ſed exhibiturus. Denique audiuimus ſapientiam eius, tenuimus præſentiam eius, & tenemus. Iam quatuor aut quinque dies huius noſtræ ſolemnitatis defluxerant, cùm ecce die ſolemni beati Lucæ Euangeliſtæ, miſſa in conuentu, ſua illa ſancta deuotione celebrata, febre correptus lecto decubuit, & nos cum illo omnes. Extrema gaudij noſtri mœror occupat, moderatior tamen, quòd leuior interim febris eſſe videretur. Videres diſcurrere fratres, dandi auidos vel accipiendi. Cui non dulce videre illum? cui non dulcius miniſtrare illi? Vtrunque ſuaue, vtrumque ſalutare. Et humanitatis erat præbere obſequium, & profectus cuique ſui, cùm gratiam reportaret. Aſſiſtere omnes, omnes ſolliciti erant circa frequẽs miniſteriũ, medicamẽta perquirere, adhibere fomenta, vrgere ſæpius ad guſtandum. Ad quos ille. Sine cauſa, inquit, hæc, ſed charitate veſtri facio quicquid iniungitis. Sciebat enim imminere tempus ſuæ migrationis.

Mortem ſuam prædicit.

Cumque fratres, qui cum eo venerant, fidentiùs inſtarent, dicentes, non oportere diffidere de vita, nec enim ſigna mortis in eo aliqua apparerent: Oportet, inquit, hoc anno Malachiam exire de corpore. Et infert: Ecce appropinquat dies, quem (vt optimè noſtis) optaui ſemper ipſum fore diem reſolutionis meæ. Scio cui credidi, & certus ſum: non fraudabor reliquo deſiderii mei, qui partem iam teneo. Qui me ſua miſericordia perduxit ad locum, quem petij terminum, quem æquè volui, non negabit. Quod ad hoc corpuſculum attinet, hîc requies mea: quod ad animam, Dominus prouidebit, qui ſaluos facit ſperantes in ſe. Nec parum ſpei repoſitum mihi in die illa, qua mor-

tuis tanta à viuis beneficia impenduntur. Nec lõgè aberat dies ipſa, cum talia loqueretur. Intereà iubet ſe ſacro oleo vngi. Exeũte è conuentu fratrum, vt ſolemniter fieret, non ſuſtinuit, vt ad ſe aſcenderent: ipſe deſcendit ad eos. Iacebat ſiquidem in ſolario, domo ſuperiori. Vngitur, & ſumpto viatico, fratrum ſe orationibus, & fratres commendans Deo, ad lectum reuertitur. Alto de ſolio deſcendebat pedibus ſuis: & rurſum nihilominus ſuis pedibus aſcendebat, & dicebat mortem eſſe in ianuis. Quis hunc hominem crederet moriturum? Solum ipſe & Deus id ſcire poterant. Non vultus pallidior, non macilentior videbatur, non rugata frons, non reconditi oculi, non nares extenuatæ, non contracta labia, non aduſti dentes, non collum exeſum & gracile, non curui humeri, non caro exinanita in corpore reliquo. Hæc erat gratia corporis eius, & hæc gloria vultus eius, quæ non euacuatur, ne in morte quidem. Talis quoad vixit, talis & mortuus apparebat, viuenti ſimilior.

S. Malachias moriturus ſigna mortis nõ habuit.

XII. CVcurrimus vſque huc, ſed modò hæremus, quia Malachias curſum conſummauit. Stat ille, & nos pariter ſtamus cum eo. Alioquin quis libenter curtit ad mortem? Præſertim tuam, pater ſancte, quis referre poſſit? quis velit audire. Attamen dileximus nos in vita, in morte non ſeparabimur. Fratres non relinquamus in morte, quem in vita proſecuti ſumus. Ab vlteriori* Scotia vſq; cucurrit ille ad mortem: eamus & nos, & moriamur cum eo. Oportet dicere, quam cernere neceſſe fuit. Adeſt omnium Sanctorum clara vbique celebritas: ſed iuxta veterem ſententiam, Muſica in luctu importuna narratio eſt. Adſumus, canimus vel inuiti. Flendo cantamus, cantando flemus. Malachias etſi non cantat, non plorat tamen. Quid enim ploret, qui appropinquat ad gaudium? Nobis qui relinquimur, relinquitur luctus, ſolus Malachias feſtum facit. Quod enim non poteſt corpore, facit mente, ſicut ſcriptum eſt: Cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi. Deficiente illi corporis inſtrumento, ſilente organo oris, officio vocis ceſſante, reliquum eſt vt mentis iubilo ſolemnizet.

** Per Scotiam intelligit Hiberniam: vnde patet Hiberniam vocari Scotiam ſæculo duodecimo.*

Quidni ſolemnizet. Sanctis, qui Sanctorum ducitur ad ſolemnitatem? Exhibet illis quod mox ſibi debetur. Adhuc modicum, & ipſe vnus ex ipſis eſt. Sub noctis crepuſculo, cum iam vtcũmque diei à nobis expleta celebritas foret, Malachias appropinquauerat nõ crepuſculo, ſed auroræ. An non illi aurora, cui nox præceſſit, dies autem appropinquauit? Itaque febre inualeſcente, cœpit ex intimis ardens per omne corpus erumpere ſudor, vt quodammodo tranſiens per ignem & aquam educeretur in refrigerium. Iam deſperatur de vita eius, iam quiſque ſuum iudicium reprehendit, iam nulli dubium Malachiæ ſententiam præualere. Vocamur, adſumus, & ille oculos leuans in circumſtantes. Deſiderio deſideraui, inquit, hoc Paſcha manducare apud vos: gratias ago ſupernæ pietati, nõ ſum fraudatus à deſiderio meo. Vide hominem ſecurum in morte, & necdum mortuum, iam certum de vita. Nec mirum. Videns adeſſe noctem, quam expectauerat, & in ipſa dieſcere ſibi, quaſi de nocte triumphans, videtur inſultare tenebris, & quodammodo loqui: Iam non dicam, forſitan tenebræ conculcabunt me: quia hæc nox illuminatio mea in deliciis meis. Et blandè nos conſolans, Habete, inquit, curam mei; ego veſtri, ſi licuerit, non obliuiſcar. Licebit autem. Credidi in Deum, & omnia poſſibilia credenti. Amaui Deum: amaui vos, & charitas nunquam excidit. Et ſuſpiciens in cœlum, Deus, inquit, ſerua eos in nomine tuo. Non ſolum autem eos, ſed & omnes, qui per verbum ac miniſterium meum tuo ſe mãcipauere ſeruitio. Deindè imponens manus ſingulis, & benedicens omnibus pauſatim ire iubet, quia nondum venerat hora eius. Imus, redimus circa medium noctis: nam ea hora lux [illegible] in tenebris nuntiatur: Impletur domus, adeſt congregatio tota. Abbates quoque multi, qui conuenerant Pſalmis & Hymnis, & canticis ſpiritualib9 proſequimur amicum repatriantem. Anno ætatis ſuæ quinquageſimo quarto, loco & tempore quo prælegit & prædixit. Malachias Epiſcopus, & legatus Sanctæ Apoſtolicæ ſedis, velut è manibus noſtris aſſumptus, ab Angelis fœliciter obdormiuit in Domino. Et verè obdormiuit. Vultus placidus, placidi exitus indicium fuit, & quidem omnium oculi fixi in eum, nemo tamen qui eum, quãdo exiuit aduertere potuiſſet. Mortuus viuo-

Hora mortis.

Ætas S. Malach.

re, & viuens mortuus putabatur: adeo nil intercidit quod alterutrum diſterminaret. Eadem viuacitas vultus, ſerenitas eadem, qualis apparere ſolet in dormiente. Diceres mortem nil horum tuliſſe, magis auxiſſe plurimùm. Non eſt mutatus, ſed ipſe mutauit omnes. Mirum in modum luctus & gemitus omnium ſubitò conquieſcit, mutatur in gaudium mœror, planctum cantus excludit. Effertur, feruntur in cœlum voces, infertur oratorio Abbatum humeris, Vicit fides, triumphat affectus, res in ſuum deuenit ſtatum, cuncta geruntur ex ordine, cuncta ex ratione procedunt.

ET reuera quid rationis habet immoderatius plangere Malachiam, quaſi non ſit, pretioſa mors eius, quaſi non ſit magis ſomnus quàm mors, quaſi non ſit mortis portus & porta vitæ? Malachias amicus noſter dormit, & ego lugeam? Luctus iſte vſu ſe, non ratione tuetur. Si Dominus dedit dilecto ſuo ſomnum, & talem ſomnum, in quo hæreditas Domini, filij merces fructus ventris, quid horum videtur fletum indicere? Ego-ne fleam illũ, qui fletum eua ſit? Ille tripudiat, ille triumphat, ille introductus eſt in gaudium Domini ſui, & ego eum plangam? Cupio mihi hæc, non illi inuideo.

Interim parantur exequiæ, offertur pro eo ſacrificium conſummantur ex more omnia cum ſumma deuotione. Stabat eminùs puer, cui emortuum pendebat à latere brachium, magis illi impedimento, quàm vſui. Quo comperto, innui vt accederet. Et apprehenſam aridam manum applicuit ad manum Epiſcopi, & viuificauit eam. Nempe viuebat in mortuo gratia ſanitatum, & manus eius fuit mortuæ manui quod mortuo homini Heliſæus. Puer ille de longè venerat, & manum, quam pendentem attulerat, ſanam in patriam reportauit. Iam omnibus ritè peractis, in ipſo oratorio ſanctæ Dei genitricis Mariæ: in quo ſibi benè complacuit. Malachias traditur ſepulturæ, anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo quadrageſimo octauo, quarto nonas Nouembris. Tuum eſt Ieſu bone, depoſitum, quod nobis creditum eſt, tuus theſaurus reconditur penes nos. Seruamus illum reſignandum in tempore quo repoſcendum cenſueris, tantùm vt abſque contubernalibus ſuis non egrediatur: ſed quem habuimus hoſpitem, habeamus ducem tecum, & cum ipſo pariter regnaturi in ſæcula ſæculorũ, Amen.

Tactu corporis manus arida viuificatur.

Sepelitur in oratorio B. Mariæ anno 1148. 2. Nouemb.

Hanc S. Malachiæ vitam ex ipſius D. Bernardi operibus deſumpſimus, nihilque in ea immutauimus, nihil ei addidimus, pauca tamen initio primi capitis non ſine cauſa omiſimus; numeros capitũ in margine ad ſingula capita appoſuimus; ac notas marginales aliquibus in locis adiecimus.

PROPHETIA S. MALACHIÆ ARCHIEPISCOPI ARMACHANI, TOTIVSQVE HIBERNIÆ Primatis, ac Sedis Apoſtolicæ Legati,

DE SVMMIS PONTIFICIBVS.

Ex Arnoldo Wion lib. 2. Ligni vitæ Cap. 40. pag. 307.

EX caſtro Tyberis.	CÆLESTINVS II.	*Typhernas.*
Inimicus expulſus.	LVCIVS II	*de familia Caccianemica.*
Ex magnitudine montis.	EVGENIVS III	*patria Ethruſcus oppido Montis Magni.*
Abbas Suburranus.	ANASTASIVS IV	*de familia Suburra,*
De rure albo.	ADRIANVS IV	*vilis natus in oppido S. Albani.*
Ex tetro carcere.	VICTOR IV	*fuit Cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano.*
Via tranſ-Tiberina.	CALLISTVS III	*Guido Cremenſis Card. S. Mariæ trans-Tiberim.*
De Pannonia Thuſciæ.	PASCHALIS III	*Antipapa Hungarus natione, Epiſc. Card. Tuſculanus.*
Ex anſere cuſtode.	ALEXANDER III	*de familia Paparona.*
Lux in oſtio.	LVCIVS III	*Lucenſis Cardinalis Oſtienſis.*
Sus in cribro.	VRBANVS III	*Mediolanenſis familia Cribella quæ ſuem pro armis gerit.*
Enſis Laurentij.	GREGORIVS VIII	*Card. S. Laurentij in Lucina, cuius inſignia enſes falcati.*

De

De ſchola exiet.	CLEMENS III	*Romanus domo Scholari.*
De rure Bouenſi.	CÆLESTINVS III	*familia Bouenſi.*
Comes Signatus.	INNOCENTIVS III.	*familia Comitum Signiæ.*
Canonicus de latere.	HONORIVS III	*familia Sabella Canonicus S. Ioannis Lateranenſis.*
Auis Oſtienſis.	GREGORIVS IX.	*familia Comitum Signiæ Epiſcopus Card. Oſtienſis.*
Leo Sabinus.	CÆLESTINVS IV	*Mediolanenſis cuius inſignia Leo, Epiſcopus Card. Sabin⁹*
Comes Laurentius	INNOCENTIVS IV	*domo Fliſca, Comes Lauaniæ Card. S. Laurentij in Lucina.*
Signum Oſtienſe	ALEXANDER IV	*de Comitibus Signiæ, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis.*
Hieruſalem Campaniæ.	VRBANVS IV	*Gallus Trecenſis in Campania Patriarcha Hieruſalem.*
Draco depreſſus.	CLEMENS IV	*Cuius inſignia Aquila unguibus Draconem tenens*
Anguinus vir.	GREGORIVS X	*Mediol. familia Vicecomitũ quæ anguem pro inſigni gerit.*
Concionator Gallus.	INNOCENTIVS V	*Gallus ordinis Prædicatorum.*
Bonus Comes.	ADRIANVS V	*Ottobonus familia Fliſca ex Comitibus Lauaniæ.*
Piſcator Thuſcus.	IOANNES XXI	*antea Ioannes Petrus Epiſcopus Card. Tuſculanus.*
Roſa compoſita.	NICOLAVS III	*familia Vrſina, quæ roſam in inſigni gerit, dictus cõpoſitus*
Ex teloneo liliacei Marti-	MARTINVS IV	*cui⁹ inſignia lilia Canonic⁹. & Theſaur. S. Martini Turon.*
Ex roſa leonina. [ni.	HONORIVS IV	*familia Sabella cuius inſignia roſa à leonibus geſtata.*
Picus inter eſcas.	NICOLAVS IV	*Picenus patria Eſculanus.*
Ex eremo Celſus.	CÆLESTINVS V	*Vocatus Petrus de Morrone Eremita.*
Ex vndarũ benedictione.	BONIFACIVS VIII	*vocatus prius Benedictus Caetanus cuius inſignia vnda.*
Concionator Patereus	BENEDICTVS XI	*qui vocabatur frater Nicolaus ordinis Prædicatorum.*
De feſſis Aquitanicis.	CLEMENS V	*natione Aquitanus cuius inſignia feſſa erant.*
De ſutore oſſeo.	IOANNES XXII	*Gallus familia Oſſa Sutoris filius.*
Coruus ſchiſmaticus.	NICOLAVS V	*qui vocabatur fr. Petr⁹ de Corbaria cõtra Ioan. 22. An-*
Frigidus Abbas.	BENEDICTVS XII	*Abbas Monaſterij Fontis-frigidi. [tipapa Minorita.*
De roſa Attrebatenſi.	CLEMENS VI	*Epiſcopus Attrebatenſis cuius inſignia roſa.*
De montibus Panmachij	INNOCENTIVS VI	*Card. SS. Ioan. & Pauli, tit. Pãmachij cuius inſignia ſex*
Gallus Vicecomes.	VRBANVS V	*Nunc. Apoſtol. ad Vicecom. Mediol. [mõtes erãt.*
Nouus de virgine forti.	GREGORIVS XI	*qui vocabatur Petrus Belfortis Card. S. Mariæ nouæ.*
De cruce Apoſtolica.	CLEMENS VII	*qui fuit Presb. Card SS. 12. Apoſt. cuius inſignia crux.*
Luna Coſmedina.	BENEDICTVS XIII	*antea Petr⁹ de Luna Diac. Card. S. Mariæ in Coſmedin.*
Schiſma Barchinonium.	CLEMENS VIII	*Antipapa qui fuit Canonicus Barchinonenſis.*
De inferno prægnanti.	VRBANVS VI	*Neopolitanus Pregnanus natus in loco qui dicitur infern⁹*
Cubus de mixtione.	BONIFACIVS IX	*familia Tomacella à Genua Liguria orta, cuius inſig. cubi.*
De meliore ſydere.	INNOCENTIVS VII	*vocatus Coſmatus de Melioratis Sulmonenſis cuius inſig.*
Nauta de ponte nigro.	GREGORIVS XII	*Venetus Cõmendatarius Eccleſię Nigropontis. [ſydus.*
Flagellum Solis.	ALEXANDER V	*Græcus Archiepiſcopus Mediolanenſis, inſignia Sol.*
Ceruus Sirenæ.	IOANNES XXIII	*Diac. Card. S. Euſt. qui cũ ceruo depingitur Bono. Leg. Nea.*
Corona veli aurei.	MARTINVS V	*familia Colonna Diaconus Card. S. Georgij ad velũ aureũ.*
Lupa Cæleſtina.	EVGENIVS IV	*Canonicus antea Regularis Cæleſtinus & Epiſc. Senenſis.*
Amator crucis.	FÆLIX V	*qui vocabatur Amadæus Dux Sabaudiæ, inſignia crux.*
De modicitate lunæ.	NICOLAVS V	*Lunenſis de Sarzana humilibus parentibus natus.*
Bos paſcens.	CALLISTVS III	*Hiſpanus cuius inſignia bos paſcens.*
De Capra & Albergo.	PIVS II	*Senenſis qui fuit à ſecretis Card. Capranico & Albergato.*
De ceruo & Leone.	PAVLVS II	*Venetus qui fuit cõmend. Eccleſiæ Ceruiẽſis & Card. tituli*
Piſcator Minorita.	SIXTVS IV	*piſcatoris filius, Franciſcanus. [S. Marci.*
Præcurſor Siciliæ.	INNOCENTIVS VIII	*qui vocabatur Ioan. Bapt. & vixit in Curia Alf. reg. Sicil.*
Bos Albanus in portu.	ALEXANDER VI	*Epiſcopus Card. Albanus & Portuẽſis cuius inſignia bos.*
De paruo homine.	PIVS III	*Senenſis familia Piccolominea.*
Fructus Iouis iuuabit.	IVLIVS II	*Ligur, eius inſignia Quercus, Iouis arbor.*
De craticula Policiana.	LEO X	*filius Laurentij Medicei & ſcholaris Angeli Politiani.*
Leo Florentius.	ADRIANVS VI	*Florentij filius, eius inſignia Leo.*
Flos Pilei ægri.	CLEMENS VII	*Florentinus de domo Medicea, eius inſignia pila & lilia.*
Hiacinthus Medicorum.	PAVLVS III	*Farneſius qui lilia pro inſignib⁹ geſtat Card. fuit SS. Coſm. & Damiani*

De Corona Montana.	IVLIVS III	*antea vocatus Ioannes Maria de monte.*
Frumentum Floccidum.	MARCELLVS II	*cuius inſignia ceruus & frumẽtũ, ideo floccidũ quod pauco*
De fide Petri.	PAVLVS IIII	*ante vocat⁹ Ioan. Petr⁹ Caraffa.* [*tẽpore vixit in Pap.*
Eſculapij pharmacum.	PIVS IV	*antea dictus Ioannes Angelus Medices.*
Angelus nemoroſus.	PIVS V	*Michael vocatus, natus in oppido Boſchi.*
Medium corpus pilarum.	GREGORIVS XIII	*cuius inſignia medius Draco Card. creat⁹ à Pio 4. qui pila*
Axis in medietate ſigni.	SIXTVS V	*qui axẽ in medio leonis in arm. geſtat* [*in armis geſtabat.*
De rore cœli.	VRBANVS VII	*qui fuit Archiepiſcopus Roſſanenſis in Calabria vbi mã-*
Ex antiquitate vrbis	GREGORIVS XIIII	[*na colligitur.*
Pia ciuitas in bello.	INNOCENTIVS IX	
Crux Romulea.	CLEMENS VIII	
Vndoſus vir.	LEO XI	
Gens peruerſa.	PAVLVS V	
In tribulatione pacis.	GREGORIVS XV	

Lilium & roſa.
Iucunditas crucis.
Montium cuſtos.
Sydus Olorum.
De flumine magno.
Bellua inſatiabilis.
Pænitentia glorioſa.
Raſtrum in porta.
Flores circundati.
De bona religione.
Miles in bello.
Columna excelſa.
Animal rurale.
Roſa Vmbriæ.
Vrſus velox.
Peregrinus Apoſtolicus.
Aquila rapax.
Canis & coluber.
Vir religioſus.
De balneis Ethruriæ.
Crux de cruce.
Lumen in cœlo.
Ignis ardens.
Religio depopulata.
Fides intrepida.
Paſtor Angelicus.
Paſtor & Nauta.
Flos florum.
De medietate lũnæ.
De labore ſolis.
Gloria Oliuæ.

Quæ ad Pontifices adiecta, non ſunt ipſius Malachiæ ſed R. P. F. Alphonſi Giaconis Ordinis Prædicatorum huius prophetiæ interpretis. Hucuſq; ex Vvion.

In perſecutione extrema S. R. E. ſedebit Petrus Romanus qui paſcet oues in multis tribulationibus: quibus tranſactis ciuitas ſepticollis diruetur, & iudex tremẽd⁹ iudicabit populum ſuum. FINIS.

Notandum quod in tertia Columna ſunt aliqua verba, quæ ad longum imprimi non poterant, quare quædam ex difficilioribus hĩc ad longum ponere non abs re fore duximus.. Linea 28. pro *Nunc. Apoſtol. ad Vicecom. Mediol.* lege Nuncius Apoſtolicus ad Vicecomites Mediolanenſes. l. 38. pro *Diac. Card. S. Euſt.* leg. Diaconus Cardinalis S. Euſtachij. Eadem linea, pro *Bono. Leg. Nea.* lege Bononiæ Legatus, Neapolitanus l. 44. pro *Card.* lege Cardinalibus. l. 47. pro *Alſ. Reg. Sicil,* lege Alfonſi Regis Siciliæ l. 56 pro *Pap.* lege Papatu.

VITA

SANCTI LAVRENTII

ARCHIEPISCOPI DVBLINENSIS

AVTHORE QVODAM E' COLLEGIO

4. NOVEMBR. *Augenſi, qui nomen ſuum non exprimit:*

Purè ſyncereque teſte Baronio ſcripta: ſtilum aliquot locis non nihil expoliuit Fr. Laurentius Surius:

Ex quo nos vitam hanc decerpſimus.

Apoc. 7. BENEDICTIO, & claritas, & ſapientia, & grariarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo noſtro, qui ſponſam ſuam Eccleſiam mirabili prole fæcundat: vt nunquam ſit ſterilis, ſed ſemper gratioſa, fæcunditate mirabilis: vt in tempore perſecutionis roſas martyrum, in tranquilitate pacis pariat lilia Cōfeſſorum: quatenus dilecto ſuo qui candidus eſt, & rubicundus, ſponſa reſpondeat in rubore roſarum, & candore liliorum. Non enim in emiſſionibus paradiſi ſola ſunt mala punici, ſed coniuncta ſunt cum pomorum fructibus: nec nardus ſola, ſed cypri cum nardo: Et venter ſiue fœcunditas ſponſæ non tantum aceruo tritici comparatur, ſed etiam dicitur vallatus liliis. Virum quoque, qui ſtabat inter myrteta aſcendentem ſuper equum rufum, non tantum equi rufi ſecuti ſunt, ſed & albi: & de medio duorum montium æreorum non tantum quadriga equorū ruforum, ſed etiam alborum equorum quadriga egredi videbatur. Dominus quoque, qui fecit Arcturum, cum Arcturo, non ſolum fecit Orionas, ſed & Hyadas. Per Arcturum ſeptem ſtellarum deſignatur Eccleſia, ſeptiformis Spiritus luce radioſa Oriones qui Oriẽtes in hyeme tẽpeſtates excitãt, demonſtrant Martyres: qui in hyeme infidelitatis exorti, excitauerunt contra ſe perſecutionum tempeſtates. Hyades ſtellæ pluuiales orientes in vere, Confeſſores ſignificant: qui tempore tranquillitatis apparentes, mentes hominū irrigarunt pluuiis doctrinarum; Sicut igitur cum Arcturo fecit Dominus Orionas & Hyadas, ſic Dominus de Eccleſia ſponſa ſua, vt nunquam ſit ſterilis, ſed ſemper fœcunda, aliquando Martyres interdum quoque generat Confeſſores, inter quos effulſit ſanctæ matris Eccleſiæ proles egregia, glorioſus Chriſti ſacerdos & Antiſtes Dublinenſis Eccleſiæ, vir Beatus Laurentius, cuius memoria in benedictione permanet, genere nobilis, & inſignis virtutibus, clarus operibus, & ſignis magnificus. Similem enim fecit eum Dominus in gloria ſanctorum, & glorificauit eum in conſpectu Regum. Cuius vitam & virtutes ego licet indignus, ſed tamen non indeuotus ſeruulus, ſancto Augenſi collegio fraterna ſocietate coniunctus, ad laudem Dei & ſancti Confeſſoris gloriam, ad excitandam deuotionem legentium, ſtylo compendioſo, inuocata ſancti Spiritus gratia tractare curaui. & hæc quidem de præfatione dixiſſe ſufficiant. Stultum enim eſt, ante hiſtoriam effluere, & in ipſa hiſtoriæ narratione ſuccingi.

Cant. 5. Cant. 4. Zach 1. Zach 6. Iob. 9. Martyres Confeſſores. *Habet authore licet anonymum.* *2. Mach. 2.*

CAP. I.

DIlectus igitur Deo & hominibus ſacer Dei Pontifex Laurentius, ex partibus Occidentis, Inſula Hibernia claris natalibus extitit oriundus. Natus igitur de nobili proſapia fuit per matrimonium, Regis filius & Reginæ. Cuius pater lingua patria *Muriartach ô Toheil* appellatus eſt, latinè verò Mauririus: mater eius *Inian Iurien* lingua ſua, id eſt, filia principis, lingua domeſtica. Et pater quidem tanta generoſitate claruit, vt non modica pars Hiberniæ, *Eius natale ſolū.* *Parentes eius.*

quæ Lagenia dicitur, ad eum iure hæreditario pertineret. Etſi autem in hoc minime gloriandum eſt, ſed neque tamen omnino ſilendum: quãdoquidem inde maior in illo virt⁹ fuiſſe probatur quod mũdanæ vanitatis maior fomes extinctus eſt. Suis autẽ parentibus poſt prolẽ multiplicẽ Beatus Laurentius vltimò datus eſt filius: Sed licet naſcendo ex carne fuerit nouiſſimus, quod tamen ad Spiritum attinet, primus emicuit.

CAP. II.

NAto B. puero, pater ipſius qui infenſus fuerat Comiti de *Kildara*, Donato nomine, placatus poſtmodum in fœdus pacis, & amicitiæ inuicem conſeruandæ, eidem Comiti filium ſuum miſit, vt eum faceret baptizari, iubẽs vt * *Conconor* vocaretur. Sed ferentibus puerum miniſtris venit obuiam quidam, qui, vti de *Merlino* apud *Anglos* legitur, propheta apud eos habebatur. Vera enim pleraque omnia hominibus prænuntiare probabatur. Is itaque cũ cauſam itineris cognouiſſet, & quod de puero mandârat pater eius, ſtatim acceſſu ſpiritus verſum Hibernicum protulit, cuius hic eſt ſenſus: iſte puer magnificus erit in terris, & glorioſus in cœlis, præteritque plurimis tam diuitibus quàm egenis, & erit Laurentius nomen eius. Sic enim iubeo eum appellari. Cumque miniſtri admirantes reſponderent, non audere ſe patris imperio non parere, dixit vates. Ego hac nocte domum patris eius ingrediar, & vos de nominis mutatione ſatis reddam excuſatos. Illi ergo cœpto itineri inſiſtentes, ad *Darenſem* ciuitatem, *S. Brigidæ* ſedem, puerum pertulerunt: vbi receptus à prædicto Comite cum gaudio, & ab Epiſcopo ciuitatis, protinus baptizatus, Laurentius, vti vates prædixerat, vocatus eſt. Videtur quidem in prophetia prædicta de Sancto puero, & nomen non ſine cauſa prophetatum, & meritum ſimul inſinuatum & premium. Si enim à Lauro Laurentius nominatur, propter perpetuum Lauri virorem, fidem ſancti ſignificat per dilectionem operantem, & ſic indicat meritum. Si à *Laurea* ſeu *Laureola*, pertinet ad premium. Huic enim Sancto & *Laurea* debetur, & *Laureola*: *Laurea*, tanquam triumphanti: quia cum militia ſit vita hominis ſuper terram, non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit. *Laureola* tanquam prædicatori: & ſic magnificus ſignificatur futurus in terris, quantum ad meritum: & in typum prædeſtinatæ ſibi laureæ glorioſus in cœlis, quantum ad præmium.

*f * Conchobhar .i. coracinus.*

Quidam de infante Laurẽtio futura prædixit.

Sedes S. Brigidæ

Laurentius vnde dicitur.

Iob 7.
2 Tim. 2.

CAP. III.

CReuit itaque puer, & cœpit bonæ indolis adoleſcens eſſe: & honorificè, vt decuit, enutritus vſque ad annum decimũ ſuper omnes coætaneos ſuos mitis profecit incrementis. Accidit autem, vt patet eius maximum *Dermitij* regis odium incurreret, metueretque ex furibundi Regis minis, non ſolum in ſe, ſed etiam in totam ditionem ſuam illum ſæuiturum. Metiens igitur & metuens bellorum & diſſentionum diſcrimina, communicato cum ſuis conſilio, de quatuor filijs, quos habebat, iuniorem ei Laurentium pacis ob fidem delegauit. At rex inhumanus, crudelius tractans de puero, ipſum in terram lapidoſam & ſterilem, vbi victum ſeges ægra negabat, iuſſit vinctum deportari, vbi à fructu frumenti, vini & olei priuabatur, vbi paruulus petijt panem, & non erat qui frangeret ei. Ibi ſanctus puer, aliquandiu degens, multiplicem paſſus eſt iniuriam ex fame & nuditate, in tantum vt per inopiam eorum, quæ ad victum pertinent, & ſtridentis Boreæ flatum, ad mendicorum ſqualorem preuenerit, & à planta pedis vſque ad verticem percuſſus, quodammodo ſecundum carnem omnino tabeſceret. Quod cum ad aures patris, quorundam relatu veniſſet, ſine mora comprehenſos duodecim Regis *Dermitij* milites ſe quamprimum occiſurum minabatur, niſi ſibi filius, ſuper quo commota fuerant paterna viſcera, celeriter redderetur. Id audiens rex *Dermitius*, cum non ignoraret terram illius eſſe inuictiſſimam, puerum reddere maluit, quàm perdere milites ſuos, nec tamen reddidit eum patri, ſed cuidam Epiſcopo *Glindalacenſi*, idque his pactis legibus, ne illum patri reſtitueret, niſi prius ſui milites ſibi redderentur. Miſſi ſunt ergo milites ad Epiſcopum qui regi *Dermitio* eos remittendos curauit: Puerum autem per duodecim dies apud ſe retinuit, & Capellano ſuo, vt curam de illo gereret, qui inciderat in latrones, tanquam bonus Samaritanus commiſit. Is verò puerum benignè ſuſcepit, & inſtar prudentis ſtabularij, non minus Spiritus, quàm carnis gerens curam, non erogare ea tantum, quibus corpus de ſuis infirmitatibus conualeſcere poſſet, ſtuduit: ve-

Dermitius rex infeſtus eſt patri eius.

Sanctus puer duriſſimè habetur.

Reſtituitur parenti ſuo.

rum etiam ſupererogando ad eius ſpiritum confouendum, per illius tam breuis temporis ſpatium in oratione Dominica, & primis fidei rudimentis, hoc eſt, in Symbolo, ſicut dicebar, paruulum Laurentium erudiuit. Sic igitur puer conualeſcens de infirmitatibus ſuis, fortis factus ad maiora, ſi iuberet Dominus, toleranda, pro pace patriæ paſſus exilia, duodennis ab exilio reuertens, pacem populo reddidit, & gaudium vniuerſæ terræ.

CAP. IIII.

POſt dies autem duodecim adueniens pater, ſollicitauit Epiſcopum, vt per ſortem inquireret, quem de liberis ſuis aſcriberet clericali militiæ, & diuinis obſequiis dedicaret. Sed diuinæ prædeſtinationis electione iam Deo ſortitus puer Laurentius hoc audiens, riſiſſe fertur, & dixiſſe: non eſt opus, pater, ſortitione. Ego, ſi permittis, Clericorum ſortem vltro eligo, quaſi iam ſentiens quod ait Pſalmiſta: *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei*: cætera autem tanquam vana, amatoribus mundi relinquo. Puerilis autem animi audita comitate & dulcedine, pater ſubtiſit: Epiſcopus & omnes, qui audierunt, mirati ſunt & gauiſi, quod puer adeo nobilis, contempta hæreditate temporali, quæ ipſum contingere potuiſſet, Chriſtum ſibi in hæreditatem elegit alacriter. Pater verò eius conſentiens & gratulans, arrepta eius dextera, tanquam ſiniſtram ſpernens, illum Deo obtulit, & S. *Coengino*, Eccleſiæ cathedralis regionis illius patrono deuouit, iam dicti Epiſcopi curæ eum nihilominus commendans, vt illum, qui ſe ſponte ſua diuino miniſterio mancipauerat, miniſtrum idoneum literatura & moribus exhiberet.

Pſal. 15. Vltro ſe offert vt fiat Clericus.

CAP. V.

DAtus igitur ſanctæ Eccleſiæ perpetuò ſeruiturus, velut alter Samuël ab Helcana patre ſuo, ſub Epiſcopo, tanquam ſub Heli, magiſtro fuit, quandiu idem vixit Epiſcopus, qui eum docuit verbo pariter, & exemplo. Sed qui eum elegerat Dominus, eum in ſchola Sancti Spiritus plenius edocuit, & multiplici varietate virtutum ornauit. Profecit proinde ætate & ſapientia, profecit & gratia apud Deum & homines. Nam gratia Dei erat in illo, & naturalia corporis incrementa, ſpiritualium proſequebantur augmenta gratiarum. Erat que cælo totus inhians, mundum & mundana repudians, feruens in audiendo, ſagax in repetendo, prudens in diſcernendo, ſolicitus audita tenaci memoriæ commendando. Nam in lege Domini fuit voluntas eius, & in illa meditabatur die ac nocte. Et dedit illi Dominus cor ad præcepta, & legem vitæ & diſciplinæ, vt doceret poſtmodum Iacob teſtamentum Domini, & iudicia eius Iſrael. Electus itaq; Domini Laurētius olim à parentibus terrenis, velut adeps ſeparatus à carne, etiam nunc patrem ſuum ſpiritalem, virum religioſum, Epiſcopum *Glindalacenſem*, ineuitabili morte præuentum amiſit: de cuius obitu tanquam pius filius condolens, ſummum patrem omnium maiori, quàm antea, deuotionis ardore complexus eſt, cogitans quia omnis, qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis iuſtitiæ. Quapropter agebat ſenem moribus, expers omnis laſciuiæ iuuentutis. Concurrebant in eo morum honeſtas & ſcientia literarum: & ex adiuncta ſcientia vitæ ſanctitas ſplendidius rutilabat, & ipſam ſcientiam honeſtas virtutum ſociata Domino conſecrabat.

1. Reg. 2. & 1.

Pſal. 1.

Heb. 5.

Pietas & eruditio illum ornant.

CAP. VI.

IGitur Dominus, ſerui volens in talentis creditis peritiam experiri, illum ſui deſtitutum Patroni ſolamine, cum annos natus eſſet viginti quinque in Abbatem *Glindalacenſem*, Eccleſiæ Clero & populo id poſtulantibus, promouendū curauit. Huius verò Eccleſiæ nomen à prima ſui fundatione celebre & famoſum tota Hibernia fuit. Eius enim Patronus B. *Coenginus*, ortus de ſtirpe regia, multis miraculis præ cæteris ſanctis Hiberniæ, in illa olim legitur effulſiſſe. In hac autem Eccleſia & Epiſcopatus erat, & Abbatia. Sed Abbatia, quod ad temporales diuitias attinet, rato exemplo, longè erat Epiſcopatu opulentior: quippe vbi nobiles inprimis viros in totius regionis præſidium ab antiquo populus eligebat. Suſceptum itaque huius dignitatis gradum B. Laurentius humiliter adminiſtrans, cœpit ſe magis ac magis in vitæ honeſtæ dignitate, caſtitate & ſobrietate, præeunte diuina gratia, exercere. In eleemoſinarum largitate & cæteris miſericordiæ operibus videbatur, vt dignum erat, miniſter potius, quàm Prælatus, vt dicere poſſes illud eum ſemper habuiſſe præ ocu-

Creatur Abbas Glundalacenſis

S. Coenginus.

Humilitas & benignitas eius.

Eccli 32. lis: Ducem te conſtituerunt: noli extolli, ſed eſto in illis quaſi vnus ex illis, non elatus de regimine, ſed ſubſtractus de ſolicitudine: non de generis nobilitate ſuperbiens, quia virtute decet, non ſanguine, niti: non de virtutum ſeu gratiarum donis inſolenter tumeſcens. Primis igitur quatuor annis ſuæ adminiſtrationis non habuit requiem ſeruus Dei. Erat enim in tota regione illa intolerabilis rerum inopia, quæ etiam victui neceſſaria hominibus negaret: maximè autem in pauperes flagellum hoc ſæuiebat. In quo cum vir Domini (vt erat valde compatiens, & erga afflictos pia geſtans viſcera) pro ſua abundantia, larga manu indigentibus ſubuenire ſatageret, nulli ſaltem commiſerationis affectu defuit, ſeu benigni animi voluntate, ſic omni petenti ſe tribuens, vt Euangelio pareret. A falſis quoque fratribus graues perſecutiones ſuſtinuit, qui inuidiæ facibus accenſi, detractionis dente ſynceram ipſius vitam rodebant, ſed palpantes quaſi cæci parietem, non inueniebant oſtium, per quod ad dignam eius reprehenſionem ingredi poſſent. Apparebat inter ipſos aurora, ſed inuidentiæ cæcati malignitate, ſicut dicit B. Iob, arbitrabantur vmbram mortis. Horum vir Domini mortis liuidam nequitiam & diſſimulationis cautela, & charitatiua beneficiorum impenſione viriliter ſuperabat.

In ſumma annona caritate inſignis liberalitas.

Lucæ 6. Iob 24.

CAP. VII.

Veſpillonū pro latronum.

Erat etiam in terra illa prædo quidam genere nobilis, in hoc tamen degenerans quod veſpillonum & raptorum ſe gerebat principem, qui omnibus omnia pro libitu ſurripiens, magis autem in Abbatis Laurentij ſubditos inſidiis graſſabatur, nunc fraudulentia, nunc violentia manifeſta ſæuiens. Quodam namque die occurrit deteſtabilis ille Abbatis hominibus, qui ex vicinia mel & frumentum ad populi ſubleuandam penuriam deferebant: & inſiliens in eos, nefanda rabie laïcos cæcidit, Clericos ſpoliauit, fæminis vim attulit. Quod cum relatum eſſet viro Dei, ingénti mœrore animi percuſſus, aſcendit in domum Dei, nec cibum capere voluit. Cum enim clientulorum & amicorum carnalium numeroſa multitudine vigeret, non ſuperba temeritate præſumpſit vltionem diuinam, ſed ad humilem potius orationem ſe conuertens, humiliter expectauit Dominum, qui ab illis prædonibus populum miſericorditer liberaret. Nam in fide & lenitate ſua ſanctum fecit illum Dominus. Vndè & dicebat: tua eſt vltio, Domine: tu melius noſti tempus retributionis, & modum, quod non multum poſt eius orationem impletum eſt. Tertia namque die iniquus ille prædo, qui cateruæ latronum præerat, permittente Domino in quorundam manus hominum deuenit, qui comprehenſum ſine Regis licentia, eo maxime, quod eſſe de ſtirpe Regia diceretur, vita priuare non audentes, orbatum oculis dimiſerunt: qui & poſt non multum temporis vita functus eſt.

Prædonē illum cæleſtis vindicta perſequitur.

CAP. VIII.

Eodem etiam tempore tres magni Latronum Principes, qui multis ſceleratis præerant, tres turmas ſatellitum ſibi collegerant, religioſiſque perſonis & Eccleſiaſticis ad S. *Coëngeni* & Abbatis Laurentij protectionem pertinentibus, moleſtias & damna plurima ſæpius inferebant: Quodam igitur die, in via, quam ſanctus *Coenginus* manibus ſuis conſtruxiſſe dicitur trans paludes & aquarum ſcaturigines, dum in ſuis expectarent latibulis, ſi quos ſpoliandi opportunitas ſe offerret: mox quatuor ſacerdotes cum magna turba hominum tranſire comperiunt, qui Euchariſtiam, ſicut tunc moris erat pluribus, ſecum pro tuto viatico ac ſecuro duce itineris publicè deferebant. In quos ferociter irruentes, ſacerdotes manu ſacrilega ſpoliauerunt, noſtræ redemptionis precio, hoc eſt, Euchariſtiæ nullam reuerentiam exhibentes: ſed magis irreuerenter tractantes, nefandis dentibus attingere & atterere præſumpſerunt, & cæteros vſque ad mortem ferè verberibus affecerunt. Quo audito diſcrimine, cœpit dolere non mediocriter Abbas Laurentius, peccatis ſuis imputans iniurias ſuis ſubditis irrogatas, maximè cum pater patriæ ipſe diceretur. Qua conſideratione non de faſtu honoris, non de nobilitate generis, non de potentia ſæculi ſuperbè elatus, humiliter ad orationem conuerſus eſt, malleníque perſecutionis gladium in ſe, quàm in ſuam plebem conuerti, ieiunium ſibi indixit, vt vno die naturali nec cibum, nec potum caperet: & Eccleſiam ingreſſus cum ſuis clericis, Dominum inceſſanter deprecabatur, inſtar fidelis Patroni, pro liberatione

Notamen. rim antiquum.

Latronū quorundā inſigne facinus.

tione ſuorum inſiſtens. Sed non longè poſt diuina vltio in illos ſacrilegos animaduertit. Octauo enim die illorum Principes ſupradicti à quibuſdam Regis miniſtris comprehenſi ſunt: & quamuis ſic ſatis procul à ciuitate B. Laurentij capti eſſent, vnus tamen ex illis, quaſi non poſſet alibi inueniri patibulum, neceſſitate diuinitùs compellente, ad *Glindalacenſem* vrbem perductus eſt, & in rupe eminentiſſima, ingredientium in Eccleſiam, & inde egredientium obtutibus expoſita, ſuſpenſus interiit, vt ibi de flagitioſo æquum Dei agnoſcerent iudicium, vbi contra Eccleſiæ libertatem illum nequiter deliquiſſe conſtabat. Reliqui duo eiuſdem nequitiæ conſortes, in via illa, qua ſacrilegium perpetrârant, ſuſpendio necati ſunt. Quibus ita ſublatis, tranquillitas patriæ, & viatoribus ſecuritas reſtituta eſt, requiemque dedit Deus famulo ſuo ab omnibus inimicis. Ita nimirum ſimilem eum fecit Dominus in gloria ſanctorum, & magnificauit eum in conſpectu inimicorum, & in verbis ſuis monſtra placauit, Glorificauit eum in conſpectu populi ſui, & ciuitas *Glindalacenſis* magni olim, vt ſupra dictum eſt, nominis tanto irradiata ſydere, non parum in tota regione illa honoris & reuerentiæ conſecuta eſt.

Diuinitus puniuntur.

Eccli. 45.

CAP. IX.

IGitur quatuor his annis ita peractis, pax reddita eſt toti regioni, & copioſa fertilitas præteriti temporis inopiam mirè ſuppleuit. Vnde Abbas Laurentius, charitate feruidus, ad opera charitatis totus accinctus, copiam rerum ipſi allatam, pauperibus nutriendis & Eccleſiis ædificandis abundè impertiit: cumque diuitiæ eius licet plurimæ, benignitatis & charitatis eius ſumptui non reſponderent, theſaurum patris ſui, quem cuſtodiendum acceperat, pauperibus totum diſtribuit, & quæcumque inuenire potuit manus eius, multifariis charitatis officiis liberaliter diſpergendo, per manus indigentium in cælos tranſmiſit: vt quemadmodum de Sancto Leuita & martyre Laurentio, cuius nomen non ſine præſagio meritorum adeptus fuerat, ſic & de illo veraciter dici poſſit: *Diſperſit, dedit pauperibus: iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.* Certè ſi electus Dei inter mundi ſcandala, inter antiqui ſerpentis ſibylos, & fragilis carnis blanditias læſus aliqua ex parte fuerit, (non eſt enim homo iuſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet) charitatis affectus, qui erat inſignis in illo, operire poterat multitudinem peccatorum. Vniuerſa enim delicta, vt habet Salomonis Prouerbium, operit charitas: etſi peccauit multum, remiſſum eſt ei, quoniam dilexit multum. Porrò multas infirmitates tam manuum impoſitione, quàm oris anhelitu ſalutifero ſanauit: peierantesq; omnes, manu eis impoſita, quod prius celauerat, cogebat confiteri.

Multa largitur vir Dei Eccleſiis & egenis.

Pſal. 111.

Pſa. 111. Eccleſ. 7.

Prou. 10. Luca 7. Nota.

CAP. X.

INtereà contigit, vt *Glindalacenſis* Epiſcopus, qui per id tempus præerat, vitæ diem extremum ageret, ſedeſque cathedralis eius obitu vacaret. Ea igitur ſic paſtore tanquam communi ſpiramine deſtituta, ſanctus Abbas Laurentius ad Pontificalis honoris Cathedram ab omnibus magna inſtantia & concordia petebatur. At ille ſuo more humiliter de ſe ſentiens, petenti reſtitit populo, ætatem immaturam prouidè ſapienterq; prætexens. Nec tamen humilis eius excuſatio poſtulantium deuotam ſuperâſſe inſtantiam, niſi diuina obſtitiſſet prouidentia, qua dictante, ſcriptum eſt: Aduocatus à potentiore, diſcede: ex hoc enim te magis aduocabit. Quod de B. Laurentio, ſuo tempore factum eſt. Dominus enim ad maiora & multis vtiliora eum reſeruans, quia fidelis & prudens ſeruus ſuper creditis ſibi talentis fuerat, illiſque contentus non puſillanimitate, ſed humili timore ductus, Epiſcopus fieri recuſauit: poſtea Archiepiſcopi eum infula cohoneſtauit; nam poſt non breue tempus Gregorius Archiepiſcopus Dublinenſis ad patres ſuos collectus eſt, eius ſede vacante, permulti ambitione cæcati, generis nobilitate & literarum ſcientia tumentes, dignos ſe illo præſulatu exiſtimabant. Sed eos, vt improbos, depulit Dominus ab honore, quippe qui ſuperbis reſiſtit: humili autem & manſueto Laurentio apud electores tantam conciliauit gratiam, vt cum de eligendo paſtore tractaretur, ſubito afflatu Spiritus ſancti, eorum animi Abbatis Laurentij celebri memoria afficerentur. Namque & generis nobilitate, & morum honeſtate, erat apud eos clariſſimus, & iuxta Apoſtoli doctrinam, de conſtituendo Epiſcopo, Timotheum & Titum admonentis, irreprehenſibilis Dei diſpenſator,

Eccli. 13.

Recuſat Epiſcopatum.

1. Pet 5.

1. Tim. 3. Tit. 1.

non ſuperbus, non iracundus, non vinolentus, non percuſſor, non turpis lucti cupidus: ſed hoſpitalis, benignus, prudens, ſobrius, iuſtus, continens, amplectens qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, vt ſolicitè ſe ipſum præbeat bonorum operum exemplum, in integritate in grauitate: vt is qui ex aduerſo erat, vereretur, & oppilaretur omne os iniqua loquentium, cum nihil haberent mali de illo dicere. Itaque omni mox ſopita diſcordia, diuerſas eligentium voluntates Spiritu ſancto in vnam conflante, beatum Laurentium elegerunt in Archiepiſcopum & paſtorem: (ſed valde inuitum, diùque renitentem, & in ipſo honore onus penſitantem.) Et onus quidem proſternit debiles: honor autem puſillanimes dejicit. In illo autem non allęuabat onus honoris ambitio, ſed potius oneris grauitas honorem declinandum probabat. Librabat enim montes in pondere, & colles in ſtatera: quod pauci faciunt. Quorum paucitatem admirans Eſaias exclamat: *quis librauit in pondere montes, & colles in ſtatera*? Si montes libremus in pondere ſuo, magis eorum pondus eſt, quàm altitudo. Illorum enim altitudo ſuperari poteſt, & pedibus calcari: pondus verò eorum quis ferat? Per montes autem intelligimus dignitates, quæ plus habent oneris quàm honoris: quæ deſpici quidem poſſunt, ſed ſuſtinere eas quis poſſit? colles quoque ſi libremus in ſtatera, quantus aſcenſus eorum, tantus & deſcenſus comperietur. Sic & in dignitatibus, quæ per colles deſignantur, ſi aſcenditur ad prælationem, deſcenditur ad ſeruitutem. Librans igitur animus ſancti viri montes in pondere, & colles in ſtatera, onus in honore, & ſeruitutem in prælatione penſabat: Sicque fiebat, vt conſideratio ſeruitutis & oneris omnem appetitionem prælationis & honoris ab eius animo auerteret. Tandem tamen ſe iactans in Dominum, deſiderio fructus ſuſcepit laborem, & à Gelaſio totius Hiberniæ Primate, in ipſa Dublinenſi Eccleſia, multis Epiſcopis præſentibus, gratias agente populo, conſecratus eſt.

Creatur Archiepiſcopus — *Eſa. 40* — *Montes dignitates.*

CAP. XI.

Qualem ſe exhibuerit in ea dignitate.

BEatus igitur Laurentius Pontificalem adeptus infulam, diligenti ſtudio ſatagebat, vt eſſet ſubditis ſuis forma ſanctitatis, & totius honeſtatis exemplum ne prędicantem, vel docentem, contraria remorderet conſcientia, ſed potius prædicationem vitæ ſanctimonia commendaret. Decet enim maiorem natu, decet & illum, qui primus eſt in Eccleſia, ſic pronuntiare verbum ſcientiæ ſecundum doctrinam, vt non impediat muſicam. Impeditur autem melodia muſicæ, ſi laudatur Dominus in ſono tubæ, & non laudatur in pſalterio & cithara. Laudetur ergo Dominus in tuba prædicationis ſono, & conſonet Pſalterium, concordet & cithara, vt vna ſit harmonia ſiue conſonantia prædicationis, quę per tubam intelligitur: & executionis decem mandatorum, quam decachordum pſalterium deſignat: itemque mortificationis carnis, quam cithara ſignificat. Itaque mox vt indutus eſt B. Laurentius ſtola gloriæ, etiam vaſis virtutum expetijt coronari. Circumcinxit ergo ſe zona iuſtitiæ; circum pedes, & femoralia, & humerale ſibi imponens, tunicam talarem totam cilicinam non tantum induens, ſed carni aſſuens, cuius cilicij aſperitate, & vermium multitudine ſuccreſcente perforabatur caro ſancti Pontificis: vt ex interiori ardore ſpiritus flamma exterius reſultante, ipſa caro velut in frixorio coqueretur. Sicque clauum clauo retundens, punctiones punctionibus reprimens, proprium corpuſculum exarabat: extra hoc eſt, ex carne primo maledicto ſuppoſita, ſpinas & tribulos eliminare contendens: vt ſic aceruum frugum poſſet ſibi cumulare in poſterum. Sic attendens ſibi paſtor egregius, de omni corde ſuo ſatagebat laudare Dominum, in diuinis officijs aſſiduus & deuotus: diligenſque decorem domus Domini, vt amplificaret cultus diuini ſanctitatem: & ſacris altaribus debitam præſtaret reuerentiam, conſtituit ad ſacrum Domini miniſterium viros idoneos ordinare, ne propter ſeruitores ſeruitia Domino diſplicerent, ſicut ſcriptum eſt: *ne offeratis vltra ſacrificium fruſtra, incenſum veſtrum abominatio eſt mihi: Neomeniam, & ſabbatum, & feſtiuitates alias non feram.* Et ſubditur cauſa; *iniqui ſunt cœtus veſtri.* Ideo vir ſanctus & timoratus ſiue religioſus, honeſtatis amator, & zelator religionis, operam dedit, induſtriamque adhibuit, & clericos ſæculares, qui in Eccleſia Dublinenſi erant inſtituti canonici, ſecundum exterio-

Obſerua veſtem cilicinā, toti corpori admotam. — *Gen. 3.* — *Iſa. 1.*

Canonicos ſeculares mutat in regulares. exteriorem & interiorem hominem mutatos in melius in regulares canonicos transformaret. Et vt hoc ſummi Pontificis autoritate confirmaretur: Duos è canonicis ſuis miſit Romam, propter vſum & conſuetudinem * *Aroaſienſis* ordinis: per quos ſancti viri deſiderium adimpletum eſt. Fecitque regulares ſtare cantores circa altare, vt laudarent nomen Domini: & dedit in celebrationibus decus, & in ſono eorum dulces fecit modos.

**. Arroacenſis.*

CAP. XII.

Fit etiam ipſe Canonicus regularis. *Eccli. 1.*

VT autem Domino ſuo ſecurius militaret, ſpiritualis certaminis milites electos ordinans, armiſque eorum & ſignis ſe muniens, habitum canonicorum regularium & viuendi normam accepit, eique conuenienter viuere ſtuduit. Nam penè continuè, dum ei licebat, cum canonicis illis edebat in refectorio, locis & horis cõgruis ſiue debitis ſeruabat ſilentium, ad matutinas ſingulis ferè noctibus cum illis in chorum ingrediebatur, vnà cum eis vigilias & laudes Domini celebrabat. Sciens autem ſcriptum, vigilia honeſtatis tabefaciet carnes: deuotione feruenti vigilabat in orationibus & attenuabat carnem ſuam. Finitis enim matutinis laudibus, cæteris ad lectos redeuntibus, ipſe in Eccleſia remanebat, etſi non ſemper ſolus, tamen vt ſolitarius: ibatque pro conſuetudine ante ſignum Dominicæ paſſionis, vbi velut in ſpeculo vitæ, contemplabatur æneum ſerpentem eleuatum in ſtipite crucis, & eius dulci memoria ſanabatur à languoribus ſuis, pſallebatque Domino cum tremore: & nunc ſtando, nunc ſedendo, nunc etiam flectendo genua, totum pſalterium reſonabat. Affirmatum eſt equidem à fratribus religioſis, qui præ cæteris orationibus frequentius inſiſtebant, quòd vir ſanctus cum prædicta cruce dulciſſimum habebat colloquium: de qua multa mirabilia memorantur, quæ magna peregrinorũ veneratione ab antiquis temporibus frequentatur. Facto vero die, exibat in cæmeterium, & illic aliquantiſper, deambulans commendationem fidelium defunctorum percantabat.

Vigiliae & preces ei°. *Num. 21.*

CAP. XIII.

Eccli. 33. *Corpus ſuum flagellat quotidie.*

CVmque non ignoraret illud Eccleſiaſtici, ſeruum inclinant operationes aſſiduæ: carnem ſuam vigiliis & ieiuniis exſiccatam, & aſperitate cilicij, vt ſupra dictum eſt, exaratam, reducto paululum cilicio verberibus exponebat, terque ad minus in die ſe virgis cædi volebat ab aliquo familiari, qui tacere noſſet: excutiebatque per confeſſionem, adiunctis virgarum ſcopis, ſi quid eius ſanctæ animæ pedibus mundani pulueris adhæſiſſet. Etſi autem eiuſmodi virgarum caſtigationibus & orationibus carnis coërceret malitiam, attamen in omnibus diſcretionis moderamen adhibebat, nec ſine iudicio flagellabar carnem propter dictum illud Sapientis: *Si non obedierit ſeruus, curua illum compedibus: verùm ſine iudicio nihil facias graue.* Nam Apoſtolus ad perfectam carnis mortificationem nos inuitans, cum præmiſiſſet, Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem: ſubiecit, Rationabile obſequium veſtrum, videlicet ſecundum ethnicum, vt ne quid nimis. A carnibus quidem ſemper abſtinuit, poſtquam canonicus fuit: omni verò tempore à deſideriis carnalibus. Sexta feria ſolo pane veſcebatur, & aqua, & frequenter nec panem ſumebat illo die, nec aliquid refectionis corporalis, cibatus ſolo pane & aqua doloris, ex compaſſione crucis Ieſu Chriſti, cum quo ſe animo crucifigebat. Sæpe etiam panem lixiuio mixtum ſolebat edere, vt poſſet dicere cum Pſalmiſta: *Cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miſcebam.*

Eccli. 33. *Rom. 12.* *Laurẽtius non veſcitur carnibus.* *Pſal. 101*

CAP. XIIII.

ERat verò multum liberalis, non ſolum pauperibus, ſed & diuitibus hoſpitalis & diſcretus, vnumquemque, ſicvt decebat, ſuſcipiens, pauperum inopiæ ſuccurrendo, diuites verò inuitando ſuis beneficiis ad ſectanda charitatis opera: vt ſimul diues & pauper ab vno acciperent non ſolum temporale ſubſidium, ſed & conſilium ſpiritale. Sic enim decebat paſtorem bonum paſcere gregem ſuum. In omnibus autem, quibus poſſet popularem excitare fauorem, cautè ſe gerebat, inanem gloriam & lupinam hypocriſim tanquam peſtem euitans. Nam propriæ carnis macerator, amator abſtinentiæ, non tantum hoſpitibus ſe ſplendidum in panibus, ferculorum varietate atque potus diuerſis generibus exhibebat: verumetiam cum illis aliquando diſcumbens, & inter multas epulas cibis vilioribus vtens, aut edere ſe

Vitat humanũ applauſum.

ſimulans, pia quadam ſimulatione communem ſe illis oſtendebat. Et, quod eſt argumentum miræ prudentiæ, ſæpe merum bibere credebatur, cùm non eſſet merum, ſed aqua potius modici vini admixtione ſic tincta, vt vinum à diſcumbentibus putaretur. Singulis autem diebus pauperes ſexaginta, aut quadraginta, vel minimum triginta in conſpectu ſuo refici faciebat, exceptis aliis pauperibus, de quibus infra dicemus.

Multos alit pauperes.

CAP. XV.

ERat autem vir ſanctus admodum * & elegantis ſtaturæ. Veſtimenta eius nec nitida nimium, nec abiecta plurimũ, ſed ex moderato & competenti habitu erant. Exterior eius habitus, propter rudem & ſeruilem populum, autoritatem & reuerentiam Pontificis præ ſe ferebat: medius verò, canonicum regularem: ad carnem cilicia & talaris interula, pœnitentem. Per hæc & alia B. Pontifex, tanquam ſapiens architectus, ſe ipſum dabat, in ſimilitudinem picturæ, exemplum bonorum operum, & ſculpebat in ſubditis ſignacula ſanctitatis, & aſſiduitate ſua variabat picturam: & in lege Domini iudicabat congregationem, & in fide ſua probatus eſt, & cognitus eſt in verbis ſuis fidelis. Tranſigebat noctem ſicut diem, & vigilia ſua perfecit opus, & in diebus ſuis ſuffulſit domum Domini, & corroborauit templum, & præualuit amplificare ciuitatem Dei, & adeptus eſt gloriam in conuerſione gentis ſuæ. Nam in diebus eius proſperata eſt plantatio illa Dei nouella, vt verum eſſet quod ſcriptum eſt: *Seruiuit Iſrael Domino cunctis diebus Ioſue.*

Deeſt procera, aut aliud quippiã.

Eccli. 50. Ioſue 24.

CAP. XVI.

NOn eſt autem ex toto ſilendum, quod beato viro ex Abbatis minori officio in Pontificem ſic tranſlato, prædictus rex Dermitius quendam Clericum ſucceſſorem eius violenter conſtituit, & contra ius conſuetudinis, quo tam Clerus, quàm populus ibidem Abbatem eligere conſueuerat, in dictam Abbatiam, illis reclamantibus, eum irreuerenter intruſit. Sed is tamen, ne Euangelicum illud non impletum abiret, *Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus, eradicabitur*: tam à dignitate, quàm ab officio poſtmodum amotus eſt. Clero autem & populo in ius eligendi reſtituto, nepotem quendam S. Laurentij, Thomam nomine, iuuenem præclarum moribus, & ſcientia, ſanctique Pontificis conuictu atque conſortio clariorem, in Abbatem *Glindalacenſis* Eccleſiæ concorditer elegerunt. In quo facto non defuit Dominus ſeruo ſuo, de quo ſcriptura dicit: *Bonus relinquit hæredes filios, & nepotes*, & iterum: *in ſemine ſanctorum permanet bona hæreditas, & nepotum ipſorum ſemen in teſtamento ſtetit.* Hunc igitur cum ſanctus, non propter propinquitatem carnis, ſed magis charitate ſpiritus, præ cæteris impenſè diligeret, ita vt etiam ſecreta ſua ei ſecurè committeret, ciuitatem *Glindalacenſem* deinceps tantò frequentius, quantò libentius viſitauit. Nam propè ciuitatem ad tria milliaria locus erat ſecretus, & B. *Coëngini* frequentia conſecratus, quem præ aliis tantò ſpecialius elegit, quantò eius ſancti viri virtutes ſtudioſius imitari ſatagebat. Is verò locus non in hominum conſpectu, ſed in miranda ſolitudine eſſe dicitur. Nam ex vna parte rupes ex alto pendens triginta cubitis, ad hunc locum tranſitum denegat: ex altera ſtagnum non modici ambitus, totidem cubitis in profundum deſcendens, à parte ſua * nauigium pandit. Nec tamen ſine fontis dulcedine locus eſt, nam ex eadem rupe riuulus ſonorus dulciſſimas fundens aquas, erumpit, habitatori loci non parum præbens ſolatij, conſitis arboribus ſiue herbis continuum virorem miniſtrans: apud quẽ riuulum etiam ſalix mirifica reperitur, poma ferens vſq; ad hiemale, S. Martini feſtum crudiſſima, vt vix à quoquam tum poſſint deguſtari. Appropinquante autem natiuitate Dominica celeriter matureſcunt, ſolis infirmis pro medicinali remedio reſeruanda. Locus autem inferior, ei concauitati ſubiacens, à duodecimo Calendas Octobris vſque ad octauum Calendas Martij, Solis lumen non accipit, imo quædam eius pars, Solis radiis nunquam illuſtratur.

Mat. 15.

Nepos eius fit Abbas Glindalacenſis.

Prou. 13. Eccli. 44.

** Nauigiũ pro nauigatione.*

Nota ſingulare pomorũ genus.

CAP. XVII.

IN ea autem concauitate, quam S. *Coënginus* ſuis manibus effeciſſe dicitur, B. Laurentius perſæpe latitans contemplatiuis deliciis illic deuotus perfruebatur, de corpore ſuo minimè ſolicitus. Sed tamen in multa neceſſitate ei deeſſe nolens, ter tantum in hebdomada panem & aquam, interdum etiam olus ei prębebat, tanquam alter

Quadrageſimã vt exegerit S. Laurentius.

Exodi. 24 alter Moyſes contemplationis diuinæ ſuauitate refectus. Ibi ergo morans per quadragenas, hominum non admittebat frequentiam, niſi iam dicti Abbatis nepotis ſui, qui ei cibum, qualem diximus, ſubminiſtrabat: ad eumque cauſas & negotia populi, & ad populum ſancti ſacerdotis reſponſa atque conſilia referebat. Erat autem acceſſus ad eum per ſcalam: cuius ima pars in qua figebatur, ſuperior tenebatur ad rupem. Neque tamen ex hoc ipſo loco egredi, ſancto viro moleſtum erat, ſi vrgente negotio ſubditis ſuis id neceſſarium *Exod. 34* cognouiſſet: ſed velut alter Moyſes in in- *2. Tim. 4.* greſſu tabernaculi & egreſſu, Rachelis & *1. Ioan. 2.* Liæ, Mariæ & Marthæ pro loco & tempore, in ſe facies varias transfigurabat. Sic autem implebat fidelis paſtoris & prudentis rectoris officium, non propter improborum agendorum inſtantia contemplationem negligens: aut propter contemplationis ſtudium, agenda poſtponens. Vi- *Iſa. 21.* debatur autem populo barbaro, cornuti Moyſi ſimilitudinē afferre ex frequēti collocutione cū Domino. Nam ſermo eius inſtar faculæ ardebat, radios vibrabat igneos: dixiſſes ſtimulos & quaſi clauos in altum defixos. Ibat vir ſanctus per arma iuſtitiæ à dextris & a ſiniſtris, detruncans cruentas acies vitiorū, prædicans aſſiduè verbū Dei, & opus faciens Euangeliſtæ: inſtans opportunè, importunè arguens, obſecrans, increpans in omni patientia & doctrina, ne de manu ſua requireretur ſanguis commiſſi ſibi populi pereuntis. Ducebatur enim ad mortem populus Dubliniæ, vel potius iam perierat infami ternario vitiorum, puta concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ. Ex quibus tanquam ex fontibus venenatis, oriuntur & dimanant riuuli mortiferi to- *Fontes vitiorūm omnium.* tius iniquitatis, ebrietatis crapulæ, & earum comes ignis luxuriæ, contentiones, rapinæ, iniuriæ mutuæ, & alia mala infinita. Quibus vitiis cum ciues ſuos videret beatus Pontifex irretitos, dolebat plurimum, & ſpeculator conſtitutus à Domino, ſuper ſpeculam ſuam ſtetit iugiter per diem, & ſuper cuſtodiam ſuam totis noctibus: & quod audiuit de ore Domini verbum annuntiauit populo ſubdito ſibi. *Prædicit clades futuras.* Vidit enim & prædixit, poſt vitia, ſecutura ſupplicia, iniurios plectendos iniuriis, luxurioſos incendiis vaſtandos, (Luxuria namque ignis eſt, vſque ad perditionem deuorans, & omnia virtutum eradicans genimina) & homicidas cædibus perdendos. Per quæ enim peccat quis, per hæc *Sap. 11.* & punitur.

CAP. XVIII.

VEniente igitur gladio Domini, ſicut paſtor ſæpe prædixerat, non longo *Expugnatio Hiberniæ.* temporis interuallo, rex *Dermitius* adiuncto ſibi Richardi Comitis auxilio, cum multa Anglorum caterua Hyberniam ingreſſus, Dubliniam magna vi cepit, cap- *Dublin. vaſtata.* tam ſuccendit igne, bona ciuitatis diripuit & homines interfecit. Atque ita, ſecundum vaticinia viri Dei, miſit in eos iram Dominus & vindictam, & reddidit illis iniquitatem eorum. Beatus autem Laurentius inſtar Ieremiæ, teſtis exſtitit ſtragis populi ſui: vbi etiam multis affectus iniuriis, rebus eorum, quantum ipſe poterat, defenſis & munitis, morti ſeſe pro illis exponere neutiquam formidauit. Corpora etiam cæſorum pius paſtor inter manus ho- *Magna ſancti viri caſtantia.* ſtium adhuc palpantia rapiebat, & velut alter Tobias, feſtinabat Chriſtianæ tradere ſepulturæ. Si quos autem poſt ſtragem *Tob 1. & 2* inuenit ſuperſtites, quibus poterat facultatibus, iis ſuccurrebat. Maiori tamen affectu mouebatur in illos, quos prius viderat fælicitate vberiori florere, & ſubitò quidem, ſed tamen iuſto Dei iudicio in ſummam miſeriam coniectos eſſe. Inter omnia autem malorum genera, ſummum *Summum infelicitatis genus quod ſit.* in miſeriis infelicitatis genus eſt, fuiſſe felicem. Clericos præterea, contra impetum gentis ſuperbæ, quæ ciuitatem obtinuerat, in ſuis locis permanere poſſe, non ſine magnis periculis impetrauit: quibus etiam libros & ornamenta Eccleſiæ ipſe, cuius bonis temporalibus & Eccleſiaſticis non pepercerat hoſtilis iniquitas, imo potius vniuerſa rapuerat, vel vaſtauerat, prudenter & ſtrenuè reſtituenda curauit.

CAP. XIX.

QVodam tempore vir Beatus pro Eccleſiæ ſuæ negotijs in Angliam pro- *Henricus ſecundus rex Angliæ primus Hiberniæ Expugnator.* fectus ad Regem Henricum venit Cantuariam: ibique, vt decuit, ſuſceptus in Eccleſia ſanctæ Trinitatis à Monachis, ob impetranda ſuffragia S. Thomæ glorioſi martyris deuotè pernoctans, in craſtino Monachorum precibus Miſſarum ſolemnia celebrare diſpoſuit. Cumque Pontificalibus veſtibus proceſſiſſet ornatus, qui-

dam fatuus audiens eum vitum ſanctum, & religioſum eſſe, ſimplici ſua fatuitate vel fatua ſimplicitate ſibi perſuaſit, ſe rectè & piè facturum, & prœmia poſſe diuina promereri, ſi tam beatum virum ſancto Thomæ reddat martyrio parem. Mox igitur animi ſui conceptum volens perficere, fuſtem ingentem arripuit, & per medium irruens populum in Beatum Antiſtitem totis viribus eum in capite percuſſit. Ille verò percuſſus, ſtatim corruit ad cornu altaris, grauiter vulneratus. Id videntes Monachi, & omnes qui aderant, cum multo dolore & lacrymis in faciem ſe proſtrauerunt, credentes Pontificem lethaliter vulneratum. At vir ſanctus poſt breuem morulam leuato capite, dari ſibi aquam in vaſculo poſtulauit: & ſuper eam dicens orationem Dominicam, eamque benedicens ſigno ſanctæ Crucis impoſito, lauari ea vulnus capitis imperauit. Quo facto ceſſauit fluxus ſanguinis, & protinus vulnus ſanatum eſt: ſicque ſanus effectus, inchoata Miſſarum ſolemnia celebrauit. Quod qui vidit, teſtimonium perhibuit. Ipſum autem veſtigium vulneris ſemper manſit in capite; & nunc in ipſo capitis * cranio, deficiente oſſis particula, fractura cernitur apparere. Iubente vero Rege ſuſpendi fatuum illum, beatus Pontifex vix precibus obtinuit, ne quid mali hac de cauſa illi inferretur.

Hominis ſtulti horrenda temeritas.

Praeclarū miraculū.

** teſta.*

CAP. XX.

ALio tempore cum de Regis Angliæ curia remearet, venit in *Vualliam*: vbi diū ventum expectans proſperum tædio angebatur. Erat autem in illis partibus quædam Eccleſia in honorem B. Virginis apud caſtrum cuiuſdam diuitis, eius expēſis recens ædificata, cuius lateri homo quidam perpetuò ſe incluſerat, vt Deo liberius adhæreret. Huic igitur viro Dei nocte apparens Virgo ſancta, ornatu & facie reuerendiſſima, ſciſcitabatur cur ſua Eccleſia dedicata non eſſet. Cui cum anachoreta reſponderet Epiſcopum diœceſanum diu abfuiſſe. Ego verò inquit illa, nolo eam ab eo dedicari. Ecce adeſt Laurentius Dublinienſis Archiepiſcopus, cuius præſtolabar aduentum, vt ipſe meam Eccleſiam conſecraret. Et hoc ei ſignum, quod ventum vel tranſitum non obtinebit, donec meæ ſatisfecerit voluntati. Ad hæc experrectus homo, & territus viſione, facto iam die, miſit pro caſtellano, eius Eccleſiæ fundatore, totamque ei patefecit ex ordine viſionem. Is mox ad Archiepiſcopum properās, eum ad ſuum caſtrū inuitauit, ſuſceptumque honorificè procurauit: factaque cæna, precabatur eum, vt illam Eccleſiam conſecrare dignaretur. Vir ſanctus reſpondit, id ſibi non licere: caſtellanique precibus aſſentiri modis omnibus renuit. Videns id caſtellanus, non cunctatus eſt viro Dei minas B. Virginis indicare, totam anachoretæ viſionem per ordinem commemorans. Quam ſanctus vir mente pertractans, videnſque ſecundum Deum ſibi non eſſe illicitum, ſed permiſſum, diuinæ viſioni deuotiſque precibus aſſenſum præbens, Eccleſiam poſtridie dedicauit. Cumque Miſſam & diuina officia peregiſſet, guſtato pane cum ſuis nauim ingreſſus, curſu proſpero ad portum deſideratum peruenit. Ex eo tempore innumera fiunt miracula in Eccleſia illa, diuinaque indigentibus beneficia præſtantur.

Viſio cuiuſdā ſolitarij.

Multa miracula in Eccleſia à viro Dei dedicata, fiūt.

CAP. XXI.

RVrſus beato viro in Angliam cum tribus nauibus contendente, in mediis maris vorticibus tempeſtas ſæuiſſima extitit, ita vt penè naues & homines mergerentur. Iamque nautis ſpe omni euadendi periculi propemodum deſtitutis, quidam melioris ſpei vir, conuerſus ad ſanctum Præſulem, dixit: Domine, ecce perimus: ſuccurre nobis tuis ſanctis precibus. Illo igitur flexis genibus Deum deprecante, ſtatim mare quieuit, ceſſauitque tempeſtas, ita vt poſſent homines admirari & dicere: quis eſt hic, quia venti & mare obediunt ei.

Sedat tempeſtatem.

Matt. 8.

CAP. XXII.

ALio quoque tempore properanti ei in Angliam, & iam nauim ingreſſo, quidam è ciuibus *Dublinia* comites ſe adiunxerunt, ſub tanto paſtore pericula maris, ſe euaſuros confidentes. Et ecce cum iam ſecurius mare ſulcarent, ſubitò commotis fluctibus, ventiſque ſæuientibus, tempeſtas horribilis exorta eſt, adeo vt præſentem intentarent omnia mortem. Congregati ergo omnes ad patrem & patronum Archiepiſcopum anxiè precabantur, vt ſuo interuentu ocyus ipſis ſuccurreret, mors enim in ianuis videbatur. At ſecretarius & amicus Dei: confidite inquit: nemo veſtrum peribit: Sed audite

conſilium

conſilium meum, & iram Dei deuotionis muneribus placate. Ad eius enim, vt noſtis, & B. Virginis matris eius honorem, *Dubliniæ* Eccleſiam nouam conſtruimus: ad quam perficiendam dare vos moneo de fructu operum eius, qui vobis omnia largitur: Sicque promitto ego vobis in Domino tranquillitatem maris abſque veſtro & rerum veſtrarum periculo citius adfuturam. Mox illi ad Archiepiſcopum bona & alacri voluntate multa donaria apportant. Erat enim nauis illa multis referta diuitiis. Ille verò gaudens in Domino breui & deuota oratione penetrat cælos: ſtatimque mari ſubſidente, & tranquillitate reſtituta, Deum & ſanctum eius Pontificem omnes pariter collaudant. *Iterū ſuis precibus tranquillum efficit mare.*

CAP. XXIII.

EMergentibus autem cauſis quibuſdam Eccleſiæ ſuæ, paſtor ſtrenuus vigilans ſuper gregem ſibi commiſſum, ſummum Pontificem adire decreuit: Romamque feliciter perueniens, adiutus Domini gratia, propoſitum impleuit. Cumque pro libertate Hiberniæ Eccleſiæ facundè ſatis egiſſet, & animi eius benignitas atque prudentia manifeſtè innotuiſſet, regreſſurus ad propria, legatus totius Hiberniæ à Domino Papa conſtituitur. *Vide Bar. An.1179. Fit legatus Hiberniæ.* Reuerſus inde proſper in Hiberniam, commiſſæ ſibi legationis officium cum magna totius Eccleſiæ libertate exequi ſatagebat. Quæcunque religioni, vel Eccleſiarum officiis, vel honeſtati clericorum deeſſe videbat, ea ſufficienter & honeſtè ſupplebat, ſuperflua reſecabat, rectè diſpoſita inuiolabiliter obſeruari volebat: eratque in zelo legis Domini velut ignis, & quaſi adeps ſeparatus à carne. In tantum autem miniſtrorum Eccleſiæ execrabatur immunditiam caſtitatis, & honeſtatis zelator, tamque eos ad continentiam prouocabat, vt omnes tam ſubdiaconos, quàm diaconos vel preſbyteros, ſi incontinentiæ conuicti eſſent, licet tanquam Archiepiſcopus poſſet, tamen nollet abſoluere: ſed ad Romanam Eccleſiam, à ſummo Pontifice abſoluendos, deſtinaret, ita vt quodam tempore, quod dictu mirum ſit, centum quadraginta preſbyteros de in cōtinentia conuictos Romam miſerit abſoluendos. *Eximius eius erga incontinentes Clericos zelus.* Cupiebat enim omnes ſui ſimiles efficere, & quam in ſe ſectabatur munditiam, eam etiam à ſubditis requirebat, lumbos ſuos non zona pellicea, ſed aſpero cilicio conſtringens. Itaque Apoſtolicum illud, quod re ipſa præſtabat, ore quoque iubebat: *State ſuccincti lumbos veſtros in veritate.* *Epheſ.6.*

CAP. XXIIII.

CVm autem ſic legationis ſuæ fungeretur officio, & cæleſtis vitæ pabulo populum reficere conaretur, temporalium rerum inopia totam Hiberniam miſerabiliter occupauit. Itaque humaniſſimus paſtor, aſſuetus olim operibus pietatis & benignitatis, videns tempus acceptabile, tempus miſerendi, fœnerabatur Domino, dum miſeretur pauperum: *Prou. 19.* totuſque inopum commiſeratione addictus, penſatis eorum miſeriis, egeſtatem illorum ſuum exiſtimans, pro facultatum ſuarum copus, ſed non largiſſimæ charitatis ſuæ votis, illis opitulabatur & ſuccurrebat; quingentos namque pauperes, extrema penuria oppreſſos, per triennium quotidianis ſuſtentabat eleemoſynis, exceptis aliis plus minus trecentis, quos per Epiſcopatum ſuum veſtibus & alimonia donabat, quibuſq; neceſſaria omnia miniſtrabat. *Vide ſingularē in ſui pauperes humanitatem.* Multæ etiam fœminæ egeſtate afflictę paruulos ſuos, quos nutrire non poterant, neceſſaria quadam cautela ad oſtia eius deponebant, itemque aliis diuerſis locis, per quæ illum nouerāt tranſiturum. Sciebant enim in eo maternum ineſſe affectum, nec poſſe deeſſe eis: quippe qui gremium pietatis omnibus expandens nemini ſe negabat. Ille verò non immemor paupertatis, & pueritiæ, quam pro nobis Ieſus Chriſtus aſſumpſit, qui in die iudicij dicturus eſt: *quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*: *Matt.25.* quique alibi dicit: *quicunque ſuſceperit vnum paruulum talem in nomine meo, me ſuſcipit*: *Matt.18. Item in pueros.* pium ſe puerorum nutritium exhibebat, eoſque per diuerſa diœceſis ſuæ loca hominibus & baliuis ſuis nutriendos & diligentius cuſtodiendos commendans, eis neceſſaria omnia ſuppeditauit. Et cum talium ſit regnum cælorum, ipſe iam exultans in cælis, frequentius in terris puerorum miſeretur. Erant autem id genus pueri fermè ducenti, quandoque plures, quandoque pauciores: demptis nonnullis pauperibus de quibus iam dictum eſt: & paruulis, quos in domo ſua bonus Chriſti nutritius procurabat. Cùm autem hi pueri iam adulti eſſent & enutriti, tradi ſingulis crucem ligneam iubebat,

quas ſigni cuiuſdam loco ferentes, circuibant prouinciam: atque ita ab eius præfectis & aliis nomen Dei & Pontificis venerantibus vitæ ſuſtentandæ conſilium & auxilium eis impendebatur.

CAP. XXV.

** l'Vexfordiam.*

Incidit in latrones.

PEr id tempus multiplicatis malis in terra, cum ſanctus Pontifex die quodam, à *Dublinia* * *Vuaſſefordiam* iter haberet, quidam è militibus Regis, *Vuihelmus* nomine, ſe comitem ei adhibuit, ne fortè, ſi ſolus eſſet, incideret in latrones. Sed & ſcriptor quidam cum vxore ſuo paruuloque infante, tanquam ſecurius iter iam facturus, illis ſe iunxit. Ingredientibus autem illis nemus quoddam, latronum latibulum viginti quatuor loricati latrones è latebris prodierunt, ſimulanteſque ſe velle parcere Pontifici & ſuis, petebant vt militem ipſorum traderet voluntati; ipſe verò cum ſuis clericis illæſus abiret. Sed vir ſanctus reſpondit malle ſe interfici quàm illis militem iugulandum permittere. Tum illi furiis agitati, in Clericos eius ſæuiùs irruerunt, & ſcriptorem antedictum crebro irrumpendo occiderunt. Eius autem vxoris miſertus Epiſcopus, poſtea quæ ad victum veſtitumque pertinent, perpetuo illi ſubminiſtrauit: puerum vero literis erudiendum curauit, & quoad vixit, inter Clericos ſuos illum numerari voluit. Porrò latrones lanceam in militem vibrantes, miſericorditer ſeſe interponentis Epiſcopi equum confoderunt: atque miles equi præſidio de eorum manibus ereptus eſt. Præſul verò ſpoliatis clericis, variis affectus iniuriis in proximam veniens ciuitatem, latrones illos per internuntios admonuit, vt à ſua malitia abſtinentes, veniam impetrarent: ni id facerent ſe cum omnibus eius ciuitatis presbyteris in eos excommunicationis ſententiam pronuntiaturum. Illis autem omnem pœnitentiam & correctionem reſpuentibus, eos excommunicauit: quod cum illi cognouiſſent, & quemadmodum fieret excommunicatio, inquiſiſſent dixerunt: excommunicemus & nos Archiepiſcopum. Et accipientes exta bouis furto ablati, loco ſtolarum, & accenſis lignorum faculis loco candelarum, inſtar luporum vlulabant, clericos irridentes, anathema legentes, & in deriſum Eccleſiæ etiam in aqua ipſas faculas extinguentes. Ex iis vnus poſtero die licet quadruplici tectus veſte, frigore ſatis temperato & tolerabili extinctus eſt. Tertio inde die malitiæ eorum dux itidem peremptus eſt, atque ita alij poſt alios intra annum vnum perierunt.

Eccè cæleſtem vltionem in deriſores excommunicationis.

CAP. XXVI.

QVidam è miniſtris Archiepiſcopi quandoque non abſque ſua fortaſſis culpa, Dubliniæ ad patibulum trahebatur. Cumque iam ad ſuſpendij locum perueniſſet, rumor eius rei ad Archiepiſcopũ perlatus eſt. Illicò ſurgit ille, ſequiturquè hominẽ, vt eũ liberet. Videns autẽ vnus è carnificibus prǽſulem venientem, timenſque ne infelix ille ex eorũ manibus auferretur, caput miſero præſcidit. Id cernẽs Epiſcopus multumque dolens ereptum ſibi hominẽ, in eius percuſſorem maledictionis fulmen intorſit. Cumque ille cum ſocijs Dublinium rediret in ponte cadẽs coxam fregit, & ex eo vulnere breui vitam amiſit, manifeſto diuinæ vltionis iudicio. Sic Dominus, quantæ ſanctitatis & gratiæ apud ipſum eſſet B. Laurentius, & quod eius verba pondus haberent ſæpius declarauit.

Miserè perit cui vir ſanctus imprecatus eſt.

CAP. XXVII.

DVo viri Dubliniæ in loco ſacro latrocinium perpetrarunt: ſed pro meritis ſuis percuſſi à Domino, protinus amentes effecti ſunt; ligatique ad Eccleſiam ſanctæ Trinitatis & ad Archiepiſcopum adducti ſunt. Quos cum ille vidiſſet, miſericordia motus erga illos, datâ benedictione, iuſſit eos à vinculis expediri. Illi ſoluti, in faciem corruentes, diù tanquam exanimes iacuerunt. Tandem ſurgentes incolumes viro Dei pro ſalute recepta gratias egerunt. Quod ille ne facerent, more ſuo prohibebat, & vt ſoli Deo gratias agerent, verecundus & humilis hortabatur.

Duos amentes ſanat.

CAP. XXVIII.

QVandoque vir ſanctus cum duobus Epiſcopis & Abbate Thoma nepote ſuo ad concionem quandam properabat. Quumque apud pagum quẽdam horas Dominicas cantaturus deſcendiſſet, homo quidam adueniens, ad eum exclamauit: præſentiam tuam, Domine, non equidem multitudine gloriari decet, ſed in eo potius, vt ægrotis & afflictis ſuccurrere ſtudeas. Eſt in Eccleſia huius pagi proxima, fœmina quędam nobilis, quæ ab immundo vexata ſpiritu, nuper mente capta eſt. Ad eam igitur ire te decet, & fundere preces

pro ea

pro ea ad Dominum, vt tuis flexus precibus illam ſanare dignetur. Percepta ea ſimplicis hominis petitione, Archiepiſcopus iubet ire Thomam Abbatem & orare pro ea: at ille modis omnibus recuſabat vel limina Eccleſiæ attingere: intantum id genus homines horrebat. Præcepit ergo idem Epiſcopo Kildarenſi Malachiæ.

Malachias Epiſcopus Kildarienſis.

Sed is itidem ſe excuſans aiebat, ſe non tanti eſſe meriti vt dœmones expellere poſſit. Iubet tãdem vir Dei, vt Clemens Epiſcopus eat, qui ſua ſimplicitate libenter ſe iturum reſpondit. Erat is vir magnus & caluus. Cumque eum dæmoniaca conſpexiſſet in Eccleſiam intrantem, mox ei caluitiem obiecit, addens etiam contumeliam per mendacium:

Procax dæmonis petulantia.

O calue viliſſime, inquiens, qui ſemper meritricio te iungis contubernio, quid hîc à me requiris? ſimulque arripiens lapidem, iactauit in eum. At Epiſcopus & contumeliam, & horrorem, non ferens, ad Archiepiſcopum cum timore pudefactus rediјt. Tum demùm vir ſanctus vt ſimulationem, ſic arrogantiam vitare volens, Ego inquit, ſi ſic neceſſe eſt, eam in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti viſitabo.

Vide quibus armis oppugnat dæmonem vir ſanctus.

Cumque ad oſtium Eccleſiæ veniſſet, crucis ſignaculo & eam, & fœminam conſignauit. Eum autem vt vidit miſerabilis mulier, multa in eum probra & conuicia coniecit. Sed ille vir miſericors, eius miſeriæ miſertus, de Domino non diffidens, ligari eam præcepit, & cum manibus eam attrectaſſet, pectori eius crucis ſignum impreſſit, & aquam benedictam ori eius infudit, humique proſtratus Dominum pro ea ſuppliciter & breuiter orauit. Inde recedens, cùm triduò poſt eò reuertiſſet, inuenit eam ſanæ mentis, & iamdudum ipſius reditum præſtolantem. Illa verò mox ad eum accedens multis precibus nocte illa retentũ, cũ omnib⁹ comitib⁹ eius honorificè procurauit, in eximij amoris ſignũ crebrò eius manus & pedes deoſculans, & gratias agens omnipotenti Deo, quòd per eius merita perfectè eſſet reddita ſoſpitati.

CAP. XXIX

f. Mareſtallus.*

QVidam beati viri * mareſtallus, toto corruptus corpore mirabiliter inflatus erat. De cuius ſalute cum iam medici omnes ſpem abieciſſent, adductus eſt ad Dominum ſuum. Is protinus manus ei imponens, oranſque pro eo: ducatur, inquit ad hoſpitium ſuum, & cum ſanatus fuerit, redeat ad priſtinum munus. Reductus eſt ergo domum, & proxima nocte omnis ille corruptus humor effluxit, & poſt dies octo viribus inſtauratis, ad virum Dei cũ alacritate reuerſus, gratias egit pro ſanitate per eum diuinitus ipſi donata. Cui vir ſanctus: memineris, ait, non homini, ſed ſoli Deo gratias agere.

Sanat hominem de ſperatum.

CAP. XXX.

IN Eccleſia B. Martini Dubliniæ, quidam ſacerdos nomine *Galluuedius*, miniſtrabat. Erat autem charus Archiepiſcopo, quòd eum à iuuentute nutrijſſet, & eius clericus fuiſſet. Is igitur aliquando graui infirmitate depreſſus, ad extrema peruenerat. Nam cum & ſenſu, & halitu carere videretur, complures eum mortuum putabant: quidam verò nondum exanimem, ſed veluti in extaſi poſitum exiſtimabant. Vnde factum eſt, vt tribus indè noctibus totidemque diebus corpus in medio poſitum, ſepulturæ mandare differrent. Tandem adueniens S. Laurentius, & corpori tanquam funeri appropinquans, pietate motus ad lacrymas mortuum ſic affatur: Tu quidem dilectiſſime, ſi poſſes, mihi iam loqui velles: ſed in omnibus fiat voluntas Dei. Sic ait, & flexis genibus, Dominum tacitus orauit. Quis autem fuerit affectus orantis, ſatis declarauit Domini exaudientis effectus. Completa enim oratione, quã nouit ille ſolus, qui approbauit:

Excitat vita functum.

Sacerdos Galluuedius quaſi de graui ſomno excitatus, ſurgens incolumis, gratias egit Deo & S. Mariæ, & beato Laurentio Domino ſuo, apertiſque in circumſtantes luminibus, quærebat quid ibi facerent, vel qua ex cauſa illuc pariter conueniſſent. Stupefacti verò & territi omnes in eo, quod accidiſſe videbant, ſic illi reſponderunt: Toto triduo nullum vitæ ſignum habentem, ſed inſtar mortui iacentem te ſepelire propoſuimus. Et Sacerdos; nouit Dominus, inquit, animam meam ſeparatam fuiſſe à corpore, & diſceptantibus Angelis pro ea, vidiſſe me Dominum meum Laurentium flexis genibus coram Deo & glorioſa virgine Maria matre eius, pro me humiliter deprecantem: eiuſque oratione flexum Dominum, animam meam corpori reſtitui iuſſiſſe.

Ecce profundam eius humilitatem.

Tum verò beatus Pontifex pro familiari ſibi & humili verecundia, illi Sacerdoti ſub pœna excommunicationis interdixit, ne rem hanc vlli omnino homini, donec

ipſe viueret, reuelare auſus eſſet.

CAP. XXXI.

HÆc de vita & moribus ſancti viri, eiuſque virtutibus à certiſſimis accepta teſtibus, poſt aliquot annorum curricula, tanquam paucæ quædam reliquiæ ad nos perlata ſunt. Iam qua occaſione & quo pacto, Domino largiente, ad Augenſem vſque Eccleſiam peruenerit, in veritate, qua comperi, ſuccinctè narrare curabo. Oborta fuit grauis diſſenſio inter regem Angliæ Henricum, ſub quo paſſus eſt S. Thomas Martyr glorioſus, & regem Hiberniæ potentiſſimum *Deronogum*: cuius ſedandæ cauſa ſe beatus Pontifex interponens, venit in Angliam, ſecum ducens quendam nepotem ſuum, iuuenem elegantem, vt eum regi Henrico obſidem daret, ſi pax cum illo conſtitui vlla ratione poſſet. Sed rex Angliæ pacem repudians, crudelem potiùs tyrannum ſe exhibuit, Regióque edicto cauit, ne viro Dei liceret in Hiberniam reuerti. Porrúſque omnes, qui Hiberniam ſpectarent, ei voluit eſſe interdictos, hac ratione beatũ virum exulare cogens. Ita ille Regem in Normanniam transfretantem in monaſterio *Abbendoniæ* tres hebdomadas expectauit. Deinde tædio quodammodo affectus Regem ſequi ſtatuit, ſi forte in negotio illo magis eum placabilem offenderet. Ingreſſus igitur nauim apud * Douriam VVirſantum applicuit, proſequenſq; Regem in Normanniam febre corripitur. Ea ingraueſcente triduo valde eius morbi importunitate afflictus, ab incepto deſiſtere cogebatur. Attamen contra febris ardorem flamma charitatis pugnabat inſtantiùs, & naturam, quam febrile debilitabat incommodum, in charitatis & pacis commodum fortiter ſibi militare cogebat. Atque deinceps in ipſo itinere locum inquirere cœpit, in quo aut quieſceret, aut certè etiam remaneret. Iam enim aliquo modo præſenſerat diſſolutionem ſui corporis imminere. Sui igitur tabernaculi depoſitionem præuidens, tabernaculum non manufactum toto animo expetebat. Eius autem exemplar, Domino prouidente, viro ſancto in monte Augi oſtenſum eſt. Perueniens enim ad eius montis ſupercilium, & inde caſtrum intuens, & in caſtro Eccleſiam eminentem, cognoſcenſque è quibuſdam in via ipſi occurrentibus, caſtrum eſſe Augenſe, in introitu Normanniæ in Henrici Regis Angliæ ditione conſtitutum, Eccleſiamq; eſſe beatæ Virginis, in qua canonici inſtituti ſancti Victoris Pariſienſis, Deo & B. Mariæ regulariter ſeruirent: non mediocriter exhilaratus, & tanquam Dauidis prophetico ſpiritu afflatus: *Hæc*, inquit, *requies mea in ſeculum ſeculi, hîc habitabo quoniam elegi eam.* Dataque benedictione cum crucis ſigno; ad eam eccleſiam venit, & fuſa illic oratione, ſe ipſum Deo & beatiſſimæ Virgini commendans, ad hoſpitium diuertit, lectóque decumbans accito eius loci Abbate Osberto, viro religioſo confeſſione præmiſſa viæ præſentis vero viarico ſuum ad vitam tranſitum præmuniuit.

Non petest vir ſanctus ex Anglia diſcedere Rege vetante.

** Donariam.*

Incidit in febrem.

Pſalm. 131

Confeſſione & Euchariſtia ſe munit ſub mortem.

CAP. XXXII.

HIs peractis, vir venerabilis, & circumſpectus clericus Dauid, ſupramemorati iuuenis pedagogus ad Regem Henricum profectus eſt, vt quod Beatus vir de pace concilianda cœperat; ipſe pro tenuitate ſua, diuina præueniente gratia, conſummaret. Cumque Regem quibus poterat rationibus emolliſſet, eiuſque animum ad pacem inflexiſſet, quarto die ad ſanctũ Epiſcopum reuerſus eſt. Cui cum rem à ſe geſtam retuliſſet, ſanctus Præſul, quamuis iam morti proximus, exultare viſus eſt: & vt facto gratias ageret, quod verbo non poterat, caput ſuum in illius ſinum depoſuit: ea ipſa re ſatis indicans, illum magiſtrum Dauidem ſpiritum ſuum iam cum morte colluctantem, pace impetrata, pro qua ipſe, quantum poterat, laborârat, exhilaraſſe. Tertio autem ab aduentu ſuo die febrium ingraueſcente dolore, ſanctus præſul Abbatem eius loci cum fratribus eius acciri voluit, ſeque in eorum collegium, & fraternitatem recipi perijt: eiquè libentiſſimè aſſenſum eſt. Inde extremam & petijt, & percepit vnctionem. Cum autem de faciendo, vt moris eſt, teſtamẽto admoneretur, ſic reſpondiſſe fertur: nouit Dominus mihi ne nummum quidem ſub ſole relictum eſſe. Par enim eſt credere, diuerſis miſericordiæ & benignitatis officijs & operibus, quicquid ad manum habere poterat, virum pium in cæleſtes theſauros tranſmiſiſſe: vel potius canonicæ profeſſionis memorem, nihil ſe habere proprium exiſtimaſſe: vt, qui viuere conſtituiſſet ſecundum Regulam à ſanctis Apoſtolis inſtitutam, in extremo vitæ fine nihil ſuum

Percipit extremã vnctionẽ.

eſſe

eſſe dicendo, ab ea regula minime deuiaret. Atque ita B. Auguſtini conſors, aut vt rectius dicamus, ſucceſſor effectus, teſtamentum nullum fecit quia vnde faceret pauper Chriſti non habuit.

CAP. XXXIII.

DEinceps felix Laurentius ad portum ſalutis feſtinans, gemitus atque ſuſpiria penitentis indeſinenter Domino offerebat, tam mente quàm ore reuoluens illum Pſalmum Dauidicum. *Miſerere mei Deus, miſerere mei quoniam in te confidit anima mea.* Ea vero penitentis lamenta ſanctitati viri nihil quicquam derogabant, ſed potius eam confirmabant. Fertur enim magnus pater Auguſtinus inter familiaria colloquia dixiſſe, poſt perceptum Baptiſmum etiam laudatos Chriſtianos & ſacerdotes, abſque digna & competenti pœnitentia exire de corpore nõ debere. Quamobrèm ſibi iuſſerat in vltima ægritudine Pſalmos Dauidicos, qui ſunt pauciſſimi, de pænitentia ſcribi, eoſque legens vbertim ac iugiter flebat. Et B. Laurentius aquas de ſuperiori irriguo haurire non ceſſabat, nec tamen irriguum inferius contemnebat, populum ſuum morte paſtoris continuò deſolandum, mirabiliter lingua materna dicens: heu popule ſtulte & inſipiens, quid iam facturus es? Quis ſanabit auerſiones tuas? Quis medebitur tui? Sic autem charitatem implebat ex vna parte, quod melius erat cupiens diſſolui, & eſſe cum Chriſto: ex altera autem neceſſitatem fraternam attendens, propter ſubiectum populum, cum Apoſtolo cupiens diutius in carne remanere. Fidelis autem Deus mercedem laborum eius abſque dilatione iam reddendam ei ſtatuerat. Itaque cum ſextæ feriæ terminus aduenisset, in confinio Sabbati ſubſequentis ſpiritum ſancti viri requies æterna ſuſcepit. Atque ita glorioſus Chriſti confeſſor Laurentius Dublinienſis Archiepiſcopus & legatus Hiberniæ, plenus dierum, perfectus & conſummatus in operibus bonis, Chriſti cohæres, ad Chriſtum migrauit decimo octauo Calendas Decembris.

Pſal. 56. *Poſſid. in vita eius cap. 31.* *Philip. 1.* *Ibidem.* *An. 1181. exiit à corpore, vt habet Rogerius in Annal. Baron.*

CAP. XXXIV.

EIus autem obitus & remotis certo oraculo declaratus eſt, & per præſentes, Domino prouidente, venerationi habitus. Ea enim nocte, qua ortus ab occaſu ſol Augi occidit, cum fuit occaſu putior ortus ei, cuidam ciui Dubliniæ, Innocentio, nomine, in ſomno viſum eſt, cum eſſet in eius vrbis Eccleſia cathedrali, ſummum altare corruere, penituſque diſſipari. Qua viſione turbatus mane publicè retulit ſomnium, cum iuramento aſſeuerans Dominum Archiepiſcopum diem extremum clauſiſſe. Id quod poſtea, nuntiis aduenientibus, verum fuiſſe compertum eſt, eadem ſcilicet nocte migraſſe Pontificem, qua viſio hæc Innocentio oblata fuit.

Viſio cuiuſdam.

CAP. XXXV.

COntigit autem Domino agente, vt mox a celebratis ſancti confeſſoris exequiis Alexius Romanæ Eccleſiæ Cardinalis & Scotiæ legatus adeſſet. In cuius aliorumque multorum præſentia corpus ſancti Pontificis, in medio Augenſis Eccleſiæ honorificè & reuerenter ſepulturæ mandatũ eſt. Vbi poſtea latuit annis quatuor & menſibus ſex theſaurus pretioſus, tum quidem abſconditus, ſed ſuo tempore reuelandus. Cuius quidem futuræ reuelationis haud vulgare extitit argumentum. Ea enim nocte, qua Chriſti confeſſor huius mundi tenebras reliquit, ſicut multorum aſſertione innotuit, admiranda claritas ſuper Augenſe monaſterium: ita repente viſa eſt emicare, vt intuentes putarent Abbatiam, vel Caſtri domum aliam, emiſſo cælitùs fulgure, concremari. Vbi ſanè diuina bonitas nobis aliquantulum reuelare dignatus eſt, qualis & quantus eſſet ille, qui ea nocte ex hoc mundo migrârat. De quo non debet temerariũ videri, ſed pium potius, ſi ſentiatur ad lucem tranſiſſe inacceſſibilem, vt illius beatitudinis ſit particeps, quam opportuno tempore ſuis manifeſtat & largitur fidelibus beatus & ſolus potens Rex Regum & Dominus dominantium, cui eſt honor gloria & imperium in perpetuum, Amen. In ſanctos autem relatus eſt vir beatus à ſummo Pontifice Honorio, Reate tertio idus Decembris, Pontificatus eius anno decimo. Pauca de principio huius vitæ non ſine cauſa omiſimus.

Honorifica ſepultura eius. *Refertur in ſanctos.*

FINIS.

CANONIZATIO SANCTI LAVRENTII ARCHIEPISCOPI Dublinienſis, Regis ac Reginæ Hyberniæ filij, eiuſque relatio in numerum Sanctorum Confeſſorum, & feſtiuitatis eiuſdem præfinitio pro die 14. menſis Nouembris quotannis celebrandæ.

Honorius Papa tertius vniuerſis Chriſti fidelibus in Rothomagenſi Prouincia conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

INeffabilis prouidentia Dei, congruentia ſingulis quibuſque temporibus ordinatè diſpenſans, in ſplendoribus ſanctorum, Eccleſiam ſuam quaſi ex vtero gennit, dum eos in exordio ipſius naſcentis Eccleſiæ crebra miraculorum coruſcatione mirificans, & in ipſorum miraculorum fulgore obſtupefaciens gentes, ac prædeſtinatos in fide generans Ieſu Chriſti, in cuius hæc fieri nomine, ac virtute videbant, ipſos filiorum adoptionis numero aggregauit.

§. 1 Deinde creſcente fidelium numero, & multitudine, populi vocati de tenebris ambulantes iuxta ipſius vaticinium in lumine Domini Dei ſui, mirabilis diſpenſator in pluuiam fulgura ſua fecit, dum ſignis, ſiue miraculis, quæ non erant iam fidelibus neceſſaria, intermiſſis, ſuper nouos populos, paſtores, qui eos paſcerent ſcientia, & doctrina, ſicut per os Hieremiæ promiſerat, ſuſcitauit. Doctores Eccleſiæ ſcilicet, qui terram cordis fidelium, imbre doctrinæ complerent, & extirpatis ſentibus vitiorum, eam ad proferendum virtutum germen, & fructum huiuſmodi operis fœcundarent.

§. 2 Cæterùm quia charitate frigeſcente ab exercitio huiuſmodi boni operis torpet Catholicus, error deuio abducente delirat hæreticus, cæcutit velamine adhuc ſuper cor permanente Iudæus, & in tenebris ambulat ſidere lucis nondum ſibi oriente Paganus, miſericors Dominus, qui neminem vult perire, ſigna interdum innouat, & mirabilia miſeratus immutat, ex numero illorum, quos in Eccleſia triumphante glorificat, aliquorum fidem, & merita in militante miraculis declarando. Vt per ea Catholici, mentis torpore diſcuſſo, ad boni operis excitentur iuſtitiam, hæretici errore dimiſſo, ab inuio reducantur ad viam, Iudæi atque pagani, vero lumine cognito, de tenebris, & vmbra mortis, currant ad Chriſtum lucem, viam, veritatem, & vitam.

§. 3 Sanctæ igitur memoriæ Laurentio Dublinien. Archiepiſcopo, apud Eccleſiam S. Mariæ de Augo Rothomagen. Diœceſ. Vbi corpus eius feliciter requieſcit, claris diuino numine coruſcante miraculis, venerabilis frater noſter Archiepiſcopus, & dilecti filij capitulum Rothomagen. vna cum Abbate & conuentu Eccleſiæ ſupradictæ, multiſque aliis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, Abbatibus, & religioſis viris, eius venerabilis vitæ inſignia, & coruſcantia miracula, ſuis nobis literis intimantes, humiliter ſupplicarunt, vt ipſum Sanctorum Cathalogo aſcribere curaremus, quatenus authoritate Apoſtolica, dignus honor illi exhiberetur in terris, qui ſic claris ſignis, & euidentibus argumentis apparet honoratus in cælis.

§. 4 Licet igitur quos diuina honorat dignatio, humana deuotio prompto affectu debeat honorare, volentes tamen in huiuſmodi negocio, ſecundum conſuetudinem Apoſtolicæ ſedis cum digna maturitate procedere, præfato Archiepiſcopo, & N. Decano, & N. theſaurario Rothomagen. dedimus in mandatis, vt ſuper dicti viri vita, & miraculis inquirerent diligentiſſimè veritatem, & eam nobis fideliter intimarent, vt ea plenè comperta, pio ſupplicantium deſiderio, ſecurius annuere valeremus.

§. 5 Ipſi autem mandatum noſtrum cum diligentia exequentes, quia de præfati viri conuerſatione, ac vita, per homines de partibus illis certificari nequibant, eo quod per partes illas tranſitum faciens, in Eccleſia correptus infirmitate decubuit, & infra octauum diem ab hac luce migrauit, ſcripſère venerabili fratri noſtro Archiepiſcopo Dublinienſi, vt veritatem ſuper hoc inquiſitam, eis per ſuas literas intimaret. Qui citra mare Hibernicum illuſtris Regis Anglorum negociis occupatus, non valens inquirere id per ſeipſum, venerabilibus fratribus noſtris Darenſi Epiſcopo ſuffraganeo ſuo, ac priori Sanctæ Trinitatis Dublinien. commiſit in huiuſmodi negocio vices ſuas. Ac demùm

mum eorum literas, ſanctitatem vitæ, & conuerſationis, ſæpedicti viri plenius continentes, ſuo & ipſorum ſigillis munitas deſtinauit eiſdem. Quas vna cum depoſitionibus teſtium ſuper miraculis receptorum, nobis ſub ſigillis propriis tranſmiſère.

§. 6. *Collegimus autem ex ipſarum ſerie literarum, quod ſæpedictus vir, Regis & Reginæ Hiberniæ filius extitit, & ab infantia ſacris literis eruditus, ſenilem geſſit in iuuentute grauitatem, & mundanarum illecebras vanitatum, à ſe vltra quàm ætas illa ſoleat abdicauit.

§ 7. Deinde in Archiepiſcopum Dublinenſem aſſumptus, ſic in virtutem de virtute profecit, vt in oratione aſſiduus, auſterus in maceratione proprij corporis, ac in eleemoſynarum largitione profuſus, ſe totaliter Domino dedicârit.

§ 8. Per depoſitionem verò teſtium prædictorum conſtitit euidenter, ſanctam vitam eiuſdem eſſe tot ſequentibus miraculis comprobatam, quot non paruam tenet hiſtoriam, qui volet ea ſingula ſcribere ſeriatim. Sed vt prætereamus quod claudi greſſum, muti loquelam, læproſi mundationem, & varijs afflicti languoribus ſanitatem, ad inuocationem eius nominis receperunt, & hæc ſola quæ inter cætera emicuere miracula referamus.

§ 9. Idem ſanctus, imo Dominus ob ipſius merita glorioſa ſeptem mortuos, quorum vnus triduanus erat, mirificè ſuſcitauit.

§ 10. De ipſius igitur ſanctitate tantis certificati miraculis, diuinumque ſecuti iudicium, per quod eius glorificatio nobis tam euidentibus innotuit argumentis, eundem beatum virum catalogo Sanctorum aſcripſimus, & annumerandum decreuimus Sanctorum collegio Confeſſorum, ac inter eos à Chriſti fidelibus venerandum.

§ 11. Statuentes vt eius veneranda feſtiuitas, de cætero annis ſingulis octauodecimo Kalendas Decembris ſolemniter celebretur. Monemus autem vniuerſitatē veſtram, & hortamur in Domino, quatenus Deum deuotis mentibus collaudantes, & ſtudentes proficere tantæ virtutis exemplo eiuſdem glorioſiſſimi Confeſſoris apud Dominum ſuffragia humiliter imploretis.

§. 12. Nos autem de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri, & Pauli authoritate confiſi, omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui ad præfatam Eccleſiam in die ſolemnitatis eiuſdem glorioſiſſimi Confeſſoris, vel infra octauas cum deuotione acceſſerint eius orationum ſuffragia petituri, viginti dies de iniunctis ſibi pœnitentijs miſericorditer relaxamus. Dat. Reate, 3. Idus Decembris anno decimo.

EX FASTIS BELGICIS ET BVRGVNDICIS

Authore Auberto Myræo.

Sanctus Laurentius Archiepiſcopus Dublinienſis in Hibernia, Martyrol. Rom. 14. Nou. & Surius.

MErito hic nobis laudandus videtur, vtpote, qui cœnobiticam vitæ regulam ab *Aroaſia*, Canonicorum regularium apud Arteſios Abbatia, mutuatus, *S. Patricij* *Dublin.* monaſterium apud Dublinienſes condidit, & Canonicos ſæculares in regulares, iuxta reformationem Aroaſienſem, tranſmutauit. De qua Origines Canonicorum regularium, an. 1614. Coloniæ à nobis editas, cap. 10. lege, ſi placet. Diuis adſcriptus eſt per Honorium 3. Papam. *Sic Miræus.*

VITA

AVG. 30.

SANCTI FIACRII

HEREMITÆ ET CONFESSORIS.

Ex Capgrauio.

SAnctus Fiacrius Cònfeſſor vir vita mirabilis, innibernię partibns nobiliſſimis extitit natalibus oriũdns, ſed à propinquorũ cura ſolutus, & ſęculi tumultu expeditus, ſolitariã cupiens vitam ducere, parentes, patriamque reliquit, & Domino ducente in Franciæ partes aduenit. Eotem pore, quo ſanctns Pharo relicta ſæculi militia, Meldorum Pontificium poſſidebat, eum ſanctus Fiacrius cum ſocijs ſuis hoſpitalitatis gratia expetijt. Quem püſſimus Pharo libenter ſuſcepit, & vt mentis illius affectum indagare valeret, quamdiu vellet ſecum manere, conceſſit. Cuius vultum ſimplicem & religioſum intuens, ait; obſecro chariſſime, vt mihi originem tuam patriamque, & arcanum tuæ mentis affectum, quò tendis, & quo nomine vocaris innoteſcas. Si deindè conſilium tibi congruum præbere queo, teſte Deo libenter donabo. Cni ſanctus Fiacrius reſpondit.

S. Fiacrij patria. Reuerendiſſime Patcr, Hibernia Scotorum inſula, mihi meiſque genitoribus originem dedit; Et quia ſolitariam vitam ducere concupiſco, patriam parenteſque fugiens, dereliqui, locum quemlibet congruum Heremitis expetam, ſed nomine Fiacrius vocor. Nunc ergo tuam almificam paternitatem ſuppliciter efflagito, quatenus ſi locum quempiam nemoroſum in his partibus ineſſe noueris, quo ſacris orationibus inſiſtere queam, mihi indulgere non differas.

His auditis beatus Pharo, gaudens effectus, ait ad eum. Habeo vtique non procul hinc nemus quoddam in iure proprio, quod incolæ *Brodolium* vocant, ad exercendam vitam ſolitariam, vt credo, ſatis idoneum. Quod ſi contemplari deſideras, illuc vſque pergamus. Quo oſtenſo, ait Epiſcopus; Frater Chariſſime, locus iſte iure hæreditario ad me ſpectat, & ſi ad habitandum in hoc loco tibi placuerit, tantũ ex eo, quantum tibi neceſſe fuerit deuotus offero, & alacriter concedo. Quo dicto B. Fiacrius mox ad eius veſtigia proruens, & obortis lacrymis de collato ſibi beneficio, gratias referens, ait; Beatiſſime Pater, ſolo intuitu locus iſte nimiùm me delectat. Satis enim eſt, & ab omni prorſus hominum frequentia remotus. Digreſſis ab inuicem ſanctis, vir Dei Fiacrius, auulſo nemore Monaſterlum in honore B. Mariæ conſtruxit, & de die in diem virtutibns accreſcens, & ſibi auſterus effectus, ſe Chriſti ſeruitio arctiùs ſubdebat: & quod famelico corpori quotidie ſubtraxit, peregrinis & pauperibus miſericorditer erogobat. Si quiſquã lacertorũ robore priuati, aut elingues effecti, ſiue neruorum ariditate contracti, aut maligni Spiritus infeſtatione vexati, vel etiam totius corporis incõmoditate detenti, ad eum veniebant, vel deferebantur; ſola manus ipſius impoſitione, Dei ſuffragio incolumitati priſtinæ reddebantur. *Claret miraculis.* Fragrabat igitur vndique opinio illius ſancta, & multi ad eum veniebant; & vt haberet, vnde neceſſitatibus aduenientium ſubueniret, & de laboribus manuum ſuarum inopiam pauperum * reuelaret, viſum eſt ei quod amplior & ſpatioſior locus foret vtilis, & neceſſarius ad hortum faciendum, ad plantandum olera & aliarum herbarum diuerſarum genera. ** Releuaret.*

Et quamuis B. Pharo prius ei tantum ſui nemoris conceſſiſſet, quantum ſuis neceſſitatibus conueniret, tamen locum ampliare, & hortum facere ſine licentia Pontificis, humilis Heremita non præſumpſit. Acceſſit igitur ad Epiſcopum, & rogauit eum, vt circa domum ſuam liceret ei tantum

tum

tum nemoris auellere, quod ibidem hortum facere poſſet. Cui Epiſcopus tantum terræ conceſſit, quantum in gyro circa domum ſuam propria manu fodiendo in vna die foſſato circundare poſſet. Tunc ſanctus inclinato capite gratias agens, & ad locum ſuum rediens, facta oratione baculum ſuum per terram trahebat, & tactu baculi, terra dehiſcens patebat, & nemus hinc indè corruebat. Mulier interea quædam aduenit, quæ viſo terræ hiatu, rei nouitate ſtupefacta, hoc Epiſcopo nunciare, feſtinando celeriter properauit, heremitam aſſerens eſſe maleficum, non Dei cultorem, ſed Magum & incantatorem. Reuerſa igitur mulier Sancto viro conuitia, contumelias atque blaſphemias irrogare præſumpſit, & cũ authoritate Epiſcopi ab incœpto opere ceſſare præcepit, ipſumq; Epiſcopum aduenire nunciauit. Vir ergo ſanctus ab incœpto opere ceſſans iratus & triſtis ſuper petram reſedit. Et ecce petra duriſſima diuino nutu mollita, vt ſeſſioni ſancti viri eſſet habilior ſub ipſo cõcauum eidem præſtitit locum. Eadẽ enim petra in eiuſdem ſancti Monaſterio conſeruatur, & locus ſeſſionis eius demonſtratur, cuius tactu debiles & infirmi reſtituti ſunt ſanitati. Videns ergo Epiſcopus lapidem contra naturam cauatum, & tactu baculi terram patuiſſe, & nemus hinc inde corruiſſe, foſſataque profunda ſubito facta fuiſſe, heremitam deinceps feruentius dilexit, & ei familiariùs adhæſit.

Cũ ſumme omnium ſtupore baculo terram aperuit, ad modũ foſſa.

Mulier accuſat eum maleficij apud S. Faronem.

Miraculũ ingens.

Ad iram ſiquidem à muliere prouocatus vir Dei, orauit vt Deus vltionum Dominus iniuriam ſuam ita vindicaret, quod omnis mulier Monaſterium eius ingrediens, ſui corporis infirmitatem incurreret. Quædam poſt hæc mulier diues & nobilis cupiens videre quid accideret mulieri, quæ in Monaſterium præfatum intraret, in illud ancillam ſuam manibus impulit, & Domina illa oculum amiſit, & ancilla illæſa permanſit. Mulier altera pedem in Monaſterio poſuit vnum, qui ſtatim pes intumuit, & tumor aſcendens tibiam, genu & crus occupauit. Beatus igitur Fiacrius ſignis & virtutibus in vita ſua claruit, & ad eius tumulum membra languentium modo ſanitati quolibet morbo fuerint grauata reſtituuntur. Tranſiit autem ad gaudia cæleſtia quintodecimo Kalendas Septembris, & floruit circa annum Domini ſexcenteſimum viceſimum ſecundum.

Precibus ingreſſum Monaſterij mulieribus occluſit.

Caſtigantur diuinitus mulieres temerariæ.

Alia eius miracula ex Surio quæ apud Capgrauium non extant.

INter quæ accidit quòd quidam vir de Montiaco, qui duos habebat paruulos, diutiſſimè infirmatos, & tandem vt ad Beatum Fiacrium duceret, iumento impoſuit, vnum antè, alium retrò, medius verò ipſe reſedit. Et cum iter aggreſſus perueniſſet ad pontem, qui dicitur pons rapidus, iumentum ſuum pedem offendit & in fluuium corruit, cum patre & filiis proclamantibus; Sancte Fiacri ſuccurre nobis. Et cum rei exitus à circumſtantibus præſtolaretur: ſubitò pater emerſit & filij. Aqua inſuper duorum hominũ longitudine profunda, ſe calcabilem patri præbuit, qui filios dextra læuaque arripiens, ſine difficultate ad terram reduxit, ſanctum aſſerens ſibi affuiſſe Fiacrium. Quod vt manifeſtiùs pateret, ſicut de periculo, ita de morbo, quo vt dictum eſt, diu prius laborauerint, in ipſo articulo liberati ſunt.

Pater cũ duobus filijs à ſubmerſione eripitur. Filij ab infirmitate curantur.

Quatuor pueri balneantes ſe, apud Nouiomum in flumen *Iſara* nomine, fortuitò ſubmerſi, & à piſcatoribus à ſexta hora vſque ad ſolis occaſum quæſiti nec inuenti: tandem à matre duorum illorum; quos ſanctus Fiacrius à ſubmerſione, & morbo pridem liberauerat, inuocatus eſt, & ab ea adiuratus, vt ſimili facto oſtenderet quantũ poſſet apud Deum. Poſt ipſius mulieris orationem, ſtatim pueri emerſerunt viuentes: dicentes ſe à quatuor dæmonibus fuiſſe ligatos, ſed per ſanctum Fiacrium nunc ſolutos.

Quatuor pueri ſubmerſi reuiuiſcunt.

Quidam de territorio Ambianenſi, polypum, quaſi ouum, ſuper naſum habẽs, vt anſer ſibilans omnibuſque monſtrum apparens, ad ſancti Dei Monaſterium confluens, ibique orans obdormiuit, ac ſtatim ſurgens ſanatum ſe inuenit.

Septem Peregrini de S. Dionyſio venientes, cùm non longè eſſent à Monaſterio S. Fiacrij, dixerunt quatuor ex illis: Eamus ad ſanctum Fiacrium. Reliqui verò tres dixerunt: Nos Viſcoſi non ſumus, non habemus neceſſe ire ad eum, ipſe non habet peregrinos niſi Viſcoſos. Quatuor tamen ad ſanctum incedentibus, tres prædicti eos irridentes ſæpiùs clamabant: Ite Viſcoſi ad medicũ Viſcoſorum. Nec mora: cæci facti ſunt, & apertis oculis nihil

Caſtigantur diuinitus ſancti viri oſores.

videbant. Pænitentes igitur clamabant poſt quatuor ſocios, qui ad ſanctum Dei properabant. At illi putantes eos vt prius irridere, ipſis non intenderunt. Tandem viſitato S. Fiacrio reuerſi, prædictos tres ſocios ſuos inuenerunt cæcos, errare per agros. Cognoſcentes verò culpam, eos ad ſanctum Fiacrium duxerunt, & cum ipſis ſancti miſericordiam implorantes, obtinuerunt eis viſum reſtitui. Tanta autem quotidie, meritis beati Confeſſoris perpetrantur in diuerſis partibus miracula, quod de ſingulis non eſt noſtræ poſſibilitatis ſcribere.

Rurſus conſequuntur miſericordiam & à cæcitate liberantur.

Ex Breuiario Burdegalenſi.

Beatus Fiacrius, ex Hibernia partibus, relicta patria in Meldenſi territorio, ſub B. Faronis Epiſcopi protectione conſiſtens innumeris florebat virtutibus, &c. Videatur etiam Breuiarium Antiſidorenſe, vbi vita eius aliquot Lectionibus ad longum attexitur. Videatur & antiqua membrana apud S. Maturinum Trinitariorum Pariſijs in ſacello eiuſdem Sancti in tabula ad parietem appenſa, in qua legitur eadem prorſus *Sequentia*, quæ ſequitur, & inueniri poteſt explicata apud Iodocum Clichthoueum in ſuo Elucidario Eccleſiaſtico.

SEQVENTIA
DE SANCTO FIACRIO CONFESSORE.
Ex eius officio Eccleſiaſtico deſumpta.

Lvcernæ nouæ ſpeculâ
Illuſtratur Hibernia,
Coruſcat Meldis inſula,
Tantæ lucis præſentiâ.
Illa miſit Fiacrium,
Hæc miſſum habet radium,
Habent commune gaudium,
Hæc patrem, illa filium.
Ad vitam ſolitariam
Suſpirans exit patriam,
Faronem Meldis reperit,
Cui ſuum votum aperit:
Hunc loco ſolitario,
Locat in ſolo proprio,
Fit Ioannis ſimilis,
Cultor deſerti ſterilis.
Dum locum ſignat baculo,
Nouo nemus miraculo,
Tanquam cæſum deijcitur,
Humo non foſſâ cingitur.
Sic ſancti viri meritum
Loci dilatat ambitum,
Res innoteſcit fœminæ,
Recuſat vt de crimine:
Damnat opus malefici,
Diffamat artem magici,
Præſentandus hic præſidi,
Laſſus inſedit lapidi:
Lapis cœdit nec cæditur,
Petræ ſedes inſculpitur,
O fœminæ nequitia,
Petræ maior duritia:
Orat ne loci intret limina,
Immunis vlla fœmina,
Hæc eſt cauſa cur fœminæ
Arceantur eius limine:
Hic miſeris refugium,
Infirmis refrigerium,
Peregrinis hoſpitium,
Spes lapſis, mœſtis gaudium;
Vitam arctat ieiunio,
Somno breui, cilicio,
Se dum occultat latebris,
Mundo fit magis celebris:
Virtutum fulget titulis,
Medetur cæcis oculis,
Polypo, fico, calculis,
Febribus, morbis ſingulis:
Fidentem in Fiacrio,
Nulla lædet corruptio
Pia cuius deuotio,
Purgat ab omni vitio. Amen.

Ianuarij 16.

VITA SANCTI FVRSEI
ABBATIS ET CONFESSORIS,

Ex Capgrauio.

Furſei patria eius virtutes & dotes.

VIr fuit vitæ venerabilis Furſeus nomine, ex Hibernia natus, nobilis quidem genere, ſed nobilior fide, ſæculi dignitate, inter ſuos clarus, ſed diuina gratia vbique præcipuus. Erat.n. forma decorus, corpore caſtus, mente deuotus, affabilis colloquio, amabilis aſpectu, & bonorum operum ac gratia plenus: ab infantia ſacris literis, & Monaſticis diſciplinis eruditus. Et dum infirmus quadam die Veſpertinalem exorſus eſſet Pſalmodiam orationi intentus, non longè à domo, tenebris ſubitò circundatus ſtetit: & quaſi iam mortuus ad proximam domum deportatur.

Viſio admirabilis.

Tunc quatuor manus ad ſe deſuper extenſas conſpexit, quæ tenentes illum per brachia, niueis pennis ſubuolabant, & illum ex vtraque parte ſuſtinebant. Manus quippe ſub pennis erant, & quaſi per caliginem Angelica corpora cernebat. Tertiũ quoque Angelum, armatum ſcuto candido, & gladio fulgoris niuei ſe præcedere conſpexit. Hi tres pari fulgore ſplendentes, miræ ſuauitatis dulcedinem, alarum ſonitu illi animæ inferebant. Canebant autem

Pſalm. 83

vno incipiente; *Ibunt Sancti de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Syon.* Erat enim in carmine eleuatio, & in finem poſitio. Audiebatque quoque aliud quaſi ignotum canticum multorum millium Angelorum, & vix pauca potuit intelligere; exierunt obuiam Chriſto.

Anima eius corpori reſtituitur.

Tunc vnus ex ſupernis agminibus præcedenti armato iuſſit ad corpus reducere animam, & ſuam ſecum deferre debere ſolicitudinem, & tunc cantabant illum dimidium verſiculum: *Videbitur Deus Deorum in Syon.* Cuius carminis ſuauitate lætificata anima qualiter in corpus intrauit, intelligere non potuit.

Media verò nocte, tertiæ feriæ in extremis languens audiuit horribiles magnæ multitudinis voces clamantes, & ipſum exire compellentes. Apertis autem oculis ſolos tres prædictos vidit Angelos; duos vtroque latere poſitos, tertium verò armatum ad caput ſuum ſtantem, eorumque cantica cum omni ſuauitate audiuit. Illis eum leuantibus vlulatus & clamores Dæmonum audiuit, ac per medium eorum tranſiens, vnus illorum dixit: Antecedamus, & ante faciem eius bella moueamus. Tunc vidit nigram nubem ad ſiniſtram partem, & ante faciem illius bellicam aciem conſtitutam, & dæmones ignitas ſagittas contra eos iactabant. Sed Angeli eas ſcuto extinguebant. Erant autem corpora Dæmonum plena deformitate & nigredine, collo extento, macie ſquallentia, & omni horrore plena, & capite tumentia. Quando verò volabant, vel pugnabant, nullam corporis formam niſi horribilem & volaticam vmbram videre poterat. Facies eorum propter tenebrarum horrorem nunquam videre potuit. Tunc Angelus præcedens aduerſariis dixit. Nolite tardare iter noſtrum, quia hic homo non eſt particeps perditionis veſtræ. Contradicente aduerſario, & blaſphemante, iniuſtum eſſe Deũ homini peccatori conſentientẽ, nihil damnationis habere, cùm ſcriptum ſit: Non ſolum qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus, digni ſunt morte. Pugnante verò Angelo exiſtimabat vir ſanctus clamorem pugnæ, & vociferationem Dæmoniorum in omnem terram audiri. Et Dæmones dixerunt otioſos ſermones ſæpe protulit, & ideo illæſus vita beata perfrui non debet. Angelus ait: Niſi principalia vitia contra eum protuleris propter minima non peribit. Et Dæmo[illegible]ſi non re-

Rurſus mira ei offertur viſio.

Dæmones cum Angelo pugnant.

Matt. 6.

miſeritis hominibus peccata eorum, nec pater veſter cæleſtis dimittet vobis peccata veſtra. Angelus ait. Vbi ſe vindicauit, vel cui iniuriam fecit? Et Dæmon: non eſt ſcriptum, ſi non vindicetis, ſed ſi non remiſeritis de cordibus veſtris. Et ait Angelus. Iudicemur ante Dominum. Victus inimicus iterum venena reſtaurat dicens. Si iuſtus eſt Deus, homo iſte in regnum cælorũ non intrabit. Scriptum eſt enim. Niſi conuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Hoc verbum minimè impleuit Angelus excuſans dixit. Indulgentiam in corde habuit, ſed conſuetudine humana continuit. Et Dæmon: ſicut accepit malum ex conſuetudine, ita accipiet vindictam à ſuperno iudice. Iudicemur inquit Angelus, ante Dominum.

Matth. 8.

Præliante Angelo, & contritis aduerſariis, dixit Angelus. Reſpice mundum, & vidit vallem tenebroſam ſub ſe in imo poſitam, & quatuor ignes in aëre incendi, aliquibus ſpatiis à ſe diſtantes: Et ait Angelus. Hi ſunt quatuor ignes, qui mundum ſuccendunt. Primus eſt mendacij, cum hoc quod abrenunciare Diabolo, & omnibus pompis eius in baptiſmo, omnes promiſerunt, & minime implent. Secundus cupiditatis, cum mundi diuitias amori cæleſtium præponunt. Tertius eſt diſſentionis, cum animas proximorum in ſuperuacuis rebus, & ſine cauſa offendere non formidant. Quartus impietatis, cum inferiores ex ſpoliare, & eis fraudem facere, & opprimere potentes pro nihilo ducunt. Vnuſquiſque ignis incẽdit alium: quia per augmenta malorum, peccata ex culpis creſcunt. Et cum ignes iſti quaſi in vnum glomerari viderentur, expauit Furſeus, & clamauit: Domine, ignis mihi appropinquat. Cui Angelus. Quod non incendiſti, non ardebit in te. Licet enim terribilis & grandis eſt: tamen ſecundum merita operum ſingulos examinat. Sicut corpus ardet per illicitam voluptatem, ita & anima ardebit per debitam pœnam.

Quatuor ignes mũdum inflammantes.

Tunc Angelus præcedens diuiſit ignem flammæ in duos muros vtroque latere, & ab igne defendebat eum. Tunc vnus Dæmonum, qui in igne volabat dixit: ſeruus qui ſcit voluntatem Domini ſui, & non facit, plag[illegible]apulabit multis. Angelus ait. Quid enim ille de volũtate Domini ſui non impleuit? Et Dæmon, ſcriptum eſt. Dona iniquorum reprobat altiſſimus. Cui Angelus. Credidit.n. quod vnuſquiſque eorum pœnitentiam egiſſet. Et ille. Ante debuit probare pœnitentiæ perſeuerantiam & ſic fructum ſuſcipere. Munera enim excæcant oculos ſapientium, & peruertunt verba iuſtorum. Angelus ait: Iudicemur ante Dominum. Diabolus ſuccumbens, in blaſphemias contra authorem erupit dicens. Vſque nunc exiſtimabamus Deum eſſe veracem, quia omne delictum, quod non purgatur ſuper terram, de cælo eſſe vindicandum promiſit, Iſaia Propheta clamante. Quod ſi volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Quod ſi nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius meus deuorabit vos. Hic homo non purgauit delicta ſua in terra, nec vindictam hîc recipit. Vbi eſt ergò iuſtitia Dei? Angelus dixit. Nolite blaſphemare, dum neſcitis occulta Dei iudicia. At ille. Quid erit hîc occultum? Angelus ait. Quamdiu ſperatur pœnitentia, comitatur hominem diuina miſericordia. Et ille. Sed nullus tum hîc locus eſt pœnitentiæ. Angelus dixit: profunditatem myſteriorum Dei ignoratis. Fortaſſe etenim hic erit. Et Dæmon. Diſcedamus ergo dum iudicandi ratio non eſt. Et ſuperueniens alius Dæmon dixit. Adhuc reſtat illi anguſta porta, per quam non niſi pauci intrant, ibi illum ſuperare poſſumus. Diliges proximum tuum ſicut te ipſum. Et Angelus: Vir iſte in proximos ſuos operatus eſt bona. Et ille: nõ ſufficit bona operari, niſi etiã proximũ ſuũ ſicut ſemetipsũ dilexit. Angelus ait: Fructus dilectionis eſt bona operari: quia Deus reddit vnicuiq; ſecundum opera ſua. Et Dæmon. Sed quia verbum Dei de dilectione non impleuit, damnandus erit; ſi enim Deus iniquus non eſt, & ſi mendacium, & verbi illius tranſgreſſio diſplicet, vir iſte pœnarum expers non erit: Promiſit enim ſæculo abrenunciare, & è contrario ſæculum dilexit contra Apoſtoli præceptũ dicentis: Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo ſunt. Et Angelus. Non ſibi ſoli, ea quæ ſunt ſæculi, ſed omnibus indigentibus diſpenſanda dilexit. Dæmon ait. Quocunque modo diligatur. contra præceptum diuinum eſt, & contra ſponſionem Chriſtianitatis in baptiſmo, Victus aduerſarius ad callidas conuertitur accuſationes

Luca 12.

Deut. 16.

Iſa. 1.

Rom. 2.

1 Ioan. 2.

Ezech. 3. accuſationes dicens. Scriptum eſt. Niſi annunciaueris iniquo iniquitatem ſuam, ſanguinem eius de manu tua requiram. Hic non annuntiauit dignè peccantibus pænitentiam. Et Angelus. quando auditores deſpiciunt verbum, lingua Doctoris loqui præpeditur, dum videt quòd audita prædicatio deſpiciatur. Et ille. Ille tum vſque ad paſſionem annunciare debuit, nec conſentire, nec tacere.

Tandem deuictus aduerſarius immenſa claritate vir ſanctus circumfulſus, reſpiciēs ſurſum, vidit agmina Angelorum & Sanctorum immenſa claritate fulgentia, qui aduolantes, quaſi alis coruſcatione eximia circumfulſis, circundantes eum, omnem formidinem ignis, & dæmonum terrores procul abigebant, & audiuit quaſi quatuor choros Angelorū cantantium atque dicentium; Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Et ait Angelus ad eum. vbi ſupernus conuentus eſt, inde & nos ſumus. Tunc mens Furſei, omnem laborem, ac tribulationem obliuiſcens, immenſa lætitia repletus dixit. Magnum eſt gaudium, hæc carmina dulſiſona auſcultare. Et Angelus. Hoc auditu nos pro miſterio diſpenſationis humanæ ſæpe priuamur, & quod nos annunciādo laboramus, diſſipant dæmonia humana corrumpenda corda. In hoc cæleſti regno nulla vnquam triſtitia, niſi de hominum perditione fieri poteſt. Tunc vidit duos ſanctos Epiſcopos illius prouinciæ in qua hæc vidit, dudum ad cæleſtia tranſlatos, Beanum, ſcilicet, & Meldanum, angelica forma radiantes, ad ſe venire, qui cum eo familiariter loquentes, vt ad ſæculum rediret, præcipiunt. Et cum eum triſtitia repletum propter ſuum nuncium, & dolore non modico conſpicerent, dixerunt: Quid times? Vnius diei iter eſt, quo laboraturus es. Prædicans ergo omnibus annuntia, quia in proximo eſt vindicta.

Beanus & Meldanus Epiſcopi cū eo loquuntur.

Interrogante autem Furſeo de mundi fine: reſponderunt, finem creaturæ iam tunc non eſſe, quamuis in proximo ſit: ſed famis & mortalitatis plagis eſſe vexandum humanum genus. Et quamuis hominibus diuina monita contemnentibus, ſuperni iudicis ira iam imminet, maximè tum ſuper Doctores Eccleſiæ, & Principes, furor illius excandeſcit, quia per quatuor res maximè, animæ fidelium depereunt. Per huius mundi illecebroſa vitia: per ſuggeſtionem Diaboli: per Prælatorum negligentiam: Per iniquorum Principum exempla praua, ſiue Doctorum. Doctores namque Eccleſiæ & Rectores, viri dimidij operis ſunt, quia per omnipotentis Dei miſericordiam alij largitatis gratiam ſunt adepti: ſed carnis incontinentia ſunt lubrici. Alij vero corpore quodam caſtitate pollent, ſed æſtibus auaritiæ anhelant. Alij gratiam habent lenitatis, ſed rancore animæ ſunt puſillanimes. Alij autem non recordando iniurias ſuas citò ignoſcunt, ſed minus cor cautè cuſtodiendo, citiuſque iraſcendo, rixas prouocant. Quod ergo Deus ſingulis largiendo donauit, quaſi proprio labore acquiſitis gloriantur. Vitia vero quæ eos impugnant, & deuincunt i corde vigilij, & operum bonorum inſtantia, vincere negligunt. Nonnulli verò omiſſis ſpiritalibus, quibus impugnantur vitijs, corpus abſtinentia affligunt, nocturnaſque illuſiones vel leuia quæque quaſi grauia exiſtimantes delicta: ſuperbiam verò, quæ Angelos de cœlo eiecit, pro nihilo reputāt, auaritiam, quæ hominem primum de Paradiſo expulit, non execrantur. Inuidiam, per quam Abel occiditur, falſum teſtimonium, per quod Saluator damnatus eſt, non conſiderant. A cibis, quos Deus cum gratiarum actione ſumendos creauit, abſtinentes: ſuperbiam, auaritiam, inuidiam, & cætera vitia quaſi licita ſumunt. Quo verò leuiora in iudicio Dei exiſtunt: grauius iudicant grauia quaſi leuiora reputantes. Non ſatis eſt corpus affligere, ſi animus à malitia, & nequitia non curatur. Doctores Eccleſiæ & Rectores vlmum pro vitæ, & almum pro oliua non plantent, hoc eſt plus terrenum & infructuoſum laborem diligant, quàm charitatem, quæ omnium radix, & culmen bonorum operum non ignoratur.

Per quatuor res animæ depereūt.

Gen. 4.

Contra Doctores iratus eſt Dominus, qui libros diuinos negligentes; curas huius mundi cum omni affectione agunt. Rex enim & Sacerdos, & vnuſquiſque non quod ſcriptum eſt, ſed quod rectum ſibi videtur, hoc facit. Tu autem inquiunt, fidelis eſto diſpenſator, nihil tibi præter victum & veſtitum vendicare. Qui enim ſic libenter damnum ſicut datum ſuſceperit, os mutorum aperire poterit. Eſto nihil mendicans: nulli negans. Deo odibile eſt

aliena appetere, & propria retinere. Pauperi enim & vinctis conuenit, petere: habentibus autem indigentibus diſpenſare. Eleemoſynæ verò nullo rogante pauperibus erogandæ ſunt, bona quoque in omnes homines operanda ſunt. Nullam curam huius ſæculi ſuſcipias, pura mentis indulgentia bona pro malis ſemper rependas. Nullum boni operis ſacrificium ſic Deo acceptum probatur:ſicut contra omnes iniurias manſuetudo cordis, per quam aduerſa & damna quaſi lucra & proſpera ſpe futuræ remunerationis in Domino lætus ſuſcipit.

Sacrificiũ boni operis Deo acceptum.

Illis autem in cælo receptis: Furſeo cum tribus Angelis ſolo maximus appropinquabat ignis: ſed Angelus ſicut antè medium ſciudens & diuidens ignem, virum vnum ex igne proſilientē Dæmones ſuper humerum Furſei & maxillā eius proijciunt. Cognouit enim virum quod ei veſtimentū proprium moriens contulerat. Humero verò & maxilla Furſei à veſte combuſtis: ab igne vnde exiuit ab Angelo proiicitur. Tunc Dæmon viro ſancto ait. Noli repellere quod antè ſuſcepiſti: quia ſicut eius bona ſuſcepiſti, ſic de pœnis eius particeps eſſe debes. Cui Angelus. Non propter auaritiam, ſed propter animam illius liberandam ſuſcepit. Cumque ceſſaſſet ignis, ait Angelus. Quod accēdiſti, hoc arſit in te. Si enim huius viri in peccatis ſuis mortui veſtem non ſuſcepiſſes, nec pœnæ illius in corpore tuo ardere poſſent. Multis enim exhortationibus inſtructus corpus ſuum quaſi ignotum cadauer conſiderans, & abhorrens nolle eidem appropinquare, reſpondit. Præcepto tamen Angeli qualiter corpus ſuum intrauit ſcire non potuit. Et exurgens, ac circumſtantes aſpiciens, magnitudinem humanæ ſtultitiæ ingemuit, arduum & difficilem tranſitum admirans, & remunerationis diuinæ magnitudinem. Deindè enim ſignum incendij, quod in anima ſola pertulit viſibiliter in humero & in maxilla ſemper portauit. Elapſo vnius anni circulo, vnius diei iter ſibi iniunctum fuiſſe recolens, moleſtia corporali correptus vidit Angelum Domini vnius diei iter ſibi exponentem, ac duodecim annos in opere prædicationis ipſum completurum prædicentem. Demùm in Angliam cum paucis fratribus adueniens, à rege Orientalium Saxonum Sigiberto honorificè ſuſceptus eſt. Completis autem duodecim annis infirmatus prædicationi inſiſtere, Angelo, ſibi apparente monetur. Nullum vitæ finem ab Angelo audiuit; ſed intulit. Vigilate & orate: quia neſcitis diem neque horam. Quod intelligens vir Dei, in loco *Knoberesburgh* vocato à Rege Sigiberto ſibi collato, Monaſterium conſtruxit, quod poſtmodum Anna eiuſdem Prouinciæ rex ædificiis & poſſeſſionibus non modicum auxit. Et cum in tenui veſte ſederet & viſiones ſuas timentibus Deum narrare contingeret: Et in media hieme ſemper ſudauit præ timore. Curam Monaſterij fratri ſuo Foillano tandem commiſit, & cum altero fratre ſuo Vltano annum integrum quotidianis viuens laboribus in Eremo peregit. Turbatam deinde incurſione gentium videns Prouinciam, Galliam nauigauit, & ope Erkelvvaldi Patricij Latiniacum Monaſterium conſtruxit, & XVII. Kal. Februarij in pace quieuit, & in villa, quæ Perona, dicitur ſepeliri meruit. Poſt quatuor verò obitus ſui annos à ſanctis Epiſcopis Eligio & Autberto corpus eius immaculatum ſine vlla putredine cum honore transfertur. Floruit autem circa annum Domini ſexcenteſimum triceſimum ſextū.

Anna rex Orientalium Anglorum.

Furſeus in Gallia ædi Monaſterium.

FINIS.

De eodem V. Beda lib. 3. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Gentis Anglorum.

Capite 19.

VERVM dum adhuc Sigebertus regni infulas teneret, ſuperuenit de Hibernia vir ſanctus nomine Furſeus, verbo & actibus clarus, ſed egregijs inſignis virtutibus, cupiens pro Domino, vbicunque ſibi oportunum inueniret, peregrinam ducere vitam. Qui cum ad prouinciam Orientalium Anglorum, ſuſceptus eſt honorificè à rege præfato, & ſolitum ſibi opus euangelizandi exequens, multos & exemplo virtutis, & incitamento ſermonis vel incredulos ad Chriſtum conuertit, vel etiam credentes amplius in fide atque amore Chriſti confirmauit. Vbi quadam infirmitate corporis arreptus, angelica meruit viſione perfrui, in qua admonitus eſt, cœpto verbi miniſterio ſedulus inſiſtere, vigilijſque conſuetis & orationibus indefeſſus incumbere: eo quòd certus ſibi exitus eſſet, ſed incerta eiuſdem exitus hora futura, dicente Domino: vigilate itaque, quia

quia neſcitis diem neque horam. Qua viſione confirmatus, curauit locum Monaſterij, quem à præfato rege Sigberto acceperat velociſſimè conſtruere ac regularibus inſtituere diſciplinis. Erat autem monaſterium ſyluarum & maris vicinitate amœnum, conſtructum in caſtro quodam, quod lingua Anglorum *Cnobberſburg, id eſt*, vrbs *Cnobbers* vocatur. Quod deinde rex Prouinciæ illius Anna, ac nobiles quique quæ auguſtioribus ædificijs ac donarijs adornauerunt. Erat autem vir iſte de nobiliſſimo genere* Scotorum: ſed longè animo nobilior, quàm carne. Ab ipſo tempore pueritiæ ſuæ curam non modicam lectionibus ſacris ſimul & monaſticis exhibebat diſciplinis, & quod maximè ſanctos decet, cuncta quę agenda didicerat, ſolicitus agere curabat. Quid multa? procedente tempore & ipſe ſibi monaſterium, in quo liberius cæleſtibus ſtudijs vacaret, conſtruxit. Vbi correptús infirmitate (ſicut libellus de vita eius conſcriptus ſufficienter edocet) raptus eſt è corpore. Et à veſpera vſque ad Galli cantum corpore exutus, Angelicorũ agminũ & aſpectus intuerij,& laudes beatas meruit audire. Referre autem erat ſolitus, quòd apertè eos inter alia reſonare audiret: Ibunt Sancti de virtute in virtutem. Et iterum: *Videbitur Deus Deorum in Syon*. Qui reductus in corpore, & die tertia ruſum eductus, vidit non ſolum maiora beatorum gaudia, ſed & maxima malignorum ſpirituũ certamina, qui crebris accuſationibus improbi iter illi cæleſte intercludere contendebant: nec tamen protegentibus eum Angelis quicquam proficiebant. De quibus omnibus ſi quis pleniùs ſcire vult, id eſt, quanta fraudis ſolertia dæmones & actus eius,& verba ſuperflua,& ipſas etiam cogitationes, quaſi in libro deſcriptas replicauerint, quæ ab Angelis ſanctiſque, ac viris iuſtis ſibi inter Angelos apparentibus læta vel triſtia cognouerit, legat ipſum de quo dixi libellum vitæ eius, & multum ex illo (vt reor) profectus ſpiritalis accipiet, in quibus tamen vnum eſt, quod & nos in hac hiſtoria ponere multis commodum duximus. Cùm ergo in altum eſſet elatus, iuſſus eſt ab Angelis, qui eum ducebant reſpicere in mundum. At ille oculos in inferiora deflectens, vidit quaſi vallem tenebroſam ſubtus ſe in imo poſitam. Vidit & quatuor ignes in aëre non multo ab inuicem ſpatio diſtantes. Et interrogans Angelos qui eſſent hi ignes, audiuit hos eſſe ignes, qui mundum ſuccendentes eſſent conſumpturi. Primum mendacij, cùm hoc quod in baptiſmo abrenunciare nos Sathanæ & omnibus operibus eius promiſimus, minimè implemus. Secundum cupiditatis, cùm mundi diuitias amori cæleſtium præponimus. Tertium diſſentionis, cùm animas proximorũ etiam in ſuperuacuis rebus offendere non formidamus. Quartum impietatis cùm infirmiores ſpoliare & eis fraudem facere pro nihilo ducimus. Creſcentes verò paulatim ignes vſque ad inuicem ſeſe extenderunt, atque in immenſam adunatæ ſunt flammam. Cumque appropinquaſſent pertimeſcens ille dicit Angelo. Domine ecce ignis mihi appropinquat. At ille. Quod non incendiſti inquit, non ardebit te. Nam etſi terribilis iſte & grãdis eſſe rogus videtur, tamen iuxta merita operum ſingulos examinat, quia vniuſcuiuſque cupiditas in hoc igne ardebit: ſicut enim quis ardet in corpore per illicitam voluptatem, ita ſolutus corpore ardebit per debitam pœnam. Tunc vidit vnum de tribus Angelis, qui ſibi in tota vtraque viſione ductores affuerunt, præcedentem ignis flammas diuidere, & duos ab vtroque latere circumuolantes, ab ignium ſe periculo defendere. Vidit autem & dæmones per ignem volantes, incendia bellorum contra iuſtos ſtruere, ſequuntur aduerſus ipſum accuſationes malignorum, defenſiones Spirituum: bonorum copioſior cæleſtium agminum viſio. Sed & virorum de ſua natione * Scotorum, quos olim ſacerdotali gradu non ignorabiliter potitos fama iam vulgante compererat, à quibus non pauca, quæ vel ipſi, vel omnibus qui audire vellent multum ſalubria eſſent audiuit. Qui cum verba finiſſent, & cum Angelicis ſpiritibus ipſi quoque ad cælos redirent, remanſerunt cum beato Furſeo tres Angeli, de quibus diximus, qui eum ad corpus referrent. Cumque præfato igni maximo appropiaret, diuiſit quidem Angelus ſicut prius ignem flammæ, ſed vir Dei vbi ad patefactam vſque inter flammas ianuam peruenit, arripientes immundi ſpiritus vnum de eis, quos in ignibus torrebant, iactauerunt in eum, & contingentes humerum, maxillamque eius incenderunt. Cognouitque

* ſeu Hibernorũ.

* Hiberorum.

hominem, & quod veſtimentum eius morientis acceperit, ad memoriam reduxit, quem Angelus ſanctus ſtatim apprehendens in ignem reiecit. Dicebatque hoſtis malignus: Nolite repellere quem ante ſuſcepiſtis. Nam ſicut bona eius peccatoris ſuccepiſtis, ita & de pœnis eius participes eſſe debetis. Contradicens Angelus. Non inquit, hoc propter auaritiam, ſed propter ſaluandam eius animam ſuſcepit. Ceſſauitq; ignis. Et conuerſus ad eũ Angelus. Quod incẽdiſti, inquit, hoc arſit in te. Si enim huius viri in peccatis ſuis mortui pecuniã non accepiſſes, nec pœna eius in te arderet, & plura locutus: quid erga ſalutem eorum qui pœniterent eſſet agendum, ſalubri ſermone edocuit. Qui poſtmodum in corpore reſtitutus, omni vitæ ſuæ tempore ſignum incendij quod in anima pertulit, viſibile cunctis in humero maxillaq; portauit. Mirumque in modum quod anima in occulto paſſa ſit, caro palam præmonſtrabat. Curabat autem ſemper, ſicut & antea conſueuerat, omnibus opus virtutum & exemplis oſtendere & prædicare ſermonibus. Ordinem autem viſionum ſuarum illis ſolummodo, qui propter deſideriũ cõpunctionis interrogabant, exponere volebat. Supereſt adhuc quidam frater ſenior Monaſterij noſtri, qui narrare ſolet, dixiſſe ſibi quendam multum veracem ac religioſum hominem, quòd ipſum Furſeum viderit in Prouincia Orientalium Anglorum, illaſque viſiones ex ipſius ore audierit Adiicienſque quòd tempus hyemis fuerit acerrimum & glacie conſtrictũ, cùm ſedens in tenui veſte vir iſte inter dicendum propter magnitudinem memorati timoris vel ſuauitatis, quaſi in mediæ æſtatis caumate ſudauerit. Cum ergò, vt ad ſuperiora redeamus, multis annis in Scotia verbum Dei omnibus annuncians, tumultus irruentium turbarum non facile ferret, relictis omnibus quæ habere videbatur, ab ipſa quoque * inſula patria diſceſcit. Et paucis cum fratribus per Britones in Prouinciam Anglorum deuenit, ibique prædicans verbum Dei, vt diximus, Monaſterium nobile conſtruxit. Quibus ritè geſtis, cupiens ſe ab omnibus ſæculi huius, & ipſius quoque Monaſterij negotiis alienare, reliquit Monaſterium, & animarum curam fratri ſuo *Fullano* & preſbyteris *Gobbano & Dicullo*, & ipſe ab omnibus mundi rebus liber in Anachoretica conuerſatione vitam finire diſpoſuit. Habuit alterum fratrem vocabulo *Vltanum* qui de Monaſterij probatione diuturna ad eremiticam vitam peruenerat. Hunc ergo ſolus petens, annum totum cum eo in continentia & orationibus, in quotidianis manuum vixit laboribus. Dein turbatam incurſione gentilium Prouinciam videns, & Monaſteriis quoque periculum imminere præuidens, dimiſſis ordinatè omnibus, nauigauit Galliam, ibique à rege Francorum *Lothovvio* vel *Patricio Herconualdo* honorificè ſuſceptus, Monaſterium conſtruxit in loco Latiniaco nominato. Ac non multò poſt infirmitate correptus diem clauſit vltimum. Cuius corpus idem *Herconualdus* Patricius accipiens, ſeruauit in porticu quodam Eccleſiæ, quam in villa ſua, cui nomen erat Perona, faciebat, donec ipſa Eccleſia dedicaretur. Quod cùm poſt dies viginti ſex eſſet factum, & corpus ipſum de porticu ablatum, prope altare eſſet recondendũ, inuentum eſt ita illæſum, ac ſi eadem hora de hac luce fuiſſet egreſſus. Sed & poſt annos quatuor conſtructa domuncula cultiore receptui corporis eiuſdem, ad orientem altaris adhuc ſine macula corruptionis inuentum ibidem digno cum honore tranſlatum eſt. Vbi merita illius multis ſæpe conſtat, Deo operante, claruiſſe virtutibus. Hæc & de corporis eius incorruptione breuiter attigimus, vt quanta eſſet viri ſublimitas legentibus notiùs exiſteret. quæ cuncta in libello eius ſufficientius, & de aliis commilitonibus ipſius quiſquis legerit inueniet.

**ſcilicet Hibernia, nam Scotia moderna nõ eſt inſula per ſe, ſed vna cum Anglia inſulam facit.*

Ex Martyrologio Notkeri XVII. *Cal. Febr.*

IN pago Mandenſi in Perona Monaſterio S. Furſei Hibernienſis. Qui de hoc ſæculo raptus multa mirabilia conſpexit, & reuerſus mortalibus admiranda narrauit: ac poſtmodum in auſtera diſtrictione demigrauit.

Ex

Ex Martyrologio Rhabani Mauri.

XVII. Calend. Februarij. In pago Mandenſe in Perona Monaſterio depoſitio S. Furſei Confeſſoris, qui in Hibernia natus, & nutritus patriam parenteſque relinquens ſacræ ſcripturæ ſtudiis aliquot vacabat annis, vnde Monaſterium in quodam conſtruxit loco: ſed dum Patriam, parenteſque viſitare properarat, vt inter illos ſacri verbi ſemina Spiritualibus ſeminaret eloquiis: quadam die corporis ægrotantis moleſtia corripitur, ac poſt ſubitò in ectaſi raptus, iacuit quaſi exanimis à veſpertina hora vſque ad galli cantum; ſed dum ad ſe rediret, agnouit Angelicam eſſe viſionem, & ſumpto corpore ac ſanguine Chriſti iacuit infirmus Ipſo die, & altera: tertia verò nocte iterum ab Angelis ſublatus mirabiles vidit viſiones, ſicut liber vitæ ipſius teſtatur. Sed poſtquam ad ſe rediit 12. annos in prædicatione verbi Dei, & miraculorum clareſcebat ſignis: nouiſſimè verò in Gallia Monaſteriis conſtructis, ipſe bonis auctus meritis inde migrauit ad Chriſtum. Corpus verò eius ab Ercanvvaldo Duce & cæteris fidelibus in Perona Monaſterio in Eccleſia S. Petri Apoſtoli, & cæterorum Apoſtolorum iuxta altare honorificè conditum eſt. *Hucuſque Rhabanus.*

Ex Chronico Vniuerſali Mundi ætate 6. fol. 121.

FOrſeus quoque Hiberniæ Regis filius per id tempus cum duobus germanis, contemptis regni ſui pompis, Monachalem habitũ ſuſceperunt, & in magno precio euaſerunt. Is Monaſterium in loco, quem vocant Latiniacum conſtruxit: Nec multo poſt ordinatis fratribus migrauit ad Dominum. Poſt quatuor autem annos ab Eligio & Auſberto Epiſcopis immaculatum corpus ſine vlla putredine transfertur. Huius natale celebratur 4. Non. Martij.

Arnoldus Vuion in ſuo Ligno vitæ lib. 4. cap. 24.

S. Furſeus Philtani Hiberniæ regis filius, multis annis in Scotia verbum Dei annunciauit. Et cætera ibidem.

VITA SANCTI BLAITHMAIC MARTYRIS
AVCTORE VVALAFRIDO STRABONE.

Quæ habetur tomo 6. antiquæ lectionis Henrici Caniſij.

SI tantam meruêre ſuo pro carmine famam
Qui ſceleroſorum mores & facta tulerunt
Laudibus in cælum perfuſi dæmonis arte,
Friuola nectentes hominum monimenta malorum:
Cur non liberius ſanctorum facta canamus,
Quos placuiſſe Deo nobis miracula produnt,
Quæ fidei virtute gerunt per munera Chriſti?
Nam ſcriptura canit, Domino ſpondente, puſillis,
Os aperire tuum ſtudeas, ego verba miniſtro.
Quapropter venerande pater, chariſſime Felix
Præceptis parere tuis ex corde paratus
Strabus ego, miſit quem terra Alamannica natu,
Scribere diſpoſui de vita & fine beati
Blaithmaic, genuit quem diues Hibernia mundo,
Martyriiq; ſequens miſit perfectio cælo.
Ipſius vt meritis veniam per ſæcla capeſſam.
Regali de ſtirpe ſatus ſummumq; decorem

Nobilitatis habens, florebat regius hæres
Iſte Dei ſanctus, vitam ducendo pudicam,
Quodq; ſolet rarò factum & non ſæpe videri:
Quanto maior erat, tantò deiectior ibat.
Spes patriæ, fortuna patris, Rex ille futurus,
Iudicio iuſtus, prudens & corpore caſtus,
Sobrius, ornatus, iocundus, cautus, honeſtus,
Nobilis in genere egregio, generoſior actu,
Obſequio locuples, melius virtutibus auctus,
Tractabat laïcus, quod Clericus efficiebat,
Cuius honorandum nomen ſermone Latino
Pulcher natus adeſt, meritoq; probabilis illo
Nomine dignus erat, patrem qui cunctipotentem
Elegit pulchroq; Deum quæſiuit amore,
Sordebant terrena animo diuina petenti,
Secretumq; latens in ſolo pectore manſit,
Donec ad effectum proceſſit ſancta voluntas.
Cœnobium furtim quoddam ſine teſte petebat;
Quique fuit pridem patriæ per regmina Princeps,
Nomine pro Chriſti eſt factus tunc verna minoris,
Faſcibus in mediis qui quondam terruit omnes
Omnibus admiſſis ſibimet ſine milite ſeruit.
Fama vt forte volans patris peruenit ad aures,
Hinc ſtupor atq; dolor mentem cinxêre parentis;
Subtractum dolet hæredem mittitq; ſenatum
Agmina, Prætores, populum, præcepta, maniplos;
Duxq; comesq; ibant, properanter Epiſcopus aſtat;
Abbatumq; cohors, vicini carne propinqui
Hoc ſolum nitente manu, ſi qualiber arte
Efficerent reducem vitata pericula mentem
Corde ſubire alio, ô talis, quàm cæca voluntas,
Ille procellarum ſe vix de gurgite dempſit,
Quæſitoq; diu titubans ſterit anchora portu
Nondum curarum potuit laxaſſe rudentes,
Nec terra fixiſſe pedem, cum concita venris
Aura pharetratis impegit ab æquore puppim,
Vique ſua tremulam diſſolueret vnda carinam;
Ni regeret proram, qui ſæcula cuncta gubernat,
Mox miro à cunctis ſemper complexus amore,
Cunctorum ſtuduit fieri diciq; miniſter.
Mente humilis, linguæ cuſtos, & norma bonorum,
Verba Dei capiens ſitienti corde libenter
Diſcendi ſtudioſa gerens præcordia libris.
Perdidicit diuina animo documenta ſagaci
Sicq; vigens doctrinarum morumq; nitore
Agmina multorum rexit veneranda virorum,
Exemplis ſua dicta probans, vanosq; fauores
Pro nihilo ducens, cui laus & gloria ſolum
Chriſtus erat, Chriſtus ſermo, Chriſtus documentum;
Pax, clypeus, lorica, preces, patientia, bellum,
Mucro Dei Verbum, ſpes & dilectio totum,
Nulli detraxit, nulli conuitia ſtruxit,
Singula quid fari per ſingula verba neceſſe eſt?
Cum quidquid legitur virtutum ritè teneret,

Et quidquid vitij monſtrat ſcriptura caueret,
Omnibus exiſtens feliciter omnia factus,
Vt cunctos faceret Chriſto ſua lucra referre,
Vtilis & prudens ſeruus per ouilia Chriſti,
Tempore qui certo menſuram farris opimi
Conſeruis tribuens radiauit vbique fidelis,
Vtq; nihil meriti, nihil & probitatis abeſſet,
Martyrij palmam quæſiuit mente benigna,
Sæpius hac cauſa peregrinas viſere terras
Niſus, ab incepto populo retrahente quieuit,
Vnde animo ſedit fugitiuo calle parumper
Optatam tentare viam cum diſcipulorum
Agmine non multo pretioſa monilia ſecum
Virtutum ſub mole gerens, ruptiſq; tenebris
Nocte fugam capiens properanter abire parabat,
Ecce ſuperueniens fugitiuis turba ſequentum,
Ad caulas capto retrahit paſtore bidentes.
Hoc quoque non taceam ſanctus quod ſpiritus illi,
More Prophetarum rerum ſecreta ferebat;
Nam dum fama patrem longè latéq; beati
Ipſius ad ſuperos vita fugiente volaſſe
Proderet, expoſuit non eſſe, ſed eſſe futurum,
Poſt modicum tempus ſancto Spiramine doctus.
Inſula pictorum quædam monſtratur in oris
Fluctiuago ſuſpenſa ſalo, cognominis Eo
Qua ſanctus Domini requieſcit carne Columba;
Hanc petiit voto patiendi ſtigmata Chriſti
Illic namque frequens pagana caterua Danorum
Aduentare ſolet furiis armata maligni,
Sed ſanctus Domini tales tentare leones
Diſponens animo vana formidine mentem
Exuit, & clypeo fidei, galeáq; ſalutis
Munitus, hominum non horruit arma malorum.
Qui cum doctiloquo potuit ceciniſſe propheta
Eſt Deus adiutor mihimet, timor improbus abſit.
Iam quoque doctus erat per publica bella miniſtros
Temnere dæmonicos, ipſum qui rite Tyrannum
Strauerat, & cunctis ſolus ſuperauit in armis.
Tempus erat, quo magna Dei clementia ſetuum
Conſociare ſuum nitidis ſuper aſtra maniplis
Diſpoſuit, certamque bono conferre coronam
Victori, cum ſancta viri mens præſcia rerum
Venturos properare lupos, vt membra piarum
Diuiderent ouium, ſenſu prænoſceret alto.
Vos, ait, ô ſocij vobiſcum mente ſagaci
Quærite, ſi pœnas Chriſti pro nomine vobis
Sit tolerare animus mecum quicumque poteſtis
Exſpectate, precor ſenſus armare viriles,
At quibus infirmi pauitant penetralia cordis
Ecce fugam celerent, vt parta pericula vitent,
Ad meliora ſuos armantes vota lacertos:
Proxima ſtat nobis certæ tentatio mortis
Firma fides vigilet rebus ſuſpenſa futuris
Cauta minus fortes ſeruet tutela fugarum.

Hic dictis compuncta cohors, quod poſſe videbat
Hoc animo ſtatuit, quidam ſub pectore firmo,
* quo. Sacrilegas ſpectare manus gladio * furenti
Suppoſuiſſe caput gaudebant mente ſerena:
Aſt alij quibus hoc nondum fiducia mentis
Perſuaſit per nota fugam loca calle capeſcunt.
Aurea diſcutiens tenebras aurora madentes
Claruit, & nitidus pluchro Sol orbe refulſit.
Cum ſacer hic doctor Miſſarum ſancta celebrans
Officia ante ſacram vitulus ſtetit integer aram,
Hoſtia grata Deo mucrone litanda minaci
Cætera turba iacet, lacrymis precibuſque Tonanti
Commendans animas de pondere carnis ituras.
Ecce furens maledicta cohors per aperta ruebat
Tecta viris minitando pericula ſæua beatis
Et reliquis rabida ſociis feritate peremptis,
Ad ſanctum venêre patrem, pretioſa metalla
Reddere cogentes, queis ſancti ſancta Columbæ
Oſſa iacent, quam quippe ſuis de ſedibus arcam
Tollentes tumulo terra poſuêre cauato,
Ceſpite ſub denſo gnari iam peſtis iniquæ.
Hanc prædam cupiêre Dani, ſed ſanctus inermi
*loc. corruptus. * Reſtitit manu firmo conamine mentis
Contra ſtare aciem pugnamque laceſſere doctus
Cedere diſſuetus tibi talia barbare dicta
Ingerit, ignoro penitus quod quæritis aurum,
Quo ſit humi poſitum, tectum quibus atque latebris?
Quod ſi ſcire mihi, Chriſto admittente, liceret,
Nunquam noſtra tuis hoc auribus ora referrent.
Barbare duc gladios, capulum cape, iamque trucida
Auxilio Deus alme humilem commendo tuo me.
Hinc pia truncatis diſcerpitur hoſtia membris.
Quodque ferox miles cenſu penſare nequibat
Rimari in gelidis cœpit per vulnera fibris.
Nec mirum, nam ſemper erant, ſemperq; reſurgunt,
Quos furor in famulos Domini malus excitet omnes
Vt quod pro cunctis Chriſti cenſura peregit,
Cuncti hoc pro Chriſto faciant licet impare facto.
Ille igitur Chriſti factus pro nomine Martyr,
Teſtis, fert vt fama, loco requieſcit eodem,
Multa vbi pro meritis dantur miracula ſanctis,
Quo colitur Dominus digno veneranter honore,
Cum ſanctis, quorum meritis mea crimina ſolui
Credo quibus laudum ſupplex donaria miſi,
Nil negat his Chriſtus, cui maxima lucra tulerunt,
Qui cum Patre pio, ſanctóque in ſæcula Flatu,
Regnat & æterno pollet ſine fine decore.

INCIPIT

INCIPIT REGVLA S. COLVMBANI TRANſcripta ex manuſcripto membrano Monaſterij Bobienſis.

Regula incipit. Primo omnium docemur Dominum diligere ex toto corde, tota mente, totis viribus, & proximum ſicut noſipſos, deinde opera.

De obedientia. CAP. I.

AD primum verbum ſenioris omnes ad obediendum audientes ſurgere oportet, quia obedientia Deo exhibetur dicente Domino noſtro Ieſu Chriſto; *qui vos audit me audit.* Si quis igitur verbum audiens non ſtatim ſurrexerit, inobediens iudicandus: Qui autem contradixerit, crimen incurrit; ideo non ſolum inobedientiæ reus eſt, ſed etiam contradictionis aditum aliis aperiens multorum deſtructor æſtimandus eſt. Si quis verò murmurauerit, & ipſe tanquam, non ex voto obediens, inobediens putandus eſt; idcirco opus eius abiiciatur, donec illius bona voluntas cognoſcatur. Obedientia autem vſque ad quem modum definitur? vſque ad mortem certe præcepta eſt; quia Chriſtus vſque ad mortem obediuit Patri pro nobis; quam ipſe nobis per Apoſtolum inſinuat, dicendo: *hoc ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu, qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, & ſpecie inuentus vt homo, humiliauit ſemetipſum factus obediens Patri vſque ad mortem, mortem autem crucis.* Nihil itaque recuſandum eſt obedientibus, veris Chriſti diſcipulis, quamuis durum, & arduum ſit, ſed cum feruore, & lætitia arripiendum eſt, quia ſi talis non fuerit obedientia non erit acceptabilis Domino, quia ait: *& qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus*, & ideo dicit de digno diſcipulo, *vt vbi ego ſim, ibi & miniſter meus mecum.*

De taciturnitate. CAP. II.

SIlendi regula diligenter cuſtodienda decernitur; quia ſcriptum eſt: *cultus autem iuſtitiæ ſilentium, & pax*, & ideo ne reatus de verboſitate conquiratur; exceptis vtilitatibus, & neceſſariis, opus eſt vt taceatur, quia iuxta ſcripturam: *in multiloquio non deerit peccatum*: idcircò Saluator ait: *ex verbis tuis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* Iuſtè damnabuntur, qui iuſta dicere noluerunt cum potuerunt, ſed mala, iniuſta impia, inania, iniurioſa, incerta, falſa, contentioſa, contumelioſa, turpia, fabuloſa, blaſphema, aſpera, ac flexuoſa loqui garrula verboſitate maluerunt. Tacendum igitur de eis, & talibus, & cum cautela, & ratione loquendum eſt, ne aut detractiones, aut tumidæ cōtradictiones in loquacitate vitioſa prorumpant.

De cibo, & Potu. CAP. III.

CIbus ſit vilis, & veſpertinus Monachorum ſatietatem fugiens, & potus ebrietatem, vt & ſuſtineat, & non noceat. Olera, legumina, farinæ aquis mixtæ cum paruo pane paxemati, ne venter oneretur, & mens ſuffocetur; etenim vtilitati, & * vſui tantum conſulendum eſt æterna deſiderantibus præmia, ideo temperandus eſt ita * vſus, ſicut temperandus eſt labor: quia hæc eſt vera diſcretio, vt poſſibilitas ſpiritualis profectus cum abſtinentia carnem macerante retentetur: ſi enim modum abſtinentia exceſſerit, vitium non virtus erit: virtus enim multa ſuſtinet bona, & continet. Ergo quotidie ieiunandum eſt, ſicut quotidie reficiendū eſt, & dum quotidie edendum eſt, viliùs & parciùs corpori indulgendum eſt, quia ideo quotidiè edendum eſt, quia quotidie proficiendum eſt, quotidie orandum eſt, quotidie laborandum, quotidieque eſt legendum.

*Forte victui.

*Forte victus.

De cupiditate calcanda. CAP. IIII.

MOnachis, quibus pro Chriſto mundus crucifixus eſt, & ipſi mundo, cupiditas calcanda eſt, nimirum dum non ſolum ſuperflua eos habere damnabile eſt, ſed etiam velle: quorum non cenſus, ſed voluntas quæritur: qui relinquentes omnia, & Chriſtum Dominum cum timoris cruce quotidiani ſequentes, in cælis habent theſauros. Idcirco dum in cælis multum ſunt habituri, paruo extremæ neceſſitatis cenſu in terris debent eſſe contenti, ſcientes lepram eſſe cupiditatem Monachis imitatoribus filiorum, Prophetarum,

ac diſcipulo Chriſti * proditione atque perditione Apoſtolorum quoque * dubiis ſectatoribus mortem; ideo ergo nuditas, & facultatum contemptus prima perfectio eſt Monachorum: Secunda vera purgatio viriorum: Tertia, perfectiſſima Dei continuata dilectio, ac diuinorum iugis amor, qui terrenorum ſuccedit obliuioni. quæ cum ita ſint paucis nobis opus * ſunt iuxta verbum Domini, aut etiam vno; pauca namque ſunt neceſſaria vera, ſine quibus non tranſigitur, aut etiam vno, quaſi cibo iuxta literam; puritate autem ſenſus indigemus per gratiam Dei, vt intelligamus ſpiritualiter quæ ſunt illa pauca charitatis, quæ Marthæ à Domino ſuggeruntur.

* Fortè proditionem, perditionem. *fortè deuiis. * fortè eſt.

De vanitate calcanda. CAP. V.

Vanitas quoque quàm ſit periculoſa breuibus demonſtratur verbis Saluatoris, qui diſcipulis hac lætantibus vanitate dixit: *Videt Sathanam ſicut fulgur de cælo cadentem*; & Iudæis aliquando ſe iuſtificantibus ait; *quod autem altum eſt hominibus, abominatio eſt in conſpectu Domini.* His, & illo Phariſæi famoſiſſimo ſe iuſtificantis exemplo colligitur, quod interemptrix ſit omnium bonorum vanitas, & gloriatio elata dum bona vanè laudata Phariſæi perierint, & peccata publicani accuſata euanuerint. Non exeat igitur verbum grande de ore Monachi, ne ſuus grandis pereat labor.

De Caſtitate. CAP. VI.

Caſtitas vera Monachi in cogitationibus iudicatur, cui nimirum cum diſcipulis ad audiendum accedentibus à Domino dicitur: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo*; dum enim votum illius conſiderat ille, cui conſecratus eſt, verendum eſt ne inueniat in animo, quod abominatur, ne forte iuxta ſancti ſententiam Petri habeant oculos luxuriæ plenos, atque adulterij: & quid prodeſt virgo corpore, ſi non ſit virgo mente, Dominus enim Spiritus in Spiritu habitat, ac mente, quem immaculatum viderit, in quo nulla ſit adultera cogitatio, nulla Spiritus coinquinati macula, nulla peccati labes ſit.

De curſu. CAP. VII.

De ſynaxi ergo, id eſt, de curſu Pſalmorum, & orationum modo canonico quædam ſunt diſtinguenda, quia varie à diuerſis memoriæ de eo traditum eſt; Ideo iuxta vitæ qualitatem, ac temporum ſucceſſionem variè à me quoque literis idem inſinuetur: non enim vniformis eſſe debet pro reciproca temporum alternatione: longior enim per longas noctes, breuiorque per breues eſſe conuenit, inde & cum ſenioribus noſtris ab 8. Calendas Iulij cum noctis augmento ſenſim incipit creſcere curſus à duodecim choris breuiſſimi modi in nocte Sabbathi, ſiue Dominicæ vſque ad initium hiemis, id eſt Kalendas Nouembris, in quibus vigintiquinque canunt antiphonas Pſalmorum eiuſdem numeri duplicis, qui ſemper tertio loco ſuccedunt Pſaltis, ita vt totum Pſalterium inter duas ſupradictas noctes numero cantent duodecem choris, cæteras temperantes tota hieme noctes; qua finita per ver ſenſim per ſingulas hebdomadas terni ſemper decedunt Pſalmi, vt duodecim in ſingulis noctibus tantum antiphonæ remaneant, id eſt quotidiani hiemalis triginta ſex Pſalmi, curſus; vigintiquatuor autem per totum ver, & * æſtate, & vſque ad autumnale equinoctium, id eſt 8. Kalendas Octobris, in quo ſimilitudo ſynaxeos eſt, ſicut in vernali equinoctio, id eſt, in 8. Kalendas Aprilis, dum per reciprocas vices paulatim creſcit, & decreſcit. Igitur iuxta vires conſideranda vigilia eſt maximè, cum ab authore ſalutis noſtræ iubemur vigilare, & orare omni tempore, & Paulus præcipit ſine intermiſſione orare, ſed quia orationum canonicarum noſcendus eſt modus, in quo omnes ſimul orantes horis conueniant ſtatutis, quibuſque abſolutis vnuſquiſque in cubiculo ſuo orare debet. Per diurnas terni Pſalmi horas pro operum interpoſitione ſtatuti ſunt à ſenioribus noſtris cum verſiculorum augmẽto interuenientiũ pro peccatis, primùm noſtris, deinde pro omni populo Chriſtiano, deinde pro ſacerdotibus, & reliquis Deo conſecratis ſacræ plebis gradibus, poſtremò pro eleemoſynas facientibus; poſtea pro pace Regum, nouiſſimè pro inimicis; ne illis Deus ſtatuat in peccatum quod perſequuntur, & detrahunt nobis, quia neſciunt quid faciunt. Ad initium verò noctis duodecim Pſalmi, ad mediumque noctis duodecim ſimiliter Pſalluntur: ad Matutinum verò bis deni, biſque bini per tempora breuium, vt dictum

* Fortè aſtatem.

ctum eſt, noctium, ſunt diſpoſiti pluribus iam vt dixi, ſemper nocti Dominicæ ac Sabbathi vigiliæ deputatis; in quibus ſub vno curſu ſeptuaginta quinque ſigillatim cantantur. Hæc iuxta communem dicta ſunt ſynaxim. Sed vera, vt dixi, orandi traditio, vt poſſibilitas ad hoc deſtinati ſine faſtidio voti præualeat, ſiue ſua perfectio poſſibilitatis permittat, vel capacitas mentis illius cum neceſſitatum conſideratione, vel vitæ qualitas poſſit admittere * cui quantum vniuſcuiuſque feruor exegerit. Si liber ac ſolutus ſit, aut eruditionis eius quantitas poſtulauerit, aut ſtatus etiam, aut magnitudo ſtudij, aut operum qualitas, aut ætatum diuerſitas permiſerit, ita varie licet vnius rei perfectio æſtimanda eſt, quia cum labore, ac loco vices partitur: & ideo licet longitudo ſtandi, aut cantandi ſit varia, vnius tamen perfectionis erit æqualitas orandi in corde, ac mentis cum Deo iugis intentio: Sunt autem quidam Catholici, quibus idem eſt canonicus duodenarius Pſalmorum numerus, ſiue per breues, ſiue per longas noctes, ſed per quaternas in nocte vices hunc canonem reddunt, ad initium noctis, ad mediumque eius, pullorum quoque cantus, ad matutinum; qui curſus ſicut in hyeme paruus aliis videtur, ita in æſtate ſatis oneroſus, & grauis inuenitur, dum crebris in noctis breuitate expeditionibus, non tam laſſitudinem facit, quam fatigationem. Noctibus vero reuerentiſſimis Dominicæ ſcilicet, vel Sabbathi, ad Matutinũ ter idem voluitur numerus, id eſt ter denis, & ſex Pſalmis. Quorum pluralitas, ac ſancta conuerſatio hunc numerum canonicum multis dulci induxit ſuauitate, tanquam & reliquam diſciplinam, ſub quo, nimirum regula nullus inuenitur laſſus, & cum tanta pluralitas eorum ſit, ita vt mille Abbates ſub vno Archimandrita eſſe referantur, nulla ibi à conditione cœnobij inter duos Monachos rixa fuiſſe fertur viſa, quod ſine Dei ibi habitatione dicentis: *Ego in eis habitabo, & inter illos ambulabo, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus*, eſſe non poſſe manifeſtum eſt. Merito itaque creuerunt, & quotidie, Deo gratias, creſcunt, in quorum medio Deus habitat, quorum meritis mereamur ſaluari à ſaluatore noſtro. Amen.

*forte in quantũ.

De Diſcretione. CAP. VIII.

DIſcretio monachis quàm ſit neceſſaria multorum error oſtendit, & aliquorum ruinæ demonſtrant: qui ſine diſcretione incipientes, & abſque moderatrice ſcientia degẽtes vitam finire laudabilem non potuerunt: quia ſicut ſine via tendentibus error euenit; ita ſine diſcretione viuentibus exceſſus in promptu eſt, qui ſemper virtutibus in medio inter vtramque nimietatem poſitis contrarius eſt. Cuius impactio periculi * res eius, dum iuxta ſemitam diſcretionis directam, inimici prauitatis offendicula, ac diuerſorum errorum ſcandala ponunt. Orandus igitur iugiter eſt Deus, quo lumen veræ diſcretionis largiatur ad illuminationem huius viæ tenebris ſæculi vtrinque obſcuriſſimis circumdatæ, quo ſui ad ſe ſine errore veri adoratores poſſint has euadere tenebras. Diſcretio igitur à diſcernendo nomen accepit, eo quod ipſa in rebus diſcernit inter bona, & mala, inter media quoque, ac perfecta: diuiſa namque ſunt ab initio ſicut lux, & tenebræ vtraque, id eſt bona & mala, poſtquam mala per diabolum boni deprauatione eſſe cœperunt. Sed per Dominum illuminantem prius ac poſtea diuidentem, inde Abel pius bona elegit, Cain vero mala *incepit.] Bona fecit Deus cuncta quæ creauit, mala vero diabolus superſeminauit doloſa calliditate, ac ſubdola ambitionis initutæ ſuaſione. Quæ ſunt igitur bona illa? ſcilicet quæ integra ſunt, ac incorrupta, ſicut creata, permanſerunt, quæ ſolus creauit Deus, & præparauit iuxta Apoſtolum, vt in illis ambulemus. Quæ ſunt opera bona, in quibus in Chriſto Ieſu creati ſumus? bonitas ſcilicet, integritas; pietas, iuſtitia, veritas, miſericordia, charitas, pax ſalutaris; lætitia ſpiritualis, cum ſpiritus fructu. Hæc omnia cum fructibus ſuis bona ſunt: his vero contraria mala ſunt, ſcilicet malitia, corruptela, impietas, iniuſtitia, mendacium, auaritia, odium, diſcordia, amaritudo cum fructibus eorum multiplicibus, qui ab eis naſcuntur: Innumerabilia enim ſunt, quæ de vtriſque contrariis, id eſt bonis, & malis procreantur. Quod autem declinat à bonitate condita, & integritate, hoc primum malum eſt, vt eſt ſuperbia malitiæ primæ, cui contraria eſt piæ bonitatis humilis exiſtimatio ſuum creatorem agnoſcentis, & glorificantis,

*fortè euenit.

*forte in cœpit.

quod eſt rationabilis creaturæ primum bonum. Sic & cætera per duplices ſenſim partes in immanem nominum ſyluam creuêre. quæ cum ita ſint, tenenda ſunt fortiter bona, Dei habentibus auxilium, quod ſemper orandum eſt per proſpera, & aduerſa, ne aut extollamur in proſperis in vanitatem, aut deiiciamur in aduerſis in deſperationem, ideo continendum ab vtroque periculo, id eſt ab omni nimietate per temperantiam glorioſam, & veram diſcretionem, quæ Chriſtianæ humilitati adhæret, & viam perfectionis veris Chriſti militibus aperit, diſcernendo ſcilicet ſemper in dubiis rectè, ac inter bona, & mala vbique diuidendo iuſte, ſiue inter vtraque foris, ſiue inter corpus intus, & animam, ſiue inter opera, & mores, ſiue inter curam, & quietem, ſiue inter publica, & ſecreta. Mala itaque cauenda ſunt, ſimiliter, ſuperbia, inuidia, mendacium, corruptela, impietas, mala morum, tranſgreſſio, gula fornicatio, cupiditas, ira, triſtitia, inſtabilitas, vana gloria, elatio, detractio: bona quoque virtutum ſectanda ſunt: humilitas, benignitas, puritas, obedientia, abſtinentia, caſtitas, largitas, patientia, lætitia, ſtabilitas, feruor, impigritia, vigilantia, taciturnitas: quæ per fortitudinem ſufferentem, & temperantiam moderantem, quaſi in quadam ponderatrice diſcretionis ſtatera ſtatuenda in actu ſunt operis aſſueti per capitula conatus noſtri, ſufficientia vbique quærentibus: nam cui ſufficientia non ſufficiunt, exceſſiſſe diſcretionis modum, nulli dubium eſt, & quidquid ipſum modum exceſſerit vitium eſſe manifeſtum eſt. Igitur inter paruum, & nimium rationabilis eſt in medio menſura reuocans ſemper ab omni vtrinque ſuperfluo in omni re poſita, certum vbique neceſſitatis procurans, ac irrationabile ſuperfluæ voluntatis declinans, & hæc menſura veræ diſcretionis omnes noſtros pondere trutinans iuſto actus, nequaquam nos deuiare ab iuſto permittet. Neque ſi illam vice ducis per directum ſemper ſequamur, errorem pati * dum enim de vtraque parte ſemper eſt continendum, iuxta illud dictum: *continete vos à dextris, & ſiniſtris*, in directum ſemper per diſcretionem tendendum eſt, id eſt per lumen Dei, dicentibus ſæpius, atque Pſalmiſtæ victoris verſiculum cantantibus: *Deus meus illumina tenebras meas, quoniã in te eripiar in tentatione, tentatio enim eſt vita hominis ſuper terram.*

* *Deeſt* poterimus, *vel quid ſimile.*

De mortificatione. CAP. IX.

Maxima pars regulæ monachorum mortificatio eſt, quibus nimirum per ſacram Scripturam præcipitur: *ſine conſilio nihil facias*, ergo ſi nihil ſine conſilio faciendum, totum per conſilium eſt interrogandum, inde & iam per Moyſen præcipitur. *Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi*; ſed licet duris dura videatur hæc diſciplina, vt ſcilicet homo ſemper de ore pendeat alterius: certis tamen Dominum timentibus dulcis, ac ſecura inuenietur, & ſi ex integro, & non ex parte conſeruetur; quia nihil incertius eſt conſcientiæ ſecuritate, & nihil ſecurius animi impunitate, quam nullus ſibi ipſi per ſe poteſt tradere, quæ propriè aliorum eſt examinis. Hoc namque defendit à timore iudicij, quod iam examinauerit iudicantis cenſura, cui alieni ponderis imponitur moles, & totum portat quod ſuſcipit periculum, *maius enim*, vt ſcriptum eſt, *periculum iudicantis, quam eius, qui iudicatur.* Quicunque itaque ſemper interrogauerit, ſi ſeruauerit, nunquam errabit, quia ſi alterius errauerit reſponſum, fides credentis, & labor obedientis non errabũt, neque mercede interrogati carebunt. * Nam ſi per ſe aliquid diſcuſſerit qui debuit interrogare, hoc ipſo arguitur erraſſe, quod iudicare præſumpſit qui debuit iudicari; & ſi rectum, fuerit prauum illi reputabitur, dum per hocà recto declinauit, quia nihil audet per ſe iudicare, cuius officium eſt tantum obedire. Cum igitur hæc ita ſint, cauenda vbique eſt monachis ſuperba libertas, ac vera humilitas diſcenda ſine murmuratione, & hæſitatione obedientibus, quo iuxta Domini verbum, *iugum Chriſti ſuaue, & onus eius leue* ſentiant, alioquin donec Chriſti humilitatem diſcant ſuauitatem iugi eius, & oneris illius leuitatem non ſentient; humilitas enim cordis, requies animæ eſt vitijs, ac laboribus fatigatę, ac vnicũ illius de tot malis refrigeriũ; & quantũ ad hanc conſiderationem tota de tantis foris vagis, ac vanis *attrahatur, tantum intus requieſcit, & refrigeratur, ita etiam & amara, illi ſint dulcia, ac dura, & ardua ante habita plana, ac facilia eſſe ſentiat, mortificatio quoque ſuperbis, ac duris intollerabilis, illi fit conſolatio,

* *forte* quod.

* *forte* attrahitur.

ſolatio, cui hoc ſolum placet, quod humile, ac manſuetum eſt. Sciendum autem eſt quod neque hanc martyrij felicitatem, neque aliud quid vtile ſuperueniens poterit perfectè complere quis, niſi qui in hoc ſtadium ſingulare poſuerit, vt non inueniatur imparatus; ſi enim iuxta hoc ſtudiũ, ſuas * aliquas ſectari aut nutrire * voluerit intentiones, continua interpoſitorum occupatione detentus, turbatus totus ſequi quo iuſſio ducit, gratusque ſemper non poterit: neque vt competit complere poteſt, qui turbulentus eſt, & ingratus. Mortificationis igitur triplex eſt ratio: non animo diſcordare, non lingua libita loqui, non ire quoquam abſolutè. Suum ſemper eſt dicere ſeni quamuis contraria iubenti: non ſicut ego volo, ſed ſicut tu vis: iuxta exemplum ſaluatoris, qui & alibi ait: *Deſcendi de cœlo non vt faciam voluntatẽ meam, ſed voluntatem eius qui me miſit patris.*

* *fortè aliquas*
* *fortè noluerit.*

De Perfectione monachi. CAP. X.

MOnachus in monaſterio viuat ſub vnius diſciplina patris, conſortioque multorum, vt ab alio diſcat humilitatem, ab alio patientiam: vnus eum ſilentium, alter doceat manſuetudinem, non faciat quod vult, commendat quod iubetur, habeat quantum acceperit, operis ſui penſum perſoluat, ſubijciatur cui non vult, laſſus ad ſtratum veniat, ambulanſq; dormitet, nec dum expleto ſomno ſurgere compellatur. Paſſus iniuriam, taceat. Præpoſitum monaſterij timeat vt Dominum, diligat vt parentem: credat ſibi hoc eſſe ſalutare, quidquid ille præceperit, nec de maiorum ſententia iudicet, cuius officium eſt, obedire, & implere quæ iuſſa ſunt dicente Moyſe: *Audi Iſrael.* & reliqua.

EXPLICIT REGVLA.

Homilia 5. S. Columbani de fallacia vitæ humanæ.

O Tu vita quantos decepiſti, quantos ſeduxiſti, quantos excæcaſti, quæ dum fugis nihil es, dum videris vmbra es, dum exaltaris fumus es, quæ quotidie fugis, & quotidie venis, veniendo fugis, quæ fugiendo venis, diſſimilis euentu, ſimilis ortu, diſſimilis luxu, ſimilis fluxu, dulcis ſtultis, amara ſapientibus. Qui te amant non te ſciunt, qui te contemnunt ipſi te intelligunt, ergo non es vera, ſed fallax. Te oſtendis tanquam veram, te reducis quaſi fallacem. Quid ergo es humana vita? via es mortalium, non vita, à peccato incipiens vſque ad mortem: vera enim eſſes ſi te peccatum primæ tranſgreſſionis humanæ non interrupiſſet. Et tunc caſſabunda, & mortalis deueniſti, cum omnes tuos viatores morti aſſignaſti: via ergo es ad vitam, non vita, vera enim es via, ſed non plana, aliis longa, aliis breuis; aliis lata, aliis anguſta, aliis læta, aliis triſtis, omnibus ſimiliter feſtinans, & irreuocabilis: via es, inquam, via es, ſed non omnibus manifeſta es. Multi enim te vident, & pauci te viam eſſe intelligunt, ſic enim ſubtilis es, & ſic ſeductrix, vt paucorum ſit te ſcire viam. Interroganda ergo es, & non credenda, nec iudicanda, tranſeunda, non habitanda miſera humana vita; nullus enim in via habitat, ſed ambulat, vt qui ambulant in via, habitent in patria. Quare tu mortalis vita habitaris, diligeris, vindicaris? diligeris à ſtultis, contemneris à ſenſatis, caueris à ſaluandis. Timenda itaque es humana vita, & multum cauenda, quæ ſic fugitiua es, ſic lubrica, ſic periculoſa, ſic breuis, ſic incerta, vt quaſi vmbra, aut imago, aut nubes, aut nihil, aut inane diſſolueris. Dum ergo nihil es ô mortalis vita, niſi viæ imago, fugitiua, vt auis, vt nubes incerta, & fragilis vt vmbra, vt ſomnium, ſic per te iter agendum eſt, tam ſollicite, tam caute, tam expedite, vt viatorum more ad veram patriam omnibus intelligentibus feſtinandum ſit. De tranſacto ſecurus de Deo, quod reſtat ſollicitus, nihil enim tibi prodeſt aſcendere, quod aſcenderis, niſi quod reſtat euaſeris, via enim, & aſcenſus quidam, putanda eſt vita hæc. Non quæramus in via, quod futurum eſt in patria, labor enim, & fatigatio in itinere verſatur, in patria requies, & ſecuritas paratur. Cauendum eſt itaque nobis ne forte per viam ſecuri ſimus, & ad veram patriam noſtram non perueniamus, ſunt enim reuera nonnulli in hoc itinere ſecuri, deſides, liuidi, vt non tam in via, quam in patria eſſe videantur, & non tam voluntarij, quam inuiti eunt ad patriam, nimirum

iam perditam. Hic enim in via peruſi ſunt patria & de breui vita æternam mortem mercati ſunt, aliena caduca dilexerunt, & propria æterna neglexerunt. Quapropter quamuis ſint læta, quamuis blanda, quamuis ſint ſpecioſa, aliena terrena deuitemus, vt propria æterna non perdamus. Fideles in alienis inueniamur, vt in propriis, ac noſtris hæredes efficiamur donante Domino Ieſu Chriſto, cui gloria in ſæcula ſæculorũ. Amen.

Extant & in eodem Monaſterio Bobienſi, alia S. Columbani Opuſcula, continentia inſtructiones ſeu Homilias 13. quarum præcedens quinta eſt; Item exhortationes, & de pænitentia ſermonem; denique regulas ſeu canones pænitentiales. Sed hæc ad manus noſtras non dum peruenêre.

CARMEN MONOSTICHON
BEATI COLVMBANI ABBATIS.

Ex codice Manuſcripto Friſingenſi.

Quod habetur tom. j. antiquæ Lectionis Henrici Caniſij.

a. L. vt. *HÆc præcepta legat deuotus, a & impleat actu,*
Virtutum titulis vitam qui quærit honeſtam,
Vel homines inter cupiat præclarus haberi,
Vel morum meritis cæleſtia regna mereri,
Atque Deo Chriſto ſocius ſine fine videri.
Impleat ipſe Dei, qui vult ſua vota venire
** Viue Deo fidens Chriſti præcepta ſequutus.*
** Sint tibi diuitiæ, diuina dogmata legis.*
b non eſt in L. & repetitur. 93. *b Diuitias, Domini faciet benedictio claras.*
Corporis exſuperat vires prudentia mentis.
Omnibus eſt mundi melior ſapientia gazis.
Semper amanda quidem eſt rerum doctrina bonarum.
Optimus eſt animus Chriſti veſtitus amore.
Dæmonas aduerſus magnæ eſt oratio Virtus.
Vt moneas carum noli deſiſtere amicum.
Morbi cauſa mali nimia eſt quæcũq; voluptas.
c L. in dare ne. c. p. & prendere pergas. *c Tu dare ne claudas palmas, & prẽdere pãdas.*
Semper in ore tuo reſonent bona verba ſalutis.
Ne rogo vindictam tua mens meditetur amarã.
Sint tibi pacifici magna dulcedine mores.
d hic verſus abeſt in L. *Ne tua pæniteat, caueas victoria temet.*
d Fer patris imperium, dũ verbis exit in iras.
e L. cogites. *Quiſque dies vitæ eſt velut vltimus ecce putandus.*
f & hic repetitur infra verſu. 105. *Quod dare non e poſſis, noli promittere verbis.*
f Qui prodeſſe poteſt, nõ eſt fugiendus amicus
Octenas ſtudeas vitiorum vincere turmas.
g L. triũphis. *Te ferat ad cælum quadriga repleta g ſalutis.*
Lingua ſuos habeat frænos in corde ligatos.

Vir bonus eſſe nequit, niſi qui h ſtet omnibus æquus. h L. ſit in.
Qui ſcelera abſcondit, veniã nõ i forte meretur. i L. ne forte meretur?
Qui bona deſueſcit, mox hic conſueſcit iniqua.
Non tu quæſo locis lædas, nec carmine quenquã.
k Sæpius auditu inſtrueris, quàm voce fruaris. k L. S. a frueris quam voce ſalutis.
Sit ſeruus mentis venter; ſit ſerua libido.
Non perdit pietas quidquid l largire videtur. l L. largiri forte largita.
Nõ opibus bona fama datur, ſed moribus almis.
Fac ne te meritò verbis m irrideat alter. m L. derideat.
Pro miſero miſerans lachrymas effunde ſodali.
Eripe, ſi valeas, non fuggere tela furenti.
Sæpe nocet puero miſeratio blanda magiſtri.
Ignotum noto nunquam præponis amico.
Omnia quæ dicunt homines tu credere noli.
Non ſibi quis viuat, Chriſto ſed viuat vbique.
Non tua, ſed Chriſti quæras, qui diligis illum.
Non te, non mundũ, Chriſtum ſed dilige ſolum.
Cum ſapiente loquens perpaucis vtere verbis.
Nil oculi proſunt, quibus eſt mẽs cæca vidẽdi.
Diuitis opprobrium gemitus eſt pauperis ingens.
Plurima diſcenti ſemper ſapientia creſcit.
Iudicium reſtat cunctis certiſſimè factis.
Adueniet Iudex cunctis qui iuſta rependat.
Inclyta perpetuam præſtat n patientia vitam. n L. ſapientia.
Te ſeritate magis faciet moderatio clarum.
[illegible] regios faciet mentis conſtantia mores.
Conſilio facias, rogo, ſit tibi quidquid agendum.
Omnis quippe ætas aliquo ſub faſce laborat.
Vera quidem veterũ iuuenis paradigmata rẽre.
Felix qui cauſam loquitur prudentis in aurem.
Tantũ verba valent, quãtum mens ſentiat illa.

Omnibus eſt locuples qui rebus abũdat[o] honeſtis
o L. amicis. *Non erit antiquo nouus anteferendus amicus.*
Difficile inuenies verum fortaßis amicum.
Moribus egregiis facias tibi nomen honeſtum.
Nemo quidem plures habuit [p] quàm [p] perdit amicos.
p L. expedit.
Cui prodeſt, ſocio qui non prodeſſe probatur?
Sola fides fidei dono [q] ditabitur almo.
q L. probabitur.
[r] Leuis non animam torquentis cura fatiget.
r L. Leuia non animi torquentis cura fatiget.
Res [s] ſeuera quidem ſemper declarat honeſtè.
s L. te vera.
Quid peius, quã ſeui iungat, habitator iniquus?
Actibus, aut verbis noli tu adſueſcere prauis,
Eſt non eſſe quidem ſatius quàm viuere prauè.
Mens bona theſauros praecellit munere cunctos.
Vitam quippe tuam tota virtute tuère.
Omnia pro vita ſunt amittenda tuenda.
Præmeditata quidem leuius ſufferre valebũt.
Quæ ſubitò adueniunt multò grauiora videntur.
Gaudia ſunt populi rector pius atque benignus.
Mors aliena monet propriæ nos mortis vbique.
Felix alterius [t] cuius documenta flagella.
t L. cui ſunt.
Præmia non capiet, ingrato qui bona præſtat.
Sit tibi carus homo, vt frater; Deus vt pater almus.
Omnis paulatim letho nos applicat hora.
Ante diem mortis nullus laudabilis exſtat.
Qualibet ex [u] fructu proprio cognoſcitur arbor.
u L. f. cognoſcitur arbor in orbe.
Doctor erit magnus, factis qui quod docet implet.
Quod tibi vis fieri, hoc alij præſtare memento.
Pauperibus iuſtis cæleſtis gloria reſtat.
Quod tibi non optes, alij ne feceris vlli.
Æquum pondus habe, teneas & ſtatera [x] iuſtũ.
x L. iuſta.
Non tibi ſit modius duplex, nec ſtatera dupla.
Corripe prudentem: reddetur gratia verbis.
Si tu recta facis, ne cures verba malorum.
Vtile conſilium Dominus ne deſpice ſerui.
Inter conuiuas fac ſis ſermone modeſtus.
Cùm quid peccaris, caſtiga, te ipſe ſubinde.
Vulnera dum ſanas, dolor eſt medicina doloris.
Diuitias Domini faciet benedictio claras.
Æternam tribuit felix clementia vitam.
Vtere quæſitis opibus, fuge nomen auari.
Diſce, ſed à doctis; indoctos ipſe doceto.
Contra verboſos noli contendere verbis.
Sermo datur multis, animi ſapientia paucis.
Non læta extollant animũ, non triſtia frangãt.
Proximus eſto bonis, ſi non potes optimus eſſe.
Quantò maior eris, tantò tu cautior eſto.
Cumque alium cauſes, propriam prior inſpice vitam.
Plus tua, quàm alterius dãnabis crimina iudex.
Sis bonus atque bonis, læſus nec læde nocentẽ.
Qui prodeſſe poteſt, non eſt fugiendus amicus.

Cum fueris fœlix, quæ ſunt aduerſa caueto.
Quæ culpare ſoles, hæc tu ne feceris ipſe.
Vita aliena tuæ tibi ſit [y] cathagita vitæ.
Ira odium generat, concordia nutrit amorem.
y L. cathegita, id eſt doctrix, magiſtra.
Sit ſale iam Sophiæ ſermo tibi conditus omnis.
Magna quidem virtus noſtræ eſt moderatio linguæ.
Crede Deo, & proprios tũc tu tibi dirige greſſus.
Lux, timor eſt Domini, cordis: hunc dilige ſẽper.
In Domino ſperans nullus confunditur vnquã.
Vir prudens animo eſt melior, quàm fortis in armis.
Corporis excellit vires ſapientia mentis.
Diuitias animo iniuſtas attendere noli.
Verbum dulce quidẽ tibi multiplicabit amicos.
Conuerti ad Dominum ne tardes tramite recto.
Doctrinis etiam varijs non flexilis eſto.
Te via nam Domini teneas firmißima ſemper.
Iuſtitiæ & pacis placeant tibi verba loquendo.
Pax precor alma tuo placeat tibi ſemper in ore.
Semper in ore tuo reſonent pia ſalutis.
Rex ſapiens populum melius defendit ab hoſte.
Inſipiens rector populum diſperſerit omnem.
Gloria magna quidem regi eſt ſapientia iuſta.
Iniuriaſque tuas in fratrem vlciſcere noli.
Semper auarus amat mendacia, furta, rapinas.
Sufficiat rerum dederat tibi quod Deus ipſe.
Quid terrenus homo, puluis & terra ſuperbit?
Principium ſceleris proh dira ſuperbia conſtat.
Sit tibi cura, tuæ tota virtute ſalutis.
Vna dies, quales fuerint, oſtendit amicos.
Peccaſti ſolus, ignoſcere tu tibi noli.
Quod tacitum cupias, tacito committe ſodali.
Inuidiam nimio cultu vitare memento.
Inuidia maculat famam mala peſtis honeſtam.
Nil ſine conſilio facias, ſic facta probantur.
Qui Domino credit, ſeruat mandata ſalutis.
Semper enim ſapiens metuit ſibi iudicis iram.
Inſtanter facias, ſors quæ tibi tradat agenda.
Cum homine iniuſto nolito manere frequenter.
Nec redit vnda fluẽs, noſtrũ nec tẽpus in annis.
Omnia finis edax deuaſtat gaudia mundi.
Qui pius & clemens, Dominus miſerebitur illi.
Infer nullatenus benefactis mente querelas.
Improperes nunquã, dederis munuſcula ſi qua.
Omnis pertractet primum mens verba loquelæ.
Corporis auxilium medico permitte fideli.
Dum poteris, benefac caro tu ſemper amico.
Sic nouus atq; nouum vinũ veteraſcat amicus.
Rebus in aduerſis nunquam dimittis amicum.
Semper amicus amat, duratq; fidelis [z] amicus. z L. vbique.
Alma dies noctem ſequitur; ſic dona labores.
Tẽpora dũ variant, animus ſit ſemper honeſtus.
Conſilio mentis quodque imminet antè videto.

Dum tibi vita viget, lachrymis mala crimina purges.
Noli iterare ſcelus, lachrymis dum diluis illud.
Luxuriis animo noli ſeruire malignis.
Qui modica ſpernit, minuit maiora per horas.
Tollitur ex numero ſanctorum perfidus omnis.
Oderit inſipiens ſapientis verba magiſtri.
Excitat in riſus fratres verboſus amaros.
Nil illo peius, ſceleri qui gaudet iniquo.
Cui ſecreta quidem credas cautiſſimè cerne.
Corripe peccantem, noli & dimittere amicum.
a Abeſt in m. ſ. Friſing. [a] *Corripere eſt melius notum quam perdere amicum.*
b L. more *Qui fratri ignoſcit, ignoſcit Chriſtus & illi.*
Obſeruat ſapiens ſibi tempus [b] *in ore loquendi.*
Inſipiens loquitur ſpretum ſine tempore verbũ.
Multiloquax animã meritis denudat honeſtis.
Gloria quippe Deum Dominumq; eſt magna timere.
c L. cum mente. *Radix eſt Sophiæ Dominũ* [c] *de mente timere.*
Aurum flãma probat; homines tentatio iuſtos.
Sperate in Domino, & veniet miſeratio vobis.
Dilige, qui cupias cæli bona gaudia, Chriſtum.
Felices faciet natos benedictio patris.
Pauperis & miſeri mentẽ ne afflixeris vnquã.
[d] *Diligit in Sophia ſe ſemper Chriſtus amantẽ.* d L. Diligit omnipotens Sophiã ſibi ſemper amãtem.
Ne citus in lingua fueris, nec ſegnis in actu.
[e] *Non erit innocuus falſus per famina teſtis.* e Abeſt in m. ſ. Friſ.
Diuitias addit Domini benedictio plures.
[f] *Iam magnum reddas modico tu munus amico.* f L. Iam magno reddas medio tu munus ãmici.
Semper amicus amat: amor eſt precioſior auro.
Diues erit, durè ſemper qui operatur in agro.
Otia qui ſequitur, veniet huic ſemper egeſtas.
Omnibus eſt opibus melior vir mente fidelis.
[g] *Exſuperat numerus iuſtorum regna potentum.* g L. Exaltat numerus iuſtorum regna potenter.
Ecce timens Dominum viuet felicibus annis.
Exſpectat lætus cæleſtia gaudia iuſtus.
Impius horrendas ſpectat pro crimine pœnas.
Corruit in præceps populus rectore nefando.
Præparat æternam mitis clementia vitam.
Qui bona ſectatur, prima bene ſurgit in hora.
Multorum profert ſapientis lingua ſalutem.
Hoſtibus in bello dominatur dextera fortis.
Seruiet & ſegnis duro ſub faſce laborum.
Lingua placata ſibi multos acquirit amicos:
Pone tuis verbis vectes ſeraſque loquelis.
Qui præcepta Dei metuit, in pace moratur.
Nam bona perpetuam tribuet doctrina ſalutẽ.
Diligit hic natum, virgo qui corrigit illum.

FINIS.

Obſeruet, diligens Lector, Manuſculam. L. in margine præcedentis carminis ſæpius poſitam, ſignificare Leodicenſem, ſiue manuſcriptum codicem Abbatis ſancti Laurentij Leodicenſis, ex quo pater Martinus Delrius Societatis Ieſu, hoc ipſum carmen accepit, & in lucem emiſit anno 1601. Hoc obſeruato, facile cognoſcet ea in quibus codex Friſingenſis, ex quo Caniſius hoc carmen deſumpſit, ab illo Leodicenſi diſcrepat.

SANCTI COLVMBANI
ABBATIS EPISTOLA.

In qua deteſtatur auaritiam.

Columbanus Hibernus Hunaldo diſcipulo.

PRæfixo hoc titulo, Caniſius tomo ſuprà citato, initium Epiſtolæ ſic ponit; *Suſcipe Hunalde libens, & perlege mente ſerena;* Sed R. P. Sirmondus Societatis Ieſu, qui eandem Epiſtolam cum Opuſculis B. Eugenij Toletani Epiſcopi in lucem edidit Anno 1619. illi verſui alios 17. præmiſit; in progreſſu Epiſtolæ, nonnulla eſt inter vtriuſq; authoris editionem diſcrepantia: in fine verò Sirmondus tres appoſuit Verſus, qui apud Caniſium non inueniuntur. Porrò quia vtrũq; authorem ex authenticis codicibus ipſam Epiſtolam deſumpſiſſe ſupponimus, ac proinde, quæ ambo habent, ex eiuſdem Sancti operibus eſſe, ne quidquam operum eius pereat, ea quæ Sirmondus ſuprà Caniſium ad fert, in principio & fine adijciemus; eaq; in quibus in progreſſu diſſident, in margine notabimus.

C Caſibus innumeris decurrunt tempora vitæ,
O Omnia prætereũt, menſes voluuntur, & anni.
L Labitur in ſeniũ momentis omnibus ætas.
V Vt tibi perpetuam liceat cõprehẽdere vitã.
M Molles illecebras vitæ nunc ſperne caducæ.
B Blandâ luxuriâ virtus ſuperatur honeſta.
A Ardet auaritia, cæcáque cupidine pectus.
N Neſcit habere modũ vanis mẽs dedita curis.
V Vilius argentum eſt auro, virtutibus aurũ.
S Sũma quies nil velle ſupra quã poſtulat vſ⁹.
H Hos ego verſiculos miſi tibi ſæpe legendos,
V Vt mea dicta tuis admittas auribus oro.
N Nec te decipiat vana & peritura voluptas,
A Aſpice quã breuis eſt procerũ, regũq; poteſtas
L Lubrica mortalis citò trãſit gloria vitę.
D Da veniã dictis, fuimus fortaſſe loquaces.
O Omne quod eſt nimiũ ſẽper vitare memẽto.

Hucuſque Sirmondus.

a Sirmõdus habet quæſo.
a Alius ſethe.
* Iſte in monoſticho eſt verſus 3.
b Sirmũdus. hora.
* Iſte in monoſticho eſt ſecundus.

SVſcipe[a] Hunalde libens, & perlege mente ſerena
Dicta Columbani, fida te voce monentis:
Quæ licet ornatu careant ſermonis honeſti,
Vota tamen mentiſque piæ teſtantur amorem.
* Viue Deo fidens, Chriſti præcepta ſequendo,
Dum modò vita manet, dũ tẽpora certa ſalutis;
Tempus & [b] illa volat, momentis labitur ætas.
Deſpice, quæ pereunt, fugitiuæ gaudia vitæ.
Non fragiles ſectcris opes & inania lucra,
Nec te ſollicitet circumflua copia rerum.
* Sint tibi diuitiæ, diuinæ dogmata legis,
Sanctorũmque patrum caſtæ moderamina vitæ,
[c] Omnia quæ dociles ſcripſerunt ante magiſtri,
Vel quæ doctiloqui cecinerunt carmina vates:
Has cape diuitias: ſemper contemne caducas:
In mentémq; tibi veniat tremebunda ſenectus,
Quam gelida tandẽ ſequitur violentia mortis.
Vltima iam ſapiens meditatur tempora vitæ,
Torpentes ſenio vires morbóſque frequentes,
Incertúmque diem lethi certóſque dolores.
Multa ſenem fragilis vexant incõmoda carnis:
Nam macie turpi tabeſcunt languida membra,
Tunc genuũ iunctura riget, venáſq; per omnes
Illius in toto frigeſcit corpore ſanguis.
Sic baculo nitens artus ſuſtentat inertes.
Quid triſtes memorẽ gemit⁹? quid tædia mẽtis?
Somnus abeſt oculis, illũ ſonus [d] excitet omnes.
Quid tunc argenti, fului quid proderit auri
Improba congeries, multos collecta per annos?

c Sirm. pro hoc & ſequẽti verſu, vnũ hũc duntaxat habet: omnia quæ dociles Scripſerũt carmine vates.

d Sirm. excitat.

Munera quid procerũ? ditis quid prãdia mẽſæ?
Quid meminiſſe iuuat tranſacta gaudia vitæ,
Veneris extremi tandem cum terminus æui?
Hæc, dum vita volat, vigili qui mẽte retractat,
Spernit auaritiam, vanóſque refutat honores.
Quid modò terrenis mentes intendere curis
Mortales cupiũt? quid turpia lucra ſequuntur?
[e] Sẽper auar⁹ eget, nec habet quod habere videtur
Ille domi ſolus nummos abſcondit in arca,
Diuitias cumulans, dum ſeſe neſcit amare,
Plus amat hæredem, ſeruat cui cuncta fidelis.
O nimium felix, parcus, cui ſufficit vſus,
Corporis vt curam moderamine temperet æquo,
Non miſera capitur cæcaque cupidine rerum,
Nec maiora cupit, quàm quæ natura repoſcit;
Non lucri cupidus nummis marſupia replet,
Nec molles cumulat tinearum ad pabula veſtes,
Paſcere non pingui procurat fruge caballos,
Nec trepido tales doluit ſub pectore curas,
Ne ſubitis pereat collecta pecunia flammis.
Aut fracta nummos rapiat fur improbus arca.
Viuitur argento ſine, iam ſine viuitur auro;
Nudi naſcuntur, nudos quos terra receptat.
Diuitibus nigri reſerantur [f] limina ditis,
Pauperibuſquè pijs cæleſtia regna pateſcunt.
Temnere diuitias monuit Saluator auaros.
Quiſquis amat Chriſtũ, ſequitur veſtigia Chriſti:
Nam breuis & fragilis moritura gloria carnis
Quicquid habet, rapidi velox fuga tẽporis aufert.
Pulchrè veridici cecinit vox talia vatis.
Tempora dinumerans æui vitęque caducæ.
Omnia tẽpus agit, cũ tẽpore cuncta trahuntur:
Alternãt [g] alimenta vices & tempora mutant.
Accipiunt [h] alimenta dies noctéſque viciſſim.
Tempora ſunt florum, retinet ſua tẽpora meſſis,
Sic iterum ſpiſſo veſtitur gramine campus.
Tẽpora gaudendi: ſunt tempora certa dolendi:
Tempora ſunt vitæ; ſunt triſtia tẽpora mortis.
Omnia dat, tollit, minuitque volatile tempus.
Ver, æſtas, autũnus, hyems, redit annus in annũ
Omnia cum redeant, homini ſua non redit ętas.
Hanc ſapiens omni ſemper reminiſcitur hora,
Atque domum luctus epulis præponit opimis.

e Sirm. Semper auarus eget nũmo teſtante poëta, Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit, Indiget inter opes, nec habet quod habere videtur. Vbi vides loco vnius, tres eſſe apud Sirmõdum.

f Sirm. Lumina Ditis.

g Sirm. Elementa.

h Sirm. Augmenta.

Hactenus Caniſius: tres ſequentes ex Sirmondo deſumpſimus.

Vltima nunc humili concludam verba precatu,
Sis memor ipſe mei, verſus cum legeris iſtos,
Tempora ſic habeas optata longa ſenectæ.

FINIS.

Incipiunt Verſus in Columbani feſtiuitate, ad menſam legendi.

Clare Sacerdos cluis almo fultus decore
Tuis Columba decus, qui redoles in orbe.
Monachorum cohortes te clarum dicunt patrem,
Te ſophiſtam proceres te vatem dixêre Reges.
** Aunent decorata tuis factis præcepta,*
Religionis forma prabet nitorem ſacra
Sic virtutum decus miles Chriſti in aunm
Comptus haberis ſacris pandens præcepta dictis
Quid tibi his dignis æquantur in metallis
Vel comparantur ſanctis ſæclorum geſta factis
Non aureum caput Babylona Perſarum
Argenteus Darius Medus habuit priſcus
Nec Ceneus Macedo olim ſignauit bello
Vel ſepultus ſalo Nilicola, & Cenchris.
Nil dignum ſimile horum geſſêre geſtis
Smyrneus Homerus, & Mantuanus Maro.
Non Pœnus Hannibal non pernix Pollucendus
Non Marius Catulus Stipio, Scylla, Gracchus.
Non ferreus Cæſar Bacchus Numida, Ambro,
Celtiberus Scyta, Hyberus, & Sycamber.
Fertilis vt cedrus palmaque poma præbens
Italia theſaurus ſu gratus vt abrigum.
Tu Sabæorum grata thurea oles virga
Tu balſama ſudas virga Engaddi ſecta.
Tu palmatis opaca manes in vite vera
Tu oleum & pinguis diffundis vt oliua.
Tu lenitate polles benignitate clares,
Myſtica rimando intacta penetrando.
Ædificaſti domum petra ſupra inſertam
Quem olim omnium rerum firmauit conditarum.
Quam ſuprà quis poſitus manet firmus in æuum,
Quæ lapis angularis chryſophaſus hyacinthus
Serdonius Smaragdus topaſius, Berillus
Chryſolytus, & Iaſpis ſaphyrus Ametiſtus.
Calcedon, & Sardinus candida margarita
Herilus Hieruſalem poſitus fundamentum.
Tu mortuus viuis dum vitam morte emis
Tu damnanda perdis dum carnis damna ſentis.
Tu cruciando cares dum Chriſti crucem geris
Patriam dum fugis ad patriam tu redis.
Æterno ſociaris Regi dum Reges contemnis
Paradiſi amœna tu penetras per æuum.
Poſſeſſurus læta virentia per rura.
Quem Dominus virtutum coronauit amator.
Sedibus æternis te collocant ſuis
Ibi canes iucunda carmina voce ſacra
Iam capis theſauros quos dudum recondidiſti,
Commercio quos pio commutaſti in ſæculo
Choros Angelorum cernis & Prophetarum,
Martyrum candidatus cateruas, & iuſtorum.

* *Aunnet*

Hoc carmen habetur poſt vitã S. Colũbani in libro Ionæ Abbatis in monaſterio Bobienſi, cum titulo hic ei præfixo.

Per

Permixtus luce fulua
Receptus tu in caſtris
Dominum inueniſti
Qui trophæum de mundo
Graderis per viam,
Quæ ducit ad æterna
Mundum ſpreuiſti
Cum quo manes per æua
Gloria Trinitatis
Præſentia per æuum,
his clares duce Chriſto
hoſte ſica perempto
quem Ieſum hic quæſiſti
ſic reddit triumphanti,
quam olim præparaſti,
gaudia paradiſi,
vt Meſſiam haberes.
ſine fine futura.
ſemper canenda virtus
& omnia futura.

Duo ſequentes Hymni reperti ſunt in Bobio, in libro officiorum S. Columbani, & duorum ſucceſſorum eius, Attalæ, & Betulphi.

Ad Veſperas, & Nocturnum Hymnus.

Actori mirabilium
Cantemus nouum canticum,
Sublata cuius gratia
Noſtra fruſtrantur merita.
Quibus ergo miraculis
Emituit in populis
Columbanus ſanctiſſimus
Dicamus in ſequentibus.
Hunc paritura filium
Vidit mater per ſomnium
de ſinu lucem ſurgere
Et terris lucem fundere.
Hic factus alter Moyſes
Traxit de petra latices
In colligendis meßibus
Suſpendit imbrem nubibus.
Coruus hoc deſpiciens
Eliæ quamuis ſeruiens
Chyrothecas, quas abſtulit
Furtim, patenter attulit.
Pro boue, quem necauerat
Vrſus onus ſubierat,
Bonis implens officium
Iuſſu patris vt proprium.
De trunco lapſus cunens
Os frontis fregit protinus
Quod ſanctus Dei famulus
Sputo ſanauit citius.
Mundauit lepræ maculam
Dæmonium fugans copulam
Febricitantem fœminam
Sanat per fidei gratiam.
Patrata cuius gratia
Sunt tanta mirabilia
Nos, & hunc locum protege
Rex in æternum Domine.
Præſta Pater piiſſime, &c.

Ad Laudes, Hymnus.

Dum meſſem frater meteret
Et digitum incideret,
Beati Patris precibus
Caſus ſanatur digitus.
Paucis ceruiſiæ potibus
Et ex duobus panibus
Omnibus ſit largißimus
Potus, cibuſque fratribus.
Chriſti ſpirante gratia
Implentur promptuaria,
Ne panis à penuria
Fratrum periret copia.
Vos inſufflatum ſoluitur,
Et per fruſta dimiditur,
Quo facto admirabili
Sunt ſtupefacti barbari.
Cantemus ergo pariter
Quod cantat Dauid iugiter:
Mirabilis eſt Dominus
In ſuis Sanctis omnibus.
Patrata cuius gratia
Sunt tanta mirabilia,
Nos, & hunc locum protege
Rex in æternum Domine.
Præſta Pater piiſſime, &c.

In ſecundis Veſperis, ad Magnificat, Antiphona.

Columbanus ſacer, ſanctiſſimus, ſummus, & egregius Hibernia ortus, humatus ruribus Apenninis intercedat pro nobis quæſumus ad Dominum.

Alius Hymnus de eodem.

Iſtud etiam in Bobienſi libro Ionæ habetur, cũ hae inſcriptione. *Hymnum ſubdidi, quẽ eius in tranſitu præcipiatis canores; quia primus, quem vobis nuper tranſmiſi, eius virtutes continet.* Ex hoc titulo colligũt aliqui, p ſum Ionam huius hymni authorem eſſe.

NOſtris ſolemnis ſæculis refulget dies inclyta
Qua ſacer cælos Columba aſcendit ferens trophęa.
Sed prius quàm eum mater in auras lucis ederet
E ſinu ſolem proſpicit terris lumen diffundere.
Qui poſt altus Hibernia ſacro edoctus dogmate
Gallica arua adiens plebi ſalutem tribuit.
Ægri ſanantur ocyus cautes producunt latices
Piſcis in vſu præbetur cadit imber à ſegete;
·Prolemque capit ſterilis, ales rapinam reddidit
Fartes horreo augetur, abſciſſa caro ſoſpes eſt.
Tactus vidit nec cernitur ſenſit damna ergaſtulum,
Fugit peſtis ab homine, quem dæmon ſęuus miſerat
Liger ſcapham retines. ablata furto prodeunt.
Cæcuſque lumen recipit, præbendo cibus augetur,
In eſcas alites veniunt, feræ iuſsis obediunt
Fides patrare tonſcia nouit quę poſcit omnia.
Gloria tibi Trinitas æqualis vna deitas
Et ante omnia ſæcula, & nunc, & in perpetuum.

Hunc Hymnum, prout eum habet Caniſius tomo 5. antiquæ lectionis, ſuprà vitæ Sancti Columbani præfiximus; ſed cum eundem poſtmodum è monaſterio Bobienſi, ſimul cum Regula S. Columbani, verſibus, & hymnis mox poſitis, nobis tranſmiſiſſet R. P. Hugo Cauellus, cui propterea vna nobiſcum lectores gratias debent: & in multis à priori diſcrepare animaduerteremus; vt vitia, quibus prior ſcatere videtur, ex poſteriori corrigantur, non abs re fore duximus, eum hîc inſerendum.

SERMO SANCTI GALLI CONFESSORIS DICTVS CONSTANTIÆ, IN TEMPLO S. STEPHANI, in conſecratione Ioannis Epiſcopi Conſtantienſis.

De hoc Valafridus Strabus ſupra lib. 1. vitæ S. Galli cap. 24. mentionem facit.

Et habetur tomo 5. antiq. lect. Henrici Caniſij.

SEmpiternus & inæſtimabilis Deus, cum coæterna ſibi ſapientia, hoc eſt, Filio ſempiterno, & charitate ſibi, & filio ſuo conſempiterna, id eſt, Spiritu ſancto, abſque vlla inchoationis, vel temporis mutabilitate, vel locorum, vel miniſteriorum indigentia, ſemper in ſemetipſo beata & immortali maieſtate ſubſiſtens. Nequaquam tamen ſine congruo ſibi ſeruitorum obſequio ſolitarius manſiſſe putandus eſt, cum manifeſtiſſimè dicat Apoſtolus: *Elegit nos in Christo ante constitutionem mundi*, prædeſtinatione ſcilicet æterna, non creatione temporaria, ſed vocatione gratuita, vel indebita gratia. Sed qui ſemper omnia futura in ſua bonitate, & maximè ſanctorum Angelorum, & hominum ſocietatem, præſentialiter contuendo quaſi facta diſponit, aliquando etiam præſcitam & prædeſtinatam immobili conſilio creaturam, ad ſe laudandum, & ex ſe, & in ſe, & per ſe bearè viuendum omnipotentiſſimo dignatus eſt opificio creare de nihilo, & ſuper cœleſtia quidem beatis Spiritibus habitaculum fecit: terram verò futuris hominibus præparauit. Quorum creationis cauſſam noſſe nos conuenit, fratres Chriſtianiſſimi, ne viles vos & abiectos arbitrantes pecudum conuerſatione dignitatem veſtram nullificeris.

Deus ſummè bonus, beneuolentia plenus, inuidia carens, malitiæ neſcius, ſpiritus Angelicos exemplo ſui rationabiles creare diſpoſuit, vt ipſum Dominum, ſuæ cognoſcentes originis autorem, dilectionis eius pinguedine referti, in ipſo delectarentur eſſe beati. Sed cum de illis aliqui nondum de eius dulcedine deguſtata, ſeipſos ſibi eſſe principium, & caput, vitamque, & ſuauitatem, curſu temerario & ſtultiſſimo perſuadere ſibi præſumerent: intus inanes & vacui, ſuperbiæque pondere prægrauati, de tranquilliſſimo cœlorum habitaculo, in huius aëris tempeſtuoſam turbulentiam, vſque in diem generalis, & ſempiterni iudicij, repentino ſunt caſu detruſi. Sed immutabilis benigniſſimi creatoris voluntas præfinitum beatiſſimi cœtus numerum ſupplere diſponens, humanum genus in eorũ locum ſubſtituit. Quos homines ratione præditos, præceptis inſtructos, minis coërcitos, proprio dereliquit arbitrio, vt imitatione Dei praua & iniqua contemnerent, ac recta & æqua retinere curarent. Impius autem homicida Satanas, qui nec ſibimetipſi pepercit, tantum à Deo terrigenis honorem collatum perdolens, caſum, quo ipſe ſuperbus periit, incautis & fallaciæ neſciis inuidus perſuaſit, vt videlicet non creatorem ſempiternum pro Deo venerari: ſed creaturam temporalem, hoc eſt, ſeipſos ſibi pro diis habere delectatione mortifera conſentirent. Quod maximum & immaniſſimum peccatum tanta flagitia & facinora, vel etiam crimina ſunt ſubſecuta, vt iuſtitia diuina mundum, quem omnimodo decorauit ornatu, cum humano genere, quod eidem regendo præfecit, aquis diluuij delere decreuerit: Et faceret, niſi multam malitiam noſtram, eius immenſa bonitas ſuperaret.

Ergo nec tanta ſcelera inulta dereliquit, nec tamen creaturam benè conditam penitus conſumpſit. Ex omnibus hominibus, vno delecto iuſto, per cuius prouidentiam, imò ſuam admonitionem, talis quædam archa conſtrueretur, in qua ipſe cum domo ſua, &

reliqua creatura ad reſuſcitandum ſemen competente, in ſupremis licet periculis ſe quaſi defuncti mundi ſuperſtitem remanere miraretur. Cumque poſt totius anni penè circulum præſago nomine Noë nuncupatum, quaſi conſolatorem tantæ, licet iuſtiſſimæ vindictæ, de clauſtri illius ergaſtulo creator miſeratus eduxiſſet, & ipſum cum prole ſua, & ſeminarium cunctæ creaturæ noua benedictione ditauit. Iamque renaſcentibus filiis Adam reuixit, & ſuperbia dudum in radice damnata, adeò vt Lutei mortales luteo & bitumine turrim conſtruere molirentur, de cuius cacumine ſidereum & immortale habitaculum, Deo poſſeſſore inuito poſſent inuadere. Cuius tam inuicti (vt ſtolidis videbatur) machinamenti conſpirationem tam facile omnipotentiſſima ſapientia diſſipauit, vt linguis omnium confuſione diuerſiſſima, vel ſimilitudine diſſimillima diſparatis, nullus conſanguinei, vel fratris ſui linguam intelligere poſſet: Et idcircò vniuerſi per regiones & loca varia diſiecti, vt terris & loquela diuiſi, ita & religione, vel potius furore diſperſi, & alij quidem cœleſtem naturam hominum miniſteriis, Deo autore prouiſam, diuino cultu & ſeruitute venerati ſunt. Alij verò mortuis hominibus, ſimulacra facientes, malignos ſpiritus aſſidentes eis, quaſi tutores & fautores animæ, vel corporis viuorum, licet iuſtè mortalium dementes colere cœperunt. Sed adhuc indefeſſa pietas immortalis & veræ Deitatis creaturam benignè conditam, non vſquequaque ſua miſeratione priuatam diſpulit, ſed de medio idololatriæ deditarum gentium Abraham patrem futurorum fidelium, ad ſe, verum & viuum Deum cognoſcendum de cœlo vocauit.

Qui incomparabili plenus obedientia diuino parens imperio, exiit de terra & cognatione ſua, neſciens adhuc quò ire deberet, dummodo Dei iuſſionem expleret. Qua de re huiuſcemodi deſuper accepit oraculum, quod & terram peregrinationis ſuæ in poſſeſſionem eſſet accepturus: quod factum eſt in Iudæis de carne eius, mortali propagine deſcendentibus: & quod in ſemine ipſius benedicerentur omnes gentes. Quod in nobis ipſis per Chriſtum, ex eius ſemine, ſecundum carnem, procreatum per Virginem, completum eſſe gaudemus. Huius igitur fidei in præputio comprobatæ quaſi quoddam ſignaculum eidem patri Abraham circumciſionis impoſuit ſignum. Quo tàm diu gentem de eius femore propagatam oportuit inſigniri, donec ille veniret, qui omnes in ſe credentes ab omni peccato, & circumciſionis iniuria, ſua paſſione redimeret. Cum autem populus de illo non modicus exortus, cauſſa famis de terra Canaan, quam incolebant, terram ingrederentur Ægypti, quo Deus vnum de pronepotibus eius, cauſſa multorum ſalutis, direxit, per cuius prouidentiam mundus penè totus, alimentorum penuria periclitatus, aliquatenus conſeruaretur: & iuxta ritum gentis illius milleformia cœpiſſent monſtra venerari, duriſſimis etiam operibus premerentur ab Ægyptiis, recordatus Deus fidei, probitatiſque Patrum, direxit ad eos ſeruum ſuum Moyſen, qui per multa ſigna & plagas intolerabiles, domitis Ægyptiis, Dei populum ad terram, Patriarchæ Abraham dudum promiſſam, cœleſti ducatu directus introduceret. Cumque de terra illa progreſſi inter oram rubri maris, & vaſtiſſimam ſolitudinem feſſi conſediſſent, Rex Ægyptiorum damno ſeruitutis amiſſæ ſtimulatus, congregato exercitu, iunctiſque curribus, eos ita quaſi piſces in gurguſtio concluſit. Quibus ad Deum verum læuantibus vocem, aquæ maris huc atque illuc diuiſæ, iter ſiccum viantibus præbuerunt. Quod cernentes cultores ſimiarum, & caniformis Anubis, Neptunum iam ſuperuacuè placandum ſibi putabant, ſic vndis in partes diuiſis. Omnes igitur ſequentes veſtigia commeantium, extremò ſuorum baratrum ingreſſi, nouiſſimoque plebis Dei ad naturale littus tranſgreſſi, ita ſunt montibus aquarum inuoluti, vt nullus remaneret, qui factum, domi reſidentibus referre potuiſſet.

Cum autem expenſæ, quas de Ægypto ſecum tulerant, Hebræis defeciſſent (quod nomen populo Dei idcirco impoſitum eſt quia tranſierant de gente in gentem, & de regno ad populum alterum) dedit eis Deus panem vel carnes de cœlo, aquam verò vel amaram dulcorauit, vel non habitam de petra produxit, & ſic eos per deſertum quadraginta annos ad terram promiſſionis circumduxit, donec deſueſcerent idololatriam, de qua erant educti, & quam vbicunque venirent, erant inuenturi, à qua, ſicut & de cæteris malis, de cœlis illos cauere monuit, & ad ſe cognoſcendum, vel alia bona & iuſta ſectanda, diligenter inſtructos, tandem in terram, pollicitationis ſuæ memor, miſeratus introduxit. Et vt pridem rubrum mare, ita modò Iordanem fluuium nauigabilem ſiccis pedibus tranſmeare præcepit

cepit & fecit. Dumque adhuc, qui hæc mirabilia viderunt, ſuperſtites in carne vixerunt, notitia & cultus veræ Deitatis & diuinæ veritatis incontaminata perſeuerauit. Illis verò ad patres ſuos repoſitis, filij de carne ipſorum propagati, non fidei bonum imitati, ſed circumpoſitarum gentium ſimulacra colendo, ſunt in præcipitium idololatriæ deuoluti. Pro quo ſcelere dati ſunt in manus inimicorum ſuorum, circumcirca vel longè poſitorum. Et cum aliquando preſſi iuſtiſſimè, per preces ad Deum patrum ſuorum fuiſſent reuerſi, ſuſcitauit illis aliquem de fratribus eorum, qui eis & ſaluator contra hoſtes, & ad concordiam inuicem retinendam iudex idoneus exiſteret. Cumque multo tempore influctuarent, id eſt, vt cum aliquando illis proſperitas arrideret, ad venerationes idolorum defluerent: Quum verò tempeſtas perſecutionum immineret, ad Deum verum, ad tutiſſimum portum, omni adniſu, redire conarentur.

Tandem dedit illis Regem, nomine Dauid, qui & à finitimarum gentium incurſionibus defenderet, & timorem Dei, cuius ipſe pleniſſimus erat, & iuxta nomen ſuum, Manu fortis, continuis retineret habenis. Poſt cuius mortem, cum propter peccatum filiorum eius, non amplius de duodecim tribubus filiorum Iſrael (quod nomẽ patri eorum, & ipſis idcirco impoſitum eſt: quia viſione ſua Deus eundem dignaretur) quàm duæ tantum, Beniamin ſcilicet & Iuda, à qua & Iudæi ſunt appellati, poſteris Dauid cum paucis Sacerdotibus & Leuitis adhærerent, (quo nomine omnes diuino miniſterio mancipandi, à patre ſuo Leui ſunt nuncupati). Reliquæ verò decem, vel potius vndecim tribus per Regem vnà ſubuerſorem ſuum Hieroboam nuncupatum, & peſſimam ipſius progeniem ad immunditiam idololatriæ fœditatis à gloria ſua, Deo ſcilicet ſempiterno, immaniſſima dementia receſſerunt. Qui & tradidit eos in manus inimicorum ſuorum, quibus ſubiecti, idola, ſunt etiam qui nollent adorare compulſi. Sed & fideliſſimi Dauid propagatio ad infidelitatis malum non poſt multum temporis aberrauit, adeo vt & ipſi Reges & Sacerdotes, neglecto vnius veri Dei cultu, Saturnos, Iunones, turpiſſimumque Priapum, in ipſa Hieruſalem, quam ciuitatem cum templo in ſanctificationem ſibi delegit, acti furore, venerarentur. Propter quod competenti ſatis talione impiè derelictus ab eis, iuſtè dereliquit eos Deus, in poteſtatem paganorum, vt impleretur, quod eis antea comminabatur. Sicut ſeruiſtis Diis alienis in terra veſtra, ſic ſeruietis diis alienis in terra non veſtra, qui non dabunt vobis requiem.

Sed & tunc non oblitus Fidei Abraham, & Dauid, aliquos ex iis, pro reliquiis, in terra ſua retinuit, templumque ſuum in Hieruſalem ad tempus aliquantulum conſeruauit, donec peccatis eorum crebreſcentibus, etiam ipſum cum ciuibus & ciuitate mereretur incendi. Sed neque tunc eos vſquequaque diuina deſeruit clementia, quin imò de fauillis & ruinis vrbis euerſæ quoſdam reſeruauit, quibus aptiſſimè propheticum illud conueniret: Facti eſtis quaſi torris de incendio raptus, & nec ſic rediſtis ad me, dicit Dominus. Quod quidem in eis, quos in terra ſua reſidere fecit, completum cognouimus, vt peccata peccatis addentes, & ſe mutua cæde vaſtantes vltima neceſſitate, vt ſibi videbatur, compulſi, in Ægyptum quaſi reſeruandi, contra vetitum diuini oraculi, verè trucidandi confugiſſent. Qui vero à Rege, qui ſuperbiam eorum Dei voluntate domuerat in captiuitatem longinquam fuiſſent abducti, ibi ad Deum Patrum ſuorum ex toto corde conuerſi, ita tribulationis igne decocti ſunt, vt nec igne materiali ab ipſius poſſent amore diuelli.

Tandem ergo miſericors & miſerator Dominus tam graues eorum labores miſeratus, Regum adeo animos, qui eoſdem in captiuitate tenuerunt, ad indulgentiam & relaxationem voluntariam illorum permutauit, vt de publicis redditibus & ærariis, plurima impendi præciperent, in adminiculum ad terram ſuam reuertendi, & templum Dei in ea demùm reſtaurandi. Sed heu! prô dolor! cum legem Dei vel ceremonias, in quantum à finitimis, imò commixtitiis hoſtibus impediri non poterant, ſedulò curaſſent obſeruare; quod nullus vnquã vel excogitare potuiſſet, repentino caſu Rex nefandiſſimus Græcorum, vt puta, præuius & præco maligniſſimi Antichriſti, eos ita oppreſſit, vt non niſi manu cœleſtis Imperatoris ſe vllo modo vlterius crederent alleuari. Qui & tanto miraculo ab immaniſſimorum, diuerſiſſimorum atque innumerabilium aduerſariorum eos impetu liberauit, vt pauciſſimi de Iudæis, plurimis eorum interfectis, reliquis, qui manere po-

terant, non parum incuterent vbicunque terroris. At cum illi, qui talibus flagellis erudi- ti, Dominum patrum ſuorum metuere noſſent diuerſis caſibus abſumpti, morte ſua mundum reliquiſſent orbatum, & propter peccata in ſeculo remanentium; Primùm viles perſonæ de ſucceſſoribus eorum populo Dei præficerentur: Poſtea verò & ipſi alienigenis miſcerentur, vel potius ſeruitutis eius iugo ſubiicerentur, neceſſarium erat, vt ipſa diuina ſapientia, per quam cuncta ſunt facta, reficiendo generi humano per ſeipſam conſulere dignaretur.

Sed quia in ſua incomprehenſibili maieſtate, natura illa diuina ab infirmis, & mortalibus comprehendi non poterat, mira pietatis diſpenſatione procurauit, vt noſtræ infirmitatis mortali, manente tamen incommutabilitatis ſuæ potentia conformata, de incorruptæ Virginis vtero naſceretur, & conſueto nobis more vſque ad iuueniles annos ætate & incrementis, gratia verò & ſapientia ſingulari perueniret. Nec tamen cum carne ſua Deitas illius eſſet obumbrata, per totum potuit humanis mentibus abſcondi, his duntaxat, qui eum cognitum ſuſcipere voluiſſent. Quando & in hora Natiuitatis illius Angelus Domini cum magna claritate paſtoribus gentis ipſius apparuit, & ortum eius omnibus gentibus profuturum nunciauit, in quæ verba eidem Angelo multitudo cœleſtis militiæ occinuit. Sed & ipſa hora in remotioribus Orientis partibus ſapientiſſimis, & aſtrorum gnaris hominibus noua ſtella inopinatò apparens, eos ad ortum noui Regis attraxit. Nec non & quadrageſimo natiuitatis eius die, cum eum ad templum Dei, pro ſolenni eius gentis conſuetudine, Mater Virgo præſentandum deferret, ibidem à ſanctis hominibus mundi Saluator eſt agnitus, & ab eis cæteris fidelibus nuntiatus.

Duodecimo quoq; ætatis anno cum in eodem templo parentibus remaneret ignaris, videlicet æſtimantibus inter cognatos & notos eum receſſiſſe de vrbe, ſed eo non inuento, regrederentur ad templum, & ibi eum poſt triduum in medio Doctorum ſapientiſſimè ſe agentem repeiſſent, interrogante Matre, cur eam dolentem reliquiſſet: reſpondit: in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe: vtique inſinuans templum non minus ad ſe, quàm ad Deum patrem pertinere. Trigeſimo verò, ex quo inter homines conuerſari cœpit, anno, ad Baptiſma ſerui ſui properauit, vt ex eo ſcilicet ſequacibus ſuis exemplum tribueret, ne quis ab inferiori perſona baptizari contemneret, quando Ipſum Dominum & Deum ſuum famuli ſui manibus baptizatum meminiſſet. ſed quia non aliqua ſui neceſſitate, ſed humilitatis propagandæ gratia voluiſſet in aqua lauari: Ecce Deus pater cum voce de cœlo delata, conteſtatus eſt, dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacitum eſt, ipſum audite. Et Spiritus ſanctus, cuius iam & opere conceptus eſt, ad declarandam ſanctitatis eius innocentiam, in columbæ ſuper eum ſpecie deſcēdit.

Ita ergo CHRISTVS homo glorificatus & confortatus ad prælium cum diabolo conferendum, quadraginta dierum ieiunium exacturus, abiit in deſertum. Quibus expletis, callidiſſimus aduerſarius, ex aliquibus, vt creditur, humani corporis geſtibus, aut habitu, illum eſurire perſentiſcens, & idcircò hominem eum tantum eſſe reputans. Sed propter vitam innocenter actam ſuper homines formidans, hac arte illum aggreditur, vt ſi quidem eſuriem ſuam pane de lapide facto, vt ipſe ſuadebat, conſolari potuiſſet, diuina in eo potentia deprehenſa, ab eius iniuriis & inſectationibus quieuiſſet. Si in tanta neceſſitate nec ſeipſum recreare quiuiſſet, puro tamen homine comprobato, non minus eum ſibi, quàm cæteros mortalium obnoxium conſideraret. Sed admirabilis Magiſter pietatis, ita verſutias eius eluſit, vt nec in panes lapidibus permutatis, diuinitatis in eo deprehenderet inſignia, nec impoſſibilitate confeſſa, ad noſtra animaretur infirma. Dicens, quod vita rationalis animæ non tantum in materiali conſiſtat alimento, ſed in omni verbo, quod procedit de ore DEI.

In hoc ergo conflictu certior factus, quàm ante fuerat, diabolus per oſtentationem inanis gloriæ, qua plurimū delectari mortalium mentes agnouerat, diuinitatem Chriſti ſe explorare poſſe putabat. Aſſumpto eo, & ſuper faſtigia celſiſſimi templi poſito, ſuaſoque, vt inde, ſi filius Dei eſſet, ſe præcipitem daret, & non læderetur. Ad quem bellator inuictus huiuſmodi temperauit eloquium, vt nec filium Dei ſe negaret, nec diaboli ſuaſionibus conſentiendum eſſe doceret, dicens: quia ſanæ mentis non eſſet, vt quiſquam Dominum & Deum ſuum tentare præſumeret. Igitur & in hoc eliſus certamine inimicus, per

auaritiam,qua mundum ſe peremiſſe gaudebat, & Chriſtum ſibi ſubiugare non diffideret, oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, eo pacto, vt ſi pro his accipiendis ipſum proſtratus adoraret, talibus ab eo donatus abiret. Quam immaniſſimam blaſphemiam magiſter humilitatis exhorreſcens, turbida indignatione monſtrum nefandiſſimum à ſe repulit, dicens: Religioſi cordis eſſe, Dominum Deum adorare,& illi ſoli ſeruire. Cuius vi fulminis attonitus aduerſarius,& ab eo receſſit vſq; ad tempus. Victorioſiſſimum verò Regis noſtri triũphum admirantes angeli,debitis eũ venerati ſunt obſequiis.

His ergò ita peractis, Chriſtus Dominus ad homines regreſſus, ſecundum ſcripturam, operatus eſt ſalutem in medio terræ: Cœcis viſum reſtituens, ſurdis auditum, mutis loquelam, leproſis emundationem, mancis opificia, dæmoniacis mentem, paralyticis vigorem, claudis greſſum, & mille ſine nomine morbis omnimodam impertiens medelam. Quin & ſequentum quatuor millia de ſeptem panibus, & pauciſſimis piſcibus ſaturauit. Aliquando verò de quinque panibus & duobus piſcibus ita quinque millia virorum, excepta mulierum & paruulorum immenſa numeroſitate, repleuit, vt de fragmentis reliquarum, quæ de his pauculis rebus, inter manus & dentes conuiuantium ſuccreuerant, duodecim corbes ad teſtimonium tanti miraculi farcirentur. Mare quoque ſiccis pedibus ambulauit, & fœtentes mortuos de ſepulchro ſuſcitauit, & ad conuiuium vocatus, aquas in vina mutauit. Et ſuper hæc omnia, Pater de cœlo, quondam, diſcipulis audientibus, interdum verò turbis infinitis aſtantibus, pariter & auſcultantibus, eum filium ſuum commendauit,& ſe illum iam clarificaſſe, & adhuc clarificaturum promiſiſſe.

De doctrina verò eius quis aliquid dignè commemoret? cum & diſcipulis ſuis talia mandata proponeret, quæ vix aut nequaquam humana poſſibilitas, niſi valida Dei ipſius adiuta vel attracta poſſet exequi, & omni ſexui vel conditioni tàm leuia, & ita ſalubria ipſa monita intimare curaret, vt nullus omninò, niſi multum ignarus, & per omnia diuina gratia vel protectione indignus,à regno Dei debeat excludi. Denique ipſis Apoſtolis, & eorum ſequacibus ita bonum virginitatis arripiendum perſuaſit, vt hoc ſcirent non humanæ induſtriæ; ſed muneris eſſe diuini. Abrenuntiationem quoque omnium facultatum & affectionum ſic eiſdem aggrediendam intimauit, vt ſe cognoſcerent & in hoc ſeculo multo plura, quàm reliquerant, accepturos, & in futuro vitam æternam poſſeſſuros,& in die magni iudicii cum ipſo iudices eſſe venturos. Cæteros autem fideles docuit, vt humilitate, manſuetudine, pace, miſericordia, iuſtitia vel patientia Deos ſuos & ſibi regnum Dei, perſecutiones etiam improborum, ſi ita neceſſitas incumberet, ſuſtinendo acquirere non laſſarentur. In commune autem cunctis præceptum dedit,ne fratribus nati conuitiorum maledicta in eos iacularentur, vel his occaſionibus non amputatis, ad homicidia laberentur. Et ne quis vxorem proximi ſui impuro contueretur oculo, & idcircò maculari poſſet adulterio, & ne temere iurare præſumeret, ne fortè periuraret, nec quiſquam obſtinatè aduerſario ſuo reſiſteret, & inde non ſolùm animæ, ſed & corporis periculum incurreret.

Porrò autem perfectioris vitæ cupidis, & regni cœlorum auidis, ita nuditatem & contemptum terrenorum indixit, vt tamen nequaquam hæc ſibi defutura confiderent, cum cæteros Chriſtianos his abundantes ita ad illorum accenderet, obſequium, vt quicunq; illorum hæc ſuis pauperibus miniſtraret,ipſi Chriſto & Deo Patri ſe impendere non dubitaret. Fictos autem Dei cultores,& de generis nobilitate gloriantes, Hipocritas & genimina viperarum nuncupauit. Ipſos quoque ſacerdotes, qui pietatem nomine prætendebant, & maliciam in corde contegebant, cæcitatis notauit, & cæcorum duces redarguit,& multum conuenienti comparatione ſepulchris dealbatis aſſimiles deuicit, quæ à foris quidem apparent hominibus pulchra, intus verò plena ſunt omni ſpurcitia. Nec non & Phariſæos,qui ſibi iuſti videbantur,& aſpernantes cæteros, pœnitentiam peccatorum recipere noluerunt,ita confutauit,vt ſeipſum diceret ideo veniſſe, non vt iuſtos, ſed peccatores & perditos inquireret,& ſaluos faceret. Et ſe eſſe verum Dei filium, non ſolum atteſtatione ſignorum, & incomparabili ſapientia manifeſtauit, ſed etiam propheticis literis,ac inuictiſſimis allegationibus approbauit,ſed increduli Iudæi quoties in Sanctis ſuis Deum contemnere non timuerunt, nec ab vnico filio eius maliciæ ſuæ maninamenta continuerunt, iniuriis eum laceſſentes & maledictis, inſuper & lapidibus eum

inſectantes. Cùm ergò incorrigibiles eos peruideret, cum diſcipulis ſuis ſecedens ab eis ſeorſum, ruinam miſerorum iam iamque incumbere, ſed & mundi totius finem non longè poſt futurum renunciauit: & ſe pro ſalute generis humani cito crucis patibulum ſubiturum, & die tertia ſe reſurrecturum eſſe prophetauit.

Interea gens impia vnum de diſcipulis iam dudum auaritiæ morbo corruptum, promiſſa pecunia, ad proditionem Magiſtri & Domini ſui protrahere curauerat: dum ille diabolo plenus, & iam vltrò inimicis eum tradere paratus eſſet. Captata igitur opportunitate quando ſine turbis, quæ illum frequentiſſimè ſequi ſolebant, ita ab aduerſariis capi, ligari, trahique potuiſſet, vt euadendi vel defendendi facultas ei, ſicut illis videbatur, non eſſet. Poſt orationem, quam valdè prolixam pro ſalute noſtra Deo Patri profudit, obuiam perſecutoribus ſuis proceſſit, & quem quærerent, interrogauit. Qui cum ſe Ieſum (quod nomen eius erat * propitium) quærere dixiſſent, & ille ſe eſſe reſponderet, iterum atque iterum retroacti abierunt, & ceciderunt in terram. Sed qui ad hoc venerat, vt paſſione ſua nos ab æterna damnatione liberaret, tandem aliquando maieſtatis ſuæ potentia ad tempus abſcondita, in poteſtatem furentium ſe ſponte permiſit, vt indebita morte ſua nos ab omnibus debitis peccatis abſolueret. Captum ergò & ligatum impij miniſtri ad Tribunal Pilati præſidis perduxerunt, quod gentem illorum ſubuerteret, & tributa Cæſari dare prohiberet, & Chriſtum regem ſe eſſe diceret, & idcircò Iudex ipſe, ſi amicus Cæſaris eſſe voluiſſet, talem viuere in ſui condemnationem capitis permittere non deberet. Tum ille neceſſitate compulſus, dedit illum militibus ſuis, ad illudendum. Qui irriſoria veſte, veluti qui Regium ſibi nomen vſurpare præſumeret, induens: Et corona ſpinea pro diademate coronatum, quin & arundine pro ſceptro imperiali dexteram completum, ſputis in faciem illius proiectis, & colaphis alapiſque crebertimis, feruliſque cædentibus cum iniuriantes, & regis nomine ſalutantes: inſuper & ſingulorum nomina prodere velatum poſtulantes, quaſi vile mancipium (vt interim Dei filium taceam) maximum Prophetam, & tantorum effectorem ſignorum, ſapientiſſimumque virum turpiſſimè tractare ſtuduerunt, & ita illuſum, imò caſtigatum, & vt apertius quidem dicam, mortificatum præfecto ſuo iterato illum præſentauerunt.

* Propitiũ.

Iudæi verò nec dum tantis eius iniuriis ſaturati, petiuerunt præſidem, vt eum crucifigi præciperet. Quod cum ille ſæpius abnueret, dicens in eo ſe nihil dignum morte inuenire: Tunc impia gens, & cunctis abominanda, tali maledicto ſe damnauit, vt imprecarentur, ſanguinem eius venire ſuper ſe & ſuper filios ſuos, adiicientes, quia ipſi legem haberent, & ille ſecundum legem deberet mori, qui ſe Dei filium præſumptuosè faceret, ſed ne verbo quidem ſimplici diceret, niſi eo modo, vt ipſi ex operibus, quæ in nomine Patris ſui faciebat, metirentur, aut coniectarent, vtrum tantorum mirabilium operator, filius Dei dici & credi meritò deberet. His igitur præſes tremefactus, & maximè propter illud conſtrictus, quòd quaſi maximum & intolerabile ſibi metuebat obiectum; Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris, adiudicauit fieri petitionem eorum.

Tunc impoſuerunt ei crucem, quam ad locum vſque portaret, ſed tamen quaſi honorantes & compatientes ei, quem tam indigna morte perimere ſatagerunt, coëgerunt quendam alienigenam crucem ferre poſt illum. Et cùm veniſſet ad locum, qui Caluariæ dicebatur, pro eo quod ibidem ad mortem condemnati truncari ſolebant, Chriſtum Dominum crucifigentes; vt ex hoc turpiſſima mors redderetur infamior, latrones vnum à dextris, alterum ſuſpenderunt à ſiniſtris, & his verbis irridere gaudebant: Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere. Vnus etiam de latronibus ſimili bacchatus inſania dixit ad illum. Si tu es filius Dei, ſaluum fac teipſum & nos: alter verò, cuius Deus illuminare dignatus eſt mentem, ad cognoſcendam veritatem præſentem, increpabat ſocium, & obſecrauit Dominum pendentem, vt ſuimet in regno ſuo meminiſſe dignaretur. Cuius credulam mentem & os confitens Chriſtus approbans, eodē die ſecum in paradiſo illum ſpopondit affuturum. Dum hæc creator à creatura, quam rationabilem condidit, pertuliſſet: irrationabilia & inſenſibilia maieſtatis eius nutu conterrita, defectum ſui mortalibus minabantur: Cùm & ſol in tenebras ſit conuerſus, & terra mota, & petræ ſciſſæ, & monumenta aperta, & rerum natura turbata, quæ iniuriam Dei ferre non ſuſtinebat. Poſthæc verò cùm omnia reliqua, quæ fieri oportuerat, eſſent impleta, vt conſummaretur

ſummaretur Scriptura, quod aceto potandus eſſet: ſitire ſe dixit, & cùm accepiſſet acetum, & ſuum ſpiritum in manus patris commendaſſet, dixit: Conſummatum eſt, & ſic inclinato capite tradidit ſpiritū, & honorificè ſepultus ab amicis, cautiſſimè ſeruabatur à cuſtodibus, metuentibus videlicet, ne die tertia, ſicut ante prædixit, reſurgere potuiſſet.

Sed angelus cœlo veniens, milites ſepulchrum euigilantiſſimè cuſtodientes, mortuorum inſtar ſtupefactos reddidit, & poſt modicum recreato animo & ſpiritu, teſtes glorioſæ reſurrectionis eius effecit. Porrò interim cùm ipſi iacerent, vt exanimes, pias cum aromatibus eius * corrumpendi corporis viſitatrices idem angelus * gratanter affatus, nec timerent hortatus eſt. Et quia Dominus Ieſus Chriſtus deuicto mortis imperio reſurrexit, certo patefecit iudicio, & vt locum viderent, vbi poſitus erat Dominus admonuit. Quo cùm intrarent, viderunt duos angelos in albis ſedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, quondam ibi requieſcentis, & modò reſurgentis inde autoris æternæ vitæ. Cumque pauefactæ cœpiſſent egredi, aufugere cupientes, occurrit eis ipſe Dominus benigniſſimè, ſalutatas ad diſcipulos ſuos deuictæ mortis nuntias deſtinauit. Et eodem die Petro ſpecialiter apparuit. Qui & duobus ambulantibus, & de ſermocinantibus conuiator effectus, de ſcripturis aſſeruit, quia ſic oporteret Chriſtum pati, & reſurgere à mortuis, & ita intrare in gloriam ſuam. A quibus etiam inuitatus ad cœnam, in fractione panis eſt agnitus, cum ob cœcitatem cordis prius videretur ignotus.

f vngēdi
* fort. gaudēter

Serò quoq; cùm factū eſſet, ipſa die apparuit Apoſtolis ſuis, & eis gaudia pacis mandās inſufflauit, & dixit: Accipite ſpiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Ad confirmanda quinetiam corda dubitantium, qui ſe putarent, ſpiritum potius videre quàm corpus, oſtendit eis manus & pedes recentiſſimæ paſſionis ſigna retinentes, vt indubiè reſurrectionis eius fierent idonei teſtes. Sed illis adhuc non credentibus & mirantibus præ gaudio, vt per effectum commeſtionis veritas pateſceret carnis, interrogauit, ſi haberent aliquid ad manducandum. Cûmque obtuliſſent ei partem piſcis aſſi, & fauum mellis, manducans coram illis, reliquias dedit eis, & commemorauit hæc eis eſſe verba, quæ ante paſſionem ſuam prædixerat, quomodo neceſſe eſt ſua morte mortis imperium diſſolui, & in ſua reſurrectionis agnitione pœnitentiam & remiſſionem peccatorum, cunctis gentibus prædicari, nec non & ipſos adhuc glorioſiſsima Spiritus ſancti miſsione roborari promiſit. Nec tamen ita inſtructos, & tali promiſsione conſolatos mox abſceſſu corporali diſcedere voluit, ſed per quadraginta dies in vniuerſis argumentis eos viſitauit. Nunc foribus clauſis, in medio eorum conſiſtere, nunc verò per totam noctem fruſtra in piſcando laborantibus, ipſe ſtans in littore multitudine piſcium rete eorum compleuerat, & inter prendandum beato Petro poſt claues regni cœlorum, ac retentiones relaxationesve peccatorum, ouium ſuarum curam præcepit, & quia pro earundem cura ouium crucem ſubiturus eſſet intimauit. Deinde in montem quendam ſequutos in fide ſolidauit, & præcepit, vt irent docere omnes gentes, & baptizare eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: docentes ſeruare omnia quæcunque ipſe mandauerat illis, & ait illis: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur.

Et quia irritatores Dei & increduli Iudæi, & gentes Idololatriæ dediti ſignis erant ad fidem nutriendi, dedit Apoſtolis ſuis virtutem ſuper omnia dæmonia, & vt languores curarent, cæcos illuminarent, læproſos mundarent, ipſos & mortuos reſuſcitarent, & præcepit illis, vt annuntiarent regnum Dei appropinquare. Et quia cunctis gentibus & linguis nouam hanc doctrinam prædicare debuerunt, dedit eis diuerſarum linguarum agnitionem. Quinetiam ipſis & eorundem fidei ſequacibus multo maiora promiſit & conceſsit, ita vt dum plurimarum linguarum hominibus in vna loquerentur à cunctis intelligerentur, & vmbra illorum tranſeuntium infirmi ſanarentur, & ſudariis vel cingulorum fimbriis nequam ſpiritus fugarentur. Sed cum hæc in alia regione, hoc eſt, in Galilæa, vel ante paſsionem, vel poſt reſurrectionem ſuam diſcipulis edidiſſet, vt in vicinia eius loci ad alta cœli conſcenderet, vbi crucis ignominiam paulò antè ſubiit, atque ipſo quoque nomine diſpenſationem incarnationis, paſsionis, reſurrectionis, aſcenſionis in cœlum fidelibus aperiret, Bethaniam, quæ domus obedientiæ dicitur, vnde cœlos peteret, cum Apoſtolis inuiſit, doctore gentium, quid hæc ſignificent, exponente: Ieſus Chri-

ſtus factus eſt obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus illum exaltauit. Cumque illum, qui conuenerant, interrogarent, ſi dies iudicij & manifeſtatio regni Dei iam immineret, dicebat: non eſſe illorum, vel cuiuſquã mortalium;ſed ne ipſorum quidem Angelorum, noſſe tempora & momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate, potiuſque in ciuitate Hieruſalem aduentum ſancti Spiritus eis expectare præcipiebat. Quo ſpiritu roborati, teſtes illi eſſent primum in eadem vrbe, deinde in tota Iudæa & Samaria, ad poſtremum verò, vſque ad vltimum terræ. Et his præmiſſis, eleuatis manibus ſuis benedixit illis, & cunctis nihilominus opinantibus quaſi pennis columbæ incorruptibile corpus ſuum librauit ad cœlum. Cuius rei mox duo Angeli, hoc eſt, quia cœlum penetraret adſtipulatores adſtiterunt, & quia in eadem ſpecie, qua aſſumptus eſt ab illis, ad iudicandos viuos & mortuos venturus eſſet, dixerunt. Tunc vt ſibi à dominatore cœli præceptum erat, Hieruſalem ingreſſi, ſancti Spiritus aduentum ſuſpenſi præſtolabantur. Qui decima poſt hæc die venit, & ſcientiæ perfectione illos edocuit & linguarum varietate donauit, & aduerſus rabiem perfidorum roborauit. Congruentibus ad hæc ſignis oſtenſis, ſono videlicet flatus vehementis, & linguis igneis, cuius authoritate confortati, reſurrectionem Domini noſtri Ieſu Chriſti authoritate prophetica comprobantes mille Iudæorum eodem die ad fidem conuertuntur. Et inſequentibus aliquot millia. Quandam verò turbam Sacerdotum obedire fidei perſuaſerunt.

Interea verò dum omnia ſupra dicta fierent, dimiſit Dominus omnes gentes ingredi vias ſuas, & diuerſiſſimorum errorum opinionibus impleri, ita vt quidam Solem, & Lunam, & ſtellas, miniſteria videlicet humanis vſibus attributa, diuinis honoribus celebrarent. Alij verò maiore dementia capti, non ſolum aurum & argentum, ſed & ligna & lapides, quadrupedia, ſerpentia ſeu volatilia, & ipſa terræ virentia, pro Deo aurore venerarentur. Tandem ergò pius creator omnium, quando & nos ipſos adinuentionum & peſſimorum actuum noſtrorum pigere deberet, ac tædere, direxit ad nos Apoſtolos ſuos, qui docerent nos ab his vanis conuerti ad Deum viuum & verum: & expectare filium eius de cœlis, & in perceptione Spiritus ſancti, quem in Chriſto regenerati percepimus, remiſſionem peccatorum conſequi nos crederemus.

Huius igitur legationis nos indigni noſtris temporibus vicem gerentes, obſecramus pro Chriſto, vt ſicut quondam in baptiſmo, ita ſemper abrenuncietis diabolo, & omnibus operibus eius, & omnibus pompis eius, & cognoſcatis vnum verum Deum Patrem ſemper in cœlo regnantem, & ſempiternam ſapientiam eius in tempore pro nobis incarnatam, & ſanctum Spiritum æternæ pignus ſalutis in hac vobis peregrinatione conceſſum, atque ita viuere curetis, ſicut Dei filios decere cognouiſtis, deuitantes gulæ concupiſcentiam, & ebrietatis inſaniam, fornicationis immunditiam, auaritiæ idololatriam, iræ veſaniam, triſtitiæ nebulam, tædij rancorem, inuidiæ rubiginem, inflationis inanitatem, ſuperbiæ ſubuerſionem, & nullus cuilibet Chriſtiano furtum aut homicidium, vel conuitium conferre, aut falſum teſtimonium de qualicunque crimine præſumat inurere, ſed ſitis inuicem benigni: & donantes vobiſmetipſis, ſicut Deus donauit vobis peccata veſtra. Et delicta præterita pœnitentiæ remediis, vel eleemoſynarum largitate redimentes, imminentia cum Dei adiutorio præcauere ſtudeatis. Scientes & diem generalis iudicij iam iamque proximare, & incertam ſingulis exitus ſui horam impendere. Et quidem magni iudicij nouiſſima dies, cunctis eſt mortalibus expaueſcenda, vt puta in qua nihil incorrectum abſque æternali pœna remanebit inultum.

Sed non minus cunctis ſapientibus quotidianum Dei iudicium formidandum eſt, quo & quoſdam probandos diſpenſatoriè reliquit in mundo ad tempus, quoſdam verò his iuſtè condemnatos obliuiſcitur in perpetuum. Alios quoque diu iacentes in criminibus manu miſericordiæ ſuæ leuat: Alios autem de peracta iuſtitia præſumentes fœdè quondam paſſioni concedit: hos verò quocunque verbere coërcitos vſque in finem ab omni prorſus ſcelerum labe cuſtodit. Quocirca ſub his Dei iudiciis vnicuique in hac vita metuendum eſt, vt in futuro iudicio ab omni metu peccatum & mortis abſolui mereatur. Deus omnipotẽs, qui omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui hæc per miniſterium linguæ noſtræ, auribus veſtræ fraternitatis infudit, ipſe per gratiam ſuam eadem in cordibus veſtris fructificare faciat, cooperante Domino noſtro Ieſu Chriſto, & Spiritu paracleto benedictus Deus in ſecula. Amen.

TRACTATVS

TRACTATVS

DE QVIBVSDAM HIBERNIÆ MIRACVLIS, AVCTORE *Giraldo Cambrenſi in Topographia Hiberniæ,* Diſt. 2.

Admonitio ad Lectorem.

HÆc miracula ſubiungere libuit, tùm quod à noſtro propoſito non ſint aliena, tametſi vitas eorum ſanctorum, à quibus patrata ſunt, opere præſenti non comprehenderimus: tùm quod non ab omnibus haberi poteſt ipſe author, ex quo ea deprompſimus. Authoris verbis vt plurimum in progreſſu vtar: materiam totam ex ipſo tranſſumam: & ſi quid aliunde addam, id vel in margine vel alibi ſignificabo: ordinem non ſemper ſequar: vbi aliquid ſuperfluum occurret, omittam: pro capitibus quibus ipſe vtitur, paragraphos apponam; & plures vel pauciores prout magis expedire videbitur, ad confuſionem vitandam. Sequentem præfationem iiſdem miraculis, & mirabilibus (de quibus poſtea in deſcriptione Hiberniæ) ipſe author præfixit.

Præfatio Giraldi Cambrenſis.

NVnc ad ea, quæ contra naturæ curſum, digna ſtupore videntur. Ex his igitur, quæ per ſe miranda, ſuique nouitate conſpicua, in his terrarum finibus natura repoſuit: ex his etiam quæ Sanctorũ meritis egregiè nimis, & valdè miraculosè geſta ſunt: quorũ memoria ex certis quibuſdam indiciis perenniter extant memoratu digniſſima: ſtylo perſtringere non ſuperfluum duxi. vt ſicut orientalium regionũ prodigia diligentia authorũ operâ in publicæ notitiæ lucem dudũ prodiêre: ſic & occidentalia hactenus quidem abdita ferè & incognita, noſtro tandem labore, his vel occiduis temporibus inueniant editorum. Scio tamen & certus ſum, me nonnulla ſcripturum, quæ lectori vel impoſſibilia prorſus, vel etiam ridiculoſa videbuntur. Sed ita me Dij amabilem præſtent, vt nihil in libello appoſuerim, cuius veritatem vel oculata fide, vel probatiſſimorum & autenticorum comprouincialium virorum teſtimonio, cum ſumma diligentia non elicuerim. Nec mihi calumniæ nubila liuor obducat. Quæ namque oculis ſubiecta fidelibus, ipſe conſpexi, firmiter & indubitanter hæc aſſero. Quæ vero tantùm demiſſa per aures, quia ſegnius irritant, horum non aſſertor ſed recitator exiſto. Singulis tamen prout à multis, & autenticis, à quibus & viſa ſunt, accepi, fidem adhibeo, aliorumque fidei & aſſertioni non incredulus acquieſco. Nec mirum tamen circa eius opera, qui omnia, quæcumque voluit, fecit, mira reperiantur, referantur, & ſcribantur: apud quem nihil impoſſibile, quique naturam (vtpote naturæ dominus) quò vult inflectit, & & quaſi de non natura, naturam facit. Prætereà, contra primæuam & veram, quæ Deus eſt, naturam, qualiter verè fieri quicquam dicetur, quod ipſo conſtat authore creatum? contra naturam ergo vſuali ſermone, quam proprio magis, ea ſola fieri dicuntur, quæ contra eiuſdem non potentiam, ſed frequentiam prodire videntur. Cum ita mirabilis ſit Deus in Sanctis ſuis, & magnus in omnibus operibus ſuis; *venite, & videte opera Domini,* *Pſal 45.*
quæ poſuit prodigia ſuper terram.

Quælibet nimirum regiones, inſulæ præſertim, & partes à centro remotiſſimæ, propriis quibuſdam prodigiis pollent. Semper enim, & quaſi ex induſtria, ſeria ſui negocia, nouis quibuſdam natura depingit: vt ſic manifeſtè doceat, & declaret, quod licet humanis vtcumque ingeniis vſualia eiuſdem opera valeant attendi, potentialis tamen effectus nequeat comprehendi. Hoc etiam diligens lector aduertat, quod hiſtoria veritati non parcit, potiuſque vera, quam veriſimilia ſectatur. Si quid ergo nouum hic & inauditum emerſerit: non ſtatim liuidi vel contemnant, vel demordeant: ſed nunc ignoſcen-

do, nunc approbando, ſtudia procedere ſinant. Nam, vt poëta canit:

Si patribus noſtris, nouitas inuiſa fuiſſet,
Vt nobis; quid nunc eſſet vetus, aut quid haberet
Quod legeret, tereretque viritim publicus vſus.

Deſinant ergo aliquid damnare, quia ſit nouum, quod labentis temporis beneficio, dùm nouitatis arguitur, deſinit eſſe nouum. Habeat hic igitur & præſens tempus quod lacerct; & poſteritas quod laudet; habeat hoc, quod lædat, illa quod legat; habeat hoc, quod damnet, illa, quod amet: habet hoc, quod reprobet, illa, quod probet.

De pomis. S. Keivvini. §. 1.

NVnc ad miracula tranſeamus: & à S. *Keivvino* nobili cōfeſſore & Abbate initium ſumamus. Sāctus igitur *Keivvinus*, cùm apud *Glindalachan* vita, & ſanctitate claruiſſet; puer quidā nobilis, quē alumnū habuerat, ægrotās forte poma deſiderabat. Cui Sancto compatiente, & orationem ad Dominum fundente, ſalix quædam non procul ab Eccleſia poma protulit, tam puero, quam aliis ægrotantibus ſalutifera: & vſque in hordiernum diem, tam ſalix illa, quam aliæ ex ea circa cæmiterium tranſplantatæ, more pomarij (ſalicis tamen aliâs per omnia, tam foliis, quam frondibus natura permanet) ſingulis annis poma producunt. Sunt autem hæc poma, alba, & oblonga, ſalubria magis quam ſapida; in magna reuerentia ab indigenis habita: quæ etiam ad remotas Hiberniæ partes, contra varios conferentia morbos, à multis deferuntur; & S. *Keivvini* poma dicuntur.

De coruis S. *Keivvini.* §. 2.

Tertio Iunij. DIe ſolemnitatis eiuſdem Sancti, corui de *Glindalachan*, quia forte lac alumni ipſius fuderant, per eius imprecationem, nec ad terram deſcendunt, nec cibum ſumunt; ſed circa villam, & Eccleſiam cum magno clamore volantes, eodem die tam à requie ſuſpenduntur, quam refectione.

In Italia quoque apud vrbem nobilem *Rauennam*, die ſolemnitatis S. *Apollinaris*, omnes vndique corui, cornices, & monedulæ, à cunctis Italiæ partibus, ſingulis annis, tanquam ex condicto conueniunt. Quibus eodem die, ex antiqua conſuetudine, equi vnius cadauer datur. Si rei iſtius quæſtionem facias, vt rationem quæras; aſſignare non præſumo; niſi forte longo ex vſu tractu temporis inolito, & quaſi in naturam iam conuerſo, vbi corpus fuerit, & aquilæ congregantur; vel potius aliquo Sancti illius miraculo iſta contingunt. vnde & quoniam ab hoc coruorum conuentu, Teutonica lingua, primò *Rauensburgh*, id eſt, coruorum vrbs eſt dicta: inde, & *Rauennam* vocatam nonnulli coniectant.

Item decollato in Hiſpania B. *Vincentio*, corui, qui ad corpus eius, tanquam ad cadauer deſcenderunt, ſtatim omnes occubuerunt. Et quoniam perſonale delictum, in genus plerumque redundat; in auſus illius vindictam, diuina procurante gratia, quam in Sanctis ſuis ipſe mirabilem oſtendit, ab illa ſemper hora, circa corpus Martyris, corui tanquam excubitores aſſiſtunt. Vnde, & eodem corpore, à *Carthagine* (Hiſpanica dico, non Africana) *Vliſſiponam*, per mare tranſlato, & corui in naue circa corpus iugiter affuerunt. In Eccleſia quoque S. *Vincentij Vliſſiponenſi*, in vrbe vbi corpus eiuſdem, nobili in feretro reconditum iacet; corui circa altare, vſque ad moderna fere tempora excubare ſolent: circa ſenarium numerum, vel infra: nec ſemper iidem, ſed ſucceſſiuè diuerſi. In huius rei ſignum, ſignacula quæ à peregrinis ab inde deferuntur, cum Martyris imagine, inſcriptum etiam corui imaginem habent. Vulgari quoque nuncupatione, S. *Vincentius* de coruo, vocatur: & quod in vita non habuit, poſt mortem, euentus agnomen dedit.

In quibuſdam Prouinciæ partibus, cùm corpus B. *Firmini Vſceſſienſis* Epiſcopi, & natione Narbonenſis, *Vſceſſiam* deferretur: bobus forte, qui rhedam trahebant, ad paſcua ſolutis, vnus eorum ab vrſo quodam ſubitò eſt deuoratus. Quo comperto. S. *Ferreolus*, qui & *Firmini* nepos, & nobilis vecturæ procurator extiterat, eidemque *Firmino* in Epiſcopalem ſedem ſtatim ſucceſſit, diuina obteſtatione ad ſe incontinenti vrſum aſciuit: qui & eadem accedens hora, ſe ſponte iugo ſuppoſuit, & boui perdito quaſi vicarius ad trahendum, deuotuſque ſucceſſit: & ſic pluribus ab inde miliaribus *Firmino Vſceſſiam* tam miraculosè tranſuecto, eiuſdem exequiis celebriter ibidem, & gloriosè completis,

pletis, accepta quaſi à *Ferreolo* licentia, vrſus indemnis ad montana ſeceſſit. Qui & ſingulis poſt modum, quamdiu vixerat, annis, die ſolemnitatis S. *Firmini*, ad Eccleſiam eandem ex conſuetudine veniebat, & omninò beſtiali feritate interim * depoſita, ſe populo quaſi manſuetum, palpabilem & tractabilem exhibebat: tanquam ob auſum pœnalem, criminique commiſſum, ſeruire, pœnamque ſubire paratus. Vnde, & corium eiuſdem, vſque hodie in Eccleſia S. *Firmini* in veneratione reconditum habetur: & ob tanti miraculi memoriam tranſeuntibus & peregrinis oſtendi ſolet. * al. exuta.

In partibus Conſtantinopolitanæ regionis, plaga videlicet * Crebonenſi; corpore B. *Clementis*, in mari miraculosè reperto: ſingulis annis die ſolemnitatis eiuſdem Sancti, & circiter eundem octo, præter ſolitum à ſæculo curſum, mare ibidem ſe refluum exhibere, & peregrinis, populiſque deuotè accedentibus, reuelata terræ facie, miraculoſum iter oſtendere ſolet. Quibus ſolemniter completis, ad antiquas rediens metas, mare ſpatioſum vndique ſe transfundens, ſtatim occupat vniuerſa, nec niſi reuoluto ferè anni circulo, vlla viæ illius veſtigia comparebunt. Sic itaque noſtris diebus, in quos fines ſæculorum deuenerunt, famoſum illud Rubri maris miraculum, ſingulis annis ex parte repræſentari ſolet. Igitur, *Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui facit mirabilia ſolus; & benedictum nomen maieſtatis eius in æternum.* Quoniam ad declaranda Sanctorum ſuorum merita; & vt glorificatos in cælis, amplius glorificet & in terris; Aues, maria, feræ obediunt ei. Sed hæc hactenus. Ad *Keivvinum* noſtrum redeamus. * Cherſonenſi. Pſal. 71.

De Merula S. Keivvini. §. 3.

SAnctus igitur *Keivvinus*, quadrageſimali quodã tempore, hominum frequentiam ex conſuetudine fugiens: ſolitudine quadam tugurio modico, quo à ſole tantùm & pluuia defenderetur, ſoli contemplationi vacans, lectioni & orationi inſiſtebat; qui cùm manum more ſolito per feneſtram ad cælum eleuaret, ei forte merula inſedit, & quaſi nido fungens, oua poſuit. Cui prædictus Sanctus tanta manſuetudine & patientia compaſſus eſt, vt nec manum clauderet, nec retraheret: ſed vſque ad plenam pullorum excluſionem, eam infatiganter extenderet, & aptaret. In huius autem ſigni perpetuam memoriam, omnes imagines S. *Keivvini* per Hiberniam, in manu extenſa merulam habent.

De cercellis S. Colemanni, quaſi manſuetis, & ad iniurias fugitiuis. §. 4.

EST in Lagenia * ſtagnum modicum, aues S. *Colemanni* continens: anates ſcilicet minores; quæ vulgari vocabulo cercellæ vocantur. Hæ à tempore Sancti, tam manſuetæ factæ ſunt, vt de manibus cibos ſumant, & vſque hodie hominum * acceſſus non reformident. Sunt autem ſemper quaſi conuentum adimplentes circa xiij. numero. Quoties verò vel Eccleſiæ & clero, vel ipſis auiculis iniuria fit forte, vel aliqua moleſtia illata fuerit: ſtatim euolantes in lacu quodam procul inde remoto ſe recipiunt: nec ad priorem locum redeunt, donec condigna ſatisfactio fuerit ſubſecuta. Interim verò dum abſentes fuerint: aquæ ſtagni illius, quæ limpidiſſimæ prius & claræ fuerant, fætidæ fiunt, & corruptæ; & nec ad hominum, nec ad pecorum vſus accedunt. * al. nemus. * al. inſultus.

Contigit aliquando, quodam ibi aquam, nocturno tempore, hauriente, vnam auicularum, non ſponte, ſed caſu hauſiſſe, & cum carnes in aqua illa diu coquerentur, nec excoqui poſſent. Tandem auis in olla ſuperenatans inuenta eſt prorſus illæſa: quæ cùm ad ſtagnum relata fuiſſet, ſtatim carnes excoctæ ſunt. 1. Miraculum.

Contigit etiam temporibus noſtris, *Roberto* filio *Stephani* cum *Dermicio* Rege Lageniæ per locum illum tranſeunte, ſagittarium quendam, vnam auium illarum ſagitta percuſſiſſe; quam cùm ſecum ad hoſpitium detuliſſet, & in olla quadam cum carnibus coquendam impoſuiſſet: trium ignium conſumpta materia, vſque ad mediam noctem coquendo non profecit. Sed iam tertiò carnes extractæ; ſemper tamen * minus crudæ repertæ ſunt, quam cùm fuerunt impoſitæ. Tandem verò cùm hoſpes inter fruſta carnium, auiculam conſpexiſſet, audienſque quòd de ſtagno illo fuiſſet: ſtatim cum lacrymis exclamauit: Me miſerum, quod vnquam infortunium iſtud in domum meam incidere, & in ea contingere debuit. De auibus enim S. *Colemanni*, vna hæc erat. & ſtatim carnes per ſe impoſitæ, cocturam quam amiſerant, admiſerunt. Sagittarius verò non multò poſt, rebus humanis miſerabiliter exemptus eſt. 2. * al. non minus.

Prætereà accidit, & miluum, cum vna auicularum iſtarum, quam rapuerat, in arborem 3.

quandam propinquam ſe recepiſſe; qui & multis intuentibus, membris omnibus ſtatim irriguit, nec prædam ſub pedibus prædo reſpexit.

4 Accidit etiam glaciali quodam in tempore, vulpeculam, auium iſtarum vnam rapuiſſe: quæ mane facto, in tugurio quodam lacui coniuncto, & S. *Colemanni* conuerſatione olim venerabili, intra fauces, auiculâ vitalem ſpiritum * præludente, beſtia inuenta eſt ſuffocata. * Relatus igitur ad lacum, auibus prorſus illæſis, optimi patroni beneficio, præda indemni, mortis pœnas prædo perſoluit vterque.

** al præcludente.*
** for. Relatus.*

De lapide quotidiè vinum miraculosè continenti. §. 5.

IN Auſtrali Momonia, circa partes Corcagiæ, eſt inſula quædam Eccleſiam continens S. *Michaelis*, antiquæ nimis, & autenticæ religionis: vbi lapis eſt extra oſtium Eccleſiæ à dextris, ipſi fere cohærens oſtio, in cuius ſuperioris partis concauitate, quotidie mane, per merita Sanctorum loci illius, tantum vini reperitur, quantum ad Miſſarum ſolemnia, iuxta numerum ſacerdotum, qui ibi eodem die celebraturi fuerint, conuenienter ſufficere poſſit.

Simile huic miraculum in Dialogo reperies. Refert enim S. *Gregorius* de *Martino* Campaniæ Monacho, qui Monte Mariſco multis annis in ſpecu anguſtiſſimo incluſus fuerit, cuius hoc miraculum primum fuit, quod vt ſe prædicti montis foramine concluſit, ex petra eadem, quę in ſe ipſa concaua, anguſtum ſpecum fecerat: aquæ ſtilla de nouo prorupit: quæ Dei famulo in vſu quotidiano ſufficeret, & nec plus adeſſet, nec neceſſitati deeſſet.

De pulicibus à S. Nannano deportatis. §. 6.

EST in Connactia vicus quidam, quem S. *Nannani* illuſtrat Eccleſia: vbi ab antiquo tanta pulicum excreuerat multitudo, vt ea peſtilentia, locus ille fere deſertus, & habitatoribus vacuus extitiſſet: donec interceſſione S. *Nannani*, in pratum quoddam proximum ſunt deportati; vt nec vnus poſtmodum hic reperiri potuiſſet. In tantum igitur meritis Sancti iſtius, locum illum vis diuina inundauit. In prato verò tanta ſuperabundat copia, vt non tantum hominibus, verumetiam beſtiis, ſemper maneat inacceſſibile.

De Ratis, per S. Yuerum à Fernigena expulſis. §. 7.

** vulgo Vvexfordia.*

EST in Lagenia, prouincia quædam, quæ Fernigenan dicitur, quam à * Gvveſefordia, ſolùm Slanenſis aqua diſterminat. Vnde mures maiores, qui vulgariter Rati vocantur, per imprecationem S. *Yuori* Epiſcopi, (cuius fortè libros corroſerant) protſus expulſi, nec ibi poſteà naſci, nec viuere poſſunt inuecti.

De Campana fugitiua. §. 8.

EST in Lagenia, in terra ſcilicet Mactalevvi, campana quædam, quę niſi à cuſtode ſuo, exorciſmo quodam ad hoc compoſito, ſingulis noctibus adiuretur, & vinculo quolibet vel fragili ligetur: mane in Media apud Clunarech in Eccleſia S. *Finnani*, vnde venerat, reperitur: quod, & aliquoties certum eſt contigiſſe.

De mirandis Sanctorum refugiis. §. 9.

IN vlteriore Vltonię parte ſunt montana quædam, in quibus grues & grutæ, aueſque variæ ſuo in tempore abundè nidificant, propter refugium & pacem non tantùm hominibus, verumetiam pecoribus & auibus ab incolis ibidem exhibitam, ob reuerentiam ſcilicet S. *Beani*, cuius Eccleſia locum illuſtrat. Sanctus iſte miro & inaudito more, non tantùm aues, ſed & auium ſuarum oua tuetur. Si enim, vt oua rapias, manum admoueas; videas protinus pullos marcidos, & rubros, & tanquam eadem hora iam excluſos. Sin autem manum retrahas cum voluntate, videas iterum, ſeu miraculosè, ſeu fantaſticè, contra naturæ curſum, pullos in oua vel conuerſos, vel reuerſos. Accedant duo, inſpector ſimul & raptor; hic pullos, ille oua videbit.

Refugiũ S. Beani in Vltonia.
Nota.

In Auſtrali Momonia, inter collem *Brendani* & mare ſpatioſum, quod Hiſpaniam interluit & Hiberniã, eſt locus quidã non modicus, vno ex latere, fluuio piſcoſo: altero verò riuulo quodã incluſus: qui ob reuerentiam S. *Brendani*, aliorumque loci illius Sanctorum, non tantum hominibus, & pecoribus; verumetiam ipſis feris tam aduenis, quam indigenis refugium præſtat inauditum. Vnde non tam cerui, quam apri, & lepores, aliæque feræ, cum canes è veſtigio ſequentes nullatenus fugere poſſe ſe præſentiunt: à partibus

Refugiũ S. Brendani in Momonia.

bus procul inde remotis ad locum iſtum quantocyus transferuntur. Qui, vt riuulum pertranſierunt, canibus ibidem curſum ſiſtentibus, nec vlterius inſequentibus, ab omni ſtatim periculo tuti ſunt. Mira Dei virtus, quod Sanctorum meritis, nec natura vorax, nec venator inſtigans, & præda præcurrens, prædones impios & pertinaces promptam tranſuehunt ad rapinam. *Nota.*

In duobus refugiis iſtis, ex longo pacis vſu, quaſi domeſticæ, hominum frequentiam aues & feræ non refugiunt.

Ex altero loci prædicti latere fluuius illabitur piſcoſiſſimus, & præcipuè Salmonibus ad miraculum vſque fœcundiſſimus. Hoſpitalitatis namque gratia, quam Sancti ibidem viri pro viribus, imò longè ſupra vires, in peregrinos & aduenas infatiganter exercere ſolebant: ad charitatis explendæ tam ſufficientiam, quam experientiam, piſcium indulta eſt copia tanta. Et ne auaritiæ ſtimulis, (vt aſſolet) ad emolumentum mercimoniale cupidos mortalium animos ipſa prouocaret abundantia, ad Mannæ modum, remedium diuinitus eſt indultum, vt nunquam vltra primam capturæ noctem piſces vtiliter reſeruentur. Quantumlibet enim ſale conditi, putredini tamen ſemper obnoxii, inſipidi manent & inſulſi. Nec atte quantalibet in craſtinum reſeruati, vel ad vſum prouenient, vel ad eſum.

Præterea fluuius iſte natiuam quandam rupem transfluit, & tranſcurrit, nec niſi cum impetu magno, ab alto (vt aſſolet) ad ima deſcendit. In ſummitate rupis iſtius, eſt modica quædam concauitas, Sanctorum virorum manibus olim exſculpta: ad quam Salmones abundanti in copia ab imis ad ſumma, quantùm haſtæ longiſſimæ eſt altitudo, ſaltu mirabili transferuntur, & (niſi piſcis proprietas hoc exigeret) miraculoſo. Hoc enim piſcium genus, ſaltum appetit ex natura: vnde & à ſaltu Salmo nomen accepit. *Saltus Salmonis.*

Modus autem ſaliendi, & proprietas hæc eſt. Piſces huiuſmodi, naturaliter aquæ curſum contra nitentes, (ſicut enim auibus contra flatus; ſic & piſcibus contra fluctus, mos eſt eniti) cum obſtaculum inueniunt valdè præruptum, caudam ad os replicant: interdum etiam ad maiorem ſaltus efficaciam, caudam ipſo ore * comprimit; dumq; à circulo huiuſmodi, ſe ſubito reſoluunt; cum impetu quodam, tanquam ſubita virgæ circulatæ explicatione, ſe ab imis ad alta cum intuentium admiratione, longe tranſmittunt. *Modus ſaliendi.* ** f. comprimunt.*

Similis huius in * Auenpliphenſi fluuio non procul à Dublinia, ſaltus reperitur, ſed non tantus. Auſtrali quoque in *Gvvallia, Teiuenſi* ſcilicet in fluuio, tertius eſt ſaltus, & trium præruptiſſimus. ** f. Liffenſi.*

De vita S. Brendani. §. x.

EA verò quæ de S. *Brendano* tam miraculosè referuntur, & in ſcripta etiam ſunt redacta. Quanto quidem labore, ſeptennii nauigatione mare luſtrauerit. De Angelorum multiformi ſpecie. De paſchalis ſolemnitatis ſupra monſtruoſam maris beluam, annua, per ſeptennii ſpatium, celebratione. De miſerrimi illius, nec miſerabilis tamen, Iudæ proditoris in ſcopulo marino poſitione; & priuilegiatæ lucis beneficio, relegatione ſimul ac religatione. Denique poſt longos & infatigabiles labores, deſideratiſſima Paradiſi terreſtris viſione, & diuina opitulante gratia, proſperè demum ad propria reuerſione. Incredibilia nimirum videri poſſent; niſi quoniam credenti, omnia ſunt poſſibilia; & quoniam omnia, quæcumque voluit Dominus fecit in cælo, & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis: & quia mirabilis Deus in Sanctis ſuis, & magnus in omnibus operibus ſuis, ſemper que mundi extremitates nouis quibuſdam prodigiis pollent. Tanquam in publico dignitatem obſeruans, licentius natura ludat in priuatis. Hæc autem ſi quis audire geſtierit; qui de vita *Brendani* ſcriptus eſt, libellum legat.

De inſula, cuius pars vna bonis, altera malis ſpiritibus eſt frequentata. §. xi.

EST lacus in partibus Vltoniæ continens inſulam bipartitam, cuius pars altera probatæ religionis Eccleſiam habens, ſpectabilis valde eſt, & amœna angelorum viſitatione, Sanctorumque loci illius viſibili frequentia incomparabiliter illuſtrata.

Pars altera hiſpida nimis, & horribilis, ſolis dæmoniis dicitur aſſignata; quæ vt viſibilibus cacodæmonum turbis, & pompis, fere ſemper manet expoſita. Pars iſta nouem in ſe foueas habet in quarum aliqua, ſi quis forte pernoctare præſumpſerit (* quod à temerariis hominibus nonnunquam conſtat eſſe probatum) à malignis ſpiritibus ſtatim ** temere eſt hæc Giraldi cenſura.*

arripitur, & nocte tota tanquam pænis cruciatur; tot tantiſque, & tam ineffabilibus ignis, & aquæ, variique generis tormentis inceſſanter affligitur: vt mane facto vix, vel minimæ ſpiritus ſuperſtitis reliquiæ in miſero corpore reperiantur. Hęc vt aſſerunt, tormenta, ſi quis ſemel ex iniuncta pęnitentia ſuſtinuerit, & infernales amplius pęnas (niſi grauiora commiſerit) non ſubibit.

Hic autem lacus purgatorium *Patricij* ab incolis vocatur: de infernalibus namque reproborum pænis: de vera poſt mortem perpetuáque electorum vita, vir ſanctus ad gentem incredulam dum diſputaſſet: vt tanta, tam inuſitata, tam inopinabilis rerum nouitas, rudibus infidelium animis occulata fide certius imprimeretur: efficaci orationum inſtantia, magnam & admirabilem vtriuſque rei notitiam, duræque ceruicis populo perutilem meruit in terris obtinere.

De inſula vbi hominum corpora ſub dio poſita non putreſcunt: & nec naſcuntur, nec viuunt mures. §. XII.

EST inſula quędam in occidentali Connactię ſolo poſita, cui nomen Aren, à Sancto *Brendano*, vt aiunt, conſecrata. In hac hominum corpora nec humantur, nec putreſcunt, ſed ſub dio poſita & expoſita, permanent incorrupta. Hic homines auos, atauos, & tritauos, longamq; ſtirpis ſuę retro ſeriem, mirando conſpiciunt, & cognoſcunt.

Eſt & aliud ibi notabile. Quia cum per totam Hiberniam copioſe nimis mures abundent, hæc tamen inſula mure caret. Mus enim nec naſcitur hic; nec viuit inuectus: ſed ſi forte allatus fuerit, ſtatim præpeti curſu in proximum mare ſe præcipitat. Sin autem impediatur, ſtatim emoritur.

De mira Hibernicæ terræ contra venenoſa efficacia. §. XIII.

INter omnia vermium genera ſolis non nociuis Hibernia gaudet: venenoſis enim omnibus caret. Caret ſerpentibus, & colubris; caret bufonibus & ranis; caret tortuis & ſcorpionibus; caret & draconibus. Habet tamen araneas; habet ſanguiſugas; habet & lacertas, ſed prorſus innocuas. Vnde ſatis hiſtoricè; ſatiſq; facetè dici vel etiā ſcribi poteſt.

Ranæ in Gallia & Italia clamoſæ, & garrulæ:
in Britannia mutæ, in Hibernia nullæ.

Quidam vero figmento ſatis fauorabili coniectant S. *Patricium*, alioſque terrę Sanctos, peſtiferis cunctis inſulam purgaſſe. Sed probabilior aſſerit hiſtoria à primis temporibus, longéque ante omnem fidei reuelatę gratiam; ſicut aliarum quarundam rerum, ſic & iſtarum naturali quodam defectu, ſemper inſulam deſtitutam fuiſſe.

Nec mihi mirandum videtur, quod vermium iſtorum, ſicut & piſcium auiumque & ferarum quarundam naturalem defectum terra patitur. Sed hoc ſtupore dignum occurrit; quod nihil venenoſum aliunde aduectum vnquam contiuere, vel potuit, vel poteſt. Legitur namque in antiquis terræ iſtius Sanctorum ſcriptis, quod aliquoties experiendi cauſa, ſerpentes in ollis ęneis delati ſunt: ſed quam cito medium maris Hibernici curſum tranſmeauerant, exanimes & mortui reperti ſunt. Toxicum quoque ſimiliter allatum mediis in fluctibus innata malitia benignior aura priuauit. De his autem *Beda* ſcribit in hunc modum, de Hibernia loquens. Nullum ibi reptile videri ſoleat, nullus viuere ſerpens valeat. Nam ſæpe illò de Britannia allati ſerpentes, mox vt proximante terris nauigio, odore aëris illius afflati fuerint, intereant. Quin potius omnia pęne, quę de eadem inſula ſunt; contra venena valeant. Scrutatores tamen Oceani mercatores, aſſerentes audiuimus quod cum naues in portu Hibernico aliquoties exoneraſſent, bufones caſu illatos in fundo nauis inuenerunt, quos dum viuos in terram proieciſſent, ſtatim verſo ventre, videntibus, & admirantibus multis, medij crepuerunt & interierunt. Conſtat igitur, quod vel * Scotorum meritis; (ſicut vulgata per orbem aſſerit opinio) ſiue ex aëris noua quidem & inaudita, benigniſſima tamen clementia; ſiue ex terræ ipſius vi quadam occulta, & venenis inimica; nec animal venenoſum hîc ſubſiſtere poteſt, & venenum quodlibet aliunde aduectum, omnem malignitatis efficaciam prorſus amittit. In tantum ſiquidem terra hæc inimica veneno eſt, vt ſi aliarum regionum, ſeu viridaria, ſeu quælibet alia loca puluere ipſius aſpergantur, venenoſos ab inde vermes procul exterminet. Corrigiæ quoque terræ iſtius, non adulterinæ, ſed veræ, & de coriis animalium, quæ hîc nata ſunt, factæ: contra bufonum, ſerpentumque morſus, in aqua raſæ & potæ efficax remedium

* *melius, vt videtur Sanctorū vide infra de baculo Ieſu.*

dium ferre ſolent. Vidi oculis meis corrigiam huiuſmodi ſtrictam & arctam bufoni circulariter, periculi cauſa circumpoſitam; ad quam perueniens & tranſire volens, ſtatim tanquam percuſſus capite, retro cecidit: parteſque ad oppoſitas ſe transferens, & corrigiam vndique inuentam tanquam peſtem quandam fugiens, in medio tandem circuli ſpatio terram fimoſam ſubito pedibus effoſſam, multis intuentibus ſubintrauit.

Quinimo omnia pæne, quæ de eadem inſula ſunt, iuxta Bedæ aſſertionem; contra venena valent. Aſſerit enim ſe vidiſſe, quibuſdam à ſerpentibus percuſſis, raſa folia codicum, qui de Hibernia fuerunt, & ipſam raſuram aquæ immiſſam, protinus totam vim veneni graſſantis, totum inflati corporis abſumpſiſſe, ac ſedaſſe tumorem. Contigit autem noſtris diebus in Borealibus Angliæ finibus, iuuenis os dormienis, colubrum intraſſe, & per guttur apertum in ventrem deſcendiſſe. Qui male ſuum incontinenti remunerans hoſpitem, eius inteſtina rodere dentibus, & lacerare non ceſſauit. Adeo vt iuuenis ille tãtis anguſtiis torqueretur, quòd morte mori mallet quàm vitam ducere mortis, poſt cibum tamen ſumptum aliquam quietem reſpectu temporis alterius habebat: ante vero penitus nullam. Cùm autem loca Sanctorum Dei per Angliam luſtraſſet diu & incaſſum; tandem ſaniori conſilio in Hiberniam tranſuectus; ſtatim aquis terræ illius ſalubriter hauſtis, & cibarijs ſumptis, lætalem hoſtem lætaliter extinctũ per inferiora tranſmiſit, & lætus ſanitate reſumpta, repatriauit.

Noſtris tamen temporibus apud *Vvaterfodiam*, herboſis in paſcuis rana inuenta fuit: & coram Roberto Poërio, tunc ibi rectore, aliiſque multis tam Anglicis, quàm Hibernicis in curiam viua delata eſt. Cumque ipſam multùm Anglici, multóque plus Hibernici, cum admiratione conſpexiſſent. Demum Duuenaldus Rex Oſſyrienſis, vir prudens in gente ſua; & fidelis, tunc forte præſens, cum grandi capitis concuſſione, grauique cordis dolore, verbum hoc eructauit: Peſſimos in Hiberniam rumores vermis iſte portauit. Vtenſque tanquam prognoſtico verbo, certiſſimum hoc ſignum eſſe dicebat aduentus Anglorum, imminentiſque conquiſitionis, & expugnationis gentis ſuæ.

Arbitrari tamen nemo præſumat, quòd vnquam vermis iſte hic natus fuiſſet, quia non hic; vt alibi, *Semina limus habet virides generantia ranas.*

Quod ſi foret, frequentius & numeroſius, vel ante, vel poſt inuentæ fuiſſent. Sed forte liquidi & limoſi ſeminis particulam æthereo calore in nubes attractam, & vi ventorum, huc impulſam: vel etiam vermiculum ipſum iam formatum, nubeculæ deſcendentis concauitate ſurſum eleuatum, & huc caſu * aduentum, terra inhoſpita & inimica ſuſcepit. vel potius rana portu propinquo forte * fortuitu naue deuecta, & in terram proiecta (quia vermis venenoſus non eſt) aliquandiu ſubſiſtere, & viuere præualuit. *Quæ præcedenti paragrapho comprehenduntur, in 2. diſt. habet Giraldus.*

* *f. aduectum.*
* *al. fortuitò.*

De mirabili vi receptiua loci cuiuſdam. §. XIIII.

EſT in Connactia locus quidam muratus, amplè caſtelli ſimilitudinem præferens, à *S. Patricio*, vt aiunt, conſecratus; in quem tot armenta nunquam introeunt, (cum tamen totius prouinciæ præda, refugij cauſa ſæpiſſimè includi ſoleat) quin multò plura intrare potuerunt: donec forte, vel ſufficientiæ, vel * diffidentiæ verbum eruperit.

* *al. ſaſtietatis.*

De duabus inſulis, in quarum altera nemo moritur: in alteram, fœminei ſexus animal non intrat. §. XV.

EſT lacus in Momonia Boreali, duas continens inſulas; vnam maiorem, & alteram minorem. Maior Eccleſiam habet antiquæ religionis. Minor verò capellam, cui pauci cælibes, quos cœlicolas, vel colideos vocant, deuotè deſeruiunt. In maiorem nunquam fœmina, vel fœminei ſexus aliquod animal intrare potuit, quin ſtatim moreretur. Probatum eſt hoc multoties per canes & catos, aliaque ſexus illius animalia, quæ periculi cauſa frequenter aduecta ſtatim occubuerunt. Mirum de auibus terræ illius, quæ cum maſculæ fruticibus inſulæ paſſim inſideant, alterius ſexus illius auiculæ præteruolando, pares ibi relinquunt, & tanquam inſitæ virtutis non ignaræ, inſulam illam quaſi peſtem fugiunt. In minori verò inſula nemo vnquam moritur, vnquam mortuus eſt, vel morte naturali mori potuit: vnde & *viuentium inſula* vocatur. Morbo tamen lætali grauiſſimè interdum vexantur, & vſque ad extremam exhalationem miſerabiliter afficiuntur: cumq; nihil amplius ſpei, nihil iam vitæ vitalis ſupereſſe præſentiunt: cumque inualeſcente va-

lerudine tam finaliter afflicti fuerint, vt morte mori malint, quam vitam ducere mortis; in maiorem demum inſulam ſe nauicula deferri faciunt, qui ſtatim vt terram attingant, ſpiritum reddunt.

Hic mihi notandum videtur quod in primo Scholaſticæ hiſtoriæ, & circa principium, de inſulis huiuſmodi viuentium, fit mentio: vbi & de arbore Solis dicitur, quia qui fructu eiuſdem veſcitur, (ſicut Rex Alexander Ariſtoteli ſcribit) vitam extendit in immenſum.

De alia inſula, in quam fœmineus ſexus non intrat. §. XVI.

EST in Vltonia cœmiterium quoddam, locuſque ſacer, Sanctorum virorum diutina frequentia conſecratus. Fœmineus hic ſexus quoque non admittitur: huc ſponſũ, ſponſa non ſequitur; celebratóque locali diuortio, conſortes orationum non effecti, in hac parte iam ad imparia iudicantur: hue ſine gallina gallus intrabit. Vbi & paſtu quolibet intus inuento, (mirabile viſu) voce monitoria ſociæ quoque ſuadet, nec perſuadet.

Eſt in Boreali Britanniæ parte inſula quædam, quæ & Sancta vocatur, vbi mulieres non pariunt. Concipiunt tamen, & prægnantes effectæ, vſque ad pariendi articulum naturaliter intumeſcunt. Quo imminente, ad alteram inſulam aduectæ, naturali libertati naturæ indulgent. Quæ ſi forte detentæ fuerint, (ſicut aliquoties probandi cauſa compertum eſt) intolerabili ſtatim vexatione torquentur, & vſque ad ipſas ferè mortis anguſtias, donec emittantur, dolore premuntur.

Obſeruet lector, ea quæ ſex proximè præcedentibus paragraphis continentur, non inter miracula Sanctorum, ſed inter mirabilia naturæ, vel qualitates terræ, Giraldum repoſuiſſe. Ego verò inter miracula potius collocanda eſſe duxi, cùm ex ipſa hiſtoria facile colligi poſſit, ea non minus quam reliqua à Sanctorum virtutibus originem duxiſſe & dudum perſeueraſſe. Nam purgatorium S. Patricij, *de quo in* §. 11. *tractatur, miraculo ſingulari nimis inuentum eſt. Quæ* §. 12. *habentur, meritis* S. Brendani, *attribuenda exiſtimo. Quæ verò* §. 13. *continentur, non clementiæ aëris, nec naturæ terræ, ſed Sancto noſtro Patrono,* Patricio *nimirum, adſcribenda eſſe multo probabilius cenſeo; & qui fuſiorem contrariæ opinionis refutationem videre deſiderat; legat ſuprà elucidationem 4. in caput 170. vitæ S. Patricij. Et quæ* §. 14. *referuntur, eiſdem Sancto deberi ipſa narratio non obſcurè indicat. Quæ demùm* §. 15. & 16. *habentur, ab aliquibus Sanctis emanaſſe, ipſarum rerum hiſtoria inſinuat.*

De cruce Dubliniæ loquente, & teſtimonium veritati perhibente. §. XVII.

NVnc ea, quæ circa moderna contigerunt tempora, explicemus. Dubliniæ, in Eccleſia S. Trinitatis, eſt crux quædam virtuoſiſſima, vultum præferens Crucifixi. Hæc non multis annis ante aduentum Anglorum, (Oſtmannorum ſcilicet tempore) pluribus audientibus, ſacrum os in verba reſoluit. Contigerat enim quendam ciuium, ſuper contractu quodam eam ſolam teſtem & quaſi ſponſorem inuocaſſe. Proceſſu verò temporis, eo, cum quo contraxerat, pactum penitus inficiente, & pecuniam, quam eius fidei crediderat conſtanter abnegante: de cenſura ciuium, Ironica magis tamen, quam ſeria; aſtantibus ad hoc in Eccleſia prædicta, multis & audientibus, crux adiurata, & obteſtata teſtimonium perhibuit veritati.

De eadem cruce immobili facta. §. XVIII.

COmite RIC. primò Dubliniam cum exercitu veniente: ciues, mente, malorum plerumque præſaga, caſum ciuitatis metuentes, & de defenſione diffidentes; cum fugam iam nauigio machinarentur, crucem illam ſecum ad inſulas aſportare volebant. Quod cùm omni conamine & diligentia effectui mancipare tentaſſent, totius ciuitatis populus nec vi, nec ingenio eam à loco mouere potuerat.

De Denario cruci oblato, bis reſiliente, & tertiò poſt confeſſionem remanente. §. XIX.

CApta verò ciuitate, cum ſagittarius quidam inter alios, denarium ad crucem obtuliſſet; reuertens, eundem ſtatim poſt ſe volantem à tergo ſuſcepit. Cui iterum eundem reſumenti, & ad crucem reportanti; videntibus & admirantibus multis, idem euenit. Tum verò coram omnibus confeſſus eſt, ſe domos Archiepiſcopi, intra Eccleſiæ illius ſepta, eodem die ſpoliaſſe: & ſic pecunia ſuper hoc ei iniuncta, redditiſque vniuerſis, quæ ei obuenerant; tertiò denarium eundem cum timore magno & reuerentia ad crucem retulit; qui & ibidem tùm demum ſine motu permanſit.

De ocreis ferreis miraculoſè reſtitutis. §. xx.

ITem Reymundo Comitis Rich. tunc Conſtabulario, cùm iuuenis quidam de familia ſua,ferreas ocreas furto ſuſtuliſſet: tota eiuſdem familia,in Eccleſia S. Trinitatis, ſuper crucem præfatam ſe ab hoc facinore,Sacramento purgauit. Nec multò poſt, iuuenis ille reuerſus ab Anglia, quò ſeceſſerat,nemine,de ipſo, hoc ſuſpicante, ad pedes Reymundi, macilentus & miſer ſe proſtrauit, de ſcelere perpetrato & ſatisfactionem offerens,& veniam quærens.Confeſſus eſt etiam publicè, ſe tantam à cruce perſecutionem perpeſſum eſſe;vt poſt periurium, ſemper ei in collo, graui cum pondere,iacuiſſe videretur, ita vt nec poſtmodum dormire, nec requiem vllam habere potuiſſet. His igitur, aliiſque virtutibus,& ſignis variis, in primo noſtrorum aduentu,crux vbique veneranda, ſe venerabilem hic exhibuit.

De frenetico apud Fernas, verbis de præterito futura prædicente. §. xxi.

TEmpore quo filij Mauricij caſtrum apud Fernas obtinuerunt; iuuenis quidam de eorum familia Phantaſticus agnomine vocatus, cum Eccleſiam S. *Maidoci* ſpoliaſſet,in Phreneſin raptus,ſtatim inſaniuit; & neſcio quo Spiritu ductus, Prophetizare cœpit, & verbis de præterito futura * prædicare: video,inquit,homines noſtros interfectos, (plures etiam ex nomine deſignans) & caſtellum omninò deſtructum,& iam non eſt hic. Sic ergo quotidie cum magna cunctorum admiratione, vociferabat, nec ceſſauit, donec hoſtili inuaſione, cuncta in breui, ſicut prædixerat, ſunt completa. *Spoliator Eccleſiæ S. Maidoci inſanit.* ** f. prædicere.*

De Sagittario, qui ſepem S. Brigidæ tranſiliit, inſaniente. §. xxii.

APud Kildariam Sagittarius quidam de familia Rich. Comitis,ſepem tranſiliens,ignem *Brigidæ* ore ſufflauit;qui ſtatim reſiliens,demens eſſe cœpit, & cuicunque obuiabat, inſufflans in eius os, dicebat, viden? Sic ignem *Brigidæ* ſufflaui. Sic quoque per domos totius villæ diſcurrens,vbicumque ignem inuenit,eadem verba ingeminans, eum exſufflauit. Tandem verò captus à ſociis, & ligatus, rogauit, vt ad aquam proximam duceretur. Ad quam ductus, ore deſiccato, tantum exhauſit, quod inter eorum manus medius crepuerit,atque expirauerit.

De alio tibiam amittente. §. xxiii.

ALius verò vt ad ignem intraret,cùm tibiam alteram trans ſepem iam poſuiſſet, & à ſociis tamen retractus eſſet, & retentus; pes ille cum crure ſtatim exaruit. Vnde & poſtmodum quamdiu vixit,claudus & imbecillis permanſit.

Reliqua S.Brigidæ miracula,quæ Giraldus hac diſtinctione complexus eſt:ſuprà poſt ipſius Sanctæ vitam appoſuimus.

De tritici ſemine per imprecationem Corcagienſis Epiſcopi, non prouenientе, & anno ſequente è Siligine miraculoſè conuerſo. §. xxiiii.

CVm apud Corcagiam miles quidam terram S. *Finbarri*, citra præſulis aſſenſum occupaſſet, & aratam terram, tritici ſemine iam perfunderet: accedens loci illius Epiſcopus,ex parte Dei & Sanctorum Eccleſiæ ſuæ, prohibuit, ne terram illam amplius, vel violenter occuparet,vel ſeminaret.'Quod cùm miles prætermittere nullatenus voluiſſet:reuertens Epiſcopus cum lacrymis: Deum, inquit, omnipotentem oro, vt nunquam tibi ad meſſem ſemen iſtud proueniat. Contigit autem eodem anno, in campis illis;toto ciuitatis populo vehementer admirante, non tantum ſpicam non proſiluiſſe, ſed nec in herbam, vel vnum granum germinaſſe.

Anno verò ſequente, aliis ibidem cum Præſulis aſſenſu Siliginem ſeminantibus, frumentum purum, & ſiligini penitus impermixtum, in Autumno meſſuerunt: vel ſiliginis grano, in tritici naturam miraculoſè conuerſo; vel potius prioris anni ſemine tunc non prouenіente; vſque in anni ſecundi meſſem,Sancti viri meritis reſeruato.

De Philippo Vvigornienſi apud Ardmachiam paſſione percuſſo. §. xxv.

CVm apud Ardmachiam *B. Patricij* ſedem, & proprium totius Hiberniæ primatiæ locum, Philippus Vvigornienſis,quadrageſimali tempore exercitum duxiſſet: & in diebus ſacris à clero ſacrotributum non modicum violenter extorſiſſet; reuertens cum ſpoliis,& anno,non procul abinde ſubita paſſione percuſſus,vix euaſit.

De Hugone Tyrello diuinitus flagellato. §. xxvi.

HVgo verò Tyrellus cacabum magnum, qui conuentus clericorum fuerat; cùm totius cleri maledictione ad * Luuedenſem ſecum ciuitatem aſportauit. Sed eadem ** Luuenſem antè.*

nocte, igne, proprio eiuſdem hoſpitio accenſo, equi duo, qui cacabum retraxerant, cum aliis rebus non paucis, ſtatim combuſti ſunt: pars etiam villæ maxima, eadem occaſione igne eſt conſumpta. Quo viſo, Hugo Tyrellus mane cacabum inueniens prorſus illæſum, pecunia ductus, Ardmachiam eum remiſit. Epiſcopus verò * Luuedenſis tunc præſens exiſtens, de eodem Hugone, multis de exercitu audientibus, dixit. Homo iſte hoc anno magnum infortunium indubitanter incurret. Nunquam enim tot bonorum virorum lacrymæ; nunquam tot maledictiones ſunt fruſtra prolatæ. Quod & ei per diſcordiam inter ipſum & Hugonem de Lacy, ſuis inſtigantibus, exortam, (vnde & regnum ferè totum turbari cœperat, & peruerti) anno nondum completo vidimus eueniſſe.

* Luuiſi.

De Molendino, quod nec diebus Dominicis nec de furto, vel rapina, quicquam molit. §. XXVII.

APud Oſſyoriam eſt Molendinum *S. Lucherini* Abbatis; quod diebus Dominicis nihil; de furto verò vel rapina nunquam molit.

* Lutherni

De Molendino, quod fœminæ non intrant. §. XXVIII.

IN Media apud * Fouenam eſt molendinum, quod *S. Phechinus* in latere cuiuſdam ſaxi, miraculosè nimis, manibus ſuis exſculpſit. Hoc, ſicut & Eccleſiam Sancti iſtius, mulieres non intrant. Nec in minori reuerentia Molendinum iſtud ab indigenis, quam vna Eccleſiarum Sancti eiuſdem haberi ſolet. Contigit autem Hugone de Lacy exercitum per locum illum ducente, ſagittarium quendam mulierem violenter attractam in ipſo Molendino libidinosè violaſſe. Qui repentina vltione, igne infernali in membro percuſſus, vſque in ipſum corpus ſtatim exarſit, & nocte eadem expirauit.

* ſ Foueriam.

De duobus equis, qui auenam de eodem Molendino raptam comedentes ſtatim interierunt. §. XXIX.

ITerum exercitu ibidem pernoctante, annonam, quam ab Eccleſiis & Molendino paſſim rapuerant, Hugo de Lacy totam reſtitui fecit, præter pauculam auenæ particulam de Molendino ſurreptam, quam coram dextrariis ſuis, duo milites occultè reliquerant. Quorum vnus in inſaniam verſus, eadem nocte in ſtabulo, confracto cerebro interiit. Alter verò mane, (milite, qui inſidebat ei, alios, qui annonam reddiderāt, ſuper ficta religione irridente) ſubita, & improuiſa morte, iuxta latus Hugonis de Lacy, vidente, & admirante maiori exercitus parte, obiter occubuit.

De ſagittariis apud Fineglas, diuinitus condemnatis. §. XXX.

COntigit verò temporibus noſtris, Ioue præter ſolitum in Hibernia tonante, & Rege Henrico ibidem expeditionem agente; plurimas ſagittariorum turmas in vico quodam Archipræſulis Dublinenſis, cui nomen Fineglas, aliquamdiu forte moram feciſſe: qui & ſtatim in fraxinos, & taxos, arboreſque varias, quas nobilis Abbas *Kenacus*, aliique viri Sancti, (quorum frequens religio locum illuſtrauerat,) propriis manibus, quaſi ad ornatum Eccleſiæ, circa cæmiterium olim plantauerant, enormiter, & irreuerenter deſæuire cœperunt. Cum enim ſylua propinqua eſſet; non inſolita, ſed inſolenti tamen populi praui malitia, & hominum officij illius intemperantia, prædictas arbores frondibus mutilatas; alias verò ſtirpitus euulſas, omnes ferè in breui, igne conſumpſerunt. Et verè officium illud, & ab officiendo non per antiphraſin, ſed propriè dictum eſt. Talibus enim aſcripti officiis, officioſiſſimè ſemper potius officere parati ſunt, quam proficere. Sed incontinenti, à Deo, diuina indignatione (quæ ſibi vindictam reſeruari iubet, & Sanctorum ſuorum iniuriam vindicare dignatur & in terris) ſubita quadam & ſingulari peſtilentia percuſſi ſunt; vt pars eorum maxima intra pauciſſimos dies, eodem in vico miſerabiliter expiraſſent, diſtricti iudicis examine, vbi deliquerant, foro ſubiacentes: Pars vero reſidua, cùm nauigio fugæ præſidium attentaſſet, naufragio ſubmerſa, eundem in extremis tam terræ, quam maris dominatorem inuenit. Cuius quidem à facie, nec fugere quis poteſt, nec effugere.

Quò fugis ergo manum Regis gens impia Regum?
An neſcis longas Regibus eſſe manus?

Quia, quo fugis * ex illo, qui claudit cuncta pugillo? Sed inter mille modos mortis, mors illa timori eſt, qua cœpère mori. Sic ergo veri, ſummique Tonantis iram, quam prauitas in terris prouocauerat, Neptunus in vndis vindicauit. Audi namque Prophetam Amos. *Non*

* ab illo.

erit

erit fuga eis. Fugient, & non ſaluabitur ex eis qui fugerit. Si deſcenderint vſque ad infernum, in- Amos 9.
de manus mea deducet eos, & ſi aſcenderint vſque ad cælum, inde detraham eos: & ſi abſconditi
fuerint in vertice Carmeli, inde ſcrutans auferam eos. Et ſi celauerint ſe ab oculis meis in pro-
fundo maris, ibi mandabo ſerpenti, & mordebit eos & ſi abierint in captiuitatem coram inimicis
ſuis, ibi mandabo gladio & occidet eos, & ponam oculos meos ſuper eos in malum, & non in bonum.
Audi & Abdiam. *Si exaltatus fueris, vt aquila, & ſi inter ſidera poſueris nidum tuum, inde* Abdiæ v. 4.
traham te, dicit Dominus. Audi inſuper Ionam à facie Domini fugientem, & tamen * hic
dicentem: *Dominum Deum cæli ego timeo, qui fecit mare & aridam.* Super quod Hierony-
mum audi. *Cum confiteatur creatorem maris, & aridæ, cur aridam relinquens, arbitratur ſe con-* * f. Hæc
ditorem in mari poſſe vitare? Audi & Pſalmiſtam. *Si aſcendero in cælum, tu illic es: ſi deſcen-* Ionæ 1.
dero in infernum ades; Si ſumpſero pennas meas diluculo, & habitauero in extremis maris: Pſal. 138.
etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.

De lupo Sacerdotem alloquente. §. XXXI.

CIrca triennium ante aduentum comitis Ioannis in Hiberniam: contigit quendam ſacerdotem de partibus Vltoniæ, verſus Mediam itinerantem, in ſylua quadam coniuncta Mediæ pernoctaſſe. Cumque ad igniculum, quem ſibi ſub arbore quadam frondoſa congeſſerat, vno tantum comitatus puerulo lucubraſſet: ecce lupus ad eos accedens, qui & ſtatim in huiuſmodi verba prorupit: Securi eſtote, & nolite timere, non enim trepidandum vobis eſt, vbi timor non eſt. Cumque ipſi tantò vehementius conſternatis animis obſtupuiſſent, verba de Deo ſana ſubiunxit. Et obteſtatus à ſacerdote, adiuratuſque per Deum omnipotentem, & per fidem Trinitatis, ne eis noceret, & quænam creatura fuiſſet, quæ ſub beſtiali forma, humana verba proferret. Catholicum in omnibus reſponſum præbens, tandem tamen ſubiecit: De quodam hominum genere ſumus Oſſyrienſiū: vnde quolibet ſeptennio, per imprecationem Sancti cuiuſdam, *Natalis* ſcilicet Abbatis, duo, videlicet mas, & fæmina, tam à formis, quàm finibus exulare coguntur, formam enim humanam prorſus exuentes, induunt lupinam. Completo verò ſeptennij ſpatio, ſi forte ſuperſtites fuerint, aliis duobus, ipſorum loco, ſimili conditione ſubrogatis, ad priſtinam redeunt, tam patriam, quam naturam. Et mihi quidem peregrinationis huius ſocia, non procul hinc grauiter infirmatur. Cui, ſi placet, iam in extremis agenti, ſacerdotale ſolatium, intuitu diuinæ pietatis indulgeas. Quo dicto, lupum præcedentem vſque ad arborem quandam ſatis propinquam, presbyter ſequitur tremebundus. In cuius concauitate, lupam conſpicit, ſub ſpecie ferina, gemitus & planctus humanos emittentem. Quæ ſtatim, vt ipſum vidit, præmittens ſalutationem ſatis humanam, gratias etiam Deo retulit, quòd in tali articulo, tanto eam ſolatio dignatus eſſet viſitare: & ſic vſque ad extremam communionem, à ſacerdote cuncta ritè peracta ſuſcepit; quam & ipſam conſtanter efflagitauit, attentius ſupplicans, vt viatici largitione, beneficium conſummaret. Quo, ſacerdos cum ſe carere firmiter aſſeruiſſet, lupus, qui parumper abſceſſerat, iterum acceſſit, oſtendens ei paruulum librum manualem, & aliquot hoſtias conſecratas continentem: quæ more patriæ, presbyter itinerans, ſub indumento, à collo ſuſpenſa deferebat. Rogabat etiam, ne Dei donum, & ſubſidium, eis diuina prouidentia deſtinatum, aliquatenus denegaret.

Et vt omnem abſtergeret dubietatem, pede quaſi pro manu fungens, pellem totam à capite lupæ retrahens, vſque ad vmbilicum, replicauit. Et ita ſtatim, expreſſa forma vetulæ cuiuſdam apparuit. Quo viſo, tandem ſacerdos obnixè poſtulantem, & deuotè ſuſcipientem, terrore tamen magis quam ratione compulſus communicauit, & ſtatim à lupo pellis retractata, priori formæ ſe coaptauit.

His ergo rite potius quam rectè peractis, humanam potius quam beſtialem ſocietatem eis ad igniculum tota nocte lupus exhibuit. Mane verò facto, extra ſyluam ipſos conducens, presbyteroque præbens iter, viam ei certiſſimam longè præoſtendit. Multas etiam ſacerdoti ſuper impenſo beneficio gratias in diſceſſu referebat, promittens efficaciores multo ſe ei gratias relaturum, ſi Dominus eum ab hoc exilio, cuius iam duas partes compleuerat, reuocaueiit.

Inter vltima verò confabulationis huius verba, quæſiuit presbyter à lupo, vtrum gens Anglos intelligit.
inimica, quæ in inſulam ſuperuenerat olim foret, diuque in ea permanſura. Cui lupus:

propter peccata, inquit, populi noſtri, & vitiorum enormitates, ira Dei deſcendens in generationem prauam, dedit eam in manus inimicorum. Quamdiu ergo gens ea mandata Domini cuſtodierit, & in viis eius ambulauerit, tota manebit, & inconuulſa: Sin autem, (quia procliuis eſt curſus ad voluptates, & imitatrix eſt natura vitiorum) ad noſtros ex conuictu mores forte condeſcenderint, diuinam in ſe quoque proculdubio vindictam prouocabunt. Similem quoque ſententiam in Leuitico reperies; Domino ad populum Iſraëliticum loquente, in hunc modum: *omnes enim execrationes iſtas* (prædictas ſcilicet) *fecerunt accolæ terræ, qui fuerunt ante vos, & polluerunt eam. Cauete ergo, ne & vos ſimiliter euomat, cum paria feceritis, ſicut euomuit gentem, quæ fuit ante vos.* Totum hoc autem poſtmodum contigit, primo per Chaldæos; & poſteà per Romanos: Item & in Eccleſiaſtico: *Regnum à gente in gentem transfertur, propter iniuſtitias, & iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos.*

Leuitici 18.

Eccl. 10.

Biennio verò poſt elapſo, contigit me per Mediam tranſitum feciſſe; vbi Epiſcopus terræ illius, Synodum tunc forte conuocauerat: Epiſcopos etiam & Abbates vicinos aſciuerat, vt ſuper hac re (quam ex Sacerdotis confeſſione iam didicerat) quid agendum illi foret, communicato concilio certius inſtrueretur. Audiens ergo me tranſire per partes illas, duos mihi de clericis ſuis tranſmiſit, rogans, vt tanto negocio tractando, in propria perſona, ſi fieri poſſet, intereſſem: ſin autem, de aſſenſu meo literis ſaltem eos certificarem. Audito ergo ab illis ſeriatim negocio (quod & prius tamen ab aliis audieram) quia cauſis quibuſdam vrgentibus adeſſe non potui, literarum beneficio, conſilio quidem abſens non fui. Cui & Epiſcopus cum Synodo obtemperans, ſacerdotem ipſum cum literis ſuis rem geſtam, & ſacerdotis confeſſionem continentibus; appoſitis etiam Epiſcoporum, & Abbatum, qui intererant, ſigillis, ad ſummum Pontificem deſtinauit.

Non itaque diſcredendum eſt, ſed potius fide certiſſima eſt amplectendum, diuinam naturam pro ſalute mundi, humanam naturam aſſumpſiſſe: cùm hic ſolo Dei nutu ad declarandam ſui potentiam & vindictam, non minori miraculo humana natura lupinam aſſumeret.

Sed animal huiuſmodi, brutum an homo dicetur? Animal namque rationale à bruto longè alienum videtur eſſe. Prætereà, animal quadrupes, pronum in terram, nec riſibile, humanæ naturæ quis adiunget? Item, qui hoc animal occiderit, nunquid hominem occiderit, & homicida dicetur? Sed miracula diuina, non in rationem humanæ diſputationis trahenda ſunt, ſed admiranda.

Auguſtinus tamen lib. 16. de Ciuitate Dei, cap. 8. vbi de Monſtroſis hominum generibus, quos Oriens parit, quæſtionem mouet: quorum quidam caninis capitibus; alij verò capite carentes, oculos in armis habere dicuntur, & variis deformati formis: vtrum à primo parente propagati reuerà homines dicendi ſunt. Tandem ſubiungit: Idem de iſtis ſentiendum eſt, quod & de Monſtruoſis hominum partubus, quos fieri perſæpè audimus: & quicquid hominis definitionem (animal ſcilicet rationale mortale) ſub quacunque forma recipit; illud hominem eſſe, vera ratione teſtatur.

Idem lib. 18. de Ciu. Dei, cap. 18. refert de Archadibus, qui ſorte ducti tranſnatabant quoddam ſtagnum, atque ibi conuertebantur in lupos, & cum ſimilibus feris per illius regionis deſerta viuebant. Si autem carne non veſcerentur humana: rurſum poſt annos nouem, * renato ſtagno reformabantur in homines. Cumque ibidem de variis hominum in lupos mutationibus ſermonem produxerat, demum ſubnectit: Nam & nos cum eſſemus in Italia, audiebamus talia, de quadam regione illarum partium: vbi ſtabularias mulieres imbutas iis malis artibus, in caſeo dare ſolebant (vt dicebant) viatoribus, vnde in iumenta illico verterentur, & neceſſaria quæque portarent; poſtque perfuncta opera iterum ad ſe redirent: nec tamen in eis mentem fieri beſtialem, ſed rationalem, humanamque ſeruari: ſicut Apuleius in libris, quos *Aſini aurei* titulo inſcripſit, ſibi ipſi refert accidiſſe, vt accepto veneno, humano animo permanente, aſinus fieret.

* al. renato.

Noſtris quoque temporibus quoſdam vidimus, qui Magicis artibus imbuti, pingues, vt videbantur, porcos, ſed tantum rubros, ex quacunque præiacente materia producentes, in nundinis vendebant. Sed hi, ſtatim vt aquam aliquam tranſibant, euaneſcentes in propriam & veram reuertebantur naturam: quantalibet autem induſtria ſeruatis, aſſumpta ſpecies

pta ſpecies

pta ſpecies vltra triduum non durabat. Item vetulas quaſdam tam in Gvvallia, quam in Hibernia, & in Scotia, ſe in leporinam tranſmutare formam, vt adulterina ſub ſpecie, vbera ſugendo, lac alienum occultius ſurripiant; vetus quidem & adhuc recens, frequenſque querela eſt.

Dæmones igitur, ſeu malos homines, ſicut nec creare, ita nec naturas veraciter mutare poſſe, ſimul cum Auguſtino ſentimus: ſed ſpecie tenus, quæ à vero Deo creata ſunt ipſo permittente, vt ſcilicet videantur eſſe quod non ſunt, ſenſibus hominum mira illuſione captis & ſopitis, quatenus res non videantur ſicut ſe habent, ſed ad falſas quaſdam & fictitias videndum formas, vi fantaſmatis, ſeu Magicæ incantationis mirabiliter abſtrahantur.

Sed omnipotentem Deum, ſicut naturas creare, ſic & eaſdem, cum voluerit, in ſe inuicem permutare: ſeu vindicando, ſeu diuinam potentiam declarando; vel vnam in alteram penitus transferre ſicut vxoris Loth contra Dominicum præceptum reſpicientis, in ſtatuam ſalis; ſicut etiam aquæ in vinum mutatione: vel interiore manente natura, ſolum exterius transformare, ſicut in præpoſitis patet exemplis; potentiſſimum eſſe, indubitata veritate credendum eſt. De illa vero ſpeciali panis in corpus Chriſti mutatione, nec ſpeciali, imo verius ſubſtantiali (quia ſpecie tota manente, ſubſtantia ſola mutatur) hic prætereundum tutius exiſtimaui: quoniam ſupra humanam longè intelligentiam alta nimis & ardua eſt eius complexio.

Quæ præcedenti paragrapho continentur, Giraldus inter mirabilia Hiberniæ recenſet. Sed neſcio cur non potius inter Sanctorum miracula: præſertim cum hic expreſſè narretur, eiuſmodi homines in lupos conuerſos fuiſſe, per imprecationem. S. Natalis Abbatis. *Hac igitur ratione ductus, ea inter miracula repoſui.*

De Campanis, & baculis, aliiſque huiuſmodi Sanctorum reliquiis, ab Hibernis in magna reuerentia habitis. §. XXXII.

HOc etiam non prætereundum puto, quod Campanas, baiulas, baculoſque Sanctorum in ſuperiore parte recuruos, auro & argento, vel ære * contextos, in magna reuerentia, tam Hiberniæ & Scotiæ, quam & Gvvalliæ populus & clerus habere ſolent: ita vt Sacramenta ſuper hæc longè magis quam ſuper Euangelia, & præſtare vereantur, & peierare. Ex vi enim quadam occulta, & iis quaſi diuinitus inſita, nec non & vindicta (cuius præcipuè Sancti illi appetibiles eſſe videntur) plerunque puniuntur contemptores, & grauiter animaduertitur in tranſgreſſores. * al. conſectos.

De baculo virtuoſiſſimo, quem baculum Ieſu vocant. §. XXXIII.

INter vniuerſos Hiberniæ baculos, ligneæque naturæ Sanctorum reliquias, virtuoſus ille, & famoſus (quem *Baculum Ieſu* vocant) non immeritò primus & præcipuus eſſe videtur. Per quem * vulgari opinione, *S. Patricius* venenoſos ab inſula vermes eiecit. Cuius ſiquidem tam incertus eſt ortus, quam certiſſima virtus. Noſtris autem temporibus, & noſtrorum opera, nobilis theſaurus ab Ardmachia Dubliniam eſt tranſlatus. * vide quæ ſuprà poſt. §. 13. dicta ſūt.

De cornu S. Patricij, ob cuius temerarium vſum, ſacerdos duplici paſſione miraculosè percuſſus eſt. §. XXXIV.

VIdimus quoque in Gvvallia (vnde & vehementius admiramur) Hibernienſem baiulum quendam, cornu quoddam æneum, quod *S. * Patricij* fuiſſe dicebat, pro reliquiis in collo geſtantem. Dicebat autem ob reuerentiam Sancti illius, neminem auſum hoc ſonare. Cum igitur (Hibernico more) circumſtanti populo cornu porrigeret oſculandum: ſacerdos quidam Bernardus nomine, de manibus eius illud arripuit, & oris apponens angulo, aërem que impellens, ſonare cœpit; qui & eadem hora multis aſtantibus, ore quidem aure tenus paralyticè retorto, duplici paſſione percuſſus eſt. Cum enim torrentis eloquij prius extitiſſet, & delatoris linguam detractor habuiſſet, ſermonis cuiuſlibet ſtatim amiſit vſum. Vnde & in hac parte ſic læſus eſt, vt ſemper hactenus linguæ fuerit impeditæ. Præterea lethargum patiens, ſic ſtatim obliuioni cuncta tradiderat, vt vix etiam ſe nomen habuiſſe meminiſſet. Enimuerò tam enormiter in memoria læſus fuerat, vt Pſalmos quos antea corde tenus optimè nouerat, multis ab inde diebus quaſi de nouo recordantem videremus: & literas etiam, quarum notitiam copioſè ſatis habuerat, denuò mendicantem, tanquam elementarium, ſenem miraremur. Cui tandem * al. Brēdini.

in Hiberniam ad *S. Patricium*, exceſſus huius cauſa, peregrè profecto, plenior valetudo rediit, ſed non plena.

Quæ tribus proximè præcedentibus paragraphis habentur; non in ſecunda, ſed in tertia diſtinctione Topogr. Hib. Giraldus poſuit.

Quod Sancti Hiberniæ, animi vindicis eſſe videntur. §. xxxv.

HOc etiam mirabile mihi & notabile videtur; quod ſicut nationis huius homines hac in vita mortali, præ aliis gentibus impatientes ſunt, & præcipites ad vindictam: ſic & in morte vitali, meritis iam excelſi, præ aliarum regionum Sanctis, animi vindicis eſſe videntur. Nec alia mihi ratio euentus huius occurrit, niſi quoniam gens Hibernica caſtellis carens, prædonibus abundans, Eccleſiarum potius refugiis, quàm caſtrorum municipiis, & præcipuè Eccleſiaſtici viri, ſe ſuaque tueri ſolent: diuina prouidentia ſimul & indulgentia, graui frequentique animaduerſione in Eccleſiarum hoſtes opus fuerat. Vt & ſic ab Eccleſiaſtica pace, impiorum prauitas procul arceatur: & ipſis Eccleſiis ab irreuerenti populo debita veneratio vel ſeruiliter exhibeatur.

Atque hæc ex Giraldo locis ſuprà memoratis.

FINIS.

SERMO
SANCTI PATRICII
HIBERNIÆ APOSTOLI, AD Hibernos hábitus, Annó circiter 430.

Ex Richardo Stanihurſto Hiberno lib. 2. de vita S. Patricij.

PATRICIVS *igitur* (inquit Stanihurſtùs) *celeberrima pópuli gratulatione, vt ante* (lib. 1.) *ſcripſi, acceptus* (ab Hibernis), *ſtato quodam die concionem vidit maximam, ſuſpenſis atque occupatis animis expectantem, quid noui tandem nouus hoſpes tanta talique coronæ nunciaret. Auditorum itaque expectationi pius Præſul occurrens; huiuſcemodi eis adhibuit orationem.*

Sancti Patricij ad Hibernos concio.

SI quis intraret in aliquod ergaſtulum, intolerabili pædore fœtidum, in quo magnam frequentiam & multitudinem hominum offenderet, quorum corpora conſtricta eſſent vinculis, quorum membra carnifices, omnem humanitatem abijcientes, continuis tormentis laniarent: credo ego, illius aduentum his miſeris fore exſpectatiſſimum, qui eos viâ & ratione doceret, quomodo poſſent, ſi modò vellent, à moleſto & putido pædore ad odorem ſuauitatus, à tetris tenebris ad lumen Solis, à diuturnis vinculis ad nouam libertatem, à grauibus pœnis ad deſiderata ſolatia, ſine vlla retractatione, peruenire: Hoc cùm ita naturâ comparatum ſit, vt certè eſt, non poſſum, non adduci in ſpem maximam, meum vobis aduentum pergratum fore, qui idem ſanè nuncius ſum, qui vobis captiuis optatum nuntium adfero, fontemque ſalutis aperio, qui vos è longâ ſeruitute in perpetuam libertatem, modò dicto audientes eritis, vindicabit. Quorſum, inquiet aliquis, iſta? Captiui ſcilicet ſumus, cùm liberi viuamus; In carcerem coniecti, qui longè lateque vagamur? Iacemus in tenebris, qui cæleſte illud iubar apricantes conſpicimus? Mira, Patrici nuntias, non modò à noſtrâ intelligentiâ diſiuncta, ſed etiam à conſuetudine communis ſenſus abhorrentia. Bene narras. Atque hoc ipſo is miſer quàm maximè miſerandus mihi videtur, qui non ſentit, quantâ miſeriâ implicatus viuat. Nam ſi quis eſſet in facinore manifeſto deprehenſus, iudicis ſententiâ condemnatus, certuſque dies conſtitueretur, quo pœnas legibus & iudicio daturus ſit, niſi ante definitum mortis tempus reſipiſcat, atque vt ignoſcatur, pœnitente deprecatione poſtulet: nónne illius caſus vobis miſerrimus videretur, ſi reus ſibi perſuaderet, ſe nunquam ad tale maleficium acceſſiſſe, extra omne periculum eſſe, qua inani confidentiâ elatus, admiſſum ſcelus agnoſcere, iudicis miſericordiam concitare, impunitatemque ſcelerum ſuorum adſequi pro derelicto habet; ad eundem modum nos omnes, qui vitam cum maximis miſeriis permiſtam viuimus, in hoc vno, tota mente omnique animi impetu, verſari debemus, vt damna; quibus adficimur; ſeruitutem, qua vexamur; tyrannidem, qua opprimimur; intentis oculis intueamur; ne fortè, dum de ſecuritate ſumma in periculis maximis, & de falſa felicitate in veris miſeriis inaniter gloriamur, de omni gradu raptim deiecti, ad interitum ruamus ſubitum & ſempiternum. Primùm itaque in noſtras calamitates conſiderationem intendamus, tum deinde quà ratione his miſeriis leuari poſſimus, magnâ cum curâ & diligentiâ perſcrutemur.

Effector cæli & terræ molitorq; Deus in primâ vniuerſitatis ſtructurâ hominem ad imaginẽ & ſimilitudinẽ ſuã creauit. Atq; in hunc cõmunem noſtrũ parentem congeſſit Deus ornamenta, multitudine varia; bo-

nitate diuina; ſtabilitate etiam firma; modò ipſe Numinis voluntati firmè & conſtanter paruiſſet. Eum etiam in Paradiſo collocauit, id eſt, in nitidiſſimo viridiſſimoque campo, omni amœnitate perfuſo. Cui voluptario loco nihil defuit, quod oblectaret, nihi adfuit, quod offenderet. Ceterùm non ita diu tantæ voluptatis vſuram habuit. Nam, teterrimus hoſtis humani generis, dæmon, de cælo cum ſuo ſuperbo ſodalitio, ob ſuperbiam, præcipitatus, parentis noſtri felicitati maximè inuidebat. Vidit enim poſt ſuam ruinam hominum genus in illius locum, diuinâ electione, cooptari. Quocirca in hoc vnum omnem conatum parabat, vt aditum nobis ad cælitum congreſſum vafre & malitiosè intercluderet. Cuius rei rationem hac aſtutiâ conatus eſt. Poſuit Deus hominem in Paradiſum voluptatis, vt operaretur & cuſtodiret illum, præcepitque ei dicens: Ex omni ligno Paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas: in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris. Hanc legem viuendi Deus homini dedit, quam vt primus parens perrumperet, ſempiternus noſter hoſtis omni ſtudio eniti non tardauit. In quo conatu victor euaſit. Nam mulierem veterator callidus ludificauit, mulier maritum ſuum in fraudem induxit: quandoquidem ambo fructum prohibitum comederunt. Atque in hoc primo parente omnes peccauerunt: qui merito atque optimo iure reus mortis à Deo, iuſto iudice, pronunciatus, ſe ac poſteros ſuos innatâ illâ dignitate ſpoliauit, noſtrumque collum in horribilem dæmonis laqueum miſerabiliter inſeruit. Fuit enim cum ſuâ vxore ex Paradiſo eiectus, primis illis ornamentis atque deliciis orbatus, conſcientiâ oppreſſus delicti ſui, ex quo delicto, veluti ex impuro gurgite, omnia humana ſcelera proffluxerunt. Nam ante hunc lapſum Deus animæ partes ita ordinauit, vt appetitus rationi, quaſi ſuæ legitimæ dominæ, moderandi & regendi ſui poteſtatem tradiderit Aſt vbi homo à Numinis imperio defecit, omnia fuerunt in contrariam partem verſa. Nam appetitus, tanquam intractatus & nouus equus, immoderatâ ferocitate, reiectis habenis, exſultans, rationi morigerari diutius noluit, imò verò in omni actione in eam dominari furibunda bellatrix voluit. Iure id quidem. Nam indignus eſt, cui inferiora pareant, qui ſuperiori Deo obſequi recuſat. Nec verò hoc tantùm interno bello ardebat homo, ſed extrinſecus etiam rerum omnium confuſio & perturbatio erat. Nam ipſæ beſtiæ, cicures creatæ, in quibus ante peccatum naturalem habuit auctoritatem homo, poſt peccatum immanſuetæ effectæ eundem indignari cœperunt. Imò verò quocunque illius oculi inciderunt, pericula ſibi vndique proponi ſatis perſpicuè intellexit. Mare vidit, at nantem fluctibus obruere potuit. Montes itidem conſpexit, qui mole ſuâ præcipitantem obtererent; campos conculcauit, qui inexſpectato & repentino hiatu ambulantem abſorberent: aërem oculis cernit, qui tabificâ peſte ſpirantem inficeret, & variis morborum cruciamentis nauſeantem adfligaret; ignem adſpexit, qui mortale ac patibile illud ſuum corpuſculum aut flammis amburere, aut fumo poſſet ſuffocare: In ſolis radios aciem intendit, cuius acceſſu calore cremari, contrâque diſceſſu frigore conglaciari poterat. Quoties ſementem faceret, toties in meſſe pro frumentis ſpinas, pro frugibus vepres, aliaſque herbas inimiciſſimas frugibus colligebat. Poſt ſarmentorum immiſſionem ſurculi vel pruina repreſſi pubeſcere non potuerunt, vel ſiti exuſti exaruerunt. Atque ita aduerſante & repugnante cœli ſtatu terræque conceptu, eximios labores exiguus fructus compenſauit. Quid de ipſis hominibus dicam, quorum vnus alteri arma, vim, necem intentabat? Quot bella ſuſcepta? Quantæ pugnæ pugnatæ? Quæ vulnera adflicta? Quot clades adlatæ? Quanta multitudo interfecta? Quot homicidia perpetrata? Atque ad hunc modum dæmon in vniuerſo terrarum orbe, tanquam in ſuo regno, tyrannidem furenter exercens, nullum genus crudelitatis præteriit, ſed vſque eò hominum mentes excæcauit, vt relicto veri Numinis cultu, nouos ſibi deos fingerent, in quorum clientelam, quoties in aliquam difficultatem incurrebant, ſe conferrent. Hic Soli litare voluit; iſte Lunæ ſuperſtitioſa ſacrificatione ſe addixit; alius Dei ſui architectus idolo picto vel ficto diuinitatis honorem, cæco animi impetu, tribuit. Singulis omnium quodcunque numen placebat, eligendi poteſtas fuit. Nam flocci facit

cit Dæmon qualem quiſque Deum colat, dummodo verum Deum reſpuat. Etenim quamdiu homines ex tam craſsâ inſcientiâ laborant, non poſſunt non ſine oculis, non ſine mente viuere, deprauatos motus in animis ſuis impreſſos & inuſtos habere, atque omni miſeriâ ad extremum profligari. Ad extremum dico, quod ſanè Extremum vobis, in ignoratione harum rerum verſantibus, eſt prorſus incognitum. Nam ſi vt præſentis vitæ, ita noſtrarum ærumnarum finis aliquis reperiri poſſet, noſtræ miſeriæ non eſſent miſeriæ nominandæ. Siquidem illud non eſt miſerum, in quo reperitur aliquod extremum. Verùm alius, præter præſentem, mundus exſiſtit, in quo Deus in impios & conſceleratos pœnas conſtituit, genere, abſque controuerſiâ, horribiles, varietate infinitas, acerbitate grauiſſimas, perpeſſu intolerandas, perennitate interminatas, quarum ſola recordatione metu exhorreſcens exalbeſco, atque omnibus artubus contremiſco. In hanc carnificinam, omnibus ærumnis & miſeriis cumulatam, iſti homines poſt mortem compelluntur, qui hoc in mundo ſceleribus ſeſe adſtringunt, atque dæmonis tyrannidi mancipati viuunt. Atque ad iſtum ipſum carcerem primus noſter parens, à Dei mandato in Paradiſo diſcedens, ſe ac ſuos poſteros perditè amandauit. De humanis miſeriis perpauca expoſui, de earundẽ remedio nonnulla audietis.

Cùm in his miſeris temporibus ac perditis moribus, quibus dæmon nos à profugio & portu æternæ beatitudinis excluſit, noſtra ſalus extra modum adflicta fuiſſet: Deus opt. max. miſeratione permotus, humanum genus, omnium ſcelerum colluuione turpificatum, diuturnâ hac calamitate leuare ſtatuerat. Quamobrem filium ſuum in mundum miſit, qui naturæ noſtræ particeps effectus, omniſque peccati labeculæ expers, acerbitatem à nobis omnibus ſuo pretioſo ſanguine redemit. Infinitæ clementiæ euidentiſſimum ſignum. Quid etiam nobis aut dignitate maius, aut bonitate melius accidere potuit, quàm tali tantoque pretio ab interitu vindicari? Quæ ſane myſteria vt intelligenter à me dicantur, rogo, vt à vobis attentè audiãtur. Dominus noſter Ieſus Chriſtus, Dei filius, ex diuiniſſimâ virgine Mariâ, natus fuit inter Iudæos Iudæus. In quos cùm innumerabilia beneficia contuliſſet, illius diuinâ liberalitate immoderatè & ingratè abuſi ſunt. Adtribuit enim cæcis viſum; ſurdis auditum; mutis linguam: claudis inceſſum; ægrotis ſalutem; mortuis vitam; &, quod caput eſt, pœnitentibus veniam. Veruntamen Iudæi tam inuſitatæ inauditæque gratiæ nimis ingrati, eum diris ſuppliciis mactare ſtudent, quem omnibus officiis proſequi debent: Chriſtum itaque comprehenſum ad Caipham, principem ſacerdotum, ducunt. Quicquid autem malitia architectari, fraus fingere, inuidia machinari, vanitas poteſt excogitare; in nefario crimine, & fraude capitali, Chriſto, totius innocentiæ exemplo, impiè nefariéque imponunt. Coniuratos item teſtes perditi proditores infirmati conſcientiâ fraudum ſuarum, ſubornant, quorum linguæ, mercede adſtrictæ, ad calumniatorum nutum fictæ ſunt & accomodatæ. Poſtea eum Pontio Pilato præſidi tradere, à quo iniquo iudice barbarè & iniquè tractatum, ad militum ludibrium poſitum, verberibus crudeliſſimè adfectum, inimici, furore incenſi, in crucem tollere. Quo genere mortis nihil fuit cùm apud alias nationes, tum apud Iudæos, aut ad æſtimationem turpius, aut ad dolorem acerbius. Quantam verò tormentorum vim præſidium ſalutis libertatiſque noſtræ id temporis pertulerit, nemo homo poterit animo complecti, multoque minus verbis explicare. In quam te cunque corporis particulam oculorum coniectu dares, nihil non cruentum, nihil non ad viuum reſecatum diſpiceres. Caput cerneres ſpinea corona redimitum; manus ingentibus clauis perforatas; pedes pari diritate cruci ſuffixos; cor militari lanceâ tranſuerberatum; linguam ſiti torridam; cutem verberibus diſtortam; varices plagarũ multitudine tumidos ac turgidos; neruos ad ſummã crudelitatem intẽtos: venas recentiſſimo cruore, inſtar ſtillicidij, redundantes. O terram illam beatiſſimam, quæ diffluentem hunc ſanguinem abſorbere potuit! Iam verò quorſum ad internos dolorum aculeos orationem conuertam, quorum acerbitatem humani pectoris anguſtiæ capere nullo modo poſſunt, omnes omnium gentium linguæ explicare nequeunt. Quis itaque tam ferus & ferreus eſſet, qui hoc lamentabile ſpectaculum, abſque infinitâ

vi lacrymarum & dolorum, oculis vſurparet? Quod vſque eo immane fuit, vt ipſe Sol, ne Iudæorum ſcelus videret, extraordinario contectus integumento, (nihil enim ex omni ſeculorum memoria tale fuit viſum) ſe abdiderit, craſſæque tenebræ, meridiano tempore, tetram opacauerint. Vnde effectum eſt, vt Dominus noſter, qui in ortu ſuo ſtellam effecerit lætantem, in ſuo etiam interitu ſolem habuerit mœrentem. Nec verò ſuperiora tantùm illa mœſto fuerunt & conturbato vultu, ſed inferiora etiam ſuum pariter dolorem ſuſceperunt. Quantus in cauernis mugitus; qualis in antris fremitus? Quam horribiles terræ motus? Quanta monumenta aperta? Quæ petræ ſciſſæ? vt etiam ipſa ſaxa domini ſui tormentis mollita, langueſcerent, ad cuius pœnas marmorea ſceleratiſſimorum Iudæorum corda obduruerunt. Quid multa? Nullus poſt homines natos & notos, tantos vſpiam cruciatus pertulit, vel perferre, pro communi conditione vitæ, prorſus vllo modo potuit: & tamen humanæ incolumitatis reſtaurator, noſtram ſalutem ſitienter appetens, crudeliſſimis his exemplis interimi voluit. Nam niſi ipſe hæc tormenta ſubire voluiſſet, nullam ei vim inferre inimici potuiſſent. Hoc enim mortis genere ſubuenire hominum ſaluti maximo conſilio Chriſtus decreuit. Siquidem per lignum Dæmon victor de homine triumphauit; per lignum Dæmon victus homini ſuccubuit. Primus homo, telinquens & abiiciens obedientiam, nos è paradiſo exturbauit; ſecundus homo factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, nobis in cælum non modò aditum, ſed etiam introitum aperuit. Quid igitur ad hanc manſuetudinē addi potuit? Si amicus pro amico, aut æqualis pro æquali mortem oppeteret, næ ille quidē nimis agreſtis & inhumanus eſſet, qui tanti beneficij memoriam abiiceret, quique ſingularem honorem tam ſingulari amico, etiam mortuo, non tribueret. Qualem igitur gratiam Ieſu Chriſto habere poterimus, qui à noſtrâ miſeriâ oculos ſuos non deiecit, ſed iuſtus pro iniquis, dominus pro captiuis, filius pro exſulibus, domeſticus pro peregrinis, liber pro ſeruis, agnus pro lupis, amicus pro hoſtibus, Deus pro homulis, ex argilla & luto fictis, vitam profudit? Quâ pleniſſimâ hoſtiâ pro nobis ſatisfecit, & cæleſtem patrem nobis placauit. Atque adeò tertiâ die à mortuis glorioſè reſurgens, immortalitatem eſt conſecutus; ſedenſque ad dexteram patris, ſeruos ſuos, è dæmonis faucibus ereptos, ſuauiſſimo ſuo adſpectu in perpetuum beat. Ad quam ſedem vobis apertus eſt curſus, modò veterem caliginem ab animis veſtris diſpellere, fictis & commētitiis ſuperſtitionis fabulis renuntiare, atque in Chriſti auctoritatem vos conferre volueritis, qui acerrimam vim teterrimæ belluæ debilitauit & fregit, noſque, ſuo ſanguine, maximis tormentis ſeruitutis atque interitus liberauit.

Hæc oratio (Stanihurſti ſunt verba) *benignè & diligenter audita, multorum animos magnoperè percuſſit, quos anteacta vita pudere & tædere cæpit; in quorum mentibus nouum adhuc motum concitauit hoc, de quo iam ſcribere inſtituo. Dum hanc orationem in concione Patricius habuit, haſtile eius, in quod toto corpore incubuit, in pede cuiuſdam principis, qui turbæ interfuit, vel potius præfuit, inſcius infixit: cumque in dicendo omni genere amplificationis exarderet, baculi ſpiculo reguli pedem effodere. Exiſtimauit vulneratus, Præſulem deditâ operâ, illius pedem perforaſſe, vt vel ex hoc ſtimulo coniecturam faceret, quam acerrima in cruce tormenta hominū liberator pertulerit. Nam in eam religionis noſtræ partē, magno orationis impetu Antiſtes ferebatur. Hac item mente Dynaſta fuit, oportere illos, quorum mentes ad Chriſtianam religionem fingerentur, in aliqua corporis parte diſcruciari. Proinde vultu occultans ſententiam, pedem de loco, ne tranſuerſum quidem vnguem, dimouere voluit. Vt primùm Pontifex errorem ſuum obſtupefactus agnouit, Dynaſtæ virtutem admirans, quòd frontem ſaucius non contraxerit, ſe ei purgat, confirmans hoc per imprudentiam contigiſſe. Suppliciter itaque Deum Præſul obſecrat, perfoſſo medicamentum adhibere: cuius precibus ſupremus medicus locum non relinquens, plagam, nulla cicatrice obducta, apprimè optimè ſanauit. Hoc miraculo ingens hominum multitudo incitata, Chriſtianæ doctrinæ adſenſum præbuit.*

S. Patricius doctrinam ſuam miraculo confirmat. Vide locol. ſup. c. 74. vita S. Patricij.

Hæc Stanihurſtus loco ſuprà citato. Vtrum autem ex vetuſtis M.S. aut libris impreſſis hanc S. Patricij orationem ſeu ſermonem deſumpſerit: an accõmodatè ad id quod à S. Patricio tunc dici aut prædicari potuit, ipſe more ſuo ingenioſè & facundè eam compoſuerit, nobis incompertum eſt. Vnum duntaxat eſt, ex quo colligi videtur eam aliunde deſumptam, nimirum quòd notis quibuſdam ſeu virgulis marginalibus tota hæc oratio, præ reliqua narratione, apud ipſum notetur: Hoc autem an ab alio compoſitam arguat, an ſecus, prudentis Lectoris arbitrio decidendum relinquo. *Dubium circa Authorem Orat. ſuprà poſita.*

FINIS.

Omnia quæ in hoc volumine comprehenduntur, vnius, Sanctæ, Catholicæ, & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ iudicio, & correctioni ſunto ſubiecta.

Errata, itemque prætermiſſa, quæ ſunt corrigenda, & addenda in hoc tomo. corrigenda prius, correcta poſterius habentur.

IN tractatulo præambulari, membro 1. § 1. prope finem, *ſat*, lege *ſatus*. ibidem §.6. prope initium, *conuerſia*, *controuerſia* In Prologo Iocelini pag 1. lin. 18. *prodijs*, *prodigijs*. Ibid. pag. 2.lin.9. poſt, *ſiquis*, adde, *vero* In vita S. Patricij deeſt titulus cap. 1. qui eſt huiuſmodi, *De Parentibus. & natiuitate S. Patricij*. cap. 4. lin 23. *quaſi*, *contra*. c. 5. l. 8. *rebus*, *casibus*. c. 11. l. 33. *aggregata*, *congregata* c 4. lin. 6 *protenderet*, *prætenderet*. ibid. lin. 33. *impertientur*, *impartientur* c 15.l. 26. poſt *& cooperatorem afferre*, adde, *eumque ſuis illis exhibiturum tempore opportuno, & loco.* ibid l. 29 *pulchre*, *perpulchre* c.19.l. 27. poſt, *mola*, adde, *quaſi*, c. 20. l. 10. poſt, *ad*, adde, *viſitandum*, *&*. ibid. l. 15. *exemptio*, *ereptio*. c. 22 l. 21 poſt. *ordinum*, adde *eccleſiaſticos*. ibid. l. 39 *reuertimus*, pro, *regreſſus*. c. 23 l 22 poſt, *Sanctitatis*, adde, *& regiminis*. ibid. l. 20. *tandem*, *tandemque*. ibid. l 32. *prætendebant*, *pretenderent*. c. 24. l. 1. poſt, *animo*, deeſt, *Sancti*. ibid. l 58. *ſulogia egregia*, *eulogium egregium*. c 25 .l. 33. *Solomnum*, *Solenium*. c. 26 *impotentem*, pro, *impotem*. c. 28. l. 10. *ſacra*, *ſacrata*. ibid. l. 23 *a Domino*, *à Deo*. ibid. l. 25 *extollentes*, *extollentem* ibid. *Domini*, *Dei*. ibid. l. 30. *euidentius*, *euidenter*. c. 29. l. 20 *propterea*, *perpetua*. c. 31 l 13 *veri*, *Chriſti*. c. 32. l. 4. poſt. *præſaginm*, adde, *præsciè* ibid. l. 6. *de partibus*, *à partibus*. ibid. l. 15. *ſubſiſtit*, *ſubſiſtet* c. 33. l. 22 *ſacrificij*, forte legendum, *ſacramentis*. c. 36. l. vlt. *reſoluti*, *reſoluti* c. 40. *inſodentes*, pro, *inſistantes*. c. 48. l. 59. *igni*, *ignis*. c. 76. l.17. *immiſericordiam*, *immiſericordiam*. c. 89 l. 5 *frater illius minor natu*, pro *filius illius* ibid. l. 11. *germanus eius natu prior*, pro, *pater eius* ibid. l 18. *fratrem tuum*, pro, *filium tuum* c.125. l. 23. *ſub cucullas ſiccas*, pro, *ſub cuculla ſiccas* c.128 l 18. *ſpiritu Sãcto*, pro, *ſpiritui Sãcto*. c.152. l 24 *applacuit*, *applicuit* c.166. *prodantur*, *producantur*. In elucidationibus ad Iocelinum. elucid. 3. lin 16. *prohibentur*, *perhibeatur*. In vita S. Brigidæ c. 9. l. 15 *antequam*, *antiquam*. In tranſlatione l 2. *Patronum*, pro *patronorum*. In vita S Columbani. c 2. l 87. *Xenodochia*, *cœnodoxia*. In miraculis S. Columbani pag 246. col. 1. l .42 *ancloqui* pro, *ſanctoqui*; In vita S. Magni. c. 10. l. 35. poſt, *Quo audito*, adde, *Bea te Gallus paterno honore, omni auerſis atum ſubſidio, &c.* quæ verba fere omnia ibidem in margine habentur. In vita S. Kiliani pag. 321. col.1. l.7 *perfectus*, *perfectũ*. In vita S. Virgilij pag 338 col. 2. ad finem vltimæ lineæ adde, *inter ipſas, applicationes, &c.* In vita S. Malachiæ c 1. l.60. *idolo*, *indolo*. ibid. c. 2. l. 45. *iuxtam*, *iuxta*. ibid. lin. 75. *viſitatam*, *vſitatam*. pag 409. col. 2. l. 21. poſt, *pia*, deeſt, *verba*. pag 410. col 2, l.25. *virgo*, *virga*. ibid. lin.27. *Mapuſculam*, *Maiuſculam*. pag. 419 l.31. *Deus ſuus*, *Deum ſuam*.

Cætera quæ ſunt leuiora prudens, corrigat Lector; ſeu colligat & amicus & corrigenda admoneat.

A01 1471537

E 44.